DELVAULX, André

Andreae Vallensis vulgo del Vaulx... Paratitla iuris canonici, sive Decretalium D. Gregorii Papae IX... -- Editio septima cum triplici indice. -- Lugduni : Ex Officina Anissoniana, 1673

[20], 512, [12+] p., a-e4, i2, A-Z8, 2A-2Z8, 3A-3T4, 2V2+ ; 4°

Texto a dos col.

1. Corpus Juris Canonici. Decretales -Comentarios 2. Corpus Juris Canonici. Decretales-Iruzkinak 3. Derecho canónico 4. Zuzenbide kanonikoa I. Paratitla iuris canonici, sive Decretalium D. Gregorii Papae IX... II. Decretalium D. Gregorii Papae IX... III. Título

R-6473 Ejemp. falto de 2 p. del cuaderno de 512 p. y de las p. finales. -- Enc. perg.

Nou.	12	Translatio S. Petri Epiſc. & Conf. *dup.*
	20	*Dedicatio Eccleſiæ Oxomenſ.* dup. 1. claſ. cum Oct. in Ciuitate tant.
	27	Oct. Dedicat. Eccleſ. *dupl.*
Dec.	22	Paſsio Imaginis Chriſti, *dup.* 2. *claſ.*

Placentinæ Eccleſiæ, & Diœceſis.

Ian.	19	*Fulgentij Epiſc. & Confeſ. Patroni, dup.* 1. *claſ.* cum Oct. Berzocanæ, vbi aſſeruatur eius corpus celebratur 15. Ianuarij.
Mar.	5	Euſebij, & Socior. mart. *ſem.* in Villa de Medellin, *dup.* quia ibi paſsi ſunt.
	14	Florentinæ Virg. Patr. *dup.* 1. *claſ.*
	22	Theodori Anachoritæ Confeſ. *ſem.* (fuit 20.) In Villa de Medellin, *dup.* quia ibi vitam geſsit.
	28	Carapili, & Socior. mart. *ſem.* in Eccleſia de Caparra, *dup.* quia ibi paſsi ſunt.
Mai.	15	Iſidori Agricolæ Confeſ. *dup.*
	23	Epitac. & Baſil. Pont. & M. *dup. mai.*

Mar-

Iul.	12	Marci, & Socior. mart. *ſem.* In Eccleſia de Caparra, *dup.* quia ibi paſsi ſunt.
Sept.	18	Impreſsio Stigmatum S. Francisci *dup.* (ſuppleas.)
Oct.	16	*Dedicatio Eccleſiæ Placentinæ* dup. 1. claſ. cum Octaua, in Ciuitate tantum.
Dec.	12	Hermogenes, Donati, & Socior. M. *ſem.* in Ciuitate de Truxillo, *dup.* quia eiusdem fuerunt naturales, & ibi paſsi ceperunt.
	30	Translatio S. Iacobi Apoſtoli, *dup. mai.*

Gaurienſis Diœceſis, & Eccleſiæ.

Apr.	20	*Dedicatio Eccleſiæ Caurienſis,* dup. 1. claſ. cum Oct. in Ciuitate.
Mai.	3	Inuentio S. Crucis, *dup.* 1. *claſſ.*
Sept.	22	Collectæ mart. Thebæorum.
	26	Ioræ, mart. *ſem.*
Oct.	21	Collectæ vnius ex Soc. S. Vrſulæ.
Dec.	1	Euaſij mart. Epiſc. Caurienſis, *dup.*
	10	Euſaliæ Virg. & mart. *ſem.*

Do-

ANDREÆ
VALLENSIS
VVLGO DEL VAVLX ANDANENSIS,
I. V. D. ET IN ALMA ACADEMIA LOVANIENSI
SS. Canonum Professoris Ordinarij.

PARATITLA
IVRIS CANONICI,
SIVE
DECRETALIVM
D. GREGORII PAPÆ IX.

SVMMARIA
AC METHODICA EXPLICATIO

Opus novum, Scholæ ac Foro, & Decretis Concilij Tridentini accommodatum.

Editio septima cum triplici Indice.

LVGDVNI,
Ex Officina ANISSONIANA.

M. DC. LXXII.
CVM PERMISSV SVPERIORVM.

AD LECTOREM.

CVM omnium, non modò Philosophorum, sed & Iurisconsultorum sententiâ receptum sit, vt in tradendis disciplinis à primis principiis, & ab aliis, quæ vniuersaliora sunt, initium sumatur, hincque paulatim ad altiora procedatur, donec ad vltima scientiæ artisve perueniatur fastigia; nec aliter scientiæ vel artis alicuius studiosi, quàm hisce gradibus, ad veram solidamque eruditionem pertingere valeant: iure optimo à Sereniſſimis Belgij Principibus constitutum fuit, vt in hac nostra Louanienſi Academia non minùs ad sacrorum Canonum scientiam adspirantibus, quàm ad Legum cognitionem animum applicantibus, Institutiones prælegerentur: quæ non modò prima iuris Pontificij principia contineant, sed totum velut corpus atque vniuersalem illius cognitionem exhibeant, & quarum ductu iuris candidati, ne à recto studiorum cursu in auia perducantur, veluti Thesei quodam filo ad altiora eiusdem scientiæ penetralia feliciter contendant.

Cùm verò ea prouincia mihi demandata esset, omnéque ius, quo vtimur, versetur aut circa personas, aut circa res, aut circa actiones, & iudicia, cœpi primò quidem totum ius Pontificium Institutionésque in tres partes, quatuor tamen libris ad instar institutionum imperialium comprehensas, diuidere: in quarum prima, præmissis nonnullis de iuris deriuatione, eiusque diuisionibus, subdiuisionibus, membrorúmque singulorum naturâ, proprietate, conditionibus, atque inter se tum comparatione tum distinctione de personis agebam Ecclesiasticis; in secunda de rebus; in tertia de actionibus & iudiciis. Eumque ordinem pluribus annis secutus sum; donec, quibusdam suadentibus, satius fore, magisque è re iuuentutis, si ordinem amplecterer Decretalium, quo iuuentus, iuri Pontificio datura operam, Librorum ac Titulorum ordini & continuationi assuesceret, cœpi deinceps, obsecutus horum consilio, ea quæ pro maxima parte

diuerso ordine tradideram, ad ordinem Decretalium, non sine magno, labore reuocare.

Cùm autem in omnibus scientiis rem ordine debito proponendam sapientissimi quique voluerint, meritò culpantur iuris interpretes, qui plerumque multa locis prorsus alienis tradiderunt: imò sæpiùs, miris modis miscendò omnia, omnis generis præceptorum ac materiarum farraginem reliquerunt, vt, si quis rusticus hordeum, triticum, fabas, aliáque legumina in vnum conferat, vix perturbatiorem horum commentariis aceruum facturus videatur. Ita enim, vbi de auctoritate Magistratuum agitur, aliquid de testamentis videas: vbi de emptione & venditione differitur, de pœnis simul aliquid aut de auctoritate tutorum inuenias; nihilque certam sedem domicilióque habere cernas. Vnde crebræ illæ vno loco in alium reiectiones, quibus, quòd hic tractandum erat, ex alio petendum monent, in quo reperiri tale quid, nisi admonitus ne diuinare quidem vnquam quis possit. Qua in parte plurimùm sanè sese deridendos propinant, vt cum Terentio loquar. Dumque ita extra chorum, vt dicitur, saltant, & sepia transiliunt, Iurisprudentiam reddunt intricatissimam & obscurissimam: efficiúntque vt diligenti & auido lectori sit difficillimum & operosissimum, quid quoquo loco ab iis dictum sit, inuestigare, & sæpè etiam diligentissimè & auidissimè perquisita adhuc desideret.

Quam quidem confusi ordinis Scyllam vt euitarem, omniáque, quæ quidem ad Institutiones iuris Canonici spectare videbantur, debito ordine ac methodo pertractarem, singula iuxta seriem Decretalium ad suos Titulos reuocaui, longioréque Titulos in Paragraphos partitus sum. Qua in methodo procedendi, si non eum ordinem, quem forsitan quisque optaret, fuero assecutus, velim hoc perpendat, dissoluta dissipatáque in debitum ordinem & artificiosam methodum reducere summæ esse difficultatis; peritiámque partiendi genera in suas species virtutem esse quamdam rarissimam: tantique iam olim, etiam apud summos Philosophos, habitam, vt Socrates apud Platonem in Phædro dicere fuerit solitus: Hunc virum se tanquam Deum quendam secuturum, si quem reperisset, qui rem vniuersam diuidere nosset. Quamquam verò moneat Fabius, non tentanda esse, quæ omninò effici non possunt, quia tamen laus est interdum velle, quod non possis, si modo id præclarum honestumque sit (in quo quidquid operæ curæque ponitur, iure laudatur) & in præstantibus magna existunt, quæ optimis proxima sunt, aut aliquatenus ad proxima accedunt: non fuit, cur hoc ordine, quem in singulorum Titulorum summaria explicatione mihi proposui, & secutus sum, licèt fortè multis non ita sit probandus,

bandus deterrerer; eoque minùs, quod satis sciam ne Iouem quidem placere omnibus posse.

Quod ad stylum attinet, parùm quoque de eo fui sollicitus; modo neue prorsus incultus esset, neque horridus, neque fucosus, soloque artificio simulationis eruditus. Vt enim pudicæ virgines tanto gratiores sunt, quanto minùs fucatæ, ita forensia negotia, ad quæ has institutiones potissimùm accommodare volui, verborum ornatum negligunt, & vanam eloquentiam spernunt. Siquidem.

Ornari res ipsa vetat, contenta doceri,

præstátque imperitæ loquacitati indiserta prudentia & doctrina. Hinc Cicero ait, Se in Philosopho (qualis haud dubiè est verus Iurisconsultus) eloquentiam si adferat non aspernaturum; si careat, non admodum efflagitaturum. Et viri in iure ac Republica versati rem spectant, non verba captant: id enim calumniari est ex sententia Pauli *l. penult. D. Ad exhibendum.* Malui proinde sermone vti facili, quàm eo, qui rebus obscuris nullam adferat lucem; claris verò tenebras obducat. Candido enim & perspicuo sermone interpretatio si fiat, faciliori studio res perspicitur, & difficultas materiæ tollitur. Hinc sæpe multis in suis iuris Pontificij ac Cæsarei Commentariis vitio datum est, quòd, dum magno conatu Latinitati atque eloquentiæ operam impenderent, ipsum verum Canonum & legum ac Iurisconsultorum sensum per veram explicationem neglexerint, aut ita expolitis verbis, ne dicam affectatis, materiam, quam declarandam susceperant, exposuerint, vt quandoque magis lectorem ipsum dictionum significatio impediat, quàm propositæ materiæ genuina cognitio.

Non inficior barbariem à Iurisconsultis Iurisque studiosis fugiendam, & ab his Latinam orationem exigi: verùm id vnum contendo sufficere, si dictione iam diu recepta ab huius disciplinæ eruditissimis scriptoribus, Bartolo, Baldo, Alberico, Panormitano, & aliis, rem ita exponat, vt sensus legum & Canonum percipiatur, quidve hi iuris vtriusque interpretes, quos meritissimò omnium facilè Principes opinamur, in suis scriptis tradiderint, lectoribus manifestum: cùm nihilo plus commodi adferat praxi, imò verò theoricæ iurisprudentiæ polita illa & compta dictio, quàm morbis curandis eloquentia. Hinc iuris studiosos monet Fachin. *lib. 8. controuers. Iuris cap.* 15. vt de vocabulis à Doctoribus confictis, si modò res intelligatur, nec à iuris rationibus aliena sit, non sint adeò solliciti, vt hoc nomine veteres Doctores abiiciat: Addit ex Mureto *ad Epist. Senecæ* 58. *Idem accidere iis, qui possibile & Impossibile dicere saltem in disputationibus Philosophicis reformidant: cùm Plato, Aristoteles, Epicurus, Zeno, in lingua infinitis*

partibus copiosiore innumerabilia tamen vocabula fingere necesse habuerint. Equidem vt de meo sensu liberet atque ingenuè fatear, inquit Muretus, *multa puto ab istis delicatis in S. Thom. in Io. Scoto aliisque eiusmodi eruditissimis hominibus irrideri, quæ & necessaria sunt, & talia, vt si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam ei gratiam omnes Philosophiæ studiosi habituri fuisse videantur. Nos dum teneris auribus videri volumus tenera nobis ac puerilia esse ingenia, neque veræ ac solidæ eruditionis capacia ostendimus.* Quin verò si vel ipsum Ciceronem, Principem eloquentiæ, *in Orat. pro Cæcinna*, audieris, imprudentiam magnam aut stultitiam singularem putabis in verborum amore versari, rem verò & causam & communem vtilitatem relinquere; magisque circa verba quærenda, occupatum in iure hallucinari, imò vetiùs peregrinari.

Quod cùm ita, sit vt verissimum est, non erit, cur quis iniquiori ferat animo, si in his institutionibus tradendis stylo vtar non ita vniformi, non ita terso aure digno; imò si interdum vocabula, quæ Latini sermonis auctores non agnoscerent, intercurrant, quibus practica cognitio tradi cupit, quæque propterea nomenclatori indulgenda sunt. Cur enim, quæso, minùs vernaculæ voces, quàm Græcæ Latino sermone donentur, cùm volet vsus, penes quem est arbitrium & norma loquendi? Quid, inquit August. in hoc genere prosit clauis aurea, si non aperiat; quid noceat lignea, si aperiat? Quamquam non existimen dictionem meam ita incultam, vt eam ob causam politiores vereri debeat, ne stomachum & nauseam eis moueat.

At fortè alij multa me non nisi ex aliis, & ab aliis dicta, proferre inficiabuntur. Verùm is ferè mos est omnium scriptorum, vt aliena suis immisceant: tum vt certiora scribant; tum vt gratiùs iucundiúsque legantur. Qua in re apes, præcipiente Quintiliano, imitantur, quæ diutiùs vagantur, vt flores carpant fauis inferendos ac disponendos, primóque in varium succum, deinde in dulcissimum mellis saporem proprij oris spiritu conuertendos. Sic etiam multa Platonem à Pythagora, complura Aristotelem à Platone, pleraque Theophrastum ab Aristotele mutuatos esse constat; nec tamen id eis vitio datum est: nec mihi dari debet, qui non aliud proposuerim, quàm quæ in iure dispersa sunt, & ab aliis non in loco tradita, in certum ordinem compendiosè per modum institutionum redigere; eoque minùs, quòd vnicuique portionem suam tribuerim, probè sciens cum Plinio, candoris, & ingenui animi esse palam profiteri, per quos profecerit, quorumque opera & industria in tuis scriptis adiutum te senseris.

Cæterùm

Cæterùm vt mordeant vel calumnientur aliqui, non eſt quòd acerbiori feram animo, quandoquidem cum Salomone *Eccleſ. 4.* animaduertam, *omnes hominum labores & induſtriam patere inuidiæ proximi*: probéque ſciam, quàm ſit difficile ad omnium ſaliuam loqui aut ſcribere: procliuiores eſſe nonnullos ad alios reprehendendos, quàm ad ſeipſos moderandos: illud vitium innatum hominibus, atque ita comparatam eorum naturam, aliena vt melius videant, quàm ſua, vt eſt apud Terentium. Sic fert vſus, ſic ſe res habet, vt te tua, me delectent mea, inquit Cicero *in Tuſcul.* Nemo ab inuidis intactus, nemo ita numeris omnibus abſolutus, quin aduerſus eum ex Zoili ſecta aliqui inſurgant. Sæpe Solonem ſtultitiæ, Herculem ignauiæ, Pyladem perfidiæ nonnulli inſimularunt: ipſeque Homerus in vita Sagarin poſt obitum Xenophontem & Zoilum Macedonem æmulum habuit. Alij in Dialogis diuini Platonis ordinem deſiderant; Ariſtotelem, totius Peripateticæ diſciplinæ facilè Principem, obſcuritatis notant, & in multis eumdem Galenus reprehendit. Virgilius à nonnullis ingenio imbecillis, ab aliis Homerici laboris compilator habetur. Homerum quandoque dormitaſſe Horatius ſcribit; Demoſthenes Marco Tullio in omnibus non placuit; Trogus Pompeius Titi Liuij conciones de fictione arguit; Senecam calcem ſine arena nuncupant alij. Nec deſunt, qui Plinium turbido flumini, quaſi multa deguſtarit, pauca digeſſerit, aſſimilent. Accurſio iudicium iniquè denegant; Bartoli diſtinctionum longitudinem reprobant; Alberici breuitatem, Baldi inconſtantiam, Alexandri perplexam methodum, & vtriuſque Raphaëlis nimiam ſubtilitatem culpant: in aliis politioris literaturæ incuriam, in aliis negligentiam in citandis & allegandis Doctoribus reprehendunt. Et, quòd magis eſt, ne quidem percelebres illi legum Romanarum anteſignani æmulorum hanc cenſuram dentémque Theoninum effugere, & à reprehenſione ſecuri eſſe potuerunt. Marcellus in Saluium Iulianum notas ſcripſit, quibus eum nõ explicat tantum, ſed & notat atque arguit pleriſque in locis. Denique licet nihil Vlpiano eloquentius, Paulo neruoſius, Calliſtrato doctius, Papiniano acutius, Scæuolâ preſſius, Caio fluentius, Africano ſubtilius, Pompeio iucundius, Celſo nitidius, Triphonino candidius penè fuerit, nullus tamen eorum tam fuit felix, vt obtrectatorum linguas morſus, improbámque inuidiam euadere potuerit; quòd vt varia hominum ingenia, ita & varia iudicia, vt nunc ſunt, ita & priſcis temporibus fuerint, faciliúſque ſit, vt vetus habet proverbium μωμᾶσθαι ἢ μιμεῖσθαι, calumniari quàm imitari: inueniatúrque hoc genus hominum, qui meliores malint obtrectare, quàm vel veſtigiotenus ſequi: qui ſi, vt Saluſt. ait, virtute ſatis valerent, magis

æmuli

æmuli bonorum quàm inuidi essent: sed quia desidia atque inertia & stupor eos atque torpedo inuasit, strepunt, obtrectant, & alienam famam suum dedecus existimant. Sic alit liuorem infelix inertia, quibus rectè obieceris:

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum;
Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius?

Porrò quidquid futurum sit, ab omnibus, qui in hisce lucubrationibus meis inuenient, quod iure reprehendant, lubens monebor; ab iisque veniam, ab aliis in iudicando candorem precabor: lectorem beneuolum enixè rogans, vt easdem lucubrationes (quæ multò prodiissent & ampliores & exactiores, nisi occupationes, quà domesticæ, quà publicæ præbenda, inquam, Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri, loco salarij assignata, præcipuam temporis studiique partem hactenus eripuissent, adeò vt & in hac secunda editione ab incepto augmento desistere fuerim coactus) sereno vultu animóque benigno suscipiat. Louanij, ex Collegio Vvinkeliano, Nonis Iunij, CIↃIↃCXXXII.



INDEX

INDEX

Titulorum ordine Alphabetico.

A

ACCVSATIONIBVS, *Inquisitionibus, & Denuntiationibus, l.5.t.1.* pag.409

Adulterio & stupro, l.5.t.16. 440

Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum, l.1.t.14. 56

Alienatione iudicij mutandi causa facta, l.1.t.42. 112

Appellationibus, Recusationibus, &c. l.2.t.28. 216

Apostatis & reiterantibus baptisma, l.5.t.9. 433

Arbitris, l.1.t.43. 113

Auctoritate & usu pallij, l.1.t.8. 44

B

Baptismo & eius effectu, l.3.t.42. 358

Bigamis non ordinandis, l.1.t.21. 69

C

Alumniatoribus, l.5.t.2. 428

Capellis monachorum, &c. l.3.t.37. 343

Causa possessionis & proprietatis, l.2.t.12. 150

Celebratione Missarum & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis officiis l.3.t.41. 355

Censibus, exactionibus, & procurationibus, l.3.t.39. 350

Clandestina dispensatione, l.4.t.3. 381

Clericis peregrinis, l.1.t.22. 70

Clericis peregrinantibus, l.2.t.29 238

Clericis coniugatis, l.3.t.3. 244

Clericis non residentibus in Ecclesia vel prebenda, l.3.t.4. 247

Clericis pugnantibus in duello, l.5.t.14. 438

Clerico ægrotante vel debilitato, l.3.t.6. 252

Clerico venatore, l.5.t.24. 458

Clerico percussore, l.5.t.25. ibid.

Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, l.5.t.27. 459

Clerico non ordinato ministrante, l.5.t.28. 460

Clerico per saltum promoto, l.5.t.29. 461

Cognatione spirituali, l.4.t.11. 389

Cognatione legali, l.4.t.12. 391

Cohabitatione clericorum & mulierum, l.3.t.2. 243

Collusione detegenda, l.5.t.22. 457

Commodato, l.3.t.15. 274

Concessione prebendæ & Ecclesiæ non vacantis, l.3.t.8. 258

Conditionibus appositis in desponsationib. vel in aliis contractibus, l.4.t.5. 384

Confessis, l.2.t.18 166

Confirmatione vtili, vel inutili, l.2.t.30. 239

Coniugio leprosorum, l.4.t.8. 387

Coniugio seruorum, l.4.t.9. ibid.

Consanguinitate & affinitate, l.4.t.14. 393

Consecratione Ecclesiæ vel altaris, l.3.t.40. 353

Constitutionibus, l.1.t.2. 20

Consuetudine, l.1.t.4. 29

Conversione coniugatorum, l.3.t.32 335

Conversione infidelium, l.3.t.33. 336

Corpore vitiatis ordinandis, vel non, l.1.t.20. 67

Crimine falsi, l.5.t.20. 454

Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum, l.3.t.44. 362

D

DEcimis, primitiis, & oblationibus, *l.3.t.30.* 320

Delictis puerorum, l.5.t.23. 457

Depositis, l.3.t.16. 275

Desponsatione impuberum, l.4.t.2. 380

Digamis, l.1.t.21. 69

Dilationibus, l.2.t.8. 139

Diuortiis, l.4.t.19. 404

Dolo & contumacia, l.2.t.24. 162

Donationibus, l.3.t.24. 293

Donationibus inter vir. & vxor. & de dote post diuortium restituenda, l.4.t.20. 407

E

Ecclesiis ædificandis vel reparandis, l.3.t.48. 364
Electione & electi potestate, l.1.t.6. 35
Emptione & venditione, l.3.t.17. 276
Eo, qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ, l.2.t.15. 162
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, l.4.t.7. 386
Eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ, l.4.t.13. 392
Eo, qui ordinem furtiue suscepit, l.5.t.30. 461
Exceptionibus, l.2.t.25 199
Excessibus Prælatorum & subditorũ, l.5.t.31. 462

F

Feriis, l.2.t.9. 143
Feudis, l.3.t.20. 282
Fide instrumentorum, l.2.t 22. 181
Fideiussoribus, l.3.t.22. 289
Filiis presbyterorum ordinandis, vel non, l.1.t.17. 65
Foro competenti, l.2.t.2. 119
Frigidis & maleficiatis, &c. l.4.t.15. 398
Furtis, l.5 t.18. 446

H

Hæretici, l.5 t.7. 429
His quæ vi metusve causa fiunt, l.1 t.40. 107
His, quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli, l.3 t.10. 264
His, quæ fiunt à maiori parte capituli, l.3.t.11. 266
His, qui filios occiderunt, l.5.t.10. 434
Homicidio voluntario vel casuali, l.5.t.12. 436

I

Immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium, l.3.t.49. 367
Infantibus & languidis expositis, l.5.t.11. 435
In integrum restitutione, l.1.t.41. 110
Iniuriis & damno dato, l.5.t.36. 468
Institutionibus, l.3.t.7. 253
Iudæis & Saracenis, & eorum seruis, l.5.t.6. 427
Iudiciis, l.2.t.1. 118
Iuramento calumniæ, l.2.t.7. 136
Iureiurando, l.2.t.24. 191
Iure patronatus, l.3.t.38. 344

L

Libelli oblatione, l.2.t.3. 125
Litis contestatione, l.2.t.5. 131
Locato & conducto, l.3.t.18. 279

M

Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi, l.5.t.5. 426
Maioritate & obedientia, l.1.t.33. 92
Maledicis, l.5.t.26. 458
Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, l.4.t.16. 399
Mutuis petitionibus, l.2.t.4. 128

N

Natis libero ventre, l.4.t.10. 389
Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant, l.3.t 50. 369
Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant, l.5.t.4. 426
Ne sede vacante aliquid innouetur, l.3 t.9. 263
Noui operis nuntiatione, l.5.t.32. 465

O

Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non, l.1.t.19. 67
Obseruatione ieiuniorum, l.3.t 46. 363
Officio Archidiaconi, l.1.t.23. 72
Officio Archipresbyteri, l.1.t.24. 74
Officio Primicerij, l.1.t.25. ibid.
Officio Sacristæ, l.1.t.26. 75
Officio Custodis, l.1.t.27. 76
Officio Vicarij, l.1. t.28. ibid.
Officio & potestate iudicis delegati, l.1.t.29. 80
Officio legati, l.1.t.30. 85
Officio iudicis ordinarij, l.1.t.31. 88
Officio iudicis, l.1.t.32. 90
Ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, l.1.t.13. 55
Ordin. cognitionum, l.2.t.10. 146

P

Pactis, l.1.t.35. 94
Parochiis & alienis parochianis, l.3.t.29. 317
Peculio clericorum, l.3.t.25. 297
Pignoribus & aliis cautionibus, l.3.t.21. 284
Plus petitionibus, l.2.t.11. 148
Pœnis, l.5.t.37. 470
Pœnitentiis & remissionibus, l 5.t.38. 470
Postulando, l.1.t.37. 98
Postulatione Prælatorum l.1 t.5. 34
Prebendis & dignitatibus, l 3.t.5. 249
Precariis, l.3.t.14. 272
Presbytero non baptizato l.3.t.43. 361
Præscriptionibus, l.2.t.26. 201
Præsumptionibus, l.2.t.23. 187
Priuilegiis & excessibus priuilegiatorum, l.5.t.33 464
Probationibus, l 2.t.19. 168
Procuratoribus, l.1 t.38. 99
Purgatione canonica, l.5.t.34. 466
Purgatione vulgari, l.5.t.35. 468
Purificatione post partum, l.3.t.47. 364

Q

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt. l.4.t.6. 518

Qui

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari, l.4.t.18. 542
Qui filij sint legitimi, l.4.t.17. 540

R

Raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum, l.5.t.17. 385
Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, l.3.t.13. 268
Regularibus & transeuntibus ad religionem, l.3. t.31. 331
Regulis iuris, l.5.t.41. 511
Religiosis domibus vt Episcopis sint subiecta, l.3. t.36. 341
Reliquiis, & veneratione Sanctorum, l.3.t.45. 362
Renuntiatione, l.1.t.9. 46
Rerum permutatione, l.3.t.19. 281
Rescriptis, l.1.t.3. 24
Restitutione spoliatorum, l.2.t.13. 158

S

Sacramentis non iterandis, l.1.t.16. 63
Sacra vnctione, l.1.t.15. 60
Sagittarij, l.5.t.15. 440
Schismaticis, l.5.t.8. 432
Scrutinio in ordine faciendo, l.1.t.12. 54
Secundis nuptiis, l.4.t.21. 408
Sententia & re iudicata, l.2.t.27. 209
Sententia excommunicationis, l.5.t.39. 495
Sepulturis, l.3.t.28. 308
Sequestratione possessionum & fructuum, l.2.t.17. 165
Seruis non ordinandis, &c. l.1.t.18. 66
Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur, l.5.t.3. 419
Solutionibus, l.3.t.23. 292
Sortilegijs, l.5.t.21. 456
Sponsalibus & matrimonijs, l.4.t.1. 383
Sponsa duorum, l.4.t.4. 383
Statu monachorum, &c. l.3.t.35. 339
Successionibus ab intestato, l.3.t.27. 307
Summa Trinitate, & fide Cath. l.1.t.1. 16
Supplenda negligentia Prælatorum, l.1.t.10. 48
Syndico & actore, l.1.t.39. 106

T

Temporibus ordinationum, &c. l.1.t.11. 49
Testamentis & vltimis voluntatibus, l.3. t.26. 296
Testibus & attestationibus, l.2.t.20. 172
Testibus cogendis, vel non, l.2.t.21. 180
Torneamentis, l.5.t.13. 437
Transactionibus, l.1.t.36. 96
Translatione Episcopi, l.1.t.7. 43
Treuga & pace, l.1.t.34. 93

V

Verborum significatione, l.5.t.40. 69
Vita, & honestate clericorum, l.3.t.1. 240
Voto & voti redemptione, l.3.t.34. 337
Vsuris, l.5.t.19. 448
Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, l.3.t.12. 267
Vt lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam, l.2.t.6. 134
Vt lite pendente nihil innouetur, l.2.t.16. 164

INDEX

Titulorum & Paragraphorum Librorum Ordine.

PROOEMII §.1. *Acceptiones iuris & origo illius* p.1
2 *Diuisiones iuris.* 2
3 *De iure Naturali.* 3
4 *De iure positiuo & eius diuisione.* 4
5 *De iure Gentium.* 5
6 *De iure Ciuili.* 6
7 *De iure Canonico.* 7
8 *De diuisione iuris canonici, eiusque speciebus & partibus.* 8
9 *Ex quibus constet Ius Canonicum scriptum.* 11.
10 *De Conciliis.* 13

Ex libro Primo.

Titulus primus, De summa Trinitate & fide Catholica. 16
§.1 *De summa Trinitate.* ibid.
2 *De fide Catholica.* 19
Tit.2.De Constitutionibus. 20
§.1. *Constitutionum origo & diuisio.* ibid.
2 *Quinam possint condere Constitutionem: & quæ sit illius vis ac potestas.* 22
Tit.3. De Rescriptis. 24
§. 1. *Rescript. nomine quid veniat.* ibid.
2 *Quotuplicia sint rescripta.* ibid.
3 *Quis rescriptum impetrare possit.* 16
4 *Contra quem & super quibus impetrari possit.* ibid.
5 *E pluribus rescriptis impetratis quodnam sit referendum.* 27
6 *Qualis interpretatio facienda sit in rescriptis.* ibid.
7 *De quibusdam rescriptis inualidis.* 28
Tit.4.De Consuetudine. 29
§.1. *Quid sit consuetudo.* ibid.
2 *De requisitis ad introducendam consuetudinem.* 30
3 *Quotuplex consuetudo & eius effectus.* 32
4 *De stylo.* 33
Tit.5. De postulatione Prælatorum. 34
Tit.6.De Electione & electi. Potestate. 35
§. 1. *Quid sit electio, & quando distinguatur à Postulatione.* ibid.
2 *Quando facienda sit Electio.* ibid.
3 *Intra quod tempus fieri debeat.* 37
4 *De forma & modo Electionis.* ibid.
5 *Quinam eligere vel eligi prohibeantur.* 38
6 *Qualis debeat esse seu eligi Episcopus.* 39
7 *De confirmatione Electi.* ibid.
8 *De consecratione Episcopi, & eius forma.* 42
Tit.7.De translatione Episcoporum. 43
Tit.8.De auctoritate & vsu pallij. 44
§.1.*Quid sit Pallium, & cui competat.* ibid.
2 *De potestate Archiepiscopi.* 45
Tit.9.De renuntiatione. 46
Tit.10. De supplenda negligentia Prælatorum. 48.
Tit.11.De temporibus Ordinationum & qualitate Ordinandorum. 49
§.1.*Quid sit Ordo.* ibid.
2 *Quot sint Ordines.* 50
3 *A quo conferantur ordines.* 51
4 *De litteris dimissoriis, seu rouerendis, vt quidam vocant.* 52
5 *Quibus temporibus conferendi sint Ordines.* 53
Tit.12.De scrutinio in Ordine faciendo 54
Tit.13.De Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit,& ab excommunicato. 55
Tit.14. De ætate,& qualitate, & ordine præficiendorum 56
§.1.*De ætate Præficiendorum.* ibid.
2 *De qualitate.* 57
3 *De Ordine præficiendorum.* 58
4 *De ætate ad Ordines requisita.* 59
Tit.15 De sacra Vnctione. 60
§.1. *Quæ dicatur sacra Vnctio.* ibid.
2 *De Confirmatione.* 61
3 *De Extrema Vnctione.* 62
Tit.16. De Sacramentis non reiterandis. 63
§.1. *Quid sit Sacramentum.* ibid.
2 *Quot sunt Sacramenta.* 64
3 *Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non* ibid.
Tit.17. De filiis Presbyterorum ordinandis vel non ordinandis. 65
Tit.18. De seruis non ordinandis. 66
Tit.19.De obligatis ad ratiocinia ordinandis,vel non. 67

Tit.20.

Tit.20. De corpore vitiatis non ordinandis. ibid.
Tit.21. De bigamis non ordinandis. 69
Tit.22. De Clericis peregrinis non ordinandis. 70.
§.1. *Cur tales ordinari prohibeantur.* ibid.
2 *De quibusdam aliis ordinari prohibitis.* ibid.
Tit.23. De officio Archidiaconi. 72
Tit.24. De officio Archipresbyteri. 74
Tit.25. De primicerio, eiusque officio. ibid.
Tit.26. De officio Sacristæ. 75
Tit.27. De officio Custodis. 76
Tit.28. De officio, & potestate Vicarij. ibid.
§.1. *Vicarius quis & quotuplex.* ibid.
2 *De Vicario Episcopi,* 77
3 *Qualis debeat constitui Vicarius.* ibid.
4 *Quot modis constituatur.* 78
5 *De potestate & iurisdictione Vicarij.* ibid.
6 *Quibus modis finiatur potestas Vicarij.* 79
7 *De officio Coadiutoris.* ibid.
Tit.29. De officio & potestate iudicis delegati. 80.
§.1. *Quis sit delegatus & quis delegare possit.* ibid.
2 *Qua forma fiat delegatio.* 81
3 *Quinam delegari possint, vel non.* ibid.
4 *De officio iudicis delegati.* 82
5 *Quibus modis finiatur iurisdictio iudicis delegati.* 84
6 *De delegatis à iure ipso.* ibid.
Tit.30. De officio Legati. 85
§.1. *Legati qui & quotuplices.* ibid.
2 *In quo conueniant hi legati.* ibid.
3 *In quibus prædicti Legati differant.* 86
4 *Quibus modis finiatur officium Legati.* 87
Tit.31. De officio iudicis Ordinarij. 88
§.1. *Quis ordinarius & à quo iurisdictio ea detur.* ibid.
2 *Quinam iurisdictionem ordinariam habeant.* 89.
Tit.32. De officio iudicis. 90
§.1. *Quis sit iudex.* ibid.
2 *Quod sit officium iudicis.* 91
3 *Quotuplex sit officium iudicis.* ibid.
Tit.33. De maioritate & obedientia. 92
Tit.34. De Treuga & Pace. 93
Tit.35. De Pactis. 94
§.1. *Quid sit Pactum.* ibid.
2 *Diuisio & effectus Pactorum.* ibid.
3 *Cui, & de quibus quis possit paciſci.* 95
Tit.36. De transactionibus. 96
§.1. *Quid sit transactio.* ibid.
2 *Quis transigere possit.* ibid.
3 *De quibus transigi possit.* 97
4 *De effectu transactionis.* ibid.
Tit.37. De Postulando. 98
Tit.38. De Procuratoribus. 99
§.1. *Quis dicatur Procurator.* ibid.
2 *Diuisio Procuratorum.* 100
3 *Quis constituere possit Procuratorem.* 101
4 *Quis Procurator dari possit.* 102
5 *In quibus causis constitui possit Procurator.* 103.
6 *De mandato procuratorio.* ibid.
7 *Quo pacto finiatur Procuratoris officium.* 104.
8 *De exceptionibus, quæ personæ Procuratoris obiici possunt.* 105
Tit.39. de Syndico. 106
Tit.40. De his, quæ vi metusve causa fiunt. 107.
Tit.41. De in integrum restitutione. 110
§.1. *Quid sit restituio, & quibus detur,* ibid.
2 *Intra quod tempus & coram quo peti debeat.* 111.
3 *Effectus restitutionis in integrum.* 112
Tit.42. De alienatione iudicij mutandi causa facta. ibid.
Tit.43. De Arbitris. 113
§.1. *Qui dicantur arbitri.* ibid.
2 *Quo pacto sit compromissum.* 114
3 *In quot & quales compromitti possit seu debeat.* ibid.
4 *Quot eligi possint Arbitri, & quæ sit eorum potestas.* 115
5 *Super quibus compromitti possit vel non.* 116.
6 *De effectu compromissi & sententiæ arbitrorum.* ibid.
7 *Quo pacto arbitrorum & arbitratorum finiatur potestas.* 117

Ex libro Secundo.

Tit.1. De iudiciis. 118
Tit.2. De foro competenti. 119
§.1. *Quod sit forum competens, & quibus modis constituatur.* ibid.
2 *De requisitis ad prorogationem iudicis.* 121
3 *De citatione seu in ius vocatione.* 122
4 *De executione citationis.* 124
Tit.3. De libelli oblatione. 125
Tit.4. De mutuis petitionibus. 128
§.1. *Quid sint mutuæ petitiones.* ibid.
2 *Coram quo iudice & in quibus causis reconuentio locum habeat.* 129
3 *Quando proponi debeat conuentio.* 130
Tit.5. De litis contestatione. 131
§.1. *Quid sit & quo pacto inducatur.* ibid.
2 *De effectibus litis contestationis.* 133
Tit.6. Vt lite non contestata non procedatur

ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam. 134
Tit.7. De iuramento calumniæ. 136
§.1. *Quodnam sit hoc iuramentum, & quid continere debeat.* ibid.
2 *A quibus præstari debeat, vel non.* 137
3 *In quibus causis præstandum sit.* 138
4 *De pœna iurare subterfugientis* ibid.
Tit.8. De dilationibus. 139
§.1. *Dilatio quid sit, & quotuplex.* ibid.
2 *An & quatenus dilationes prorogari possint.* 142.
3 *De effectis dilationum.* ibid.
Tit.9. De Feriis. 143
Tit.10. De ordine cognitionum. 146
Tit.11. De plus petitionibus. 148
Tit.12. De causa proprietatis & possessionis. 150.
§.1. *Possessio, quid sit, & quotuplex, & de iudicijs possessoriis.* ibid.
2 *De proprietate, quid sit, & in quo differat à possessione.* 154
3 *Quis in causa possessionis sit iudex competens.* 155.
4 *An causa possessionis, & proprietatis possit cumulari.* 156
Tit.13. De restitutione spoliatorum. 158
§.1. *Remedium hoc quando, & cui competat.* ibid.
2 *De remedio recuperandæ possessionis.* 159
3 *De tertio remedio recuperandæ possessionis.* 160.
4 *Quo pacto facienda sit restitutio spoliato.* ibid.
5 *Quis dicatur spoliatus.* 161.
Tit.14. De dolo & contumacia. 162.
Tit.15. De eo, qui mittitur in possessionem, rei seruandæ causa. ibid.
Tit.16. Vt lite pendente nihil innouetur. 164
Tit.17. De sequestrationibus possessionum & fructuum. 165
Tit.18. De Confessis. 166.
Tit.19. De Probationibus. 168
§.1. *Quid sit probatio.* ibid.
2 *De diuisione probationis.* 169
3 *Onus probandi cui incumbat.* 170
4 *Quando facienda sit probatio.* 171
5 *Qualis debeat esse probatio, & quis finis atque effectus.* 172
Tit.20. De testibus & attestationibus. 172
§.1. *Quis dicatur testis, & qualis esse debeat.* ibid.
2 *Qui à testimonio arceantur.* 173
3 *De modo producendi testes.* 177
Tit.21. De testibus cogendis. 180
Tit.22. De fide instrument. 18.
§.1. *Instrumentum quid & quotuplex.* ibid.
2 *Differentia Publicorum & priuatorum Instrumentorum.* 183
3 *Quomodo & vbi instrumenta edi debeant.* 184.
4 *Qualiter & cui edi debeant.* 185
5 *De interpretatione & improbatione instrumentorum.* 186
Tit.23. De Præsumptionib. 187
§.1. *Quid sit Præsumptio.* ibid.
2 *De diuisione Præsumptionum.* ibid.
3 *Ex quib. oriantur Præsumptiones.* 188
4 *De effectu præsumptionis.* ibid.
5 *De vi præsumptionum in concursu.* 190
6 *An Præsumptio allegari debeat, vt prosit ei, pro quo stat.* ibid.
Tit.24. De iureiurando. 191
§.1. *Quid sit iuramentum.* ibid.
2 *An iuramentum per Deum vel creaturas sit licitum.* 192
3 *De requisitis ad iuramenti validitatem.* 193.
4 *De diuisione iuramenti.* 194
5 *De diuisione assertorij seu litis decisorij.* ibid.
6 *In quibus causis sit locus iuramento suppletorio prolationis.* 196
7 *De vi & effectu iuramenti Assertorij.* ibid.
8 *De vi & effectu Promissorij iuramenti.* 197.
9 *Quando iuramentum confirmet contractum, vel non.* 199
Tit.25. De Exceptionibus. 199
Tit.26. De Præscriptionibus. 201
§.1. *Præscriptio & Vsucapio quid sit.* ibid.
2 *De requisitis ad Vsucapionem; & primò de Possessione.* 203
3 *De bona fide.* ibid.
4 *Quo tempore bona fides requiratur.* 204
5 *De Titulo.* 205
6 *De Tempore.* ibid.
7 *Quinam præscribere possint.* 208
8 *Quæ res præscribi possit.* ibid.
Tit.27. De sententia & re iudicata. 209
§.1. *Sententia quid sit, & quotuplex.* ibid.
2 *De differentia inter sententiam definitiuam & interlocutoriam.* 211
3 *Quomodo ferenda sit.* 212
4 *De pluribus iudicibus eiusdem litis.* 215
5 *De fine & effectu sententiæ definitiuæ.* ibid.
Tit.28. De Appellationibus, Recusationibus & Relationibus. 216
§.1. *Quid sit appellatio & quotuplex.* ibid.
2 *Quis appellare possit.* 217
3 *A quibus Iudicib. appellare liceat.* ibid.

4 *A quibus sententiis seu actibus appellare liceat, vel non.* 218
5 *Coram quo sit appellandum.* 220
6 *Ad quem sit appellandum.* ibid.
7 *Quando & à quo tempore interponi debeat appellatio.* 221
8 *Qualiter sit interponenda appellatio.* 222
9 *De differentia definitivæ ab interlocutoria quoad interponendam appellationem.* 223.
10 *De tempore petendi Apost.* 224
11 *Quibus appellationibus sit deferendum.* 226
12 *De tempore introducendæ & prosequendæ appellationis.* 227
13 *De causis biennij ad introducendam, prosequendam & finiendam appellationem.* 228.
14 *Quale debeat esse impedimentum primi anni seu primi fatalis, vt præbeat causam dandi secundum.* 230
15 *De effectu appellationis.* 231
16 *De privilegiis remedio attentatorum competentibus.* 233
17 *Quanam iudici vel partibus, pendente appellatione liceant.* 234
18 *De Recusationibus.* 235
19 *De causis & effectu recusationis.* 237
20 *De Relationibus.* ibid.
Tit. 29. De Peregrinantibus. 238
Tit. 30. De confirmatione vtili vel inutili. 239

Ex libro Tertio.

TIt. 1. De vita & honestate Clericorum. 240.
Tit. 2. De cohabitatione Clericorum & mulierum. 243
Tit. 3. De Clericis coniugatis. 244
§. 1. *De Clerico ordine sacro initiato.* ibid.
2 *De Clerico minoribus Ordinibus initiato, contrahente matrim.* 245
3 *An Clericus coniugatus immunitate Ecclesiastica perinde gaudeat ac non coniugatus.* 246.
Tit. 4. De Clericis non residentibus. 247
Tit. 5. De præbendis & Dignitatibus. 249
§. 1. *Quid sit præbenda & beneficium Ecclesiasticum.* ibid.
2 *De diuisione beneficiorum.* 250
Titul. 6. De Clerico ægrotante vel debilitato. 252.
Tit. 7. De Institutionibus. 253
§. 1. *Quid sit Institutio & Collatio.* ibid.
2 *Qui conferre beneficia possint.* 254
3 *Quibus conferri benef. debeant.* 256
4 *In quibus consistat idoneitas Clericorum ad beneficia.* 257
Tit. 8. De concessione præbendæ & Eccles. non vacantis. 258
§. 1. *Quando conferenda.* ibid.
2 *Quibus modis benef. vacent.* 259
3 *Intra quod tempus conferri debeant.* 260
4 *De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum.* ibid.
Tit. 9. Ne sede vacante aliquid innouetur. 263.
Tit. 10. De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli. 264
Tit. 11. De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli. 266
Tit. 12. Vt Ecclesiastica benef. sine diminutione conferantur. 267
Tit. 13. De rebus Ecclesiæ alienandis vel non. 268.
§. 1. *De non alienandis rebus Eccles.* ibid.
2 *De alienandis rebus Eccles. quibus scil. casib. permissa sit alienatio.* 270
3 *Qua sit iusta causa & solemnitas alienandi res Ecclesiæ.* 271
Tit. 14. De Precariis. 272
Tit. 15. De Commodato. 274
Tit. 16. De Deposito. 275
Tit. 17. De Emptione & Venditione. 276
§. 1. *Quid sit Emptio Venditio, & requisita ad eam.* ibid.
2 *Quæ res vendi possint & ad quid teneatur vterque contrahentium.* 277
3 *De rescindenda venditione.* 278
4 *Quæ res vendi non possint.* ibid.
Tit. 18. De Locatione & Conductione. 279
§. 1. *Locatio Conductio quid sit.* ibid.
2 *De Emphyteusi.* 280
Tit. 19. De rerum permutat. 281
Tit. 20. De Feudis. 282
§. 1. *Quid sit Feudum.* ibid.
2 *Quis in feudum dare & quatenus alienare possit.* 283
Tit. 21. De Pignoribus & aliis cautionibus. 284
§. 1. *Quid sit Pignus, & quotuplex.* ibid.
2 *Quæ res oppignorari possint.* 286
3 *De pactu pignorum.* 287
4 *De actionibus pignoratitiis & quomodo pignus dissoluatur.* 288
Tit. 22. De Fideiussoribus. 289
§. 1. *Quis dicatur Fideiussor.* ibid.
2 *In quibus obligationibus adhiberi possit fideiussor.* ibid.
3 *Quinam fideiubere possint* 290
4 *Effectus fideiussi nu.* ibid.
5 *Quibus modis extinguatur fideiussio.* 291

Tit. 23.

Tit.23. De Solutionibus. 292
Tit.24. De Donationibus. 293
§.1. *Quid sit donatio & quotuplex.* ibid.
2 *Qualis in dubio fiat interpretatio donationis inter vivos.* 294
3 *Quo pacto donatio inter vivos perficiatur,* 295
4 *De divisione donationis in propriam & impropriam.* 295
5 *Quinam donare possint.* ibid.
Tit.25 De peculio Clericor. 297
Tit.26. De testamentis & vltimis voluntatibus. 298
§.1. *Quid sit Testamentum & quotuplex eiusdem Solemnitas.* ibid.
2 *De institutione heredis.* 300
3 *De duplici detractione legitima & Trebellianica.* 301
4 *De Substitutionibus.* 302
5 *Qui testamentum facere possint.* 303
6 *Qui testes in testamento adhiberi possint.* 305
7 *De executionibus vltimarum voluntatum.* 306
Tit.27. De successione ab intestato. 307
Tit.28. De sepulturis. 308
§.1. *Quid sit Sepulchrum ac Sepultura.* ibid.
2 *Ius Sepulturæ ad quam Ecclesiam spectet.* 309
3 *Electionem sepulturæ vnicuique liberam esse.* 310
4 *Sepulchra maiorum.* 311
5 *De portione Canonica, parœciali Ecclesiæ debita.* 312
6 *De Canonica portione Episc.* 313
7 *Quibus denegan da sit sepultura:* 315
8 *An pro sepultura aliquid exigi possit.* 316
9 *De pœnis violantium sepulchra.* ibid.
Tit.29. De Parœciis & Parœcianis. 317
§.1. *Qua dicatur Ecclesia Parochialis, & vnde.* ibid.
2 *De iuribus Eccles. parochialium, & munere parochorum.* 319
Tit.30. De Decimis, Primitiis & oblationibus. 320
§.1. *Oblatio quid sit & quotuplex,* ibid.
2 *Quibus cedant oblationes.* 321
3 *A quibus recipi, quique recipere oblationes non possint.* 322
4 *De decimis, quid sint, & quo iure debita.* ibid.
5 *Ex quibus rebus decima debeantur, & quotuplices sint:* 323
6 *Quibus debeantur decimæ.* 324
7 *A quibus debeantur decimæ.* 327
8 *Quibus modis quis eximatur à decimarum præstatione.* ibid.
9 *De decimis novalium, deque actione & cognitione decimarum.* 329
10 *De fœnis detinentium vel non soluentium decimas.* 330
11 *De primitiis.* ibid.
Tit.31. De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem. 331
§.1. *Qui dicantur Regulares, & Monachi.* ibid.
2 *Quo pacto fiant Monachi.* 332
3 *De requisitis ad validitatem professionis.* 333
Tit.32. De conversione coniugatorum. 335
Tit.33. De conversione infidelium. 336
Tit.34. De Voto & voti redempt. 337
§.1. *Voti definitio.* ibid.
2 *Divisio Voti.* 338
3 *De effectu seu obligat. voti.* ibid.
Tit.35. De statu Monachorum & Canonicorum Regularium. 339
Tit.36. De Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ. 341
§. *Domus religiosæ quæ dicantur.* ibid.
2 *De visitat. domuum religiosarum, & locorum piorum, à laicis regi solitorum.* 342
Tit.37. De capellis Monachorum & aliorum Religiosorum. 343
Tit.38. De iure Patronatus. 344
§.1. *Quid sit, & quibus modis acquiratur hoc ius.* ibid.
2 *Quotuplex sit ius patronat.* 345
3 *In quo differat ius patronatus Ecclesiasticum à laico.* 346
4 *Quomodo ius patronatus transferatur.* 347
5 *De præsentatione.* ibid.
6 *De Institutione.* 348
7 *Quomodo amittatur ius patronatus:* 349
Tit.39. De Censibus, Exactionibus & Procurationibus. 350
§.1. *De Censibus.* ibid.
2 *De exactionibus.* 351
3 *De Procurationibus:* ibid.
4 *A quibus debeantur procurationes & victualia.* 352
Tit.40. De consecratione Ecclesiæ vel Altaris. 353
Tit.41. De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis. 355
§. *Quid sit Eucharistia, de materia huius Sacramenti.* ibid.
2 *De forma & Minist. Euchar.* 356
3 *De aliis non conficientibus hoc Sacramentum, illud tamen sumentibus.* 357
4 *De effectu Eucharistiæ.* 358
Tit.42. De Baptismo & eius effectu. 358

§.1. *Quid*

§.1. *Quid sit Baptismus & quotuplex.* ibid.
2 *De Ministro Baptismi, deque susceptoribus seu patrinis.* 360
3 *Quinam baptizandi & in quo loco.* ibid.
4 *De effectu Baptismi.* 361
Tit.43. De presbyt. non. ibid.
Tit.44. De custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacram. 362
Tit.45. De reliquiis & veneratione Sanctorum. ibid.
Tit.46. De obseru. ieiuniorum. 363
Tit.47. De purificatione post partum. 364
Tit.48. De Ecclesiis ædificandis vel reparandis. ibid.
§. 1. *De ædificandis Ecclesiis.* ibid.
2 *De reparandis Ecclesiis.* 366
Tit.49. De immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum, ad eas pertinentium. 367
Tit.50. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immiscеant. 369

Ex libro Quarto.

TIt.1. De sponsalibus & matrimonio. 370
§.1. *Quid sint sponsalia & quotuplicia.* ibid.
2 *Quinam sponsalia contrahere possint & quibus modis.* 371
3 *De effectu sponsaliorum.* ibid.
4 *Quibus modis sponsalia dissoluantur.* 372
5 *De matrimonio, quid nominis & rei.* 374
6 *De materia, forma, & ministro matrimonij.* 376
7 *De ætate requisita ad contrahendum matrimonium.* ibid.
8 *De consensu contrahentium matrimonium.* 377
9 *De consensu parentum, an is necessarius.* 378
10 *Quinam matrimonium contrahere possint.* 379
Tit.2. De desponsatione impuberum. 380
Tit.3. De clandestina desponsatione. 381
Tit.4. De sponsa duorum. 383
Tit.5. De conditionibus appositis in desponsationibus & aliis contractibus. 384
Tit.6. Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possint. 385
Tit.7. De eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit per adulterium, 386
Tit.8. De Coniugio leprosorum. 487
Tit.9. De coniugio seruorum. ibid.
Tit.10. De natis ex libero ventre. 389
Tit.11. De cognat. spirituali. ibid.
Tit.12. De cognatione legali. 391
Tit.13. De eo, qui cognouit consanguineam vxoris vel sponsæ suæ. 392
Tit.14. De consanguinitate & affinitate. 393
§.1. De *consanguinitate.* ibid.
2 *De gradibus cognationum eorumque subductione.* 395
3 *De affinitate.* 396
4 *De Iustit. publica honestatis.* 397
Tit.15. De frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi. 398
Tit.16. De matrimonio contracto contra interdictum Eccles. 399
APPENDIX, De impedimentis matrimonij cum dirimentibus tum impedientibus. 400
Tit.17. Qui filij sint legitimi. 402
Tit.18. Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari. 403
Tit.19. De divortiis. 404
§.1. *De dissolubilitate matrimonij rati non consummati.* 405
2 *De dissolutione matrimonij quoad thorum.* 406
Tit.20. De donationibus inter virum & vxorem, & de dote post divortium restituenda. 407
Tit.21. De secundis nuptiis. 408

Ex libro Quinto.

TIt.1. De Accusationibus, Inquisitionib. & Denunt. 409
§. *De Accusationibus.* ibid.
2 *Quinam accusare possint.* 410
3 *Quinam accusari non possint.* 412
4 *De Inquisitione.* 413
5 *De Denuntiatione.* 415
6 *De aliis modis procedendi in criminalibus.* 416
Tit.2. De calumniatoribus. 418
Tit.3. De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur. 419
§.1. *De crimine seu delictis in genere.* ibid.
2 *Simonia quid sit.* 420
3 *Quotuplex sit Simonia.* 421
4 *De pœnis Simoniacorum.* 422
Tit.4. Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. 426
Tit.5. De Magistris & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. ibid.
Tit. 6. De Iudæis & Saracenis, & eorum seruis. 427
Tit.7. De Hæreticis. 429
§.1. *Quis dicatur Hæreticus.* ibid.
2 *De pœnis Hæreticorum.* 430

3 *De modo procedendi in causa Hæresis.* 431
Tit.8. De Schismaticis & ordinatis ab eis. 432
Tit.9. De Apostatis & reiterantibus baptismum. 433
Tit.10. De his qui filios occiderunt. 434
Tit.11. De infantibus & languidis expositis. 435
Tit.12. De homicidio voluntario vel casuali. 436
Tit.13. De Torneamentis. 437
Tit.14. De Clericis pugnantibus in duello. 438
Tit.15. De Sagittariis. 440
Tit.16. De adulterio & stupro. ibid.
§. *De adulterio & pœnis illius.* ibid.
2 *De stupro & pœnis illius.* 441
3 *De incestu & pœnis eiusdem.* ibid.
Tit.17. De Raptoribus & incendiariis & violatoribus Ecclesiarum. 443
§.1. *De raptoribus virginum.* ibid.
2 *De pœnis raptus.* 444
3 *De raptoribus rerum, atque incendiariis.* 445
Tit.18. De Furtis 446
§.1. *Furti definitio enucleata.* ibid.
2 *De furti generibus & pœnis.* 448
Tit.19. De Vsuris. 448
§.1. *Vsura quid sit, & quot modis accipiatur.* ibid.
2 *Quibus modis dividatur vsura.* 450
3 *Quo iure vsura sint prohibita.* 451
4 *De pœnis vsurariorum.* 453
Tit.20. De crimine falsi. 454
§.1. *Falsum quid, & quibus modis committatur.* ibid.
2 *De pœnu falsi.* 455
Tit.21. De Sortilegiis. 456
Tit 22. De collusione detegenda. 457
Tit 23. De delictis puerorum. ibid.
Tit.24 De Clerico venatore. 458
Tit.25. De Cler. percussore. ibid.
Tit.26. De maledicis. ibid.
Tit 27. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante. 459
Tit.28. De Clerico non ordinato ministrante. 460
Titul. 29. De Clerico per saltum promoto. 461
Tit.30. De eo qui furtive Ordinem suscepit. ibid.
Tit.31. De excessibus Prælatorum & subditorum. 462
Tit.32. De novi operis nuntiatione. 463
Tit.33. De privilegiis & excessibus privilegiatorum. 464
§.1. *De privilegiis.* ibid.
2 *De excessibus privilegiatorum.* 465
Tit.34. De purgatione Canon. 466
Tit.35. De purgat. vulgari. 468
Tit.36. De iniuriis & damno dato. ibid.
§.1. *De iniuriis & earum pœnis.* ibid.
2 *De damno dato.* 469
Tit.37. De pœnis. 470
§.1. *Pœnæ quotuplices & quo pacto infligendæ.* ibid.
2 *De aliis observandis circa pœnarum impositionem.* 472
3 *De pœna privationis.* 473
4 *De pœna Exilij.* ibid.
Tit. 38. De pœnitentiis & remissionibus. 474
§.1. *De variis pœnitentiæ significationibus & divisionibus.* ibid.
2 *De Pœnitentia, vt est Sacramentum.* 475
3 *De Contritione.* ibid.
4 *De quantitate Contritionis.* 476
5 *An & quando obliget præceptum Contritionis.* 477
6 *De Confessione.* ibid.
7 *Quos & quando obliget præceptum Confessionis.* 480
8 *De conditionibus & qualitatibus Confessionis.* 481
9 *De circumstantiis in Confessione exprimendis.* 482
10 *Quando liceat dividere seu dimidiare Confessionem.* 483
11 *An Confessio possit esse publica, fierique per literas aut interpretem vel nuntium.* 484
12 *De nullitate Confessionis.* ibid.
13 *De sigillo seu secreto Conf.* 485
14 *De satisfactione, tertia parte pœnitentiæ & quotuplex ea sit.* 486
15 *Per quænam opera satisfiat, & de modo in satisfact. servando.* 487
16 *An pœnitens teneatur acceptare & adimplere pœnit. sibi impositæ.* 488
17 *An vnus pro alio tam vivo quam mortuo satisfacere possit.* ibid.
18 *De remissionibus seu indul.* 489
19. *Quid sit thesaurus Indulgentiarum, & vnde originem trahat.* ibid.
20 *An indulgentiæ possint concedi animabus in purgat. existentibus.* 490
21 *Quibus competat potestas concedendi indulgentias.* 491
22 *De effectu indulgentiarum.* ibid.
23 *De causa indulgentiarum.* 492

24 *De requisitis ex parte volentium acquirere indulgentias.* 493
25 *Quoties quis possit consequi indulgentias, & quamdiu durent.* ibid.
26 *De Iubilao.* 494
Titul. 39. De sententia excommunicationis. 495
§. 1. *Quid sit Excommunicatio: & species Censurae Ecclesiasticae.* ibid.
2 *Quotuplex sit Excommunicat.* 496
3 *De effectu maioris excommunicationis.* 499
4 *De effectu minoris excommunicationis.* 500
5 *Quinam excommunicare possint.* ibid.
6 *Quinam excommunicari possint vel non.* 501
7 *Quis possit absoluere ab excommunicatione.* 502
8 *De suspensione.* 503
9 *Quis possit suspendere & qua sit forma suspensionnis.* 504
10 *De effectu suspensionis & forma absolutionis à suspensione.* ibid.
11 *De interdicto.* 505
12 *Quis possit & ob quam causam interdicere, qua sit forma interdicti, quis effectus & pœna interdicti violati.* 507
13 *De irregularitate.* 508
14 *De desponsatione & degradatione Clericorum.* 509
Tit. 40. De Verborum significatione. 510
Tit. 41. De Regulis Iuris. 511

EX BIBLIOTH. BELGICA.

CL. V. VALERII ANDREÆ, DESSELII, I.V.D. ET PROFESSOR. REGII.

ANDREAS VALLENSIS, vulgò DEL VAVLX, Andanâ, (quoe in Comitatu Namurcensi ob Collegium 30. nobilium fœminarum & 10. Canonicorum, à S. Begga fundatum, celeberrimi nominis est municipium) oriundus, parentibus in primis honestis & Catholicis, prima iuventutis ac literaturæ spatia decurrit Leodij. Hinc Duacum, altioribus disciplinis imbuendus, ablegatus, Philosophiam in Marchianensi ibidem Collegio biennij spatio didicit, totóque inde septennio docuit, atque interim in Iurisprudentia eos progressus fecit, vt Collegio Baccalaureorum I. V. Fisci ac Decani titulo fuerit præfectus. Lovanium accitus anno clɔ. Iɔ.XCVIII. post annos aliquot Philosophicæ Professioni in Castrensi Gymnasio impensos, an. clɔ. Iɔc. VII. Regiis auspiciis Decreta prælegere cœpit, Doctórque I. V. Canonum Professor Ordinarius an. clɔ. Iɔc. XXI. ab vrbico Magistratu nominatus fuit. In docendo assiduus erat, in consulendo ac iudicando syncerus, verúsque ac severus, vbi id leges dictitabant, iuris exactor. Nihil gratiæ, nihil favori concedebat: hoc vno se professus veræ, & non simulatæ Philosophiæ, id est Iustitiæ, sacerdotem: totus alioqui candidus, bonus ac modestus. Edidit insigne & vtile opus, Scholæ ac Foro accommodatum.

Paratitla, sive *Summariam & methodicam Explicationem Decretalium D. Gregorij Papæ IX.* Lovanij 1630. 1632. & 1640. typis Coënestenij.

Moritur an. clɔ. Iɔc. XXXVI. 7. Kal. Ianuarij, in D. Petri, ad aram Virg. Dei-paræ sacram depositus.

CENSVRA.

PAratitla hæc Cl. D. ANDREÆ VALLENSIS, *quæ Decretalium potiora paucis constringunt, Catholicæ fidei conformia sunt. Actum Lovanij* 14. *Octobr.* 1630.

MART. LYNÆCENIVS S. Theol. Lic. & Profess. Ordinarius Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

ANDREÆ

ANDREÆ del VAVLX, I.V.D.
& SS. CANONVM Professoris Ordinarij.

PARATITLA
SIVE
SVMMARIA
ET METHODICA EXPLICATIO
DECRETALIVM
D. GREGORII PAPÆ IX.

PROOEMIVM.

§. I.

Acceptiones Iuris variæ, & origo illius.

1 *Iurisconsulti diligentissimi etymologiarum investigatores.*
2 *Iuris acceptiones & derivationes variæ.*
3 *Ius à Iustitia rectè dici, secundùm Iurisconsultos, 4.*
5 *Satisfit Grammaticorum regulæ & obiectioni.*

QVONIAM, Vlpiano I. C. teste *in l. 1. D. de Iustitia & Iure*, Iuri operam daturum priùs nosse oportet, unde Iuris
1 nomen descendat; * eáque ab antiquo cùm Philosophorum tum Iurisconsultorum consuetudo semper fuit, ut diligentissimè inquirerent etymologiam nominum, & cur unaquæque res hoc aut illud nomen sortita esset; eò quòd nomina, si rectè imposita sint, ex eodem naturæ fonte, quo ipsarum rerum definitiones, hauriantur, sintque rerum ipsarum cognoscendarum instrumenta: non abs re me facturum putavi, si acturus de Iure Canonico, altiùs exordiar; &, priusquam ad Titulos librorum Decretalium veniam, nonnulla de Iuris derivatione, eiúsque divisionibus, subdivisionibus membrorúmque singulorum natura, proprietate, conditionibus, atque inter se tum comparationibus tum distinctionibus, præmisero. Eóque magis, quòd secundùm Cicer. *lib. 1. Offic.* omnis, quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur, de quo disceptatur.

Ideóque, ut inde exordium capiam, sciendum, quòd, prout Iuris sunt variæ acceptiones, de quibus Paulus I. C. *in l. penult. D.*
2

De iust. & iure, & Ioan. Andreas in Novella *Non est novum de Reg. Iuris*: ita & secundum eas variæ quoque derivationes assignari possint.

1 Et quidem, ut omittam alias ad propositum minus spectantes, si Ius sumatur pro lege (prout sumitur *in §. singulorum Instit. De rer. divisione cum Ius generale Dist.* 1. in verb. *Lex autem iuris*, scilicet scripti, *est species*; & dum dicimus, Hoc vel illud est certi iuris, illud facti:) rectè dicitur à Iussu seu Iubendo, quia lex in iussu seu imperio superioris est posita. Si verò sumatur, ut est idem, quod iustum, non quidem in ea generali acceptione, qua iustum idem est, quod legitimum, seu legi consonum (quo pacto formaliter acceptum, est obiectum formale obedientiæ quæ ideo expressè vult, vel facit aliquid, quia est lege præceptum vel statutum; materialiter autem sumptum est materia omnis virtutis, quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit:) sed prout iustum sumitur specialiter pro eo, quod est æquale & alteri debitum, ac formale obiectum est iustitiæ particularis, rectè dicitur à Iustitia, ut Vlp. *in d. l.* 1.

4 Nec obstat Grammaticorũ regula, secundum quam Iustitia potiùs à Iusto, & Iustum à Iure, tanquam simpliciori nomine, derivari videtur: quia denominatio obiecti rectè potest sumi ab habitu, seu potentiâ in illud tendente: sic enim Scibile à Scientia; Sensibile à Sensu; Visibile à Visu denominatur. Etiam si loquendo de ordine seu derivatione, quoad causalitatem obiecti, ipsa potentia vel habitus dici possit derivari ab obiecto: sic enim Iustitia à Iure, prout idem est quod iustum, denominari potest; quia ita sumptum est causa iustitiæ, per modum obiecti & causæ finalis: licet in genere causæ efficientis sit effectus iustitiæ, quia facit & constituit obiectum suum, sicut & cæteræ virtutes morales.

5 Et hinc patet, etiam Ius, prout significat artem iuris (ut usurpat Vlp. dum ait, Iuri operam daturum prius nosse oportere, unde nomen Iuris descendat, illúdque definit, esse artem boni & æqui, quia scilicet sit ars, tendens in bonum & æquum) dici posse à Iustitia, mediante scilicet iusto, à quo tanquam obiecto suo derivatur: iuxta illud, Quidquid est causa causæ, est etiam causati causa.

§ II.

Divisiones Iuris.

1 *Ius variè dividi.*
2 *Divisio iuris in ius ad rem, & ius in re.*
3 *Quid sit ius ad rem.*
4 *Quid ius in re.*
5 *Divisio Iuris in Naturale & Positivum, &c.*

QVemadmodum Ius, secundum varias sui acceptiones, variè derivatur, ita etiam variè dividitur. Et quidem omissis aliis divisionibus, eas duntaxat proponemus, quæ ad propositum nostrum magis spectant.

Ius igitur sumptum, prout idem est, quod potestas legitima, seu à lege concessa, ex parte 2
termini, quem respicit, dividitur in ius ad rem, & ius in re, quod plurimùm pendet ex iuris positivi dispositione. Hac divisione utitur Pontifex *in Clement. unica circa fin. De sequestr. possess.*

Ius ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem ipsam, ad quam dicitur esse ius, 3
sed in personam duntaxat, quia scilicet est ius ad rem, quæ tali iure nondum est obligata seu effecta; & ideo potest esse circa rem nondum existentem. Tale ius est, quod competit alicui per electionem, præsentationem ad aliquod beneficium, per collationem ante acceptationé per successionem hæreditatis ante acceptationem, per emptionem, donationem, stipulationem, vel alium similem contractum ante rei traditionem, quæ regulariter ultra legitimum titulum (qualis est emptio, donatio, vel alius similis contractus) ad dominium acquirendum requiritur. Dico, regulariter; quia subinde ex speciali legis dispositione non est necessaria: veluti in beneficiis Ecclesiasticis, in quibus per collationem & acceptationem subsecutam comparatur ius in re, *cap. si tibi absenti de præbend. n* 6. & in hæreditate, aliisque iuribus incorporalibus, quæ transeunt in aliquem iure hæreditario, sive per testamentum, sive ab intestato: nam in iis acquiritur dominium & ius in re per solam aditionem, verbo vel facto factam, §. *ult. Instit. De hæred. qualit. & differ. l. cum hæredes* 23. D *De acquirenda vel amitt. possess.* Videatur Did. Covarr. *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 19.

Ius in re, quod ius perfectum appellatur, 4
dicitur, quod tribuit actionem realem, seu actionem in rem: habétque rem sibi devinctam & obligatam: & ideo non potest esse circa rem non existentem. Tale est ius, quod quis habet per emptionem, aliósque similes contractus, subsecutâ rei traditione per dominum: item ad beneficium per collationem, secutâ acceptatione: per testamentum, aut successionem abintestato aditâ hæreditate. Hinc constat, ius ad rem esse debilius, & facilius amitti,

amitti, quàm ius in re, vt obseruat Glossa *in Clement. vnica de Cler.coniugatis.*

Ius verò sumptum pro lege, seu vt idem est quod lex, diuidi potest, sicut lex: atque ita in Naturale & Positiuum. Positiuum rursus in Diuinum & Humanum: Diuinum in Vetus & Nouum: Humanum in Ius Ciuile, & Ius Canonicum. De singulis membris, quod quidem pro ratione instituti nostri sufficiat, dicendum est aliquid.

§. III.

De Iure Naturali.

1 *Dari ius Naturale, probatur.*
2 *Definitio seu potiùs descriptio illius iuris.*
3 *Ius naturale esse immutabile.*
4 *Per præscriptionem aut seruitutem non immutari ius naturale.* 5.
6 *Occurritur aliis argumentis.*

1 IVs naturale dari negauit Pythagoras, & nonnulli alij Philosophi volentes omne ius constare opinione: contra, dari eiusmodi ius, cum Platone, Cicer. Aristot. tenet communis omnium Theologorum, Philosophorum, & Iurisconsultorum opinio; & colligitur satis ex *l.1.D. De Iust. & Iure, & Institut. De iure natur. gent. & ciuili.* Cuius ratio est, quia cùm homo multas habeat operationes liberas & proinde incertas atque indeterminatas, etiam regulam habeat necesse est, quâ eas dirigat, vt sint rectæ, & consentaneæ rectæ rationi ac fini vltimo. D. Paulus ad Rom. 2. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent*, scriptam scilicet, *naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.*

2 Illud definitur ab Vlpiano *d. l.*1.§.3. & Iustiniano *Inst. d. loco*, quod natura omnia animalia docuit Quibus verbis non tam intendunt aliquam definitionem Iuris naturalis tradere, quàm signum aliquod inadæquatum, quo dignosci queat. Nec enim voluerunt ius naturale esse hominibus cum brutis commune, vti opinatur Valla, ideo dictam definitionem impugnans: sed quòd in hominibus illud dicatur ius naturale, quod non solùm ab hominibus, verùm etiam à brutis vsurpatur, vt est maris & fœminæ coniunctio, liberorum procreatio & educatio, obligatio antidoralis, quæ est, vt benè facienti benè faciamus; sic tamen vt quatenus in brutis reperitur, non dicatur ius naturale, quia sicuti bruta sunt incapacia iniuriæ, *l.*1.§ *ait Prætor. D. Si quadrupes paup. fecisse dic.* ità & iuris, quod à ratione, quâ bruta destituuntur, deducitur: sed quatenus ab hominibus, & quidem tunc solùm, quando non ex sensus, sed rationis ductu, vsurpatur. Quod addo, nequis inferat hinc, omnia quæ hominibus cum brutis sunt communia, veluti edere, bibere, flere, irasci, & similia, esse iuris naturalis. Dixerunt autem Vlp. & Iustin. ius naturale non esse proprium generis humani, quia scilicet non ita illi conuenit, quin in brutis quoque aliqua eius adumbrata effigies reperiatur.

Hoc verò ius est immutabile ex se & natura 3
suâ: totáque variatio eorum, quæ sunt iuris naturalis, contingit non ex eo, quòd ius ipsum naturale in se mutetur & varietur, sed quia aduenit noua circumstantia ex parte obiecti, seu materiæ, quæ ipsum obiectum seu materiam extrahit è numero eorum, quæ, seclusâ tali circumstantia, erant de iure naturali. Nec enim ius naturale, aliquid præcipiens faciendum, aut fieri prohibens, referri debet ad obiectum absolutè consideratum, quia illud non sic præcipit aut prohibet, sed cum certis & debitis circumstantiis: vt v. g. non quælibet occisio hominis est iure naturali prohibita, sed quæ fit auctoritate priuatâ, extra casum necessariæ defensionis. Similiter etsi iure naturali reddendum sit depositum, numquam tamen iuris naturalis fuit, vt ensis depositus redderetur furioso, aut non furioso quidem, sed in perniciem Reip. aut alterius, *can. Ne quis 23. quæst.*2.

Hinc patet, quâ ratione præscriptio iure 4
ciuili, & seruitus iure gentium introductæ, non immutent aut tollant ius naturale, quo prohibetur retineri alienum inuito domino, & omnes liberi nascebantur: quia præscriptio, vbi legitimè semel est completa, non facit, vt retineatur alienum, quamdiu manet alienum; hoc enim esset contra ius naturale: sed facit, vt qui præscripsit, retineat suum, & id, cuius dominium per præscriptionem legitimè completam auctoritate legis acquisiuit. Atque nihil refert, quòd tum sciat, fuisse alienum ante præscriptionem.

Eodem modo libertas (quæ non dicitur 5
esse iuris naturalis, quasi eam præceperit, & seruitutem vetuerit; sed partim negatiuè, quia ius naturale non inuexit; partim positivè quia vnicuique ius naturale concessit, vt esset liber, ac dominus suæ libertatis, hoc ipso, quo illum fecit liberi arbitrij) tollitur per seruitutem, absque mutatione iuris naturalis, ob nouam circumstantiam aduenientem, post hominis peccatum, ex parte obiecti, nempe licitam iniusto bello capti interfectionem, quæ meritò non

solùm à iure gentium, sed etiam à quolibet privato, huiusmodi interfectionis ius habente, commutari potuit in perpetuam servitutem, *l. Hostes D. De capt. & postlim. revers.*

6 Eadem ratione solvi possunt omnia argumenta, quibus probari videtur ius naturale esse mutabile, nempè quòd illud in se & ex parte sua semper unum & idem maneat; dicatur autem solùm mutari per denominationem extrinsecam, ob materiæ, de qua est, variationem ratione aliarum atque aliarum circumstantiarum. Huiusmodi circumstantias ex parte obiecti seu materiæ potest ius positivum, sive gentium, sive civile, sive Canonicum, addere, vel detrahere, nullâ prorsus mutatione factâ in iure naturali. Et secundum hoc intelligendus est Iurisconsultus, *in l ius civile, D. de Iustit. & Iure*, dicens, Ius civile nec in totum à naturali recedere, nec per omnia ei servire, sed aliquando aliquid ei detrahere, aliquando addere, quia scilicet aliquando circumstantiam aliquam detrahit, aliquando addit, sícque illud determinat, modificat, vel restringit, prout plenius deduxi in Summa ad Decretum Grat. *lib.* 1. *c.* 10. *& seq.* Vide Molin. *De Iust. & Iure tr.* 1. *disp.* 4.

Observandum autem hîc, ex iis, quæ sunt iuris naturalis, aliqua dici prohibita, quia mala, ut odium Dei, blasphemia, furtum, adulterium; non autem mala, quia prohibita: & è contra aliqua esse iussa & præcepta, quia in se bona & necessaria, ut Deum esse colendum, parentes honorandos, egenti subveniendum.

§. IV.

De Iure Positivo, & eius divisione.

1 *Descriptio huius iuris.*
2 *In quo à iure naturali distinguatur.*
3 *Divisio.*
4 *Quid sit Ius positivum Divinum, & subdivisio in Vetus & Novum.*
5 *Precepta Iuris positivi divini veteris seu legis Mosaicæ, alia Moralia, alia cæremonialia, alia Iudicialia.*
6 *Ius positivum divinum novum.*
7 *Ius humanum.*

1 Ius Positivum est & dicitur illud, quod ex libera Dei vel hominis voluntate pendet. Et hoc est, quòd vult Philosophus, illud definiens, quod ab initio, hoc an illo modo fiat, nihil refert: cùm verò constitutum fuerit, tunc demùm refert, quia scilicet eius obligatio non ex natura rei præceptæ, sed ex præcepto & voluntate præcipientis oritur, & derivatur ad obiectum. Quò fit, ut mutari possit, etiamsi maneant omnes eædem circunstantiæ, cum quibus ante obligabat. * Et in eo distinguitur 2
a iure naturali: sicut & in eo, quòd quæ iure naturæ prohibita sunt, prohibita sint, quia in se mala; quæ autem iure positivo è contra mala sunt, quia prohibita.

Ius Positivum dividitur in ius Divinum & Humanum, repetito tamen diviso in membris dividentibus, hoc modo, Ius Positivum aliud est ius Positivum Divinum, aliud est ius Positivum Humanum: ut à priori membro excludatur ius Naturale, quod certo respectu ac certâ ratione Divinum appellatur, nempe quatenus à Deo tanquam ab auctore naturæ, dimanat.

Ius Positivum Divinum est, quod à Deo 3
optimo maximo, vel Christo, quatenus homo simúlque Deus, in tempore latum & conditum est sive Angelico, sive humano, ut Moysis & Apostolorum, ministerio, sive per se.

Hoc subdividitur in ius Positivum Divinum 4
Vetus, & in ius Positivum Divinum Novum. Ius Positivum Divinum Vetus est, quod in veteri Testamento Deus ipse condidit, de iis scilicet, quæ ad ius naturale non spectant, ut de cæremoniis & politiâ. Hoc autem ius, quia à Deo acceptum per Angelos, Moyses, tanquam præco & mediator inter Deum & homines, Iudæis tradidit, promulgavit, & scripsit, *can. Moyses Dist.* 1. Subinde dicitur lex Moysis seu Moysaica.

Huius verò Iuris præcepta trium generum 5
fuerunt: Alia scilicet Moralia, quæ ad morum disciplinam spectabant: qualia sunt Non occides, Non mœchaberis, & alia Decalogi præcepta, de quibus Exod. 20. Alia Cæremonialia, quæ ad cultum ritè Deo exhibendum pertinebant, de quorum divisione videatur D. Thom. 1.2. *quæst.* 101. Alia denique Iudicialia, quæ iustitiæ administrandæ subserviebant, de quorum divisione D. Thom. *d. loco quæst.* 104. Moralia sunt iuris naturalis, ac proinde immutabilia, & indispensabilia. Cæremonialia verò & iudicialia sunt determinationes moralium, & dumtaxat vim habebant ex divina institutione & voluntate; ac proinde ad ius positivum spectabant, & inter Christianos exspirarunt, consummato per Christi mortem opere nostræ redemptionis, soláque Moralia remanserunt, non quatenus veteris Testamenti, sed quatenus iuris naturalis. Dixi, inter Christianos; quia Iudæi adhuc legem Mosaicam servant.

ſervant, & ſecundum eam vivunt, etiam quoad ſucceſſiones. Calderinus *conſil. 30. in tit. de Teſtamentis.* Felinus *in cap. Iudæi 2. columna 2. de Iudæis.* Videatur Maranta *part. 3. Speculi aurei, num. 49. & ſeqq.*

6 Ius Poſitivum Divinum Novum eſt, quod Chriſtus homo ſimúlque Deus in novo Teſtamento condidit. Talia ſunt ea, quæ ſunt de Sacramentis. Alioquin non omnia, quæ in novo Teſtamento reperiuntur, ſunt iuris divini, ſed pleraque iuris humani Eccleſiaſtici, vt illa, quæ non ex ore ipſiuſmet Chriſti, ſed per ſolos Apoſtolos, inſpirante Spiritu-ſancto, decreta fuerunt: veluti Canones, qui Apoſtolorum dicuntur, & præcepta, quæ apud D. Paulum commemorantur, de homicida vel ebrio homine non ordinando, de ieiunio quadrageſimæ, de trina in aquam demerſione eorum, qui baptiſmo abluuntur, de bigamo non ordinando, & ſimilibus. De conuenientia & & diſtinctione iuris poſitivi divini veteris à iure poſitivo divino novo pleniùs egi in tract. *ad 26. Diſtinct. Gratiani.*

7 Ius Humanum eſt, quod ex hominis voluntate immeditatè pendet, ſiue quod ab auctoritate humana proximè ſtatuitur, ſeu cuius obligatio ex mera hominis, aliquid præcipientis vel prohibentis, voluntate oritur. Vnde patet ratio diſcriminis poſiti inter leges divinas & humanas, *in can. Omnes, Diſt. 1.* quòd ſcilicet leges divinæ & naturales ſint eædem apud omnes; humanæ autem non, ſed aliæ atque aliæ aliis atque aliis gentibus placeant. Neceſſarium verò fuit hoc ius humanum, ad legem divinam & naturalem, tamquam generaliores & indeterminatas, ſolúmque generalia præcipientes aut prohibentes, determinandas, temperandas, & cuique ſocietati & communitati accommodandas, ad conſenſionem & concordiam inter homines de rebus humanis & politicis, diverſimodè ſæpe opinantes & ſentientes, conciliandam, & vt inquit Iſidorus, *in can. Facta ſunt, Dict. 4.* vt metu eius humana coërceatur audacia, tutáque ſit inter improbos innocentia, &c. Nam, vt Plato ait *2. de legibus*, ſi homines abſque legibus vixerint, nihil à feris atrociſſimis diſcrepabunt: & Ariſtoteles *1. Polit. cap. 1.* Sicut homo, ſi ſit perfectus virtute, eſt optimum omnium animalium, ita ſi fiat alienus à lege & Iuſtitia, ſit peſſimum omnium.

Ius Humanum dividitur in Ius Gentium, Ius Ciuile, & Canonicum.

§. V.

De Iure Gentium.

1 *Definitio huius Iuris.*
2 *A naturali in quo diſtinguatur.*
3 *Quid ſit Naturale, quid Gentium ius. 4.*
5 *Duplex ius Gentium, primarium & ſecundarium.*

IVs Gentium propriè dictum, & provt à Naturali diſtinguitur, definiri poteſt, eſſe illud, quod vſu ac moribus omnium aut ferè omnium gentium introductum eſt, non autem inſtinctu ſolius naturæ, vt colligitur ex §. *Ius autem gentium Inſtit. De iure nat. gent. & ciuili, iuncto can. Ius gentium Diſt. 1.* 1

Atque ita diſtinguitur à Naturali, quòd obligatio huius Iuris oriatur ex voluntate hominum; ſit mutabile, quantum eſt ex parte ſua; non ſemper omnibus, ſed regulariter & ferè omnibus ſit commune, *dict. can. Ius gentium*: ideóque poteſt alicubi non ſervari, quod apud alios de iure gentium eſſe cenſetur. At verò Ius Naturale eſt vnum & idem apud omnes, & tantùm per errorem atque ignorantiam poteſt alicubi non ſervari: & inſuper eius obligatio non ex alicuius præcipientis aut prohibentis arbitrio & voluntate, ſed ex natura rationali & naturali conditione operum oritur. 2

* Ideóque *in can. Ius naturale Diſt. 1.* ab Iſidoro definitur, eſſe illud, quod eſt commune omnium nationum, eò quòd vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliquâ, habeatur: & ab Ariſtotele, eſſe illud, quod vbique gentium idem valeat, non quia ita decretum ſit, vel non decretum. 3

Vt autem melius intelligatur, cur dixerim, ius Gentium propriè dictum, & provt à Naturali diſtinguitur, advertendum eſt, Vlp. Iuſtin. & alios, dum diuidunt Ius, in Ius Naturale, Gentium, & Ciuile, dumtaxat loqui de Iure, quod non tranſcendit limites naturæ; nihil autem de Iure, vt ita dicam, ſupernaturali, quale eſt Ius Divinum Poſitivum: nihil etiam de Iure quod à miniſtris Eccleſiæ ad finem ſupernaturalem eſt conditum, quale eſt Ius Canonicum. Secundò, per Ius Naturale non intellexiſſe omne illud ius, quod reuera eſt naturale, prout ſumitur & definitur *in d. can. Ius naturale Diſt. 1.* ſed ſolùm illud, quod ita hominibus eſt naturale, vt ſit eis cum brutis commune, vti patet ex definitione, quam tradunt, ante à nobis explicatâ. Tertiò per Ius Gentium intellexiſſe omne illud ius, quod omnibus aut ferè omnibus hominibus eſt proprium iiſque 4

solis convenit; sive interim revera pertineat ad ius naturale, sive ad ius gentium, prout de illis loquitur Isid. *dict. Dist.* 1. ut patet ex eorum verbis & exemplis. Nam inter exempla iuris gentium referunt religionem erga Deum; item, vt patriæ ac parentibus pareamus: fas item esse, vim & iniuriam repellere, *l.* 1. & 3. *D. de Iust. & Iure.* Quæ tamen omnia constat esse iuris naturalis: sicut & præcepta Decalogi, quæ etiam sub iure gentium comprehendunt.

3 Hinc factum est, quòd Iuris Interpretes distinguant duplex Ius Gentium: alterum, quod solis hominibus conuenit; ita tamen, vt simul cum illis natum sit, quod proinde appellant Ius Gentium Primævum. & ius gentium antiquum, *l.* 1. *D. de acquir. rer. dom.* nam licet intrinsecè naturale sit, tamen illud Gentium appellant, quia illo gentes communiter vtuntur. Vocant etiam subinde Divinum, quia ab exordio rationalis creaturæ animis hominum à Deo insculptum est. Vocant & interdum ius Naturale, §. *Singulorum Inst. de rer. diuis. l. bona fides D. depositi*, quia non pendet ab aliqua hominum constitutione, sed á naturali instinctu rationis habetur. Vocant tamen ius naturale secundarium, ad distinctionem prioris iuris naturalis, quod scilicet hominibus simul cum brutis est commune, & ius naturale primarium appellant. Ex hoc autem iure gentium descendit religio erga Deum, amor erga parentes, præcepta Decalogi. Eodem iure omnia hominibus erant communia, omnes nascebantur liberi, *d. can. Ius naturale distinct.* 1. & de hoc iure gentium loquitur Iustin. in §. *quòd verò naturalis inter omnes constituit, id apud omnes populos peraquè custoditur*, illis ipsis verbis.

Alterum verò appellatur Ius gentium secundarium, & Ius gentium humanum, ad distinctionem prioris, eò quòd non ab initio cum hominibus natum sit, sed postea, vsu exigente & humanis necessitatibus, gentes humanæ illud sibi constituerint, id est, moribus vsurparint: & hoc est Ius gentium propriè dictum, antea à nobis definitum, quo introducta sunt Meum & Tuum, bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, *l.* 5. *D. de Iust. & Iure*; captivitates ac servitutes secutæ: item omnes penè contractus introducti, §. *Ius autem gentium Iustit. de iure nat. gent. & civili*, (vbi de hoc Iure gentium loquitur Iustin.) aliáque plura, quæ recenset Isidorus *in d. can. Ius gentium Dist.* 1. His obseruatis facilè fuerit præcedentes diuisiones intelligere, ac Theologorum diuisiones cum Iurisconsultorum diuisionibus conciliare.

§. VI.

De Iure Civili.

1 *Descriptio & causa illius.*
2 *Quomodo à Iure naturali & gentium distinguatur.*
3 *Ius Feudorum ad Ius civile refertur.*

IVs Civile, cuius origo traditur *in can.* 1. & 2. *Dist.* 7. est, quod quisque populus vel quæque civitas sibi proprium constituit, §. *Ius civile Instit. De iure nat. gent. & civili, can. Ius civile Distinct.* 1. Nam cùm non omnia omnibus convenire possint, ob regionum morúmque diversitatem, & leges ad Respublicas, non è contra, accommodandæ sint, vt singulæ pœnè civitates ius sibi proprium constituãt. Vnde & ex unaquaque civitate aut populo nomen sortitur ut Ius Civile Athenienſium, Ius Civile Lacedæmoniorum, Ius Civile Romanorum; quod per antonomasiam intelligitur, quoties fit mentio Iuris Civilis, non addito, cuius sit civitatis aut populi: vocatúrque etiam Ius Quiritum, *can. Quiritum d. Dist.* 1. ob rationem ibidem assignatam. 1

Distinguitur verò Ius Civile à Iure Naturali, quòd eius obligatio pendeat ab auctoritate humana; sit unius tantùm civitatis aut populi; sit mutabile, etiam in totum, quantum est ex parte sua. A Iure autem Gentium distinguitur, quòd Ius gentium sit commune omnibus, aut ferè omnibus, totúmque sit moribus gentium introductum, nec ullo scripto comprehensum; Ius autem Civile, siue scriptum sit, siue moribus introductum, quale ius est consuetudo, unius tantùm sit civitatis aut populi. 2

Diuisiones autem Iuris Civilis petantur ex Institutionibus Iustiniani.

Ad Ius Civile spectat Ius Feudorum tanquam consuetudinarium, iuxta primam Rubricam Feudorum, Isernia *in Proœmio Feudorum colum. fin. & omnes in praludiis Feudorum*; & tanquam ius non scriptum. Abbas in *cap. Firmiter, in fine princ. de summa Trinitate.* Quoad eius autem obseruantiam in primis seruandæ sunt particulares cuiusque provinciæ circa Feuda Constitutiones: iis cessantibus, seruandum ius consuetudinarium Feudorum; &, si casus occurrat, qui in eo non sit decisus, recurrendum ad ius commune, maximè de vsufructu & emphyteusi, arguendo de simili ad simile. Dissentientibus verò Iure Civili 3

&

& Canonico, recurrendum potiùs ad Canonicum, ratione iuramenti, quod præstatur per Vassallos, provt hæc latiùs deducit Maranta, *part.3. Speculi aurei, num.83. & seqq.*

§. VII.

De Iure Canonico.

1 *Quodnam sit Ius Canonicum.*
2 *Vnde dictum; & varia huius Iuris appellationes.*
3 *Quomodo à Iure Civili distinguatur; & finis utriusque Iuris.*
4 *Necessitas Iuris Canonici.*
5 *Origo & incrementum eiusdem.*

1 IVs Canonicum vocatur illud Ius Positivum, quod à summis Pontificibus constitutum vel approbatum est, *cap. Non debet*, & *ibi* Abbas *in 3. Notab. inf. De consang. & affinit.*

2 Appellatur autem Canonicum à Græca voce Κάνων, quæ Latinè Regula dicitur, *can.1. & 2. Distinct.3.* Isid. *5. Etymol. cap.17.* & quidem per antonomasiam Regula Ecclesiastica, *cap.1. infr. De Constit.* eò quòd collectum & coacervatum sit ex Canonibus, id est, Regulis Ecclesiasticis, ad rectè vivendum, æternámque beatitudinem assequendam, institutis. Vocatur etiam Ius Ecclesiasticum; *can.1. Dist.3. & alibi* ab Ecclesia, quia scilicet est de rebus ac personis Ecclesiasticis. Dicitur & Pontificium, ab auctore suo, nempe summo Pontifice, à quo uim & auctoritatem habet. Vocatur insuper subinde Diuinum siue Diuina Lex; partim, quia quædam in hoc iure tradita, ex sacris Scripturis sunt excerpta, & in sacris Conciliis repetita, ut in *cap. Significasti 4. infr. De electione*; partim, quia Canones Ecclesiastici, tanquam conclusiones vel determinationes quædam, ex lege diuina, veluti è suis fontibus ac principiis, profluunt & eliciuntur, *cap. Qualiter & cap. Quando 24. infr. De accusat.* atque instinctu, dono, & nutu, ac gratiâ Spiritus sancti editi sunt, *can. Violatores 25. quæst.1.* partim denique, quia ex ipsiusmet Christi ore potestatem legum condendarum Pontifex, vt Petri successor, accepit, *cap. Translato sacerdotio 3. inf. De constitut.*

3 Hinc non fuerit difficile, distinguere Ius Canonicum à iure Naturali, Gentium, & Ciuili; atque ostendere, quanto Ciuili sit augustius & sublimius, tum ratione vniuersalitatis, tum ratione finis, quem spectat: quandoquidem Ius Ciuile à potestate prorsus sæculari, temporali, ac terrena dimanet; sit tantùm unius ciuitatis aut populi, ac finem merè temporalem & terrenum, nempe vitam ciuium talem, quæ naturali rationi sit conformis: Ius verò Canonicum à potestate merè spirituali, à Christo communicata Petro, Petrique successoribus, promanet (quæ tanto temporali dignior est, quanto spiritualia corporalibus & anima corpore digniora sunt) & omnes omninò Christi fideles, etiam Reges & Imperatores, astringat; finémque merè spiritualem, æternam nempe beatitudinem, principaliter atque ultimatè intendat. Pleniùs de differentiis eius à Ciuili videre licet apud Baptistam de sancto Alasio, *in Rubr. Decreti Gratiani à n.43. vsque ad 250.* vbi ducentas quinque distinctiones recenset.

4 Necessitas verò Iuris Canonici vel ex eo satis comprobatur, quòd, vt inquit Arist. *lib.3. Politic. cap.7. in fine, & lib.4. c.1. sub finem*, non Respublicæ ad leges, sed leges ad Respublicas accommodandæ sint. Nam inde sequitur, quòd, quemadmodum duæ sunt in genere Respublicæ, siue distinctæ, altera nempe publica seu ciuilis, habens finem planè politicum ac ciuilem, naturalem scilicet felicitatem seu vitam ciuium talem, quæ naturali rationi sit conformis, seu iuxta Cicer. *lib. 1. de Orat.* Iustitiæ in humana societate conservationem; altera verò Ecclesiastica, quæ vt tota spiritualis est, finem quoque semper & vbique spiritualem, æternam nempè beatitudinem, vitamque Christianorum talem, quam salus æterna seu sempiterna beatitudo post huius vitæ terminum sequatur, in omnibus intuetur, atque in eundem instar sagittarij respicit ac collimat, & in eum ciues suos per mores, homine Christiano dignos, reducere ac dirigere nititur: ita etiam necesse sit, vt diversæ quoque sint leges, & diversa iura, quibus vtraque Respublica ad finem sibi propositum & accommodatum dirigatur. Ac proinde necessum, aliud esse Ius Ciuile, quo Respublica Ecclesiastica regatur, & ad suum finem perducatur; idque præter & vltra legem naturalem & diuinam; quando quidem Deus suis legibus non omnia in particulari statuerit, quæ ad spirituale regimen Ecclesiæ suæ conuenire possunt: nec ita omnia in particulari determinari ac definiri potuerint, vt essent incommutabilia; sed necessum fuerit, Christum Ecclesiæ suæ Ministris ac Pastoribus multa pro tempore, locorum, personarum, similiúmque circumstantiarum varietate,

rietate, novis legibus statuenda, disponenda, ac moderanda relinquere.

Incœpit verò Ius Canonicum iam inde ab exordio nascentis Ecclesiæ. Si quidem ab ipsismet Apostolis Traditiones quædam ac Constitutiones ad Ecclesiam debitè gubernandam emanarunt, quæ non aliud fuerunt, quàm Canones illi Apostolorum, per Clementem Romanum in unum congesti, quibus semper vsa est, hodiéque vtitur Ecclesia: & Constitutiones pleniores de Sacramentis, ministeriis, ac ritibus Christianis, per eundem Clementem cum prædictis Canonibus in libros quosdam redactæ. Et licet ita exiguis fontibus initio contineatur hoc Ius Canonicum, tamen successu temporis, paulatim, vt fieri solet, crescente omni legislatione, variis novis Traditionibus, Canonibus, & Decretis editis, variisque Conciliis Oecumenicis & Provincialibus celebratis, pro exigentia negotiorum & status Ecclesiæ, creuit potissimùm a tempore Constantini vt patet *can. Canones Dist.* 15. Fuerúntque huiusmodi Canones & Decreta superaddita, paulatim per diversos in diversa volumina, provt videre licet apud Boëtium Eponem, *De Iure sacro lib.* 2. & postea etiam dicemus.

§. VIII.

De divisione Iuris Canonici, eiusque speciebus ac partibus.

1 *Divisio Iuris Canonici in scriptum & non scriptum.*
2 *Corpus Iuris Canonici quibus constet libris.*
3 *Oeconomia & dispositio Decreti Gratiani.*
4 *Quo pacto Capita Decreti allegari soleant.*
5 *Quid Palea nomine in Decreto intelligatur.*
6.7. *Decretalium origo, appellatio & dispositio.*
8 *Sextus Decretalium.* 9 *Clementina.*
10 *Extravagantes Ioannis* XXII. *& Communes.*
11 *Septimus Decretalium Pet. Matthæi.*
12 *Decretum Gratiani quatenus auctoritatem iuris habeat.*
13 *De inscriptione Decreti, an ea genuina.*

DIviditur Ius Canonicum in Ius Canonicum scriptum & non scriptum Scriptum dicitur firmius & nobilius non scripto: firmius quidem, propter scripturam, §. *Constit. Institut. De iure nat. gent. & civili*, *l. Contraur-* 1

tur D. De pignorib. nobilius verò, tum ratione principij, nempe Pontificis, à quo dimanat; cùm interim consuetudo usu populi introducatur, & quidem tacito Principis consensu, scriptum verò expresso: unde dicitur divinitus per ora Principum promulgatum, *l. fin. Cod. De præscriptione longi temporis*, *can. fin.* XVI. *quæst.* 3. tum ratione antiquitatis, quia priùs constitutum: nam consuetudo legem imitatur, §. *Ex non scripto Institut. de Iure natur.* & pro lege suscipitur, cùm deficit lex, *can. Consuetudo Dist.* 1.

Vniuersum autem Corpus Iuris Canonici scripti, quo hodie in scholis ac foro vtimur, constat Decreto Gratiani, quinque libris Decretalium Gregorij Noni, sexto Decretalium Bonifacij Octaui, Decretalibus Clementis Quinti, denique Extrauagantibus tam Ioannis XXII. quàm Communibus, id est, aliorum summorum Pontificum. 2

Decretum Gratiani dividitur in tres partes principales. Prima continet centum & vnam Distinctiones: quarum viginti prioribus Gratianus agit de Iuris Ecclesiastici elementis, principiis, fontibus, atque dignitate. Inde vsque ad 93. agit de Cleri seu personarum Ecclesiasticarum origine, institutione, ac forma instituendi, vitâ, moribus, atque officiis: & inde vsque ad finem vltimæ Distinctionis, de principatu Pontificis, & universa iurisdictionis Ecclesiasticæ siue Pontificiæ præstantia, non solùm præ omni cæterorum Ecclesiasticorum potestate, sed & præ cuncto sæculari simul imperio, siue Regum, siue Imperatorum, siue Principum quorumcumque. 3

Secunda pars dividitur in triginta sex Causas: quarum singulæ in Quæstiones dividuntur, & quælibet Quæstio in Capita. In quibus agit Gratianus de generibus causarum seu iudiciorum, sub Ecclesiasticam iurisdictionem cadentium; incipiendo à criminalibus, & pecuniarias subiungendo, permixtis tamen subinde criminalibus cum pecuniariis, pro multiplicium quæstionum ex vnaquaque causa resultantium varietate: excepto, quòd Causæ trigesimæ tertiæ, quæ est matrimonialis, Quæstio tertia contineat tractatum de Pœnitentia, divisum in septem Distinctiones, distinctas quoque per Capita; occasione dubij, quo quærebatur, An ex confessione soli Deo factâ, quam mulier quædam à viro separata fecisse proponebatur, peccatum deleri posset.

Tertia denique pars continet tractatum de Consecratione, divisum in quinque Distinctiones, subdivisas etiam per Capita: in quarum

Distinctio

Distinctionum prima agit Gratianus de consecratione Ecclesiarum, & Missarum celebratione: in secunda de Venerabili Sacramento Eucharistiæ inter Missarum solemnia offerendo: in tertia de Festis & Ecclesiasticis cæremoniis promulgandis & obseruandis: in quarta de Baptismi Sacramento: in quinta denique de Sacramento Confirmationis & Ieiuniis Ecclesiæ. Atque ita patet, primam & tertiam partem Decreti Gratiani esse potissimùm iuris publici, cùm partim ad Magistratus Ecclesiasticos, partim ad Sacramenta Christiana cæremoniásque Christianas pertineat, secundam verò parem esse propriè ipsorum iudiciorum, seu causarum quarumcunque, ad forum Ecclesiasticum spectantium, vt rectè tradit Boëtius Epo, mihi quondam, dum Philosophiam apud Duacenses in Collegio Marchianensi profiterer, in Iure præceptor plurimùm recolendus, *de Iure sacro lib.2.cap.2.n.97.*

4 Solent autem Capita Decreti Gratiani citari sub nomine Canonum: & quidem quatuor modis primò, hoc modo, *can. Humanum distinct.1. can. Constitutio distinct.2.* vel hoc modo, *distinct.1. can. Humanum, distinct.2. can. Constitutio*, sic quòd *Humanum* & *Constitutio* sint principia capitum, quæ illis Distinctionibus continentur: Secundò hoc pacto, 1. *q.1. can. Quicunque studet 6. qu.2. can. Si tantum*; vel hoc modo, *can. Quicumque studet 1. q.1. can. Si tantum 6. qu. 2.* id est, *prima Causa qu.1.6. Causa q 2.* & sic de aliis. Tertio modo Capita tractatus de Pœnitentia solent sic allegari, *de Pœnitentia distinct.3. can. Reperiuntur* vel hoc pacto, *can Reperiuntur de Pœnit. distinct. 3.* Quartò denique Capita tractatus de Consecratione solent hac formâ citari, *de Consecratione distinct.1. can. Vasa de Consecratione distinct.1.*

5 Reperiantur tamen in eodem Decreto quædam Capita, quæ inscribuntur sub nomine *Paleæ*: quo nomine quid veniat intelligendum, variant Interpretes, ut videre licet in Admonitione ad Lectorem, eidem Decreto editionis Gregorianæ præfixa, & notat. Ioan. Vffel. *ad Covar. lib.4. Var. resol. cap.11.* Verius videtur *Paleas* esse additiones quasdam ad primam collectionem Gratiani postmodum factas, sive ab ipsomet Gratiano, sive ab alio. Quas non esse contemnendas constat vel ex eo, quòd multæ & in Decretalibus, & apud vetustiores Gratiani collectores, habeantur, prout refertur in eadem Admonitione.

6 Quantum verò ad quinque libros Decretalium Gregorij Noni attinet, earum compilatio seu collectio prodiit mandato ejusdem Pont. per Raymundum, illius Capellanum & Pœnitentiarium, anno Dom. circiter 1230. & per eam omnes anteriores Decretalium editiones ac compilationes, quæ variæ erant, partim approbatæ, partim reprobatæ, vt videre licet apud Boëtium Eponem, *lib.2. de Iure sacro à num.13.* abrogatæ fuerunt: ita vt tunc temporis vniversum Iuris Canonici corpus hisce duobus solis voluminibus contineretur, Decreto, inquam, Gratiani, & quinque libris Decretalium Gregorij IX. Quos sub nomine *Decretalium* potiùs edidit, quàm sub nomine *Decreti*, ut Gratianus suum opus ediderat, sumptâ appellationis ratione à maiori parte eorum, quæ in iis continentur. Nam quia in his libris duplo plures sunt Epistolæ SS. PP. quàm sint reliquæ auctoritates simul iunctæ; apud Gratianum verò è contra longè plura Conciliorum Decreta, quàm Pontificum Constitutiones vel Decretales Epistolæ: ideò Gratianus suam collectionem seu compilationem *Decretum* appellavit, & Gregorius Nonus suam, *Decretales.*

Soléntque Decretales citari sub nomine 7
Extra. & quidem brevitatis causâ hoc signo, x̄ etiam nulla librorum mentione factâ, v. g. *cap. Quoties 1. x̄ de pactu*, *cap. Tua nos x̄ de iureiurando*, quasi essent extra Gratiani Decretum, quod prius tempore fuit; vel simpliciter sic, *c. Nisi essent de prabendu*, quia per excellentiam designantur libri Decretalium.

Hanc autem Decretalium compilationem Gregorius Nonus formavit ad rationem & formam Pandectarum ac Codicis: nam ut in illis Ius Civile, ita & in hac compilatione omne Ius Canonicum ad iudiciorum rationem dirigitur & accommodatur. Primo enim libro in primis Iuris Canonici principia exponit; & mox ad ordines, gradus, iurisdictiones, & officia Magistratuum, qui iurisdictioni Ecclesiasticæ præsunt, descendit: ac deinde, priusquam ad iudicia ipsa veniat, subiungit quædam præparatoria iudiciorum; necnon quædam, quibus controversiæ ante litis ingressum amicè componuntur, vt sunt pacta, transactiones, procurationes, postulationes, restitutiones in integrum, & arbitria. In secundo verò libro universam iudiciarij ordinis rationem ac modum, tam in civilibus quàm criminalibus, quod multis præceptis communibus regatur, tradit & explicat. In tertio & quarto agit de materia seu causis

civilibus, quæ in iudicium Ecclesiasticum deduci solent: & sunt partim solorum Clericorum, vt Ecclesiastica beneficia; partim Clericorum & Laicorum simul, vt contractus, testamenta, vsus sacrorum, de quibus libro tertio; partim denique solorum Laicorum sunt peculiares & propriæ, vt causæ matrimoniales, de quibus libro quarto. Et denique in quinto subiicit causas iudiciorum criminales. Hisque omnibus, exemplo Pandectarum, ad extremum adiungit duos Titulos generales; alterum *De verb. significatione*, alterum *De regulis Iuris.*

8 Gregorium Nonum subsecutus est Bonifacius Octavus, qui circa annum 1294. partim suas, partim superiorum Pontificum, vt Gregorij X. Innocentij IV. Clementis IV. & aliorum, qui inter ipsum & Gregorium Nonum intercesserant, quin etiam ipsius Gregorij IX. novellas Constitutiones atque Decretales, ac præcipuè duorum generalium Conciliorum Lugdunensium, alterius sub Innocentio IV. circa annum Dom. 1245. alterius sub Gregorio X. circa annum Dom. 1273. celebrati, Decreta totidem libris, quot ipse Gregorius IX. iisdem singulorum librorum Titulis, licet non omnibus, compilationi Gregorianæ seu quinque libris Decretalium Gregorij IX. seorsim superadiecit. Inde factum, quòd licet hoc quoque opus Bonifacij Octavi quinque constet libris, sicut Decretales Gregorianæ, tamen sub nomine *Sexti Decretalium* citari soleat, quasi esset sextus liber specialis, & separatim libris quinque Decretalium Gregorij Noni accesserit. Vnde & eius Capita hoc pacto solent citari, *Volentes de privilegiis in 6.* & sic de aliis.

9 Bonifacio proximè successit Clemens Quintus, qui eodem seruato ordine Constitutiones Conc. Viennensis, ipso præside circa annum Christi 1310. celebrati, vnà cum cæteris Constitutionibus ac Decretalibus suis epistolis editioni paraverat quidem, sed eo demùm rebus humanis exempto, per successorem Ioannem XXII. absolutæ & publicatæ sunt sub an. Christi 1320. Et quia nihil præter solius Clementis, vel Conc. Viennensis, à Clemente Confirmati, Constitutiones continent, ideo *Clementinæ* ab auctore suo vocantur, sub eóque nomine citantur hoc modo, *c. Gravis De sententia excommunicationis in Clementinis*; vel sic, *Clementina Gravis De sententia excommunicationis.*

10 Paulò pòst ipse quoque Ioannes XXII. suas addidit Constitutiones numero viginti, & iuxta Decretalium ordinem. Eóque defuncto circa annum Christi 1335. variæ variorum SS. PP. sequentium prodierunt Constitutiones, annorum plus minùs 150. novum ius comprehendentes. Quæ Constitutiones tam Ioannis XXII. quàm aliorum Pontificum sequentium, quia paucæ erant, nec peculiaris alicuius voluminis Decretalium nomen merebantur, ideò *Extravagantes*, & Ioannis XXII. & *Communes*, respectivè appellatæ sunt; & quidem posteriores *Communes*, quia multis Pontificibus sunt communes, nec vni soli debentur, sicut vel Clementinæ, vel Extravagantes Ioannis XXII. Ideò autem dictæ sunt *Extravagantes*, quòd antea extra corpus Iuris Canonici incertâ quasi sede vagarentur. Et inde adhuc idem nomen retinent, licet postmodum in ordinem librorum Iuris Canonici redactæ sint. Sic enim & olim *Extravagantes* vocari cœperunt omnes Pontificiæ Constitutiones quæ Gratiani volumine non erant comprehensæ, vt docet Abbas antiquus, in *Præfat. Decretal. Gregorij IX. sub finem*: quamquam postmodum quoad Decretales Gregorij IX. Bonifacij VIII. & Clementis V. hæc appellatio in usu esse desierit.

His Postremò accessit *Septimus Decretalium*, ab eruditissimo viro D. Petro Matthæi, 11
Iurisconsulto Lugdunensi, collectarum, & in quinque libros distributarum.

Addamus nunc aliquid de auctoritate Decreti, & inscriptione eiusdem. Nam de reli- 12
quis à Decreto Gratiani partibus Iuris Canonici dubitandum non est, quin partes iuris sint, atque auctoritatem iuris obtineant, quandoquidem ipsos SS. Pontif. auctores habeant, atque ab aliis SS. PP. earum compilationes approbatæ sint, veluti Decretalium à Gregorio XIII. Sexti Decretalium in Concilio Lugdunensi; Clementinarum in Concilio Viennensi; Extravagantium ab aliis Pontificibus. Aliud verò dicendum videatur de Decreto Gratiani, quatenus ab ipso emanavit, quandoquidem Gratianus tanquam privatus homo, patriâ Etruscus, Monachus S. Felicis, Ord. S. Benedicti, in monasterio S. Proculi Bononiæ, anno 1150. illud privato studio consarcinarit, nec auctoritatem legis ferendæ habuerit. Et licet quidam velint illud ab Eugenio III. sub quo vixit, approbatum fuisse, tamen contrarium probat Boëtius Epo, *d. lib. 2. De Iure sacro num. 135.* At verò quia passim cum reliquo Iuris Canonici corpore circumfertur, frequentatur, atque in scholis docetur, fidem facit, vt notat Abbas in *cap. 2. inf. de rescriptis.* Cúmque Gregorius XIII. Summus Pontifex reliquis

partibus

partibus Iuris illud annumeraverit, atque adeò recognosci, corrigi ac repugnari, & retineri mandaverit (vt videre licet ex Epistolis eidem Decreto præfixis) non est, quòd in hac parte ampliùs laboremus: modò tamen singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocentur; eo quòd ratione Auctorum, è quibus Decreta desumuntur, maior vel minor sit eorum auctoritas.

13 De inscriptione Decreti dubitatur, an genuina & legitima ea sit. Nam licet passim *Decretum Gratiani* nuncupari soleat: hanc tamen inscriptionem & improbat, & falsam appellat Ant. Augustinus, *Dialogo 1. de emendatione Gratiani*, eo quòd in nullo ferè, vt inquit, veteri libro Gratiani ea inscriptio extet, sed hæc, *Concordia discordantium Canonum*; & in melioribus editionibus singularis numerus verratur in pluralem: exemplo Ciceronis, qui libros quosdam à se conscriptos, non de Officio, sed de Officiis, & alios non De lege, sed De Legibus inscripsit. Vt proinde, cùm hoc Gratiani opus non unius Decretorum collectio, non debeat *Decretum* inscribi, sed potiùs *Decretorum collectanea*, aut *Decretorum corpus*, vt vocat Innocentius III. in Epistola ad Archiepiscopum Compostellanum. Quia tamen in Admonitione ad Lectorem editioni Grægorianæ præfixa, proferuntur etiam vetustissima exemplaria, quorum aut initio præfigitur hic titulus, *Decretum Gratiani Monachi*; aut in extremo sic habetur, *Explicit Decretum, compilatum à Gratiano*; varijque Auctores etiam antiquissimi citentur, qui referunt Gratianum Decretum composuisse; & in ipsa editione Gregoriana *Decretum Gratiani* & vocetur, & ita nuncupari significetur: non est, cur ab hac inscriptione vulgari recedamus, in re præsertim tam dubiâ, potissimum cùm non sit Auctoribus infrequens, suos libros in singulari numero inscribere, etiamsi æquè commodè, aut fortè etiam commodiùs, in plurali inscribere potuissent. Sic enim, ne extra ipsum corpus Iuris civilis exempla quæramus, libri Pandectarum, Digestum Vetus, Infortiatum, & Digestum Novum inscribuntur, cùm tamen non sint unius aut alterius legis, sed infinitarum pœnè digestio.

14 Cur verò etiam *Concordia discordantium Canonum* inscribatur, ratio est, quod in hoc suo volumine Gratianus potissimùm intenderit, Canonum ipsorum vel veram vel apparentem contrarietatem, quâ totum ius conturbatum fuit, *l. 1. circa finem, versic. nostram autem, l. 2. in princ. Cod. de vet. iure enucleando*, tollere, & ad conformitatem, consonantiamque revocare, eo quòd magna vis & elucidatio Iuris consistat in concordandis iuribus contrariis, aut quovis modo discordantibus, vt colligitur ex Procœmio Decretalium, §. *sanè*, & Procœmio Codicis, *Constitut.* 1. habetúrque *in lege 1. Cod. de novo Cod. faciendo*, & in *d. l. 2. §. sicut autem in tanta*. Eóque fit, vt licet Gratianus in hoc opere tria præcipuè sibi proposuerit summa genera, vt patet ex antedictis, ea tamen Rubricis non distinxerit, sed omnibus hanc generalem inscriptionem præfixerit, quia ad hoc maximè nititur, vt discordantes Canones ad concordiam revocet.

§. IX.

Ex quibus constet Ius Canonicum scriptum.

1. 2. *Ius Canonicum quo modo ex Principum Constitutionibus & SS. Patrum sententiis constare dicatur.*
3 *Leges non dedignantur imitari sacros Canones, & contrà.*
4 *Ius Canonicum à iure Civili declarationem accipit, & contra.*
5 *Canon summi Pontificis dictis SS. Patrum quando deroget.*
6 *Remouetur obiectio.*

CONstat Ius Canonicum partim ex sacræ Paginæ præceptis, partim ex Conciliorum, tam universalium quàm particularium, auctoritate Pontificia confirmatorum, decretis; partim ex Constitutionibus ac sanctionibus SS. Pont. partim ex sæcularium Principum Constitutionibus seu legibus, & sanctorum Patrum sententiis.

* Quod tamen intelligi debet de iis, cùm 1
Constitutionibus tum sententiis, quæ in corpus ipsum Canonicum relatæ sunt, & â Sancta Sede approbatæ: aliàs enim vim legis Ecclesiasticæ non habent, *can. De libellis distinct.* 20. non magis, quàm responsa prudentum sine approbatione Principum. Nec enim hoc ipso, quo Gratianus pleraque iura civilia in suum Decretum retulit, ea referri debent in numerum sacrorum Canonum; quandoquidem Gratianus ipse, vtpote homo privatus, ut antè diximus, non habuerit auctoritatem ea canonizandi.

Idem dicendum de Patrum sententiis, quæ 2

licet ex Leonina Constitutione, *in can.* 1. *Distinct.* 20. *post* SS. PP. sacrorúmque Conciliorum decreta & sanctiones, secundum in decidendis causis locum sortiantur: Iuris tamen (ad quod condendum non solùm scientia, sed magis potestas necessaria, *dict. Distinct.* 20. *in princip.*) auctoritatem non habent: licet, quatenus in corpus Canonicum relatæ, & à summo Pontifice approbatæ sunt sive Principum sæcularium Constitutiones, sive sententiæ Patrum, non sit dubitandum, quin parem cum aliis Pontificum Constitutionibus vim & auctoritatem habeant: iuxta illud vulgatum Iustiniani, in *l.* 1. §. *sed neque* 6. *Cod. De vet. iure enucleando*, & à Bonifacio reperitum in *cap. si Apostolica De prabendis, in* 6. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimus.

3 Vt autem leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacri Canones Principum Constitutionibus adiuvantur, & adiuvari debent, *cap.* 1. *infr. de novi operis nunciat. can. Si in adiutorium* 7. *Distinct.* 10. *& similibus aliis:* atque adeò etiam in foro Ecclesiastico recipiuntur, *can. Summopere* 70. XI. *quæst.* 3. dummodò sacræ Scripturæ, vel Canonicis sanctionibus, vel bonis moribus non adversentur, *can.* 2. 4. 9. *cum seqq Distinct.* 10. nec expresè statuunt de rebus aut personis Ecclesiasticis, sed simpliciter loquantur, nisi fortè Ecclesiæ favorem concernant. Nam de rebus aut personis Ecclesiasticis potestas sæcularis non potest quidquam validè statuere, *c. Quæ in Ecclesiarum* 7. *inf. De Constit. & aliis similibus*; sed in illis subest Ecclesiasticis, *can. Certum* 3. *Dist.* 10. eámque manet obsequendi necessitas, non auctoritas imperandi, *can. bene quidem* 1. §. *cumque legata Dist.* 96. idque ex constitutione divina, *can. Lege Dist.* 10.

Hinc patet, Iustiniani Constitutiones in Codice & Novellis, de rebus & personis Ecclesiasticis nominatim disponentes, licet de factò olim obtinuerint, de iure tamen Canonico nullius fuisse momenti.

4 Ceterùm ubi aliquid obscuriùs disertè & explicatè iure Canonico constitutum est, quod iure Civili apertiùs sit decisum aut declaratum, vel contrà; alterum ab altero interpretationem sive declarationem rectè mutuatur. Vnde si casus aliquis sit decisus à iure Civili, & dubius de iure Canonico, sequemur ius Civile in utroque foro; sicut & è diverso, ubi casus est decisus de iure Canonico, & dubius de iure Civili. Abbas latè in *cap.* 1. *De novi oper. nuntiat.* Glos. & DD. *in cap. licet suscepto* 10. *inf. de foro compet.* Bart. *in l. Privilegia & l. Omni novatione C. de sacros. Eccles.* Vbi verò iu Canonicum & Civile inter se manifestè repugnant aut dissentiunt, utrumque in suo foro retinendum est, nisi fortè ius Civile foveat peccatum, ut fovent leges permittentes usuras, concubinatum, præscriptionem cum mala fide, & aliæ similes: nam tum ad ius Canonicum, reiecto iure Civili, etiam quoad forum sæculare, recurrendum est, *c. fin. inf. de præscriptionibus.* In causis verò miserabilium personarum, servandum est ius Canonicum in utróque foro, quando Canones contrariantur legibus. Item si ius Civile foveat lucrum otiosum, & sapiat quendam rigorem, non servabitur in foro Canonico, licet per Canones non sit reprobatum. Si verò statuat æquitatem, ius autem Canonicum rigorem, servandum erit Civile in utróque foro. Felin. *in cap. in causis* 15. *col.* 1. *inf. de testib.* prout citat & tradit Maranta *part.* 3. *spec. n.* 75. *& 76.*

Quantum verò ad dicta sanctorum Patrum 5 attinet, cùm non iis, sed summo Pontifici, data sit potestas legis Canonicæ condendæ, *Clement. Pastoralis, §. fin. de re iudicata*, Abbas *in cap. tua inf. de decimis.* Felinus *in cap. ne innitaris inf. de constitut.* ideo quoad decisionem causarum, ubi est canon summi Pontificis, ibi cessat auctoritas sanctorum Patrum: nisi dictum sancti Patris fuerit conforme novo vel veteri Testamento, seu eius auctoritate munitum, quia tunc esset præferendum cuicumque legi, etiam summi Pontificis. Cessante verò dispositione summi Pontificis, possunt dicta sanctorum Patrum allegari ad decisionem causarum, prout ex aliis, quos citat, tradit Maranta *dict. loco num.* 77. *& seqq.* Vbi etiam tradit, quoad solam interpretationem divinæ Scripturæ, non ad decisionem causarum, magis credi dicto sanctorum Patrum, quàm summi pontificis.

Non obstat prædictis, quòd ius Canonicum 6 totum humanum dicatur; unde videri posset, non constare ex sacræ Paginæ præceptis, quæ sunt iuris divini: nam in primis, ut antè dixi, in novo Testamento multa sunt iuris humani Ecclesiastici. Quantum verò ad veteris Testamenti præcepta, sola moralia, tanquam naturalia, eáque de causa immutabilia, remanserunt: iudicialia enim & cæremonialia morte Christi, completo nostræ redemptionis opere, expirarunt: & quæ passim in Decretalibus ex iis inserta & repetita reperiuntur, non obligant nos, ut divinæ legis præcepta, sed ut humani iuris sunt, novâ scilicet sanctione

à SS. PP. renouata. Vide Couar. *l.1.Var.Resolut. cap.17.*

§. X.

De Conciliis.

1 *Ratio nominis.*
2 *Diuisio in Ecclesiasticum & Sæculare.*
3 *Diuisio Ecclesiastici in Vniuersale & locale seu Particulare.*
4 *Concilia Vniuersalia quot, & quæ.*
5 *Particulare quid, & quotuplex.6.*
7 *De Prouincialibus Conciliis: & quid ad illa vocandi.8.*
9 *De Conciliis seu Synodis Episcopalibus: & modus celebrandi.*
10 *Discrimen vniversalium & particularium, quoad vim obligandi.*

1 DIximus Ius Canonicum scriptum partim quoque conflatum esse ex Conciliorum decretis; de quibus propterea breviter hic agendum est.

Concilij nomen Latinum est, tractum ex more Romano, dictúmque, vel à communi intentione: & quidem duplici ex causa, vt dicitur & declaratur in *can. canones distinct.* 15. vel consulendo, quasi consilium, quòd ad Concilia vocentur viri sapientes, ad consultandum super agendis, & ad publicam vtilitatem spectantibus. Aliter verò Græca voce Synodus appellatur, quasi comitatus vel cœtus, à coëundo, id est conueniendo, *d. can. canones verf. Synodus.* Vtraque appellatione promiscuè vtimur.

2 Potest autem Concilium dividi; primò in Ecclesiasticum & Sæculare. Ecclesiasticum (de quo solo hic agendum) ex etymologia nominis, allata ex *d.can. canones*, definiri potest, Congregatio hominum Ecclesiasticorum prudentum, auctoritate Prælatorum conuocatorum, ad tractandum communi intentione de rebus Ecclesiæ necessariis, & vtilitatem eius publicam concernentibus.

3 Conciliorum Ecclesiasticorum, secundùm Glossam in *can.Conuenientibus 1.quæst.7.* alia sunt Vniversalia seu Generalia, alia Localia seu Particularia. Concilium Vniversale Ecclesiasticum est, quod à Papa vel eius Legato, cum omnibus (id est, totius orbis Christiani) Episcopis constituitur, *Glossa in can.Generalia, distinct.17.* Vnde & Oecumenicum, id est totius orbis Christiani, & Vniuersale, ex parte conuocatorum, appellatur: quia scilicet, vt sit legitimum, requiritur, vt ad illud conuocatio Episcoporum (qui de iure communi vocari debent, tamquam vocem decisiuam habentes) sit generalis & legitimè facta. Quamvis necesse non sit, vt omnes personaliter compareant, vt videre licet apud Bellarm. *lib 1. de controuers. de Conciliis, cap.15.* & Turrecremat. *3.de summa Ecclesiæ c.10. & aliquot seq.*

Generalia Concilia in universum dumtaxat 4
novem recenset Gratianus, quot scilicet ad eius vsque ætatem fuerunt celebrata: alioquin plura sunt, vt videre licet apud Bellarmin. *d lib. 1. cap. 5.* E quibus quatuor primatum obtinent, Nicœnum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ ab Ecclesia Catholica tamquam quatuor Euangelia probata & recepta sunt, *can. 2. §. inter cætera, & can. Sicut.2. distinct. 15. Nouellâ Iust.131. cap. 1.l.4. & 7.§.sequentes, C.de summa Trinit.* Post horum tamen quatuor auctoritatem, etiam reliqua Concilia Vniversalia auctoritatem suam habent, si modò auctoritate summi Pont. conuocata & confirmata fuerint, *d.can.1.§. hæc sunt, & can.Sancta 3.distinct.15. & similibus:* alioqui Concilia Vniversalia, sine summi Pontificis auctoritate congregata, non tam Concilia censenda sunt, quàm conciliabula sive improbata conuenticula, *can.1.2. & 5.distinct.17.* Ideóque, quòd ex historiis ac variis Canonibus apud Gratianum legimus, Imperatores & Principes congregasse aliqua Concilia vniuersalia; accipi debet, vel quòd illa congregarint ex sententia & auctoritate Romani Pontificis, & tamquam eius voluntatis ac decreti executores, vt docet Bellarm. *d. loco. num. 13.* vel quòd ipsis petentibus, postulantibus, & vrgentibus congregata fuerint, auctoritate tamen summi Pontificis. Nam cùm is sit vniuersalis Ecclesiæ Rector & Pastor, atque Imperator in spiritualibus, & Iudex supremus omnium Christi fidelium, supremam & amplissimam habens in eos potestatem, *can.Patet 10.can.Nemo 13.cum seq. can. Ipsi sunt 16. cum seq. IX.quæst.3.can.de Constantinopolitana 4. dist. 22. Extrau. vnam sanctam de maiorit. & obed.* ad eum spectat disponere de iis, quæ, concernunt universalem statum Ecclesiæ, & ad id Concilia universalia convocare; non ad Imperatorem, vel alium Principem sæcularem, qui non Præsul, sed filius est Ecclesiæ, si Catholicus sit, vt latiùs hæc omnia deduxi *ad distinct. 15. Gratiani.* Vide Turrecrem. *de summa Ecclesiæ cap. 6.* Bellarm. *dict. loco cap.12.*

Concilium Particulare est, ad quod non 5

vocantur omnes Episcopi totius orbis Christiani: hoc enim Concilium propriè Particulare vocatur, opponiturque Concilio Vniuersali, ex parte conuocatorum: alioquin Concilium aliter Particulare, dici potest, ex parte auctoritatis, seu quoad auctoritatem, illud, quod non astringit omnes Christi fideles.

6 Conciliorum Particularium, propriè dictorum, alia sunt Nationalia, alia Prouincialia, alia Diœcesana seu Episcopalia. Nationalia sunt, quæ celebrat aliquis Patriarcha vel Primas, cum Archiepiscopis, & Episcopis, vnius alicuius regni aut nationis, seu duarum, trium, pluriumve prouinciarum. Talia sunt multa Concilia Romana, à summo Pontifice cum Episcopis, Italiæ tantùm celebrata, de quibus Turrecrem. *3. De Summa Eccles. cap. 3.* Toletana item, & Africana, quæ etsi subinde Vniuersalia dicantur, non tamen absolutè, sed vel quia sunt vniuersalia & generalia in isto vel isto regno, natione aut prouinciis, vel quia sunt vniuersalia quoad auctoritatem, quia scilicet, quatenus approbata à summo Pontifice, omnes Christi fideles, ad sui obseruationem adstringunt.

7 Prouincialia dicuntur, quæ Archiepiscopus seu Metropolitanus celebrat cum suis Suffraganeis Episcopis, Abbatibus, aliisque Clericis suæ prouinciæ. Olim quidem bis singulis annis, *can. De Conciliis 2. can. Quoniam 7. & aliis. Distinct.* 18. postmodum autem semel, *d. can. Quoniam, cap. Sicut olim 25. inf. De accusat.* Hodie verò ex decreto Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 2. De reformat.* quolibet saltem triennio cogi iubentur per Metropolitanum, aut eo legitimè impedito, per Episcopum antiquiorem; non tamen per Episcopum exemptum, qui Archiepiscopum semel elegit, etiamsi super omnes sedeat, & promotione sit antiquior. Zerola *in Praxi Episc. Parte 1. V. Concilium ad §. 7 ex declarat. Card. Interp. Conc. Triden.* iisque omnes Episcopi, aliique, quibus id vel ex iure (vt Abbates in tota prouincia commorantes, siue Abbatias habeant, siue Commendas, *can. Decernimus Distinct.* 18.) vel ex consuetudine competit, sub certis pœnis interesse iubentur. Talia Concilia sunt plurima in Tomis Conciliorum.

Ad eorum conuocationem aut celebrationem, non requiritur præsentia vel auctoritas Primatis aut Patriarchæ, *arg. d. can. de Concilio.*

8 An autem ad ea soli Episcopi vocandi sit, controuertitur. Verior affirmatiua sententia: quia iura hac de re loquentia tantùm faciunt mentionem Episcoporum, *can. Propter Ecclesiasticas; can. Non oportet, can. Peruenit., can. Si quis Episcoporum & can. vlt. Distinct.* 16. Possunt tamen alij vocari, non vt habeant vocem, sed vt sint consultores sæpè, vocari expedit, *arg. cap. Nouit, & c. Quando inf. De his quæ fiunt à Prælat. sine conf. Cap.* quia *vbi multa consilia, ibi salus & multitudo sapientûm est sanitas orbis,* vt inquit Sapiens, *Prou. 11.*

Vocandi tamen sunt, præter Episcopos, quicumque iurisdictionem Episcopalem habent vt colligitur ex *can. Conuenientibus 1. quæst. 7. can. Hadrianus Distinct. 53.* Et omnes Episcopi ipsius prouinciæ in Prouinciali Synodo comparere debent; aut aliàs, si iustam excusationem habeant, illam per litteras vel certos nuntios Metropolitano significare, *Gloss. in can. Placuit. Dist. 18.* Episcopi autem, qui nulli subsunt Archiepiscopo, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere debent, & in eius Synodo Prouinciali cum aliis interesse, saluis, suis priuilegiis in reliquis, iuxta Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 2. De reform.* Eligere verò potest Episcopus, vel Archipresbyter exemptus, non obstante contradictione Cleri sui: & electio per eum facta obligat successores, Zerola *V. Concilium §. 3. ex Congregat. Card. Interp.* Capitula Ecclesiarum Cathedralium inuitanda sunt, non cogenda, Abbas *in cap. vlt. inf. De his quæ fiunt à Prælato sine conf. cap.* Eos tamen, qui loco Cathedralium comparent, non habere auctoritatem definiendi, tradit ibidem Abbas. Quæ autē tractanda sint in Synodis Prouincialibus, refert Azorius *Instit. Moral. p. 2. lib. 3. c. 47.*

Ad Concilia Prouincialia reuocari possunt ea, quæ Legatus à Latere, vel alius, ex 9
speciali mandato suæ legationis, celebrat cum Metropolitanis, & aliis Clericis prouinciæ aut prouinciarum, intra terminos suæ legationis contentarum, iuxta notata, in *cap. vlt. inf. de offic. deleg. cap. 2. eod. in 6.* Nam & hæc Prouincialia dicuntur, à prouincia, quæ habere debet vnum Archiepiscopum, & decem aut vndecim Episcopos, *can. Societate 6. quæst. 3.* Quinimò Gratianus Nationalia, quæ tamen à Prouincialibus distinguuntur, *in can. Reg. §. porrò Dist. 3.* vocat Prouincialia & sub Prouincialibus comprehendit: quia certis prouinciis continentur, nec ad omnes Christianos, vti verè Vniuersalia, pertinent.

Episcopalia sunt, quæ ab Episcopis inter suæ 10
diœcesis Clericos, & Abbates indicuntur, *can. Quando Distinct. 38 can. Placuit XII. quæst. 2. can. Abbates XVIII. quæst. 2. & similibus:* vel Sede vacante à Capitulo Cathedralis Eccle-

siæ,

siæ, Honor. ab Axel. *in Summa Decretal. ad Tit. De Constituit. num. 7.* Et quidem celebrari ea quotannis debent, *can. Quoniam, can. Annis singulis Dist.* 18. Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 2. §. fin. De reform.* nisi Episcopus iusto impedimento detineatur: quo casu alium, in dignitate Ecclesiastica constitutum puta Procuratorem aut Vicarium suum Generalem, deputare potest, qui loco ipsius Synodum celebret, & ei præsit, *can. Episcopus d. Distinct.* 18. Si verò aliàs celebrare neglexerit, pœnam suspensionis per duos menses sustinere debet, *can. vlt. iuncta Glossa in* v. *Excommunicationis d. Distinct.* 18.

Modus celebrandi est, vt omnes, qui interesse tenentur, moneantur de Synodo, tali loco & tempore celebranda, *arg. can. Propter, d. Distinct.* 18. Sufficitque vnica monitio, licet in iudicialibus trina requiratur, *Glossa in d. can. Si Episcopus.* Et ad hæc Concilia etiam exempti omnes, qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere tenentur, secundùm Conc. Trident. *d. loco,* Azorius *d. cap. 47. quæst. 3.* Horum verò Conciliorum (quæ magis propriè Synodi quàm Concilia vocantur, vt patet ex *cap. sicut olim. §. inf. de accusat.*) statutis neque subditi extra diœcesin, neque ignorantes, nisi ignorantia sit supina, ligantur; ideóque ea suis subditis notà facere non omittat Episcopus. Videatur plenius Piasec. *in Praxi Episcop. part. 2. cap. 2. artic. 1.*

Episcopalibus Conciliis, addi possunt Concilia seu Congregationes, quas ineunt alicuius Ordinis Monachi aut religiosæ personæ, ex Superiorum suorum auctoritate, de quibus in *cap. Ea quæ inf. de statu Monachorum.*

11 Distinguuntur Concilia Particularia ab Vniversalibus, quòd Vniversalia vim definiendi habeant, & omnes Christi fideles constringant, *can. 1. §. dist. 15. cap. 5. inf. de const. & similibus, l. Nemo 4. C. de summa Trinitate,* Concil. Florent. *in vnione Armenior.* Particularia verò non habeant vim definiendi: sed solùm procurandi, vt quòd aliàs sive generaliter sive specialiter statutum est, observetur. Similiter non omnes constringunt, sed tantùm subditos, quamdiu in regno, vel diœcesi morantur, iuxta *cap. 2. de constit. in 6. l. fin. D. de iurisdict. omnium Iudic.* ubi dicitur, quòd extra territorium, ius dicenti impunè non pareatur. Hoc tamen discrimen intelligendum est de iis particularibus Conciliis, quæ non sunt vniuersalia quoad auctoritatem, id est, quæ neque sunt à summo Pontifice generaliter ad constringendos omnes Christi fideles approbata, neque in corpus Canonicum relata, vt videre licet *in cap. 4. infrà de elect. cap. Nec Episcopi infrà de temp. ordinat. cap. 1. infrà de filiis presbyt. & alibi.* Nam quæ à summo Pontifice generaliter comprobata sunt, perinde obligant omnes Christi fideles, atque si ab ipsomet conuocata & celebrata essent, iuxta vulgatum illud, *Nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimus.* Plurima autem Concilia Particularia, ordine alphabetico recensita, videre licet apud Boëtium Eponem, *lib. 2. de Iure sacro à num. 150. vsque ad num. 157. inclusiuè.*

Circa Oecumenica verò, à Gratiano enumerata, illud obseruandum, quòd quinque reliqua à quatuor primis, non sub locorum designatione, sed per enumerandi rationem, vt & alij plerique Scriptores, ea recenseat: nam respectu quatuor præcedentium Synodorum Vniversalium, sequentes appellat, quintam Synodum, sextam Synodum, septimam Synodum, octauam Synodum, nonam Synodum.

Hæc verò explicationi Decretalium Gregorij. IX. præmittenda duxi, quòd iuxta *l. 1. D. de origine Iuris*, non deceat illotis, vt dicitur, manibus protinus materiam interpretationis alicuius aggredi, sed Præfationes præmittendæ sint, quæ libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ perducant, & cùm eò venerimus, eius euidentiorem præstent intellectum: ad quòd facit textus in *l. 1. §. Ideoque iubemus Cod. de vet. iure enucleando: in §. His igitur institut. de iust. & iure, & in §. fin. instit. de publ. iud.* Vnde & ipse Gregorius IX. suæ compilationi Præfationem præmittit, quâ declarat se intendere, diversas Constitutiones & Decretales Epistolas prædecessorum suorum, in diversa sparsas volumina (quarum aliquæ propter nimiam similitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem, inducere confusionem videbantur; aliquæ verò vagabantur extra volumina supradicta, quæ tamquam incertæ frequenter in iudiciis vacillabant) ad communem & maxime studentium vtilitatem in vnum volumen, resecatis superfluis, redigere, & suas Constitutiones ac Decretales Epistolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur, adiicere.

LIBER PRIMVS

DECRETALIVM.

TITVLVS I.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

§. I.

De Summa Trinitate.

1 *Ratio ordinis, inscriptionis & nominis,2.*
3 *Cur in Trinitate prima persona dicatur Pater.*
4 *Secunda Filius.*
5 *Tertia Spiritus sanctus.*
6 *Ratio distinctionis personarum in divinis,7.*
8 *Vitanda in divinis nomina, diversitatem essentiæ significantia.*

1 QVIA iuxta monitum gentile, *à Iove principium*; & ubi fundamentum deficit, nihil superædificari potest, *can. cùm Paulus* 1. *quæst.* 1. Gutieres *lib.* 3. *Pract. Quæst. q.* 15. *num.* 46. è contra verò tunc firma & solida constituitur fabrica, cùm priùs de solido providetur fundamento: * ideo, sicut Iustinianus legislationem suam, quàm XII. libris Cod. Complexus est à summa Trinitate & fide Catholica orsus fuit, ita & Summus Pontifex ius Canonicum auspicatur: tum quia, sicut leges civiles, ut iustæ sint, ex præceptis iuris naturalis & gentium seu rationis humanæ desumi debent, *l.* 1. *ff. de iust. & iure*, ita etiam Constitutiones Ecclesiasticæ, uti quædam vel conclusiones vel determinationes, ex lege divina & præceptis fidei, veluti è suis fontibus, eliciuntur, *cap. qualiter & quando, infr. de constitut.* tum quia fundamentum iuris universi Christiani, præsertim Ecclesiastici seu Pontificij, est Deus ipse trinus & unus. Vnde in *can. in quo iure distinct.* 8. dicitur Deus iura humana per imperatores sæculi distribuisse humano generi: & in *can. Nemo XVI. quæst.* 3. dicuntur Romanæ leges divinitus per ora Principum promulgatæ: & in *l.* 2. *ff. de legib.* dicitur omnis lex inventum & munus Dei. Hinc & ipsi Ethnici legumlatores omnem suam legislationem in divinum aliquod numen retulerunt: ut Minos, qui Cretensibus legem condidit, in Iovem; Numa, qui Romanis, in Ægeriam Nympham; Trismegistus, qui Ægyptiis, in Mercurium; Charondas, qui Thyriis, in Saturnum; Lycurgus, qui Lacedæmoniis, in Appollinem; Draco & Salon, qui Athenienſibus, in Minervam; non modò ob maiorem auctoritatem, sed quia, ut omnium creatarum rerum auctor, ita & legum rectè conditarum fons & origo est Deus, iuxta illud Proverb. 8. *per me Reges regnant & legum conditores iusta decernunt.*

Inscribitur autem hic Titulus *de summa Trinitate*, ut excludantur aliæ trinitates, quæ non sunt summæ; qualis v. g. in candela est splendor, ignis, calor. Tametsi verò Trinitas, secundùm etymologiam, videatur significare unam essentiam trium personarum, quasi dicatur Trium unitas: tamen secundùm proprietatem vocabuli magis significat numerum personarum unius essentiæ, ad invicem relatarum, & non ipsas relationes personarum. Et ideo Pater non est Trinitas, quia non est trina seu triplex persona: neque hoc *Trinitas*, ad aliud non refertur, sed absolutè dicitur. Et licet cum nomine collectivo conveniat, quòd, ut illud, significet pluralitatem suppositorum, & unitatem quandam, scilicet ordinis alicuius: tamen ab eo differt, quod in divinitate non solùm sit unitas ordinis, sed simul unitas essentiæ, prout docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 31. *art.* 1. *ad* 1. *&* 2. in divinis igitur est Trinitas, non triplicitas, quia Trinitas dicitur absolutè, nec refertur ad aliud cùm significet numerum ternarium personarum: at verò hoc nomen, *Triplicitas*, significat proportionem inæqualitatis, cùm sit species proportionis inæqualis: nam triplex est maius eo, cuius respectu dicitur triplex, D. Thom. *d. loco ad* 3. Quando autem dicitur, *Trinitas in unitate*, non ponitur numerus in unitate essentiæ, quasi sit ter una, sed ponuntur personæ numeratæ in unitate essentiæ seu naturæ, sicut suppositа alicuius naturæ dicuntur esse in illa: & è contra dicitur *Vnitas in Trinitate*, sicut natura dicitur esse in suis suppositis. Trinitas autem non potest dici de Trinitate, quia sic essent tria suppositа Trinitatis & novem personæ: sicut sunt tria suppositа Deitatis, cùm dicitur Deus est Trinus: nam trinum significat distinctionem suppositorum illius, de quo dicitur, D. Thom. *d. loco ad* 4.

2

Ex prædictis autem personis divinis, prima 3
propriè

propriè dicitur Pater, quia hoc nomen significat paternitatem, per quem persona Patris distinguitur ab omnibus aliis personis, & ideo est proprium nomen illius nam proprium nomen cuiuslibet personæ significat illud, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. Et licet apud nos Pater non significet, personam, quia relatio, quam significat, non est subsistens: tamen in divinis significat personam, quia ibi significat relationem subsistentem in persona divina. Dicitur autem potiùs Pater, quàm Genitor, licet hoc nomen sit communius, quia secundùm Aristot. *lib.* 1. *de anima* dominatio fieri debet à perfectione & fine: iam verò Generatio significat, vt in fieri, Paternitas autem complementum generationis.

4 Secunda persona dicitur Filius, atque etiam Verbum, eiúsque processio dicitur Generatio. Quæ licet generaliter sumpta (prout ad omnia generabilia & corruptibilia se extendit, & opponitur corruptioni, eiusque subiectum est materia) nihil aliud sit, quàm mutatio de non esse ad esse: tamen propriè sumpta est in solis viuentibus, est que origo viuentis à principio viuente, coniuncto secundum similitudinem eiusdem naturæ specificæ propriéque dicitur Nativitas: & in divinis per priùs dicitur de filio, quàm de creaturis, quia verior & perfectior est generatio in divinis, quàm in creaturis. Cùm enim de ratione generationis sit, quòd generans generet sibi simile secundùm formam; quò forma est similior formæ generantis, eò & perfectior est generatio. Et ideo cùm in divinis, non etiam in creaturis, sit eadem forma geniti & generantis, ibidem etiam perfecta est generatio: siquidem Deus Pater & Deus Filius conueniunt in vnitate numerica naturæ, non item generans & genitum in creaturis; & Deus ac creatura nequidem in specifica vel generica.

5 Tertia persona dicitur Spiritus-sanctus. Licet autem hoc nomen sumptum, in vi & potestate duarum dictionum, seu adiectivi & substantivi, sit commune toti Trinitati; cùm & Pater dicatur Spiritus, (vt cùm dicitur, *Spiritus Domini super me* (& Filius dicatur Spiritus,) vt cùm dicitur Filius, *In Spiritu Dei eiicit dæmonia*, naturæ suæ potestate se eiicere dæmonia demonstrans; & Spiritus sanctus dicatur quoque Spiritus (vt in illo, *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, (& similiter Pater sit sanctus, Filius sanctus, & Spiritus-sanctus sit sanctus, quia nomine Spiritus significatur immaterialitas divinæ substantiæ: tamen idem nomen sumptum pro vna & eadem dictione, ex vsu Ecclesiæ accommodatum est ad significandam vnam trium personarum divinarum; eam scilicet, quæ procedit per modum amoris, sicuti tertia persona in divinis procedit. Et ideò, licet hoc nomen, Spiritus-sanctus, relatiuè non dicatur, prout dici debent nomina propria divinarum personarum: tamen pro relativo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandum personam, solâ relatioue ab aliis distinctam; potestque in illo nomine intelligi aliqua relatio, si Spiritus-sanctus intelligatur, quasi spiratus.

Ratio autem huius numeri personarum in vna essentia, prouenit cùm ex eo, quòd Deo non 6
sit deneganda maxima perfectio, cuiusmodi est fœcunditas, quâ simile producit sibi simile, iuxta illud Isaiæ 66. *Nunquid ego, qui cæteros parere facio, sterilis ero?* quasi dicat, carebone illâ perfectione, quam aliis tribuo? Tum ex eo, quòd de ratione summi boni, qualis est Deus, sit vt summè sit sui communicativum. Hinc enim fit, quòd, cùm non possit se summè communicare ad extra in creatione rerum, cùm repugnet creaturam esse summè perfectam, & æqualem seu consubstantialem Deo: necessum fuerit, vt Deus ab æterno se ad intra communicaret & produceret sibi simile; idque per actionem intellectus & voluntatis, cùm præter has nulla sit actio immanens in Deo. Secundùm actionem autem intellectus processit secunda persona, quæ dicitur Filius & Verbum. Filius quidem, atque etiam Genitus, quia eius solius processioni conueniunt ea, quæ pertinent ad propriam generationem viuentium: nam eius in divinis sola processio est, per modum similitudinis, & eiusdem prorsus naturæ cum eo, à quo procedit. Nam licet quod procedit secundum processionem ad extra, debeat esse distinctum ab eo, à quo procedit: tamè quod procedit ad intra processu intelligibili, vti Filius à Patre, non oportet esse diversum: imò quanto perfectiùs procedit, tanto magis est vnum cum eo, à quo procedit. Nam quò magis intellectus actu intelligit, eo magis fit vnum cum re intellecta. Et proinde cùm divinum intelligere sit infinitæ perfectionis, necesse est, quod Verbum divinum sit perfectè vnum cum eo, à quo procedit, absque omni diversitate: & quia procedit per modum intelligibilis actionis, & secundùm rationem similitudinis, ideò propriè dicitur Filius, & eius processio dicitur propriè Generatio, & Filius Genitus potiùs, quàm Processio Spiritus-sancti, quæ est magis secundùm modum impulsus & inclinationis, quàm per modum similitudinis. Nam intellectus per hoc fit in actu,

quòd res intellecta sit in intellectu, secundùm suam similitudinem: voluntas autem per hoc, quòd habeat quandam inclinationem in rem volitam, non autem quòd res volita sit in voluntate, secundùm suam similitudinem. Et ideo quod procedit secundùm actionem voluntatis, non procedit, vt Genitum vel Filius, sed magis vt Spiritus: quo nomine quædam vitalis motio & impulsio designatur, prout aliquis dicitur ex animo moueri vel impelli ad aliquid faciendum. Dicitur verò Verbum, quia secundùm operationem intellectus procedit, nempe secundùm seu per intellectionem siue cognitionem illam perfectissimam Patris, qua suam essentiam, tres personas diuinas, & omnes creaturas, quæ eminenter continentur in diuina essentia, intuitivè cognoscit & comprehendit. Nam Pater hanc cognitionem eliciendo, producit Verbum: quod propriè in diuinis reperitur, significátque aliquid ab alio procedens, tamquàm terminum dictionis seu intellectionis. Quia verò intelligere diuinum, est infinitæ perfectionis, & est ipsa substantia intelligentis, vt tradit D. Thom. 1. *part. quæst.* 14. *art.* 4. necesse est, quòd Verbum diuinum sit perfectè vnum seu eiusdem naturæ cum eo, à quo procedit; vt proinde rectè quoque dicatur Filius genitus à Patre. Secundùm verò actionem voluntatis Patris & Filij processit Spiritus sanctus: nam licet in Deo idem sint intellectus & voluntas, tamen quia de ratione amoris est, quòd non procedat, nisi à conceptione intellectus, eò quòd nihil ametur, nisi ab intellectu conceptum: ideò processio Verbi & processio Amoris seu Spiritus-sancti habet ordinis distinctionem in diuinis: ac proinde Filius à Patre & Spiritus-sanctus à Patre & Filio procedit. Quia vero quidquid est in Deo est Deus sic quod in eo intelligens, intelligere, & intellectus & intellectio sint eiusdem naturæ, & similiter voluntas & actio eius idcirco per quamlibet processionem ad intra communicata fuit diuina natura, non autem aliæ naturæ.

7 Cæterùm tametsi hæ tres personæ diuinæ sint verè vna essentia, natura & substantia, *c. Damnamus h. tit.* tamen inter se realiter distinguuntur per relationes realiter inter se distinctas, nempe paternitatem, filiationem, spirationem actiuam, & spirationem passiuam, fundatam super processione Spiritus-sancti: quæ relationes in singulis personis identificantur realiter & formaliter cum diuina essentia, quandoquidem in diuinis nulla compositio reperiri possit, manente sola distinctione rationis quæ sufficit, vt de essentia diuina & relationibus seu personis diuinis enuntientur contradictoria, vt v. g. quod Pater generet, Filius generetur, non autem diuina essentia; similiter Deus generet, non autè Deitas, *d.c. Damnamus.*

Non tamen ex eo, quod in diuinis sint quatuor prædictæ relationes, sequitur esse quatuor personas seu quaternitatem in diuinis (hæc enim damnatur in *d.c. Damnamus*) quia relatio spirationis actiuæ non differt realiter à paternitate & filiatione, cùm nulla sit oppositio inter spirationem actiuam & paternitatem ac filiationem. In diuinis autem omnia, inter quæ non interuenit relationis vel originis oppositio, sunt vnum, & abstractum & concretum sunt idem. Nec etiam sunt duæ spirationes actiuæ, & duæ relationes illis respondentes; quia Pater & Filius concurrunt ad processionem Spiritus-sancti in ratione vnius principij, & vnicâ eâdémque spiratione, non autem duabus spirationibus, *c. vnic. eod. in 6.* Nam licet sint duæ personæ spirantes, Pater & Filius, sícque dici possit Spiritus-sanctus procedere à Patre & Filio, vt pluribus, si considerentur vt personæ, quia procedit ab iis, sicut amor viuentium duorum: tamen eandem habent naturam, & eundem voluntatis actum, quo spirant Spiritum-sanctum: & sic cùm in illis sit idem fundamentum, eadem ratio fundandi, & idem terminus, erit quoque eadem relatio. Nec vlla est oppositio relatiua inter Patrem & Filiũ spirantem, quia conueniunt in eadem virtute spirandi, & ratione illius virtutis sunt vnum principium, sicut vnus Deus, propter eandem formam diuinitatis; & vnus creator proper eandem vim creandi. Et hinc licet Pater & Filius possint dici duo spirantes, propter duo supposita, non tamen duo spiratores propter vnicam spirationem. Ratio diuersitatis est, quia spirans est adiectiuum, Spirator verò substantiuum. Nomina autem adiectiua, cùm significent formam vt inexistentem necessariò multiplicantur, seu habent numerum secundum multiplicationem subiectorum seu suppositorum: nomina autem substantiua solùm multiplicantur ad multiplicationem formæ, quam significant, licet interdùm Patres ponant substantiuum pro adiectiuo.

Vitanda autem sunt in diuinis nomina diuersitatem essentiæ significantia qualia sunt Diuersus, Differens, ne tollatur vnitas essentiæ; Diuisus, separatus, ne tollatur simplicitas diuinæ essentiæ: Dispar, ne tollatur æqualitas, Dissimilis, Discrepans, Alienus, ne tollatur similitudo: & sic de similibus: solúmque vtendum voce distinctionis, significante solam oppo- 8

sitionem

sitionem relativam, & suppositorum distinctionem. Hinc licet Filius rectè dicatur alius à Patre, quia hoc nomine masculinè accepto significatur distinctio personæ seu suppositi in natura: non potest tamendici aliud, vel diversus *d. c. damnamus*, quia significatur diversitas naturæ seu substantiæ, quæ est essentia, in qua sunt vnum & idē: & ideo si quando in scriptura authentica inue niatur diuersitas, vel differētia personarum, ea sumi debet & sumitur pro distinctione: benè tamen dicitur aliud suppositū.

Vitanda quoque sunt nomina repugnantia distinctioni personarum, qualia sunt Solitarius, Singularis, Vnicus: licet rectè dicamus vnicum filium, quia in divinis non sunt plures Filij.

§. II.

De Fide Catholica.

1 *Quid sit Fides.*
2 *Traditiones quotuplices.*
3 *De fide quatenus disputare liceat.*
4 *Qui teneantur præstare professionem Fidei.*

1 FIdes variis modis sumitur, vt videre licet apud Hostiensem h. t. Vbi tametsi, velit hic sumi pro collectione articulorum Fidei, qui in Symbolo Athanasij, continentur: tamen, quia illi articuli obiectum potiùs sunt Fidei, vt ea, quæ credenda sunt, ideo, rectiùs dicetur, Esse donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. Et hæc consistunt, partim in libris sacris & Canonicis: qui quot sint, & qui sint, vide Concil. Tridentin. *Sess.* 4. vbi illos enumerat, & anathemate ferit eum, qui eosdem integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit; partim in iis, quæ sine scripto continentur, traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque pervenerunt. Concil. Trid. *ibid.* vbi similiter anathemate ferit eum, qui prædictas traditiones sciens & prudens contempserit.

2 Traditiones autem aliæ sunt diuinæ, vt quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio, tanquam ab vno principio & vna spiratione ex omni æternitate processerit: quòd tres personæ divinæ in vna substantia sint æquales, & distinguantur realiter per relationes reales. Aliæ sunt Apostolicæ, vt ciborum delectus, ieiunium quadragesimæ, trina immersio, dum quis sacro fonte baptismatis abluitur. Aliæ sunt Ecclesiasticæ, vt mores & consuetudines, quas obseruat Ecclesia consecrando altaria, vasa, calices, templa, vestes quibus vtitur in Missæ sacrificio.

Additur autem in Titulo, *Catholica*, id 3
est universalis: de qua Fide disputare publicè, vel privatim prohibetur Laicis sub pœna excommunicationis, *in cap.* 2. §. 1. *De hæretico, in 6. Concil. Mechl. diœcesi.* 1609, *tit.* 1. *cap.* 1. & aliis quibusvis publicè turbis coadunatis, *in l. Nemo Cod. eodem.* Nec etiam magistris & custodibus Canonum fas est inire certamen cum hominibus alienæ communionis, vt dicitur *in cap. Cum quibus* XXIV. *quæst.* 3. Quod verum est, si causâ tumultus & perfidiæ defendendæ disputetur, *dict. l. Nemo.* Aliàs ad confusiones hæreticorum & veritatem eliciendam disputare licet.

Huius verò Fidei professionem facere te- 4
nentur, in primis electus seu promouendus ad Episcopatum. Concil. Tridentin. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* Item provisi de Canonicatibus & dignitatibus in Cathedralibus Ecclesiis, non tantùm coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam Capitulo, sub pœna non faciendi fructus suos, non suffragante eis possessione. Concil. Trident, *dict. Sess.* 24. *cap.* 12. §. *provisi, de reformat.* Sic refert Francisc. Zipæus *de iure Pontificio novo, l.* 1. *hoc tit.* Carolum Magnum iam olim sanxisse, vt Presbyteri & Diaconi, per Parochias constituendi, hanc Professionem suo Episcopo facerent; eiusque formam pro Græcis edid sse Gregorium XIII. pro Latinis Pium IV. Eandem professionem iniungi etiam iis, qui Doctoratum, Licentiam, aut cuiusvis artis professionem adipiscuntur, Chirurgis, Medicis, Confessariis, Concionatoribus, Advocatis, Procuratoribus in causa Religionis, Magistratibus, Ludimagistris, Bibliopolis, Obstetricibus.

Videantur Declarationes Card. *ad cap.* 2. *Concil. Trident. Sess.* 25. *de reform.*

TITVLVS II.

De Constitutionibus.

§. II.

Constitutionum origo, & diuisio.

1 *Constitutio dupliciter sumitur, generaliter & specialiter.*
2 *Ratio nominis.*
3 *Origo Constitutionum.*
4 *Earum condendarum modi, per Epistolam, Decretum & Edictum.*
5 *Constitutiones Principum secularium plerumque leges; Pontificum Decreta, Canones & simpliciter Constitutiones appellari.*
6 *Constitutionum Ecclesiast. species Dogma, Mandatum, interdictum, Sanctio, Can. Decretum, Epistola decretalu.*
7 *Motus proprius, responsum SS. Patrum, Pragmatica sanctio.*

CVM omnes ius Pontificium, quo vtimur constet, scripto aut non scripto, & scriptum sit certius nobiliúsque, quàm non scriptum, vt antè diximus: ideò Summus Pontifex, posito fundamento totius Iuris Canonici, incipit à iure scripto, cuiusmodi est Constitutio.

1 Sumitur Constitutio dupliciter, nempe generaliter & specialiter. Generaliter sumpta omnes iuris scripti, siue Canonici, siue Ciuilis, partes comprehendit; à quocumque, siue à Principe, siue ab inferiori (qui tamen Constitutionis edendæ potestatem habeat) proficiscatur, vt de Ecclesiastica Constitutione patet ex *c.6.8,11.& 12.h.t.* & ita in hoc Titulo sumitur. Specialiter verò est ius illud scriptum, quod Rex vel Imperator, vel Princeps constituit, vel edidit, *can. Constitutio distinct.2. l.1.ff.eod.* Quod enim Principi placuit, legis habet vigorem, *d.l.1.§.quod Principi, Institut. de iure nat. gent. & ciuili*: vt de eo dubitare sacrilegium dicatur *in l.fin. C.de LL.*

2 Dicitur autem Constitutio à Constituendo, id est simul statuendo, quasi commune statutum; vel quia lex debeat esse communis, *can. Erit autem lex distinct. 4.* vel quia Princeps non solus, sed simul cum Proceribus suis & Consiliariis leges condat, *l. Humanum, Cod. de LL.* Nec obstat, quòd ex Constitutionibus quædam sint personales, §. *ex his Institut. d. tit,* quia quatenus Constitutio est personalis, degenerat à nomine & natura Regis ac Constitutionis, & induit nomen & naturam privilegij, vt patet ex *can. Regula distinct. 3.* Adde quòd, vt inquiunt Philosophi, non sit necesse rationem etymologicam converti cum nomine: nam Fur dicitur à Furto, eo quòd de nocte fiat, cùm tamen etiam fiat de die, detúrque furtum manifestum, *leg. 1. ff. de furtu.* Sic Tutor à Tuendo, Doctor à docendo, Augustus ab Augendo dicitur, cùm tamen sit tutor, qui non tuetur, Doctor, qui non docet; Augustus, qui non auget.

Cœpit autem ius Constitutionis à iustificationibus, quas Dominus tradidit Moysi, dicens Exodi 12. *Si emeris seruum Hebræum*, &c. *can. Ius autem, distinct. 7.* Moyses verò gentis Hebrææ primus omnium diuinas leges sacris litteris explicauit: & Phoroneus Rex Græcis primus leges iudiciáque constituit; & alij aliis: ac inter eos, dequibus antè, Numa Pompilius Romanis. Postea, cùm Populus seditiosos magistratus ferre non posset, Decem viros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas duodecim tabulis exposuerunt, *can. Moyses d. distinct. 7.* vbi *can. seq.* recensentur nomina eorum, qui leges duodecim tabularum interpretati sunt. Cæterùm paulatim antiquis legibus vetustate & incuria abolitis, novæ leges à Constantino Cæsare, & reliquis successoribus cœperunt, vt ibidem dicitur. 3

Constitutionis, siue ciuilis, siue Ecclesiasticæ, specialiter dictæ, condendæ tres sunt modi præcipui: per Epistolam, per decretum, & per Edictum, §. *sed & quod Principi Instit, de iure nat. gent. & ciuili.* Per Epistolam, cùm Princeps, de re aliqua dubia absens consultus, rescribit, quid velit pro iure seruari. Hinc nata sunt Rescripta Principum (cuiusmodi sunt ferè omnes leges Codicis, in quibus Imperator ad petitionem alicuius respondit, & ius constituit, provt sæpiùs solet, *leg. Sapè de officio Præsidis*) & Epistolæ Decretales summorum Pontificum. Sic ex Epistola Diui Pij ad Ælium scita est *lex 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni iur.* §. *cuius rescripti Instit. eod. tit.* ex Epistola Adriani *lex fin. C. de constituta pecunia*, §. *si plures Institut. De fideiussorib.* 4

Per Decretum, cùm Princeps, siue ciuilis siue Ecclesiasticus, de re inter partes controuersa cognoscens, iudicat, & sententiam definitivam

nitivam profert, *l.9.§.vbi decretum ff.de officio Proconſ.* Talis enim ſententia vocatur Decretum, & facit ius non modò inter partes, de præſenti collitigantes, verum etiam inter omnes alios, ſimilem controuerſiam habentes. Et in hoc diſtinguitur à ſententia Iudicis inferioris, quæ inter partes dumtaxat collitigantes facit ius; & de qua proinde intelligitur illud, Res inter alios acta aliis non præiudicat. Dicitur etiam decretum conſtitutio ſummi Pontificis, cum conſilio Cardinalium ad nullius conſultationem edita, *ſecundum gloſſ. in princ. diſt.3.*

Per Edictum, cùm Princeps, non interrogatus de iure, nec de cauſa cognoſcens, ſed caſus futuros proſpiciens, ſponte & proprio motu aliquid pro bono Reip.edicit & promulgat. Vnde ſunt Edicta Principum, quæ vulgò *Placarts* appellamus; & ſunt conſtitutiones generales Principis, aliquid iubentis aut prohibentis. Eiuſmodi quoque ſunt Nouellæ conſtitutiones Iuſtiniani, & pleræque conſtitutiones in Codicem relatæ, incipientes ab his vel ſimilibus verbis: *Hac perpetua*, vel *pepetuò valiturâ lege ſancimus*, &c.vt in *l.3. C. de LL. & l. Hac edictali C. de ſecundis nuptiis.* Sic Prætores, & alij magiſtratus, per edicta tantùm ius conſtituebant, ob doni, odij,amicitiæve ſuſpicionem, quæ à Principe abſunt. Theophilus *in §. Pratorum quoque edicta, inſtitut. de iure natu. gent. & civili.*

Solent autem conſtitutiones Principum ſæcularium preſſiùs hodie appellari Leges: nam olim Lex dicebatur, quam populus, Senatorio Magiſtratu, veluti conſule, interrogante ferebat, §. *Lex eſt, inſt. de iure nat.gent. & civili.* Vnde & à Plebiſcitis, Senatuſconſultis, & aliis iuris civilis partibus ſeparabatur, vt conſtat ex §. *ſcriptum autem ius inſtit. d. tit.& aliis pluribus locis:* licet interdum etiam latiùs ſumpta Plebiſcitum comprehenderet, *l. 6. ff. de pactis l.1.ff.de off. eius cui mandata eſt iuriſdictio.*

At verò Pontificum Romanorum conſtitutiones potiùs decreta, & conſtitutiones, & canones, quàm leges appellantur, & præferri debent conſtitutionibus Principum ſæcularium, *can. Suſcipitur diſtinct.10.* & hæ illis obſequi debent, *can. conſtitutiones & ſeqq. ead. diſtinct.* Quinimò ſi ſint contra canones & decreta Romanorum Pontificum, ac bonos mores, nullius ſunt momenti, *d.can.conſtitutiones* & ſi factæ fuerint adverſus Euangelicam, Propheticam doctrinam, ſtare nequeunt, *can. Omne* X X V. *quæſt.* 1. Vbi autem Euangelicis atque canonicis decretis non obuiaverint, omni reuerentiâ dignæ habendæ ſunt, *can. Suſcipitis in fine.* Quælibet verò conſtitutio, ſive Eccleſiaſtica ſive civilis penitùs excludenda eſt, ſi iuri naturali vel divino contraria probetur, *can.Sanè in fine diſtinct.9.*

Conſtitutionis Eccleſiaſticæ ſeptem videntur eſſe ſpecies, dogma, mandatum, interdictum, Sanctio, canon, decretum, Epiſtola decretalis, vt docet Turrecrem. *in §. porrò diſt.3.* dogma dicitur conſtitutio Eccleſiaſtica, ad fidem pertinens, *can. penult. de conſecrat. diſt.5.*

Mandatum eſt Conſtitutio Eccleſiaſtica, ad diſciplinam pertinens, *can. denique diſtinct.4.*

Interdum dicitur Conſtitutio, quæ ad correctionem præſentium & imminentium maſorum ordinatur. Vnde differt ab edicto, quòd edictum ſit generalis conſtitutio,iubens aliquid vel prohibens, in formam legis vniuerſalis promulgata, nullâ adiectâ pœnâ, *can. Non oportet de conſecrat.d. diſtinct.4.* vt illud ab Auguſto de deſcribendo vniuerſo orbe.

Sanctio propriè eſt conſtitutio pœnalis, ſeu quæ certam pœnam, præſertim capitis, non obtemperantibus irrogat, *l. Sanct. ff. de pœnis, §. Sanctæ inſtit. de rer.diuiſ.* Eſt enim Sancire, auctore Seruio, ſanctum aliquid,id eſt, conſecratum facere, fuſo ſanguine hoſtiæ. Huiuſmodi ſanctio eſt in *can.Si quis ſuadente* X V I I. *quæſt.* 4. Et hinc leges ipſæ ſanctæ vocantur, quia ſanctione & pœnæ comminatione ſtabilitæ & confirmatæ ſunt.Latè ſumpta vox ſanctio omnem conſtitutionem Principis ſæcularis vel Romani Pontificis deſignat, *C. de novo C. faciendo §.quibus verſ. colligentes, can.Conſuluiſti 2. quæſt. 5. cap. inter corporalia*, ibi: *quod non eſt ſanctorum Patrum de decreto ſancitum* X *de tranſlatæ. Epiſcopi.* Latiſſimè verò totius iuris collectionem ſignificat *d.§.quibus.*

Canon dicitur conſtitutio, quæ in Concilio Vniuerſali vel Prouinciali promulgatur.Exemplum de generali, *in c.Nonnulli inf. de reſcripto*: de prouinciali *in 1.2. & 3.* X *de foro competenti.* Latiùs ſumitur pro omni Conſtitutione Eccleſiaſtica,ſive à Pontifice ſive à Concilio facta, vt *in §.porrò canonum diſtinct.3.*

Decretum in genere eſt ſententia Principis inter partes, de quarum ipſe cauſa cognovit, & ſententiam dixit, *l. Minor. autem §. 1. ff. de minoribus*; vel interlocutus eſt, *l. 1. ff. de conſtitut. Princip. leg. Extat. ff. Quod metus cauſa, l. penult. ff. ad leg. Iul. de vi priuata.* Hoc loco Decre-

tum est Constitutio, quam Papa non consultus cum Cardinalibus, assensum præstantibus, super aliquo negotio constituit, & in scriptum redigit. Exemplum in *c. Et si membra* X *de his, quæ fiunt à Prælato sine cons. Capituli, can. Generali.* XXV. *quæst.* 1.

Decretalis Epistola dicitur, quam Romanus Pontifex alicui, super aliqua causa dubitanti, & Sedem Apostolicam consulenti, scripto transmittit; sive solus *c. 1. inf. de rescriptis*; sive de consilio fratrum, *cap. Bona memoria inf. de elect.* seu est Constitutio Pontificis ad alicuius consultationem promulgata. Indifferenter tamen dicitur etiam Canon, & Decretum.

7 His addi possunt Motus Proprius, Responsum sanctorum Patrum. Præceptum, & Pragmatica Sanctio. Motus Proprius dicitur, cùm Pontifex sive Princeps, nullius intercedente consilio aut suasu vel petitione, aliquid facit. Responsum sanctorum Patrum, est dictum, ad interpretandum seu respondendum prolatum, & in corpore Iuris clausum. Præceptum idem videtur quod Mandatum, vt à superiore præcipitur, licet inter ea nonnulli distinguant. Pragmatica Sanctio est illud, quod Imperator de consilio Procerum sanxit & statuit, *l. vlt. Cod. de divers. rescriptis, & ibi Glossa, vt & in l. iubemus Cod. de sacros. Ecclesiis, & in can. pervenit dist.* 100.

§ II.

Quinam possint condere Constitutionem: & quæ sit illius vis ac potestas.

1 *Qui condere Constitutionem Ecclesiasticam possint.*
2 *Vis & effectus eiusdem: quòd futuris det formam negotiis.*
3 *Quòd omnes fideles liget.*
4 *Quòd posterior de eadem re retrahatur ad priorem, & è contra.*
5 *Quatenus Constitutiones pœnales obligent & extendantur.*
6 *Quatenus ignorantes obligentur; & quotuplex Ignorantia.*
7 *Constitutionum alia Generales, alia Speciales.*
8 *Constitutio propriè dicta debet esse iusta & universalis.*

1 CONstitutionem Ecclesiasticam, generaliter dictam, condere in primis potest summus Pontifex, *cap. fin. h. t. cap. Inter alia ... sent. excommunicat.* deinde alij Prælati inferiores, vt Legatus Pontificis *cap. fin. inf. de officio Legati, cap. 1. inf. de locato*; Patriarcha Archiepiscopus, Episcopus, *cap. 2. inf. de maiorit. & obed. & cap. Vestra inf. de locato*; Collegia Ecclesiastica, prout de his plenius Hostiensis in *Summa hoc tit.* & Honor. ab axel. *d. tit. n. 3.* Constitutionem verò Ecclesiasticam, strictè & propriè dictam, condere potest solus Pontifex, vel alius ex eius auctoritate.

Vis verò & effectus Constitutionis Ecclesiasticæ est quòd futuris feratur negotiis, non autem præteritis: nec ad ea regulariter extendatur, nisi id exprimatur, *cap. 2. & fin. inf. eod. cap. Deliberatione* §. *fin. de offic. deleg. in 6. & ibi Canonistæ, l. Leges & constitutiones, C. de LL.* aut subsit causa, cur ad casus præteritos extendi debeat: vt si per eam reprobetur, quod Iuri naturali aut diuino repugnat. Vide Navarrum *h. tit. Cons. 5. & in Relectione, cap. Si quando de rescriptis exceptione* 21. Hinc Andr. Gaill. *l. 2. obser. 9.* concludit, Constitutiones Caroli V. de redituum emptionibus, Augustæ promulgatas, ad rationem viginti pro uno, non extendi ad casus præteritos, quódque, quoties nova constitutio emanat, aliquid circa negotij ordinationem vel contractus disponens, semper considerari debeant mores, consuetudines, quæ tempore contractus extiterunt, non autem quæ postea introducuntur, quia futurorum scientiam contrahentes habere nequeunt: & ita, inquit, docet Baldus, Bartolus, & alij, quos citat. 2

Constitutio Summi Pontificis, postquam legitimè est promulgata, omnes Christi fideles obligat. Sufficitque eam ad illum effectum promulgari solemniter & publicè in Vrbe, *can. 1. §. Quod ne sufficit de postulat. Prælat.* nisi clausulam publicationis specialem insertam habuerit, *cap. Quoniam* 40. *de Simonia, cap. Omnis* 12. *vers. Vnde de pœnit. & remiss.* Constitutio verò Principis sæcularis, vel Prælatorum inferiorum Summo Pontifice, solùm territorij subditos astringit, *l. Extra territorium D. de iurisdict. om. iudicum, DD. in l. cunctos populos, Cod. de summa Trinitate*: nec potest Pontificiæ Constitutioni repugnare, aut illam tollere, *c. Sollicite* X *de maioritate & obedientia, can. Inferior dist.* 21. Neque enim regulariter licet inferioribus aliquid contra Canones statuere, quamvis possint consuetudinem inducere, vt postea dicemus Dico, regulariter; quia quibusdam casibus id possunt, quorum præcipuos videre licet apud Ioan. Pet. Monet. *in tr. de distributionibus quotidianis, p. 2. quæst. 13. num. 6. & seqq.* 3

Insuper

4 Insuper in eo consistit vis constitutionis, quòd posterior de eadem retrahatur ad priorem, & contrà, declarandi, vel supplendi causâ: nisi sit priori contraria; tunc enim eam tollit, etiam nullâ illius factâ mentione, *c.1. h.t. in 6. c.1. inf. de cognat. spirit. l. Non est novum, De LL. Glos. in c. Quoniam, dist.18.* licet speciales consuetudines & statuta locorum contraria non tollat, nisi id exprimat. *tex. expressus in d.c.1.h.t.in 6.* Marcus de Mantua *Singul.* 233. Ratio prioris est, quia, vt in *d.c.1.* dicitur, Summus Pontifex censetur habere omnia iura in scrinio pectoris sui; & ideò condendo Constitutionem priori (quam scire reputatur) contrariam, censetur ei derogare. Ratio posterioris est, quia locorum specialium & personarum consuetudines & statuta, cùm facti sint, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare; & ideò per Constitutionem eis contrariam, à se noviter editam, nisi in ea expressè caveatur, non censetur iis in aliquo derogare.

5 Regulatur autem & limitatur Constitutio à ratione finali. Constitutionésque nouæ pœnales velut odiosæ restringendæ sunt; potissimum quæ à iure communi recedunt & exorbitant, id est, iure communi in aliquo derogant; omnium verò maximè, quæ Ecclesiasticæ libertati etiam rationabiliter contrariantur, *Auth. Cassa, C. de sacrof. Ecclesiis*; ita ut verborum, quibus conceptæ sunt, tenorem ac rigorem non excedant. Nisi sint Constitutiones, quæ concernant favorem Reip. vel salutem animarum: nam tales, licet odiosæ, extenduntur ad similes casus. Felinus *cons.* 18. *num.* 14. Non censetur autem Constitutio sublata per non usum, nisi probetur contrarius vsus; & illum alleganti incumbit probatio. Verran. *decis.*220. *part.* 1. Constitutione verò cassatâ, non cessatur eius effectus priùs editus, nisi in ipsa cessatione dicatur, vt Constitutio habeatur pro infecta; & hoc, si aliàs fuit valida, Abbas, in *c. Quæ in Ecclesiarum 7. h.t.*

6 Circa Constitutionum obligationem illud quoque notandum, eas, exceptis quibusdam casibus, non ligare ignorantes, *l. Si ignorans, iuncta Gloss. D. locati, c. Si verò 2. infr. de sent. excommunicat. can. Lectores dist.*32. modò ignorantia non sit crassa, supina, vel affectata, sed probabilis seu invincibilis, ut vocant Theologi. Crassa sive supina est, quâ quis ignorat, quod communiter omnes sui ordinis & conditionis sciunt: quod contingit per culpam latam, non etiam per leviſſimam vel levem. Affectata seu optata est, quâ quis ignorat, quod scire tenetur, quia non vult scire, quo liberiùs peccet iuxta illud Psalm. 68. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, relatum *in can. Ideò dist.*37. Iusta vero est, qua quis ignorat, quod non oportet eum scire, *can. Turbatur, §. notandum 1. quæst.4.* & quâ communiter homines eiusdem ordinis adhibitâ diligentiâ laborant. Et hæc omnino excusat, quando est causa actus, quando scilicet actus non fieret, nisi ignoraretur; & ideò excusat omninò à peccato: secus quando est comes peccati; uti est, quando peccaretur, etiamsi sciretur: nam hæc nunquam excusat à culpa. Videatur plenius Navarr. *cons.h.t.*

Constitutionum aliæ sunt Generales, aliæ 7
Speciales seu Personales. Generales vim legum obtinent, & generaliter omnes tenent, *c.1. & 3. h.t. Novel. de Ecclesiast. titulo* 131. *in princ.* Et censentur Generales, quando facta sunt per verba generalia; quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere oportet, *arg. l. de pretio 8. D. de public. in rem. act.* tametsi aliqua esset dubitandi ratio, an sint generales, vel non: quia dici solet, quòd lex simpliciter lata comprehendat omnem casum, dato, quòd in uno sit maior ratio, quàm in alio *l.1. §. quod autem, D. de aleat. l. In fraudem, §. fin. D. de testamento milit.* Etiamsi generaliter intellectæ continerent rigorem, & essent duræ, *l. Profexit, D. Qui & à quibus manumissi lib. non fiunt*, &c. item etiamsi sint solùm generales in fine, & speciales in principio, *Glossa in Rubr. Cod. etiam ob chyrographariam pecuniam*, &c. Insuper etiamsi sint solùm generales in sua præfatione & initio; quia licet postea loquantur per verba specialia, tamen tota lex est generalis, *l. Regula, §. fin.* ibi: *nam initium Constitutionis, & ibid.* Bart. *D. de Iuris & facti ignorantia.* Speciales sunt, quæ non omnibus, sed alicui vel aliquibus tantùm, vel certo hominum generi aut loco positæ sunt: & ideò solum ius impetrantis concernunt, nec ad successores eorum, contra quos impetratæ sunt, extenduntur, & morte etiam impetrantis expirant, *cap. Signif. 36. inf. de rescript.* & aliter vocantur Rescripta, de quibus seq. Tit.

Porrò ut constitutio propriè dicta sit valida, 8
oportet eam esse æquam, iustam & universalem, *can. Erit autem lex dist.4.* ut etiam maturè & cum iudicio deliberato fiat, non præcipitanter & ex abrupto, *c. Alma vers. diligenti habitâ deliberatione de sent. excom. in 6. l.1. D de LL.* Factáque ad rumorem populi non tenet, *arg. l. Si privatus 17. D. Qui & à quibus*, &c. Nec debet per eam dari facilis occasio ad delinquendum: alias tanquam iniqua reprobatur, *l. illud convenire, §.1. D. de pactis dotal. cap.*

Quem

Quemadmodum, cap. Etsi Christus vers. quadam enim inf. de iureiurando. Lud. Romanus *Sing. 714. incipit. Iudex potestatis.*

TITVLVS III.

De Rescriptis.

§. I.

Rescripti nomine quid veniat.

1 *Quid sit Rescriptum.*
2 *Qui rescribere possint.*
3 *Differentia inter Rescriptum & Privilegium.*

QVIA Rescripta sunt quædam, vt antè diximus, Constitutiones speciales, per quas vt plurimum dantur ministri, qui iura exequantur, sine quibus parum est iura condere, *cap. vbi periculum 3. c. Commissa 35. de electione in 6.* ideò Pontifex post Titulum de Constitutionibus tractat de Rescriptis.

Rescriptum in genere nihil est aliud, quàm
1 Constitutio per epistolam specialis; vel, iuxta Rebuffum, *tract. de rescriptis, num. 5.* est Principis concessio, per literas authenticas legitimè facta: sive fit secundùm ius, ut si mandetur, quatenus fiat ius, *c. licet 12. inf. de officio ordinarij, iuxta text. in cap. 1. h.t.* sive contra ius aliquid concedatur, veluti quòd condemnatus adhuc audiatur. Nam quòd dicitur, rescriptum contra ius non valere, verum quidem est, nisi in rescripto iuri derogetur, vt *in l. fin. Cod. Si contra ius*, &c. Nisi enim Princeps expressè deroget iuri, oportet iudicem iudicare secundùm ius, *c. Si quando 5. h. tit.* quia mens Principis præsumitur talis, qualis de iure esse debet, *l. Ex facto, ff. de vulgari & pupill. substit.*

2 Dicitur, Principis; id est, cuiuslibet locum primum obtinentis, qui rescribere potest. Cuiusmodi in primis est Papa, *toto hoc tit. & aliis iurib.* cuius rescripta interdum vocantur *Litera Apostolica* vel *rescripta Apostolica*: & rescriptum, quo alicui causa committitur, dicitur *Commissio, c. Sedes 14. & seqq. h.t.* Secundo imperator, *tit. Cod. de precibus Imp. offeren. & de diversis rescriptis.* Et huius rescripti subinde vocantur *Diuina iussiones, Sacri affatus, Sacra oracula, Sacra forma* aut *iussiones, Imperiales concessiones, sacra Litera*, Tertiò, Rex Hispaniæ, Franciæ, & quilibet alius Princeps, non recognoscens superiorem. Quartò Cancellaria; sive Papæ, *c. Ad hæc 10. h.t.* sive Imperatoris, vel Regis, in sua scilicet provincia, vbi constituta est, ne se mutuò impediant. Quintò, Legatus Papæ, Collegium Cardinalium; & quicumque potest constitutionem condere, ac iurisdictionem habet, is potest & rescriptum condere. Hostiensis, *in Summa huius tit. §. Quis possit*, &c. Videatur plenius Rebuffus, *d. loco.* Inferiorum verò concessiones vix dicuntur Rescripta; magisque Literæ excommunicationis, restitutionis, commissionis, citatoriæ, inhibitoriæ, absolutoriæ appellantur, *cap. Olim 25. in V. absolutionis literas, h.t. & simil.*

Dicitur, concessio; quia sola partis petitio non dicitur Rescriptum, sed subiuncta ipsius Principis concessio, *l. 1. l. Nec damnosa, iuncta rubr. Cod. de precibus Imp. offeren. c. Si gratiosa 5. h.t. in 6.* Atque ideò pars dicitur impetrare rescriptum, quando id ei conceditur, *c. Cæterum, 3. in verbis, impetraverit literas h.t.* & Impetratum rescriptum, quando pars illud obtinuit, *l. Impetrata rescripta, Cod. Sentent. rescind. non posse.* Dicitur, per literas expeditas: hæ enim sunt, quæ dicuntur Rescripta, & è contra, *c. Ad aures 8. & seqq. ac ferè per tot. h.t.* Dicitur, authentica; quia aliàs non dicuntur rescripta, *c. 1. & 2. inf. de fide instrum.* Dicitur denique, legitimè facta; quia non debet subreptitiè vel obreptitiè impetrari.

Differt porro Rescriptum à Privilegio in
3 pluribus: & inter alia, quòd Privilegium fit contra ius, *Glossa in Summa 25. q. 2.* Rescriptum verò regulariter fit secundùm ius, & ad obseruantiam Iuris communis, *l. Falso C. de diverss. rescript. Glossa in c. 1. in V. noscatur in fine de Constitut. in 6.* & ideò secundùm naturam eius debent intelligi *cap. Causam 18. & ibi Panorm. & alij h.t.* Videatur plenius Rebuffus *in Praxi Benef.* de differentiis inter Privilegium & Rescriptum.

§. II.

Quotuplicia sint Rescripta?

1 *Rescriptorum tria genera. 2. Rescripta Iustitiæ sive ad lites.*
3 *Rescripta gratiæ sive ad beneficia.*
4 *De clausula,* Si preces veritate nitantur.

5. *De*

5 *De obreptione & subreptione.*
6 *Quanam in Rescriptorum impetratione exprimenda.*

1 REscriptorum specialium in genere tria sunt genera, iuxta triplicem modum quo contingit S. Pontificem rescribere. Aut enim contra ius rescribit, aliquid alicui concedendo, veluti immunitatem à collectis, vt *in l.* 1. *& per tot. Cod. de immunit. concedenda, lib.* 10. aut decimis: vel aliquem suâ lege soluendo: vel cum aliquo dispensando, Aut rescribit ad lites: aut denique ad beneficia. Primi modi Rescripta dicuntur Privilegia, *de quibus lib.* 5. Secundi modi, dum scilicet ad lites rescribit
2 appellantur * Rescripta Iustitiæ; quorum meminit *l. Legibus Cod. Si contra ius vel vtilitatem publi.* vbi Bart. & alij, *c. Scisitatus* 13. *c. Pastoralis* 14. *cap. Super literis* 10. *h.t.* & talia sunt, cùm Pontifex de iure partis obscuro consultus, aperit illud, & quid Iudex in iudicando sequi debeat, ostendit, *c. Ex parte* 12. *cap. Sedes* 15. *& aliis h. t.* aut quando causâ ad se devolutâ Iudicem aliquem delegat, *cap.* 1. *c. Nonnulli* 28. *& aliis h. t.* Dicuntur autem Rescripta ad lites seu iustitiæ, tum quia ad iustitiæ administrationem pertinent & referuntur: tum quia causam annexam habent, cur concedi debeant, nec sunt meræ gratiæ. Et hæc licet præter ius dentur, in casibus scilicet à iure non decisis: tamen dicuntur etiam dari secundum ius, quia vel ad iuris interpretationem,
3 vel ad iuris debitam executionem dantur.* Rescripta denique ad beneficia vocantur Rescripta Gratiæ, quorum *text. in c. Gratia h. tit. in 6. Clement. Gratia eod. tit.* quia nullam aliam causam habent, cur concedantur, quàm concedentis meram liberalitatem. Huiusmodi rescripta sunt, quibus Pontifex mandat alicui prouideri de beneficio Ecclesiastico, *cap. Mandatum* 38. *cap. Abbate* 40. *h.t.* & de his duobus posterioribus Rescriptorum generibus, hîc agimus: ita vt Rescripta hîc nihil aliud sint, quàm S. Pontificis Epistolæ ad lites vel ad beneficia, ad supplicationem alicuius rescriptæ. Alioquin alia sunt Rescripta gratiæ, quæ à sæcularibus conceduntur; & sunt remissiones, gratiæ & indulgentiæ, de quibus *ff. ad senatusc. Turpill. & Cod. de abolit.* Alia solent dici Rescripta Communia seu Mixta, vt quidam vocant; quæ scilicet tum à Papa, tum à sæcularibus Principibus concedi possunt, vt rescriptum legitimationis.

In omni autem rescripto S. Pontificis hæc
4 clausula, *Si ita est, Si preces veritate nitantur,* semper subintelligitur, *c. Ex parte* 2. *c. Olim* 25. *h.t.* licet rescripta Principis sæcularis de iure civili non valeant, nisi expressè eam clausulam insertam habeant, *l. fin. Cod. de diversis rescriptis.* Diligenter itaque cavendum, ne obreptitiè vel subreptitiè aliquid impetretur.*

Tametsi autem obreptio & subreptio sæpè confundantur, & pro iisdem capiantur: communiter tamen ita distingui solent, quòd obretio committatur exprimendo falsum; subreptio verum tacendo, *iuxta notata per* Innoc. *in c. Cum dilecta* 22. *h. t.* Cæterùm qui subreptionem obicit, eam probare debet: ei verò, qui falsum narravit, incumbit probatio illius, quod pro vero suggessit. VVames. *cons.* 7. *num.* 2. *vbi alios citat.* Si igitur dolo seu malitiosè aut scienter impetrans, falsum in suo libello allegaverit, vel verum tacuerit, rescriptum gratiæ seu ad beneficium est ipso iure nullum, *cap. Ad aures* 8. *cap. Super literis* 20. *hoc tit.* Sin per errorem aut simplicitatem id fecerit, prout in dubio recisse præsumitur, tunc distinguere solent. Nam si falsum narratum aut verum tacitum sit tale, quod, etiamsi totum negotium ex veritate Pontifici fuisset narratum, is nihilominus verisimiliter confessurus & rescripturus fuisset, saltem in forma communi; valet Rescriptum, adhoc, vt Iudex delegatus causam definiat: non quidem secundum formam rescripti, sed secundum ordinem iuris *d. cap. Ex insinuatione* 37. *eod. tit.* Si verò tale sit, quod ex veritate negotio exposito, Pontifex verisimiliter non fuisset rescripturus, puta quia Canones dari vetant, quod petitur, non valet Rescriptum, *d. cap. Super literis.* At Rescripta ad lites, per falsi suggestionem aut veri suppressionem obtenta, aut etiam sine huiusmodi fraude, dummodò S. Pontifex aliàs veritate expressâ & falsitate suppressâ non fuisset rescripturus, valent quidem ipso iure, sed ope exceptionis coram Iudice delegato refelluntur, *d. cap. Super literis.* Ratio diversitatis est, quia rescripta gratiæ sunt ambitiosa *capit. Quamvis de prebendis in sexto*, non item rescripta ad lites.

Debet igitur in Rescriptis fieri mentio de 6
omni eo, quod movere potest Pontificem ad rescribendum, vel non rescribendum, vel etiam non tam facilè. Quod Garzias *de Beneficiis p.* 8. *cap.* 3. asserit generaliter obtinere in Rescriptis ad lites: in Rescriptis verò ad beneficia seu gratiæ intelligit de iis, de quibus in iure vel de stylo curiæ cautum est,

vt exprimantur ; eò argumento, quòd collatio facta criminoso, modò crimen non sit tale, quod inhabilitatem inducat, valida sit; quam tamen verisimiliter Pontifex non feciſſet, ſi crimen noviſſet. Etſi autem Reſcriptum ſubreptitium tribuat iuriſdictionem, tamen ſtante obreptione & ſubreptione oppoſitâ, proceſſus ſi quis fiat, eſt nullius momenti, *cap. Ex tenore 6. cap. Ad audientiam 31. hoc tit.* Macerat *lib. 1. Var. reſolut. 8. n. 2. & 3.*

7 Illud etiam obſervandum, Reſcriptorum, Pontificorum alia per viam Brevis, alia per viam Cognitionis, alia per viam Reſcripti ſpecialiter nuncupati, concedi. Inſuperque Ciſtercienſis habere privilegium, ne poſſint conveniri per reſcriptum Papæ, niſi in eo fiat mentio de eorum Ordine, *cap. Cum ordinem 6. hoc tit.*

§. III.

Quis impetrare Reſcriptum poſſit.

1 *Impetrare poteſt non prohibitus.*
2 *Qui prohibeantur.*
3 *Reſcriptum ad lites ſine ſpeciali mandato impetrari non poteſt.*
4 *Reſcriptum gratiæ poteſt.*

1 IMpetrare poteſt, quicunque non prohibetur, *cap. 1. eod. in 6.* ſive ſit actor, ſive reus, *c. Caterum 3. c. Ad hæc 10. & aliis h. t.* licet ſit filiusfamilias, quia non reperitur prohibitus. Nec obſtat, quod ſine conſenſu patris non poſſit agere: quia impetrare reſcriptum non eſt agere. Quin etiam Monachus, licet ſit mundo mortuus *can. Placuit 16. quæſt. 1.* & ſervis Dei non liceat frequentare lites, *cap. 2. Infr. de poſtulando*: tamen reſcriptum impetrare poteſt, in quantum illi convenire & ſubvenire valet. Rebuffus *in d. tract. de Reſcriptis, num. 3.*

2 Impetrare verò non poteſt; Primò excommunicatus, *c. 1. eod. in 6.* & ab eo impetratum reſcriptum ſuper alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo, eſt ipſo iure nullum, ſicut & id, quod inde ſecutum eſt. Privat enim excommunicatio communione hominum, inducitque inhabilitatem ad beneficia, ad electionem, præſentationem, *de quo inf. tit. 6.* item ad agendum, *cap. 1. eod. in 6.* Secundò ſervus niſi de domini vindicanda nece agat, *l. 1. C. de precibus Imp. offeren. lib. 1.* falſus aut revocatus procurator, *c. Ex part. 33. h. t.* IV. Hæreticus, *l. 2. c. de ſumma Trinitate, Gloſſ. in c. Super literis h. t.* Laicus pro ſe impetrare literas gratiæ non poteſt, cùm ſit incapax beneficiorum, *c. Ex literis in 6. inf. de tranſact. cap. 2. & ibi DD. infr. de inſtit.* Ideóque mandata vel nominationes ab eo impetratæ non valent. Rebuff. *in tract. Nominat. q. 9.* Iuſtitiæ vero impetrare poteſt, ut patet ex *tit. inf. de officio delegati, c. Nonnulli 28. §. fine h. t.* Hoſtienſ. *in ſumma h. t. §. Quis impetrare.* Rebuff. *in Prax. Benef. tit. Differentia inter reſcripta gratiæ & iuſtitiæ.* * Sic nec literas ad lites impetrare licet, ſine ſpeciali mandato; & taliter impetrans tanquam falſarius punitur, *c. Ex parte Decani 33. d. c. Nonnulli in fine, & ibidem Gloſſ. h. t.* vbi dicit, tale reſcriptum eſſe annullandum per exceptionem, quia parte non contradicente valeret: ſicut & ſi impetretur à coniuncta perſona, carnali ſcilicet, non etiam ſpirituali tantùm coniunctione, *Gloſſa in c. Cum M. de conſtitut. ubi vide Felinum n. 11.* In Francia tamen paſſim ſine mandato impetrari talia reſcripta Rebuff. *in tract. Concord. in V. Speciale verſ. vigeſimus ſextus*, ubi teſtatur de conſuetudine. 3

At verò reſcriptum gratioſum poteſt ſine mandato impetrari, *cap. Ex ore, ubi* Abbas *inf. de his quæ fiunt à maiore parte capituli, Gloſſ. in d. c. Nonnulli, §. ſunt & alij, c. Quam ſit & ibi Gloſſ. in V. petere de elect. in 6.* Panorm. *in c. Ad aures 8. poſt Gloſſ. in fine h. t.* ut v. g. beneficiorum, privilegiorum, immunitatum. De ſtylo tamen & praxi Romanæ Curiæ nullum exigi mandatum ad impetrandum reſcriptum, ſive gratiæ ſive iuſtitiæ, tradit & rationem reddit Gonzal. *ad Regul. 8 Cancell. Gloſ. 63. n. 16. & ſeq.* Vbicunque autem prohibetur quis impetrare reſcriptum, ſi impetret, non valet: ſive prohibeatur ratione perſonæ ſuæ, vt excommunicatus, hæreticus; ſive ob turpitudinem cauſæ finalis, vt in nuptiis ex reſcripto petitis; ſive quia res impetrata ſit à lege prohibita, veluti ut quis duas militias obtineat. 4

§. IV.

Contra quem & ſuper quibus Reſcriptum impetrari poſſit?

1 *Impetrari poteſt contra quemlibet.*
2 *Etiam non citatum.*
3 *Super cauſis quibuſlibet.*

1 IMpetrari poteſt contra quemlibet, ſive Clericum ſive Laicum, ſive maiorem; ſive minorem;

norem; modò is, contra quem impetratur, subsit iurisdictioni concedentis. Hostiens. *hoc tit. §. Contra quem.* Si tamen minores & viliores personæ in rescripto exprimantur, non intelliguntur maiores & digniores: nec supra maioribus & gravioribus negotiis audiuntur, qui de minoribus dumtaxat mentionem fecerunt, etiamsi adsit clausula, *Et quidem alij, Et res alias, cap. Sedes* ☧ *eod.* Impetrari etiam potest contra impetrare prohibitum, veluti contra excommunicatum, ne ex malitia sua lucrum & commodum referat, *cap. Intellectus* 2 *inf. de iudiciis.* * Citatio verò eius, contra quem impetratur, ad impetrationem non requiritur, sed bene in rescripti approbatione, si approbationem seu interinationem, vt vocant, requirat. Rebuffus *d. loco n. 42.*

3 Impetrari autem potest super omnibus, tam spiritualibus, quàm profanis, *cap. 2. & per tot. hoc tit.* tam corporalibus, quàm incorporalibus, *cap. Querelam 24. infr. de electione, cap. Dispendia h. t. in 6.* insuper Ecclesiis & beneficiis, *cap. & aliis h. t.* sic tamen ut Papa & Ecclesiastici viri super spiritualibus, sæculares verò super temporalibus rebus, & in quibus casibus Iudices sæculares de spiritualibus cognoscunt, ut in possessorio, rescripta concedant. Rebuff. *d. loco n. 66.* Casus verò, super quibus prohibetur, à iure rescriptum impetrari, videantur apud Luc. de Penna *in l. unic. Cod. de pastor. lib. 11.*

§. V.

E pluribus Rescriptis impetratis, quodnam sit præferendum?

1 *Qualiter posterius Rescriptum præferatur priori.*
2 *Speciale posterius derogat priori generali.*
3 *Generale posterius non tollit primum speciale.*
4 *Cur per posterius revocetur prius.*

1 SI duo diversi ad vnum idémque beneficium Rescriptum impetrent; vel etiam ad unam eandémque litem diversa Rescripta ad diversos Iudices; posterius priori præferetur, si modò prioris mentionem faciat: aliàs valebit prius, & posterius subreptitium habebitur, nec obtinebit alicuius roboris firmitatem, *c. Caterum h. t.* Nisi primum fuerit impetratum communi consensu partium; nam tunc non valet secundum, impetratum per alteram partem, 2 hoc subticito *d. c. Caterum.* * Aut nisi prius sit generale, & posterius speciale, quia tum speciale posterius derogat generali priori, quantum ad ea, quæ in speciali specialiter, & contraria contentis in generali, exprimuntur, vel in generali non exprimuntur, licet prioris mentionem non faciat, *c. 1. & c. Pastoralis, §. quoniam eod. tit.* * Id ipsum obtinet quoque si speciale 3 fuerit impetratum, quia generi per speciem derogatur *c. generi de reg. iuris in 6.* & quia generalis dispositio, quæ sequitur, non refertur ad specialem præcedentem, *l. Sanctio legum, ff. de pœnis.* Quod si vtrumque sit generale, illud attenditur, quod est magis speciale. Rebuffus *in d. tract. de rescriptis n. 104.*

Non mirum autem videri debet, per posterius scriptum revocari prius: id enim non fit 4 sine causa, cùm quod ad preces supplicantis largitur Pontifex sit veluti precarium, quod iure communi ad voluntatem dantis revocari potest, *l. Ait Prætor. ff. de precario.*

Quod tamen dicitur, *in d. c. Caterum*, secundum rescriptum, non habitâ mentione de priore, non valere, intelligendum est, si pars opponat. Abbas *& alij ibid.* Facit *c. Plerumque* ☧ *eod.* vbi post annum valent secundæ literæ, quando adversarius primus non fuit visus: nam inde sequitur, non fuisse ab initio nullas. Quòd si quis, impetrato rescripto, videat sibi fore damnosum, non cogitur illud præsentare *cap. ex conquæstione.* ☧ *de restitut. spoliatorum.* Imò potest ei renuntiare, etiamsi præsentaverit. Abbas *ibid.* etiam post citationem; modò parti satisfaciat de expensis & interesse. Aliud dicendum, si parti sit aliquod ius quæsitum. Rebuf. *d. loco num. 160.*

§. VI.

Qualis interpretatio sit facienda in Rescriptis?

1 *Stricta interpretatio est Rescriptorum.*
2 *Clausula in Rescriptis ad sententiam iuris communis revocanda.*

QVando in Rescriptis validis aliqua subo- 5 ritur dubitatio, tunc interpretatio strictè est facienda, & quidem secundùm ius commune, *c. Causam quæ 18. h. t.* quia in dubio non præsumitur Princeps aut Pontifex aliquid contra ius commune rescribere; sicut nec derogare iuri, alteri priùs quæsito: quod est de natura rescripti, *l. Falsam Cod. de diversis rescriptis, l. Rescripta Cod. de precib. Imp. offerun.* Montanus

tanus *de Tutelæ cap.33.n.527.* * Et hinc omnes clausulæ, in rescriptis expressæ vel subintellectæ, ad iuris communis sententiam revocari
2 solent. Vnde & clausulam,illam *Si simul omnes interesse non possunt, unus nihilominus vel duo negotium exequantur*, interpretatur Pontifex, *in c.Sciscitatus.* 13. *h.t.* de impedimento tam iuris, quàm facti: & per illam, *Si pro alio non scripsimus* (quæ semper intelligitur, nisi contrarium exprimatur) declarat se non intendere collatorem duobus gravare mandatis, *cap. Mandatum* 38. *h.t.* Et denique, dum in Ecclesia aliqua est certus Canonicorum numerus, nec vacat locus, regulariter rescriptum impetrans non recipitur, *cap. Constitutus* 19. *h. t.* Ideóque solet Pontifex addere, *Non obstante Canonicorum numero*; per quam clausulam pro illa vice iuri derogat communi, *d.c. Constitutus.*

Quatenus tamen non de iure communi, sed de præiudicio agitur rescribentis, videntur rescripta latè interpretanda, *cap.Olim 16. inf. de verb. sig. & l.Beneficium ff. de constitut. Principum*: dummodò ambitiosa non sint, quia tunc restringenda, *c.4. de præben.in* 6.

§. VII.

De quibus Rescriptis invalidis.

1 *Rescriptum non valet, inhibens causæ cognitionem.*
2 *Manifestè peccans in linguam Latinam.*
3 *Pendente lite impetratum.*
4 *Item contra ius vel stylum.*
5 *Quantum vitietur.*
6 *Subreptio quo modo tollatur.*

IN primis suspectum omne est Rescriptum, inhibens causæ cognitionem, *cap. ex parte 2. h.t.* quia non præsumitur Pontifex velle pervertere iuris ordinem; & ideò suspicio est, tale rescriptum ab eo non proficisci. * Non valet quoque Rescriptum, manifestè peccans in linguam Latinam, *cap.ad audientiam* 11. *h. t.* Roman. *cons 376. n.10.& seq. Glos.in can. Apostolicæ 35. q.9.* quamvis Principum sæcularium rescripta in Grammaticam peccantia valeant, *l.Imperator ff.de statu hominum.* Attamen literæ aut syllabæ unius alteriúsve defectus non vitiat Rescriptum, *c.Ex parte inf. de fide instrumen.* nisi defectus sit talis, qui mutet sensum & intellectum dispositivi rescripti, *c. Inter ... locos 6. inf. d. tit.*

Lite etiam pendente neutri litigantium fas 2
est impetrare rescriptum, quo alius de possessione vel quasi possessione deiiciatur, *cap.1. 2. & vlt.inf. Vt lite pendente*, &c. Neque enim 3
lite pendente rescriptum impetrare licet, nisi vt deciditur in *l.2.& 3. Cod.Vt lite pendente*,&c. Sicut nec post provocationem, *d.l.3.*

Similiter non valet rescriptum contra ius, 4
l.Rescripta Cod.de precibus Imp. offeren. can.Rescripta 25. q.2. sive divinum, quod inferior tollere nequit; sive naturale, quod est immutabile; sive Gentium, ut si rescriptum dominium rei meæ mihi auferat; sive contra ius Civile, *can.Imperiali 25. q.2.* sive contra Canonicum; sive etiam contra Concilia generalia, *c. Ex parte, inf.de capellis Monachorum.* Similiter non valet contra ius municipale, vel consuetudinem, non factâ illius mentione. Rebuff. *d. loco, n.70. in fine.* Ratio horum est, quia talia Rescripta censentur concessa præter intentionem Principis, ob varias occupationes tunc iuris non recordantis, *d. c. Ex parte*, Non enim præsumitur, voluisse iura, tot vigiliis excogitata, uno rescripto subvertere, *l. Si quando* 35. *C. de sacrosanct. eccles. Ecclesia* 48. *inf. de electione*; sicque deficit non potestas, sed voluntas.

Similiter non valet, si sit contra stylum, *c. Quàm gravi 6.inf. de crimine falsi*: tunc enim non præsumitur aut creditur à Papa vel eius Legato emanasse, *c.Porrecta 6 inf.de confirmat. utili.* Item si habeat clausulas insolitas: si tollat ius tertij, quia tum præsumitur falsum: si prohibitum sit impetrari: si careat debitâ solemnitate: si sit rasum in loco suspecto: si crimen supplicanti indulgeat: si sit fisco damnosum: si sit contra vtilitatem publicam, vel ius publicum, veluti ut ædificetur in via publica in præiudicium transeuntium. Valet tamen rescriptum contra ius, si sit per modum privilegij, quod iuri solet derogare, *can. Privilegia distinct.* 3. Si in aliquo tantùm derogat iuri, veluti ut differatur solutio creditorum per annum aut quinquennium, *l.Quoties Cod. de precibus Imp. offerent.* Si addatur clausula, *summariè & de plano*, quia ordo iuris non tollitur, *Clement. Sæpè de verb. significat.* Si fiat mentio iuris contrarij, *l.fin.Cod. Si contra ius*, &c. Si non lædat alium, & prosit petenti.

Observandum autem circa hæc, subreptio- 5
nem in uno capite, seu in una parte Rescripti, regulariter non vitiare Rescriptum, quoad alia capita separata, *c.Si eo tempore h. t. in* 6. nisi sit dolosa, quia tum vitiat in totum, *c. Sedes 15. c. Extenore 16.c.Super literis* 20. *h.t.* cùm mendax precator seu impetrator debeat carere penitùs impetra

impetratis, *d.cap.Sedes.* Similiter si subreptio in vno capitulo fuerit causa obtinendi rescripti quoad omnia, vitiat in totum, *c.constitutus 19. & ibi gloss.&* Abbas, *h.t.*

6 Obseruandum postremò, subreptionem tolli per clausulam, *Motus proprij*, per clausulam, *Non obstante*, per clausulam, *Si non sit alteri ius quæsitum*, quia videtur tunc concessum sub conditione, si non præiudicetur alteri in iure quæsito *cap.quamuis eod.in 6.* Item per clausulam, *ex certa scientia*; per clausulam, *ex plenitudine potestatis*; per clausulam, *pro expressis habentes & supplentes omnes defectus*, prout de his videre licet apud Rebuff. *d.tract. de Rescriptis.*

TITVLVS IV.

De Consuetudine.

§. I.

Quid sit Consuetudo?

1 *Ius non scriptum in traditionibus, & in consuetudine consistit.*
2 *Definitio consuetudinis.*
3 *Consistit in facto.*
4 *Quid mos.*

POSTQVAM egimus de iure canonico scripto, eiusque partibus, partim in Corpore iuris clausis, partim non clausis: sequitur vt de non scripto agamus; quod dari constat ex *can.Ecclesiasticarum, can.Nolite & aliis distinct.11.& distinct.12.ferè per tot.**

1 Consistit illud partim in traditionibus, sunto tamen nomine traditionis specialiter, vt designat tantùm doctrinam non scriptam; partim in consuetudine specialiter sumptâ, traditiones autem, de quibus egimus *tit.primò*, non solùm agnoscit Ecclesia Catholica, seu ius Pontificium, sed etiam Iustinianus ipse variis in locis, vt in *l.cunctos*, ibi: *secundum Apostolicam*, &c. in *l.Nemo*, ibi: *iuxta Apostolicas*, &c. *in l.Cùm reclam in princ. in l. Cum Saluatorem C. de summa Trinit. & in plurimu Nouellis.*

2 Consuetudinis specialiter sumptæ, vt à traditione distinguitur, variæ à variis assignantur definitiones. Iustinianus definit, Esse diuturnos mores, consensu vtentium comprobatos. Cuius definitionis explicationem suppono ex institutionibus eiusdem. Isidorus vero *in can. consuetudo distinct. 1.* definit, esse ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. Quæ definitio datur per genus definiti, quod est ius; & per differentiam, sumptam à causa efficiente & simul ab effectu, dum dicitur, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, dum deficit lex, scripta scilicet. Censetur autem deficere lex scripta, non solùm, quando omninò non est lata, verùm etiam quando est ambigua, vel inutiliter posita, vel dum rationi non innititur. Ideóque non obstat, quòd consuetudine vtamur, etiam lege non absolutè deficiente, vt patet ex *cap. Cùm dilectus 8.h.t.* quódque detur consuetudo contra legem, seu legi derogans, & præter legem, vel etiam ipsi legi conformis, quæ dicitur optima legis interpres.

Pro pleniori autem explicatione datæ definitionis, obseruandum vocabulum (*consuetudo*) duobus modis solere sumi, quantum ad rem præsentem attinet, nempe vel pro ipso vsu & frequentibus moribus, seu actibus alicuius communitatis aut populi: & ita dicitur esse facti, & in facto consistere: vel pro ipso iure, quod ex eiusmodi diuturno vsu & frequentibus moribus seu actibus nascitur; & hoc modo dicitur esse ius quoddam, distinctum à iure scripto. Quamquam *in cap. 1. h. t. in 6.* quod loquitur de consuetudine sumpta pro iure esse facti & in facto consistere: non quasi non sit ius, sed quia peculiares consuetudines, de quibus *d.cap.* loquitur, dicuntur esse facti, & in facto consistere: vel quia ex facto, nempe ex moribus seu actibus hominum, oriuntur, vel quia sunt penè infinitæ, vt facta hominum. Vnde & ignorare consuetudinem meritò præsumitur Pontifex, *d.cap.1.* eandémque alleganti, nisi notoria sit, incumbit probatio; & quidem non in genere, sed specialiter in casu controuerso. Surd. *consil.313. num.32. vbi alios citat.* Fachin. *lib.3. conf.26. num.10.* & probari debet in eadem specie, & concurrentibus iisdem qualitatibus, Surd. *decis.13. num 10. & decis.87. num.12.* Fachin. *d.lib.3. conf.82. vbi plures citat.* Quæ autem requirantur, vt probetur; vide remissivè apud Surd. *consil. 333. num. 21.* Mascardum *de probat verbo consuetudo.* Gail. 2. *obseruat.31.n.15.* 3

Similiter vocabulum, Mos, interdum sumitur, prout est idem quod consuetudo, sumpta pro iure, vti dum dicimus quem sequi morem patriæ, id est, consuetudinem. Ita sumitur *in can. Mos dist. 1.* dum dicitur, mos esse longa 4

consuetudo de moribus tantummodo tracta. Interdum verò sumitur, vt significat actus ipsos, eorumque frequentiam & reiterationem: & hoc modo non est consuetudo, sed potiùs consuetudinis causa. Ita sumitur in definitione consuetudinis, & in definitione moris, illis verbis, *de moribus tantummodo tracta*, atque ita non definitur idem per seipsum.

§. II.

De requisitis ad introducendam Consuetudinem.

1 *Primò requiritur diuturnitas & actuum frequentia.*
2 *Definitio temporis & actuum, relinquitur arbitrio iudicis.3.4.*
5 *Actus debent esse vniformes & vsitati.*
6 *Secundò, oportet rationabilem esse consuetudinem.*
7 *Tertiò requiritur scientia. Principis.*
8 *Scriptura non est de essentia legis.*
9 *Vt neque de substantia est consuetudinis, quod sit non scripta.*

1 AD consuetudinem introducendam requiruntur in primis diuturnitas temporis & actuum frequentia: Nam licet consuetudo inchoari possit ab aliquo actu insigni, quem cæteri postmodum imitentur: tamen non nisi pluribus induci potest, vt constat tum ex *l.* 1. & 2. C. *Quæ sit longa consuet.* tum ex definitionibus eius, exigentibus mores & actus frequentes: tum ex ratione etymologica, quia consuetudo vocatur, quod in communi sit vsu, *can. consuetudo distinct.*1. Vsus enim est actus repetitus, & quidem interpolatè, Bartol. *in l. de quibus ff. de LL.* Curt. *sect.4.num.*38. & idem non sufficit vnicus actus, licet notus sit toti populo vel collegio: nisi esset successiuus, & haberet continuationem temporis, intra quod introducitur consuetudo, *text. singul. in cap. Cum de beneficio de prebendis in 6.* vel nisi esset iudiciarius talis, ex quo tanquam notitio detegeretur consensus populi. Abbas *in cap. fin. h.t.* Tametsi verò vtroque iure, tam Ciuili quàm canonico, determinatum sit, quantum temporis requiratur ad præscriptionem: * neutro tamen definitum 2
est, quantum requiratur ad consuetudinem, quæ vim legis habet, & speciem iuris constituit, atque à præscriptione plurimùm differt: sicut nec definitum est, quot actus requirantur; ideóque vtrumque iudicis arbitrio relinquendum est, *arg. leg.*1. *ff. de iure deliberandi*, vt is iudicet, an tantum temporis, & tot talésque actus, siue iudiciales siue extraiudiciales, interuenerint, vt ex iis præsumi possit consensus populi, & venisse in notitiam Principis, vel populi, superiorem non recognoscentis; & sequenter interuenisse tacitum eius consensum; necessarium ad hoc, vt consuetudo vim legis habeat, aut legem abrogare possit.

Non obstat, quòd in quibusdam iuris textibus consuetudo dicatur *longæuus vsus*, *l.* 2. C. *Quæ sit longa consuet.* vel *inueterata*, *l. de quibus ff. de LL.* aut *vetustate probata*, Isidor. 5. *Etymolog. cap.*3. vel *longæ d. Tit. C. Quæ sit longa consuet.* ac *diuturna*: *l. diuturna ff. de LL.* quia illis locis non designatur tempus necessarium ad eius introductionem, sed solùm tempus, quo postquam introducta fuit, duravit aut durat; quia scilicet plerǽque consuetudines non tantùm receptæ sunt à decem annis (quod tempus in iuris textibus dicitur longum & diuturnum) sed plurimæ ab hominum memoria: atque ita inueteratum, longæuum, & longum, & diuturnum, sunt accidentia consuetudinis, non etiam ad eius substantiam vel introductionem requisita. 3

Nec obstat, quòd *in cap. vlt. h.t.* sicut & *in cap.*3. *eod. in 6. c. Carnana inf. de elect.* velit Pontifex consuetudinem, vt derogare possit iuri Ecclesiastico, esse legitimè præscriptam: quia sensus est, quòd debeat esse legitimè introducta. Sic licet quædam iura velint consuetudinem longi temporis habere vim legis, aut etiam legem tollendi: non tamen definiunt, quantum debeat esse tempus ad consuetudinem introducendam. Et dum longum tempus in iure vocatur tempus decem annorum, id intelligitur, de tempore requisito ad præscriptionem quarundam rerum; quod vocatur longum, ad distinctionem alterius temporis brevioris, puta quadriennij, sufficientis ad præscriptionem aliarum quarundam rerum, vt *in tit. C. de quadriennij præscript.* 4

Quantum verò ad actus, ex quibus consuetudo inducitur, attinet, ij debent esse vniformes, *l. Nemo*, §. *temporalia*, *ff. de Reg. iuris.* Farinac. seu differmi obseruantia 2. *part. decis.* 112. *num.*5. latè Rota Rom. *decis.* 19. *num.* 6. & *decis.*72. *num.*28. *in nouiss.* 2. *part. diuers.* Cranetta *cons.*113. *num.*4. Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*31. *n.*8. quia ex actibus, qui differmiter successerunt, remanet dubium, quid populus seruare voluerit: cùm tamen sicut lex, ita & consuetudo debeat esse clara & certa, non autem obscura & dubia, *Hostien. h.t.* §. *fin.* Surd. *cons.*393. *n.*23. 5

Et

Et ideo consuetudo, quæ non fuit conformis, non attenditur. Surd. *cons.*449.*num.*7. *vbi plures citat.* Similiter nec ex controuersis aut turbidis actibus, Farinac. 1.*parte decis.*56.*n.*13.*&* 16.vel quia à mera facultate vel ex tollerantia procedunt,inducitur,Farinac.*d.dec.*112.quia multa per patientiam tollerantur, quæ, si in iudicium deducantur, exigente iustitia,tolerari non debent, *cap. Cùm iam dudum* ☧ *de prabendis.* Debent quoque actus esse vsitati publicè, præsentibus & scientibus multis & infinitis personis, vt inde dici possit interuenisse tacitus maioris partis Populi consensus, Azor *in Sum.C.Quæ sit longa can.*Farin.1.*part.decis.*155.*num.*4.*&* 2,*part.decis.* 318.*num.* 5. imò debent actus isti fieri animo inducendi consuetudinem, *can. Consuetudo distinct.*1. Abbas *in cap.fin.vers.*7 *requiritur h.t.* Surd.*cons.*393.*num.*28. & taliter facti probari,ad probandam consuetudinem. Farinac.2.*part.dec.* 44.*num.*2.

6 Secundò requiritur, vt sit rationabilis, vti patet tum ex *cap. vlt.h. t.* vbi cùm id decisum exstet, nec reperiatur ius ciuile in contrarium, seruari in vtroque foro debet. *arg. cap.* 1. *inf.de noui operis nuntiat.*tum ex eo, quòd vim legis habere debeat, & pro lege scripta, cùm ea deficit, suscipi: atqui ratio est anima legis,vt colligitur *ex l.Scire leges ff.de LL.*Ideóque consuetudo, quæ est contra rationem aut veritatem, seu contra ius naturale vel diuinum, vel bonos mores, nullius est momenti, *can. Veritate cum aliquot seqq.distinct.*8. & corruptela dicitur,*can. Mala. ibid cap.cùm venerabilis.7.h.t.*& quidem tanto pernitiosior quò diutiùs durat. *arg. cap. vlt.h.t.* Erit autem rationabilis, si habeat conditiones legis, enumeratas partim *in can. consuetudo distinct.*1. partim *in can. Erit autem lex distinct.*4.quandoquidem legis authoritatem habere debeat. Vt tamen lex iusta & rationabilis sit, & consequenter consuetudo, sufficit, quòd talis sit in pluribus, licet non sit talis in singulis. Præsumitur autem rationabilis, si tanti temporis sit, vt eius initij non extet memoria.

7 Tertiò requiritur scientia Principis, vbi populus Principem superiorem habet, & eius saltem tacitus consensus. Scientia quidem, quia aliter nec adesse nec præsumi potest tacitus Principis consensus, quàm si vsus sit ei manifestus. Requiritur autem tacitus saltem consensus Principis, ad hoc, vt consuetudo vim legis habere possit, vel legem abrogare: nec enim inferior potest condere legem, aut contra legem superioris quidquam statuere. Hic verò tacitus consensus implicitè continetur in definitione consuetudinis, in verbo, Moribus, intellige approbatis: siquidem per alios, quàm per approbatos, non inducitur consuetudo; & ideo dicitur debere inductam esse ex certa scientia, non per errorem,*glossa in can.Frustra, vers.c. item quod non per errorem distinct* 8. *late* Farin.1.*part.decis.*524.*num.*4. Sunt tamen, qui velint non requiri specialem scientiam, sed sufficere, quòd Pontifex *in d. cap. fin.h.tit.* decreverit, vt consuetudo legitimè præscripta habeat vim legis statuendæ & tollendæ: quasi talis voluntas, vt eam vim habeat consuetudo, sit tacita scientia & tollerantia consuetudinis in posterum inducendæ legitimè: vt eas vires sortiatur absque alia speciali ipsis consuetudinis in Principe scientia. Sanchez *de Matrim. lib.*7. *disput.*4.*num.*11. Surd.*cons.*335.*num.* 68. Imò id ipsum obtinere quidam volunt etiam in consuetudine, quæ est contra ius, vt Moneta *de distribut. quotid.* 2. *part. quæst.*12. *num.* 19. *& in tract.de decimis cap.*3. *num.*88. Sanch. *d.lib.*7.*disput.*82. *num.*20. Vvesemb.*in tit. ff.de LL.n.*8. vbi ait sufficere, quòd Princeps non contradicat, & hanc sententiam esse receptiorem tradit.

8 Vt autem non est de essentia legis, quòd sit scripta, quandoquidem causa obligationis legis sit potestas Principis, explicata & applicata per voluntatem eius, aliquo signo externo sufficienter expressam, ad quod nullo modo est opus scripturâ: ita nec est de substantia seu essentia consuetudinis, quòd sit non scripta; non solùm, postquam est introducta; quia licet tunc scribatur,nihilominus manet consuetudo, vt patet ex libris Feudorum, qui continent consuetudines, *iuxta Rubr. Feud.& omnes scribentes in præludiis Feudorum*, Maranta 3.*part. speculi aurei, num.*83. *& ex cap.*2. *de prabendis in* 6. sed nec quoad eius introductionem.

9 Non obstat, quòd in eo consuetudo à lege distingui videatur, quòd lex scripta sit, consuetudo non; & per hoc discrimen, assignentur definitiones legis & consuetudinis, quia istud discrimen, & definitiones illud continentes, non assignantur per sola essentialia, sed tantùm per id, quod vt plurimùm accidit, prout plurimùm euenit, vt lex scripta sit, consuetudo verò non sit scripta.

Distinguitur igitur in eo quoque consuetudo à lege, etiam non scripta, quòd lex semper constituatur expresso consensu Principis, nec moribus vtentium introducatur: consuetudo verò semper moribus vtentium introducatur, & vt plurimùm tacito consensu Principis confirmetur.

firmetur seu approbetur. Insuper de substantia legis est promulgatio, non autem de substantia consuetudinis.

Et hæc quidem intelligenda sunt de consuetudine specialiter sumpta : alioqui sumitur aliquando generaliùs pro eo iure, quod in communi vsu est, vt *in can. consuetudo distinct.* 1. dum dicitur, nihil differre, an scripturâ, an ratione consistat : nam eo pacto sumpta non distinguitur à iure scripto, sed potiùs illud sub se continet.

§. III.

Quotuplex consuetudo, & eius effectus.

1 *Effectus consuetudinis in genere.*
2 *Consuetudo, quæ est præter legem, constituit nouum ius.*
3 *Consuetudo secundum legem ius dubium interpretatur.*
4 *Consuetudo contra legem tollit legem.*
5 *Satis fit obiectioni triplici.*

DIuiditur Consuetudo in generalem & particularem. Rursus in canonicam & Ciuilem : & vtraque subdiuiditur in eam, quæ est præter legem seu præter ius ; & in eam, quæ est secundum legem seu ius ; ac denique in eam, quæ est contra legem seu ius.

1 Quantum ad effectum consuetudinis in genere spectat, ea est stricti iuris, & seruanda solùm in suis terminis, neque extenditur de casu ad casum, Surd. *cons.* 407. *num.* 3. nec de persona ad personam, *idem consil.* 371. *num.* 4. nec de loco ad locum, *idem consil.* 323. *num.* 13. Facit licitum quoad forum fori, quod aliàs esset, illicitum ; quoad euitandæ pœnam temporalem. Surd. *cons.* 317. *num* 51. tribuit iurisdictionem non habenti, *cap. Cùm contingat,* ☞ *De foro competenti, can. Conquestus 9. quæst.* 3. Attenditur autem ea, quæ viget in locis vicinis, quando deest propria. Surd. *cons* 311. *num.* 16. Similiter attenditur ea, quæ est vltima : item ea, quæ est fauorabilior. Surd. *cons.* 448.

2 Consuetudinis, quæ est præter legem, effectus est, constituere ius novum, vbi deficit lex, *can. consuetudo distinct.* 1. obligátque non minùs in conscientia ad sui obseruationem, quàm lex scripta, cùm parem habeat vim & auctoritatem : cuius rei ratio redditur in *l. de quibus, ff. de LL.* Exempla huiusmodi consuetudinis habentur *in can. Illa distinct.* 11. *cap* 2. ☞ *de obseruat. ieiunij, cap. fin.* ☞. *De feriis.*

3 Consuetudinis, quæ est secundum legem, effectus est, non ius novum constituere, sed ius dubium interpretari, vnde in *d. l. de quibus* dicitur optima legum interpres : aut legem præexistentem confirmare, & eam adiuuare, vt colligitur ex *cap. Sopita* ☞. *de censibus.*

4 Consuetudinis contra legem effectus est, tollere legem : non quidem naturalem aut diuinam, quandoquidem consuetudo ad ius humanum spectet, & ab humana potestate pendeat ; sed humanam, siue ciuilem, siue canonicam, modò iusta & rationabilis sit, *cap. vlt. h. t. d. l. de quibus ff. de LL.* Tollit autem generaliter, si generalis sit : si verò sit specialis, abrogat specialiter in illo loco, in quo introducta est & viget.

5 Non obstat, quòd in multis canonibus dicatur consuetudo non præualere legi, sed ei, sicut & veritati, credere debere ; imò eam, quæ obuiat canonicis institutis, nullius esse momenti : quia loquuntur de consuetudine mala & irrationabili, quæ propriè non est consuetudo, sed magis corruptela, vt diximus : vel si loquantur de rationabili, vt *cap. Cùm consuetudinis 9. h. t. & l. 2. C. quæ sit longa consuetudo*, loquuntur vel de consuetudine facti, vel solùm volunt, consuetudinem non habere ex præcisa ratione consuetudinis, quòd vincat legem, prout verissimum est, & indicant illa verba, *non tamen vsque adeò sui valitura momento*, &c. Hanc siquidem vim habet ex eo, quod sit lege posterior, legi contraria, & tacito Principis consensu approbata.

6 Et ideo non obstat, quòd consuetudo contra legem indicatur per actus multitudinis seu populi, & quidem ab initio malos, vtpote contra legem factos : nam ad eam introducendum non requiritur bona fides nec titulus, Surdus *cons* 335. *num.* 68. sed sufficiunt diuturnitas temporis, actuum frequentia, & tacitus populi vel Principis consensus. Et in eo distinguitur à præscriptione, quæ non potest introduci, nisi per possessionem, & actus ab initio iustos ac bonæ fidei. Sicut & in eo distinguitur, quòd consuetudo constituat seu potiùs sit ius commune, non item præscriptio : vnde præscriptione acquiritur ius alicui singulari ac priuato, non item consuetudine. Rursus præscriptio & priuilegium non concurrunt, *Inter dilectos §. cæterùm inf. de fid. instrument. cap. Veniens 19. inf. de præscript.* Insuper illa est actionis seu petitionis exclusio ; hæc actionis seu iuris acquisitio, *cap. constitutis 47. inf. de electione, c. in Genesi 55. eod. tit.* Præterea consuetudo erronea nihil iuvat : è contrà præscriptio erronea iuvat, quia titulus

ius sufficit putativus, licet verus non sit, dummodò error probabilis excuset, & det causam præscribendi, *iuxta l. vlt. ff. pro socio.* Denique præscriptio habet locum in immobilibus, spiritualibus & corporalibus, *cap. Auditis & seqq. inf. de præscript.* consuetudo in incorporalibus, vt electionibus, iurisdictionibus seruitutibus. Et quòd consuetudo possit tollere legem, non habet à multitudinis seu populi, sed a Principis seu legislatoris, tacito consensu, cuius eadem vis est cum expresso: & malitia successu temporis purificatur; partim per superuenientem ignorantiam probabilem succedentium, partim per accedentem consensum tacitum legislatoris, qui vt auctor est legis, ita illam tollere potest.

7 Non obstat denique, quòd lex debeat esse rationabilis & iusta: vnde videtur sequi, consuetudinem, quæ contraria sit legi, fore iniustam & irrationabilem: quia licet consuetudo, contraria legi, eamque abrogans, sit, contra rationem talis legis, non tamen est contra omnem aliam rationem: siquidem contraria diversis respectibus possunt esse rationabilia, *arg. cap. Quia non debet, inf. de consanguinitate.* Et hinc fit, quòd consuetudo possit etiam abrogare legem, habentem, clausulam, *Non obstante contraria consuetudine*, sive præterita scilicet, sive futura, ex noua nimirum iusta ratione superueniente, quæ iniustitiam seu iniquitatem consuetudinis pro eo tempore, quo lex eam tollit, aufert. An autem consuetudo contraria legi vel statuto, probetur per simplicem obseruantiam, an verò demonstrari debeat, quòd in contradictorio iudicio fuerit obtenta, quæri potest. Posterius tenet Sardus *cons. 393. num. 25. per l. de quibus*, in verbis, *in omnibus, ff. de LL. & alios, quos citat.*

§. IV.

De Stylo.

1 *Quid per Stylum hic intelligatur.*
2 *Stylus Curiæ Rom. ius facit.*
3 *Etiam in aliis Curiis.*
4 *Stylus à consuetudine quibus differat.*
5 *Allegans Stylum probare eum debet.*

1 QVemadmodum consuetudo dupliciter sumitur, prout vel est facti, vel iuris, seu ius quoddam, ita proportione quâdam *Stylus*, prout speciatim à iurisperitis vsurpatur, sumi potest vel pro modo ac formulâ quasi artificiali procedendi in causis & negotiis, vt docet Bart. *in l. de quibus ff. de LL.* sicque vocari *Stylus* facti, vel pro iure quodam, ex huiusmodi formula & modo procedendi nato; * sic enim dicimus Stylum Curiæ Romanæ facere ius, maximéque in rescriptis attendi debere, *cap. Quam graui. 6. inf. de crimine falsi*, & allegari posse in decisionibus, quando ius non est in contrarium, *cap. ex litterarum sup. de constitut. c. Litteras 2. inf. de iuramento calumniæ.* Videatur Farinac. 2. *part. decis.* 88. *n.* 1. Et maximè in respiciendis processum, & in modo procedendi attendi debet, Farinac. 1. *part. decis.* 740. *num.* 6. Necessariò autem *Stylus* Curiæ Rom. seruari etiam in omnibus aliis debet Curiis. Farinac. *d. part. decis.* 112. *num.* 2. etiam extra statum Ecclesiasticum, maximè vbi agitur de interpretatione litterarum Apostolicarum, vel statuti, à sede Apostolica confirmati, vt idem Farinac. docet. *ibid. decis.* 196. *num.* 2.

2

Differt verò Stylus à consuetudine; primò, quòd Stylus sit in scribendo; consuetudo in aliis actibus. Decius *cons.* 11. *num.* 11. Marsil. *cons.* 8. *num.* 27. Felin. *in c.* 2. *num.* 18 *de præscript.* Secundò, Stylus versatur circa modum procedendi in iudicio; & consuetudo circa definitionem, decisionémque causarum, Alexand. *cons.* 36. *n.* 9. *lib.* 2. Stylus est particularis; consuetudo generalis. Felin. *d. loco.* Denique Stylus tantùm introducitur ex actibus iudiciariis; consuetudo tam ex actibus extraiudiciariis, quàm iudiciariis.

3

Cæterùm quemadmodum allegans consuetudinem, probare eam debet, ita & allegans stylum alicuius curiæ, eum probare tenetur, & quidem in individuo & concludenter. Farinac. 2. *part. decis.* 486. *num.* 7. & *decis.* 301. *num.* 7. *vbi alios citat.* Quamquam, vbi respicit ordinatoria iudicij possit iudex se de illo extraiudicialiter informare, vt ibidem docet Farinac. *decis.* 725. *num.* 5. Alioquin Stylus contra ius, & respiciens decisoria, concludenter probari debet, non per simplicem fidem, vt idem docet 1. *part. dec.* 256. *n.* 5. nec per fidem extraiudicialem procuratorem, *decis.* 644. *num.* 4. Probatur verò ex assertione plurium notariorum & Causidicorum, & inspectione aliorum processuum, Farinac. 1. *part. decis.* 395. *num.* 2. Quod de Styli duplici acceptione diximus, idem dici potest de Ritu, qui videtur significare vsum & obseruantiam circa solemnitatem alicuius actus, aut ius quoddam non scriptum, ortum ex tali obseruantia solemnitatis circa tales aut tales actus.

4

TITVLVS V.

De Postulatione Prælatorum.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Quid sit Postulatio.*
3 *Qui postulandi.*
4 *Debet concors esse Postulatio & certa.* 5.
6 *Quale impedimentum esse debeat in postulando.*

1 HACTENVS egimus de iure scripto, eiusque principiis & partibus; & de iure non scripto, eiusque etiam partibus. Quia verò parum est iura concedere vel nosse, nisi sint, qui ea tueantur & obseruari curent, *l. 2. ff. de orig. iuris, cap. vbi periculum §. praterea de elect. in 6.* ideo de personis Ecclesiasticis, id est sacrorum canonum ministris, *distinct. 21. in princip.* earumque assumptione ad dignitates deinceps agendum est.

2 Tribus potissimùm modis contingit assumi aliquem ad dignitates Ecclesiasticas, Postulatione, electione, translatione. Postulatio, quamvis hæc in subsidium electionis sit introducta, vt si quis per canones eligi prohibeatur, saltem subsidio postulationis admittatur, hic præcedit, quia innititur gratiâ, iuxta *cap. bona memoria 23. in fine*; & Abbatem *in rubr. hoc tit.* Frustráque ageretur de electione eius, qui ob canonicum aliquod impedimentum eligi non potest.

3 Est autem postulatio (vt alias eius omittam significationes, & inter eas illam, quâ querelam denotat vel petitionem, quæ fit in iudicio aduersus aliquem (strictè sumpta, & prout ab electione distinguitur, concors certa, & supplex capituli vel aliorum petitio, apud superiorem facta, vt certa aliqua persona ad prælaturam promoueatur, ad quam, aliquod impedimentum vel defectum, iure eligi non potest, cùm tamen Ecclesiæ vtilis futura speretur: * veluti si agatur de Laico in Episcopum assumendo, *can. Osius dist. 61.* vel de eo, qui illegitimè natus est, *cap. innotuit. 20. inf. de elect.* vel ætate minor est, *cap. cum in cunctis, cap. [illegible] nobis 19. inf. eod.* vel in minoribus constitutus, *cap. Praterea, inf. de ætate & qualitate ordin.* vel si Episcopus aut Archiepiscopus vnius Ecclesiæ expetatur ab alia, *cap. vlt. iuncto cap. [illegible] memoria 3. h. t.* vel nondum religionem professus exposcatur Abbas, *cap. cum monasterium 13. inf. de elect.* Cùm enim hi eligi prohibeantur, postulari debent, *d. c. cum in cunctis.*

Dictum est, concors; quia Postulatio debet 4
à Collegio concorditer fieri, *d. bona memoria §. nos igitur, &c. vlt. h. t.* id est ab omnibus, vel saltem, vt vult Panormit. à maiore parte capituli seu collegij, id est, à non minori quam tertia parte, eáque saniori, *d. §. nos igitur, & arg. cap. 1. in fine & cap. vlt. inf. de his, quæ fiunt à maiori parte capituli, & colligitur ex cap. scriptum 40. inf. de elect.* Quòd si postulatio cum electione concurrat, necesse est, vt numerus postulantium duplo sit maior numero eligentium, alioqui electio præfertur, *d. cap. scriptum, & ibi late* Panormit. Cuius ratio est, quia postulatio nititur gratiâ, nec vllum ius postulato tribuit, qui aliquo defectu laborat, & quem proinde superior non cogitur admittere, *cap. Postulationem 5. hoc tit.* At verò electio iure utitur, quod difficilius expugnatur.

Dictum est, certa; quia incertis verbis po 5
stulatio facta est nulla: vt si dicatur, eligimus postulando, aut postulamus eligendo; vel aliis similibus modis, relatis *in cap. vnico eod. in 6.*

Dictum est, ob aliquod impedimentum, non 6
autem, ob delictum, quia qui crimine aliquo aspersus est, vel notatus, neque eligi neque postulari potest, *d. cap. vnic.* Debet quoque hoc impedimentum esse canonicum vt per superiorem tolli possit & si postulatus sit minor ætate, debet is attigisse 27. annum, *vnico hoc tit. in Extravag. Ioan. XXII.* Debet insuper attendi, ne in eiusmodi postulationibus dispensatio super talibus defectibus & canonicis impedimentis difficilis sit, & dura Ecclesiæ futura, quia de re vide Panorm. *ad cap. fin. circa finem h. t.* Hinc postulari non potest tanquam postulatione indignus, qui violauerit interdictum *cap. 1. hoc tit.* Debet etiam idoneus postulari; alioqui doctrinâ & moribus indignum scienter postulantes, pro ea vice amittunt ius postulandi: sicut & superior amittit potestatem alium postulatum admittendi, qui sciens postulatum indignum admisit, *cap. 1. & 2. eod. tit.* quia sic abutitur suâ potestate, *d. cap. scriptum in fine de electione.*

***

TITVLVS VI.

De Electione & electi potestate.

§. I.

Quid sit Electio, & quomodo distinguatur à postulatione.

1 *Quid significet Electio.*
2 *Sumitur generaliter & specialiter.*
3 *Definitio electionis.*
4 *Locum habet in dignitatibus Ecclesiasticis.*
5 *In quibus differat à postulatione.*

1 DE postulatione iam dictum est, qui est modus promouendi ad dignitatem Ecclesiasticam per viam gratiæ: sequitur de electione, qui modus est promovendi aliquem per viam iuris.* Tametsi autem electionis nomen ex vi sua denotet delectum rei alicuius vel personæ, è duabus vel pluribus, *cap. in causis 30. cum seq. hoc tit. cap. cum speciali 61. inf. de appellat. cap. in alternatiuis de reg. iuris in 6. l. plerumque 10. ff. de iure dotium, l. si quis stipulatus, ff. de verb. oblig.* tamen in hac materia restringitur ad personam, quatenus quis ad
2 certam Ecclesiæ functionem & dignitatem eligitur. Et hoc modo sumptum dupliciter capi potest: primò generaliter, vt non solùm electionem, specialiter sumptam, sed & postulationem, præsentationem Nominationem ac collationem comprehendat, quia in his omnibus eligenda est persona, beneficio idonea, quæ postuletur, præsentetur, nominetur, & cui conferatur beneficium: secundò specialiter;
3 & prout à reliquis distinguitur, * sicque est alicuius ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam vacantem canonicè facta vocatio, auctoritate superioris confirmanda, vt constat ex *cap. cum dilectus 32. cap. Nihil 44. h. t. gloss. in clement. Quia contingit in V. electionem eod. tit.*

4 Dictum, ad aliquam dignitatem; quia in simplicibus beneficiis electio, propriè dicta, locum non habet, * sed in dignitatibus & prælaturis Ecclesiasticis, maximè quæ iurisdictionem aliquam in Ecclesiasticas personas habent adiunctam: quæ ideo beneficia electiva dicuntur, nec ad alicuius dispositionem pertinere. Huiusmodi sunt Pontificatus, patriarcatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, omnesque collegiatarum Ecclesiarum præposituræ, nisi aliter ex fundatione, consuetudine, præscriptione legitima, aut priuilegio obtineat: in quibus electio potiùs obtinet, quàm collatio, vt is, qui præficiendus est, sit gratior clero ipsius Ecclesiæ, dum eius suffragiis eligitur. Et ideo si quis aliter, quàm per electionem totius collegij, ad dignitatem Ecclesiasticam aspiràuerit, veluti si fortè per collationem fuerit promotus, tanquam per cupiditatem & contra canonicæ regulæ disciplinam, expellendus est, *cap. 1. h. t.*

Licet igitur olim iura promiscuè vterentur verba postulationis & electionis, vt patet ex 5
can. statuimus dist. 61. & can. Litteras dist. 63. tamen plurimùm differunt: Nam, vt dictum est, postulatio est introducta in subsidium electionis, vt eius incapax promoueatur: nullum ius postulato tribuit, sed solâ gratiâ superioris nititur, qui eam admittere vel reiicere potest: & iure ordinario à solo Papa admitti potest, quippe qui solus canonica seu iuris communis impedimenta iure ordinario relaxare possit. Insuper qui eligi potest, postulari non potest, & contrà. At verò electio introducta est, vt capax promoveatur: iure nititur, nam tribuit electio ius ad rem, & per eam initiatur vinculum matrimonij, spiritualis inter ipsum & Ecclesiam, ad quam eligitur; confirmarique potest de iure communi ab alio, quàm à Papa. Et quando ad inferiorem spectat confirmatio, eam, si legitimè facta fuerit, confirmare debet: alioquin si distulerit, potest ei præfigi tempus, intra quod confirmet; & si intra illud non confirmauerit, confirmatio deuoluitur ad superiorem.

§. II.

Quando facienda sit electio.

1 *Electio non nisi mortuo & sepulto prælato facienda regulariter.*
2 *Quo loco conuenire electores debeant.*
3 *Conuocandi & citandi sunt omnes.*
4 *Per procuratorem electio quatenus fieri possit.*
5 *Electio, non secuto effectu, non euacuatur.*
9 *A sæculari facta electum inhabilem reddit.*

1 PRiusquam de electione prælati Ecclesiæ agatur, Ecclesia debet esse viduata suo pastore seu prælato, *cap. bonæ memoriæ 36. h. t. can. obeuntibus 35. dist. 63. can. Episcopo 3. in fin. 8. quæst. 1.*

quæst. 1. gloss. in can. Postquam 11. *dist.* 50. quandoquidem iusti possessoris beneficium alteri dari non possit, *cap. 2. & 3. infr. ff. de concessione prebendæ, cap. 1. & 3. eod. tit. in 6.* Nec ante sepulturam defuncti Prælati saltem ex honestate, fieri debet, aut de ea tractari: alioqui antè facta, nisi aliud obstet, non valebit, *d. cap. bona memoriæ 36. iuncta gloss.* & Panorm. *ibi. n.* 11. *can. Nullus 7. dist* 79. Mortuo * verò & sepulto prælato, debent electores, scilicet, qui sunt de collegio Ecclesiæ viduatæ, cui prælatus quæritur (nam ad hos iure decretalium spectat electio, *cap. 1. & cap. cum terra h.t.*) in capitulo conuenire: diem electionis statuere, eámque per litteras absentibus nuntiare: locum electioni commodum designare; qui locus plerumque est capitulum, *cap. in causis 30. h.t.* vel Ecclesia, *cap. Quod sicut 28. h.t.* Franc. Marc. 1. *part. quæst. 97.* vel Chorus Ecclesiæ, *c. cùm nobis olim 19. h.t.* vel alius honestus & decens, secundum consuetudinem, modò non sit clandestinus: nam clandestinas electiones reprobat Pontifex in *c. Quia propter 41. §. electiones h. tit.* 3 Quòd si non possit conueniri inter canonicos de loco, is per sortem eligi potest: licèt electio per sortem fieri nequeat. Steph. Gratianus *disceptat. forens. cap. 655. num. 43. vbi alios citat.* Oportet autem omnes, qui ius eligendi habent, sive de iure communi sive ex privilegio vel pacto, sive ex præscriptione, quæ ius eligendi tribuit, *secundum gloss. & alios in cap. cumana 50 h. t.* nisi ius repugnet (hinc enim laicis nequidem ex consuetudine vel præscriptione potestas eligendi permitti potest, *Messana 56. h.t.* vocari & citari legitimè, vt electioni interfint, modò sint in provincia, *cap. cùm 18. & ibi gloss. in V. remoti, c. Coram 15. & ibi gloss. c. in Genesi 55. h.t.* seu in loco, ex quo euocari debeant, *cap. Quia propter 42. §. illud h. tit.* & modò sine periculo Ecclesiæ vocari & exspectari possint: *cap. Quod sicut* X *h. t.* alioqui si aliquis eorum præteritus fuerit, poterit is, ob sui contemptum, agere, & electionem, etiam confirmatam; infirmare, *cap. bona memoria 36. h. t.* nisi malit electioni aliorum accedere, eámque ratam habere, prout potest etiam ex post facto, *cap. Quod sicut 28. & ibi* Abb. *h. t.* vel consuetudine obtineat, quod absentes non vocentur. Quòd si quis vocatus & citatus legitimè, ob iustum impedimentum interesse nequeat electioni, super quo, si opus fuerit, in iuramento suo fidem faciet dicto, *d. cap. Quia propter. §. illud.* Licet possit per litteras suffragium suum ferre, quia non ante electionem, sed in electione, secretè & sigillatim singulorum vota expromenda sunt, *cap. Si quis iusto, §. absens eod. in 6.* * potest tamen per procuratorem, 4
sive plures, dummodò ex collegio assumantur, *d. §. illud* Et si plures procuratores constituti fuerint, non aliter admittentur, quàm si singuli in solidum constituti sint, cum potestate iurandi in animam suam, quod constituens tali impedimento detineatur, *gloss. in d. Si quis iusto in V. detentus*, & erit tunc, quia omnes vocari possunt, ne in diversos vota dirigant, melior conditio præoccupantis, *d. cap. Si quis iusto in princ.* Nullo præoccupante, sed vtroque, vel omnibus simul concurrentibus, ne in diversos vota dirigant, is solus admittetur, quem collegium vel maior pars elegerit, *d. cap. Si quis iusto, §. verum.* Dissentientibus verò canonicis circa admittendum, is admittetur qui primus in instrumento procuratorio nominatus fuerit, *d. §. verum.* Quòd si vnum dumtaxat procuratorem constituerit, necesse est, vt procurator certâ personâ expressè designet, & suo & domini mandantis nomine, vt eandem, non verò diversas, nominet in scrutinio; nisi de certa persona eligenda mandatum speciale habeat: nam tum illam nomine procuratorio nominare debet, & suo nomine aliam eligere potest, si videatur magis idonea, *d. cap. Si quis, §. porro.* Quòd si nullus è collegio velit esse procurator, tum receptum est, vt possit permittente, non tamen reclamante aut dissentiente capitulo, constituere extraneum, *d. cap. Si quis, §. absens, ibidemque gloss. in V. nolente.* Necesse quoque est, vt procurator constitutus sit saltem Subdiaconus, vt colligitur ex *Clement. Vt ij qui de ætate & qualitate*, &c. Nemo autem inuitus electioni interesse cogitur, *d. cap. Quia propter*, in verbo *nolunt &* Abb. *ibid. cap. Quod sicut. 20. hoc tit.* potest enim quis iuri suo cedere, *l. Si quis in conscribendo 29. C. de pactis.*

Quòd si vocati fuerint non vocandi, valet 5
electio iis non exspectatis, *cap. cum inter 11. hoc tit.* Neque habens facultatem eligendi, præsentandi, aut nominandi, illam abdicat à se, si electio, præsentatio, nominatio, non sortiatur effectum, quia nunquam in vllis dispositionibus censetur consumpta facultas, quando non est secutus effectus, Steph. Gratian. *disceptat. forens. cap. 746. n. 13. & seq. tom. 4.*

Denique si quis electioni per abusum 6
sæcularis potestatis de se factæ consenserit, is carere debet commodo electionis ? fitque inhabilis, ita vt absque dispensatione ad aliam dignitatem eligi non possit, *cap. Quisquis 43. h. t. cap. 1. eod. t. in 4. compilat.* Et huiusmodi electionem, quæ nulla est, celebrare præsumentes

præsumentes à beneficiis per triennium suspenduntur, privatique sunt potestate eligendi.

§. III.

Intra quod tempus fieri debeat Electio.

1 *Intra tres menses facienda Electio.*
2 *Aliàs ad proximum superiorem, devoluitur ius eligendi.*
3 *Ab exemptis ad summum Pontificem.*

1 IN Ecclesiis Cathedralibus sive Episcopalibus ac regularibus, id est Collegiatis quibuscumque, fieri electio debet intra tres menses, nisi iustum subsit impedimentum, quod tollere electores non possint, *c. Ne pro defectu 41. h.t. can. Postquam 11. dist. 50. can. Obeuntibus distinct. 63.* Et incipiunt computari dies, non à die vacationis, sed à die, quâ Canonicis, vel aliis de Collegio, innotuerit vacatio Ecclesiæ, *d. cap. Ne pro defectu tunctio Innoc. & aliis h.t.*

2 Canonicis verò, vel aliis, intra hoc tempus electionem negligentibus, ius eligendi devoluitur ad proximum superiorem *d. cap. Ne pro defectu*: licet olim devolueretur ad Romanum Pontificem, *cap. Dilectus inf. de concess. prabenda*: qui superior tenetur intra tres alios menses Prælatum eligere ex ipsa Ecclesia vacante, si in ea dignum inveniat; alioqui ex alia, *d. c. Ne pro defectu.* Eoque negligente devoluitur electio ad alium superiorem; & sic gradatim vsque ad Papam, *d. cap. Ne pro defectu.* 3 * Ad quem statim ius eligendi devoluitur, quando Canonici, negligentes electionem ab Archiepiscopali iurisdictione sunt exempti, ac summo Pontifici immediatè subiecti, *cap. Licet inf. de supplenda neglig. Prælatorum.* Idem obtinet in Præfecturis, atque aliis dignitatibus regularibus exemptis, per electionem dari consuetis, *Clement. 1. de supplenda neglig. Prælat. c. Cum singula in fine de præben. in 6.* Potest tamen consuetudine induci, vt vna Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere, *cap. Cum dilectus 32. h.t.* Quando verò omnes, penes quos electio est sunt negligentes, sed maior pars Capituli negligit electionem, vel non vult eligere aut renuntiat electioni, vel quando qui aliàs eligendi ius habent, sunt absentes in loco, vnde vocari eos oportet, tunc ius eligendi devoluitur ad minorem partem, illóive, qui præsentes & habiles fuerint ad eligendum, quia tales non reputantur de Capitulo, iurisque fictione totum Capitulum repræsentatur in minore parte, vel etiam vno, Abbas *in c. Congregato 53. n. 3. & 4. h.t. & in c. Gratiam n. 5. 8. & 9. sup. de postulat. Prælat.*

§. IV.

De forma & modo Electionis.

1 *Forma Electionis triplex.*
2 *Electio per scrutinium.*
3 *Qua dicatur maior & sanior pars*
4 *Electio per compromissum.*
5 *Per quasi inspirationem diuinam.*
6 *An hac forma etiam in Prælatis, Episcopis inferioribus locum habeat.*

FOrmam Electionis triplicem tradit Innocentius *in cap. Quia propter 42. h.tit.* nempe per scrutinium, per compromissum, & quasi per inspirationem divinam: & aliter facta electio non valet; & contra facientes privandi sunt eâ vice potestate eligendi, *d. c. Quia propter, cap. Cumana 50. in fine & ibi Glos. hoc tit.* 1

Per scrutinium fit electio, quando vocatis seu requisitis ac præsentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, tres de Collegio eligentium ad hoc collegialiter congregato, fide digni eliguntur, qui præsentium vota secretò & sigillatim diligenter excipiant, eáque certa, pura, nullâque adiectâ conditione, vel alternatione, *cap. 2 eod. in 6. d. c. Quia propter & c. Cum terra 14. h.t.* deinde votis in scripturam redactis mox scrutinium publicent in communi seu in præsentia Capituli: vt ex suffragiorum collatione is unus habeatur pro legitimè & Canonicè electo, in quem omnes, vel maior & sanior pars consenserint, *d. c. Quia propter & alias hoc tit.* Nam electio per minorem partem Capituli facta non tenet, neque ratificari per subsequentem consensum potest, *c. Auditis 19. hoc tit.* Publicatione autem factâ nullius suffragij mutatio admittitur, *c. Publicato 58. hoc tit.* 2

Dixi, maior & sanior pars; quia non sufficit maior, nisi etiam sit sanior, *d. c. Quia propter.* Maior pars est, vbi est maior eligentium numerus: sanior verò pars spectatur ex auctoritate & zelo eligentium, atque electi meritis. Hinc si in Ecclesia Cathedrali sint octodecim Canonici; & duodecim Titium elegerint,

rint, sex Sempronium, qui tamen sint sanioris iudicij, neutra electio subsistet, quia in vtraque alterum desideratur, *c. Ecclesia vestra 57. h.t.* nisi numerus eligentium alterius partis alteram in duplum excesserit: nam eo casu nulla habebitur ratio illius partis, licet sanioris; nisi quòd ipsi maneat saluum ius expugnandi aliorum vota ex alio capite, veluti quia sint excommunicati maiori excommunicatione, suspensi per sententiam ab officio, irregulares, *c. Si quando & ibi Glos. eod. in 6.* non quidem, vt minuant seu attenuent aliorum vota, sed vt ea reddant nulla, *Gloss. ibid.* Quòd si verò maior pars scienter indignum elegerit, valet electio de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta, *c. Dudum 21. c. Congregato 53. h.t.*

4 Per compromissum fit electio, quando, ij, quorum est eligere, compromittunt in unum, *c. Si compromissarius h.t. in 6. c. Post translationem inf. de renuntiat.* vel plures idoneos, *d.c. Si compromissarius & ibi Glos. in V. transtulerunt, c. Cùm in veteri 52. h.t.* eiusdem vel alterius collegij, qui vice omnium eligant & Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore. Atque in eum, quem illi elegerint, omnes consentire, & si idoneus sit, recipere tenentur, *d.c. Quia propter, iuncto c. Causam quæ 8. & aliis h.t.* nisi appareat contra formam compromissi electum esse, *c. Cùm electus 32. eod.* Dixi, in unum vel plures; quia sufficit in unum compromittere, *d.c. Si compromissarius eod. in 6.* Imò subindè expedit, ob hominum ad dissentiendum naturalem facilitatem. Tametsi autem in aliis Collegij negotiis explicandis sufficiat consensus maioris partis: tamen in compromittendo omnium consensus exigitur; adeò ut unius dissensus compromissum impediat, *d.c. Quia propter*, ibi: *qui vice omnium, & ibi* Panormit. quia interest singulorum, ne priventur voce suâ. Deinde cùm compromissum sit voluntarium, recipi ab omnibus debet, iuxta *cap. Quod omnes de reg. iuris in 6.* Neque tenentur compromissarij seruare aliquam formam in electione per eos facienda, *arg. d.c. Quia propter ibi, vel saltem & ibi* Abbas; quia forma compromissi est subsidiaria. Quòd si compromissum simul concurrat cum scrutinio, & permixtim exerceatur, veluti si compromittatur, vt compromissarij, sive unus sive plures, secretò & sigillatim vota exquirant, illúmque eligant, in quem maior & sanior pars Collegij consenserit, tunc ea, quæ in scrutinio necessariò obseruanda sunt, etiam in hac specie adhibenda erunt, *c. Cùm dilectum 32. vers. Verum B. h.t. c. Si cui 23. & c. Cùm expediat 29. eod. in 6.* Factâ verò electione, electores in præiudicium electi compromittere non possunt.

Per quasi inspirationem divinam, seu viam Spiritus sancti, dicitur fieri electio, quando 5 ab omnibus unanimiter, & veluti conspirante consensu, quasi per inspirationem divinam, unus eligitur sine vitio, *d.c. Quia propter.*

Etsi autem non desint, qui velint hanc formam electionis, ab Innocentio præscriptam, etiam in aliis Episcopo inferioribus Prælatis seruari debere: verius tamen est contrarium, cùm id iure cautum non sit, præterquam in Prælatis Ecclesiarum Regularium: ad quas eadem forma rectè producitur ex Innocentio in *d. c. Quia propter in V. Ecclesia viduata.* Verùm hanc controuersiam quoad Regulares sustulit nobis Conc. Trid. *Sess. 25. c. 6. de Regularibus:* vbi & de electione Abbatissæ aut Prioritiæ aut cuiusvis alterius nominis Præfectæ seu Præpositæ *vide* plenius.

§. V.

Quinam eligere vel eligi prohibeantur.

1 *Eligendi ius non habent laici, impuberes, &c.*

2 *Non potest quis seipsum eligere aut præsentare.*

3 *Enumerantur, qui eligi non possint.*

IN primis ius eligendi non cadit in Laicum, 1 nequidem ex consuetudine vel præscriptione, *c. Missana 56. h.t.* Et ideò ad clamorem populi facta electio non debet per superiorem confirmari, *c. Ofsius 2. eod.* quamvis patroni circa electionem iam factam meritò postuletur assensus, *c. Cum terra 14. in fine eod. titulo.* Alioqui nequidem per compositionem, cum Prælato & Capitulo factam, potest ei ius eligendi competere in collegiata Ecclesia, *c. Sacrosancta 51. eod.*

Item Impuberes ius eligendi non habent, nec sacris Ordinibus non initiati: vt neque suspensi ab homine seu per sententiam Iudicis; secùs de suspensis per Canonem: non excommunicati maiori excommunicatione: non irregulares, de quibus *in c. Is cui de sent. excommunicat. in 6.* Dependet enim ius dandi suffragij ab ordine & beneficio. Felin. *ad cap. Apostolica sub num. 16. vers. dum autem dicitur inf. de except.*

Non

2 Non potest etiam quis seipsum eligere *c. fin. sup. de constitut.* sicut nec præsentare; quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio. Nec obstat *c. Cum in iure 33. h.t.* vbi si ex compromissariis tres eligant quartum, quartus electus consentiendo electioni de se factæ, à media parte eligentium auget numerum, & electionem perficit: quia id obtinet, quando proceditur per modum compromissi, secus, dum per modum scrutinij vel quasi inspirationis divinæ.

3 Similiter non omnes eligi possunt: vt in primis Laici, *can. 1. dist. 61.* nisi ex causâ, *can. Statuimus §. 1. d. dist.* non excommunicati maiori vel minori excommunicatione: non suspensi, *c. Per inquisitionem 26. h.t. & cap. Cum dilectus 8. sup. ff. consuetudine*: non interdicti, vel impedimento aut vitio corporis affecti, quo nequeant ministerio inservire: non reprehensibilis: non curialis: non neophytus in fide, id est qui nuper fidem Christianam amplexus est, ne in superbiam erigatur: non qui morbo contagioso vel incurabili laborat: non irregularis: non schismaticus, etiamsi ad vnionem Ecclesiæ sit reversus; licet ex dispensatione possit confirmari, *c. Quia diligentia 5. h.t.* Non Simoniacus, publicus Aleator, Sacrilegus, Vsurarius: non illegitimus; talémque eligentes, nisi probaverint se ignorantes elegisse, incidunt in pœnas Concilij Lateranensis, *c. Innotuit 20. h.t.* Non denique alio aliquo crimine notatus, ex iis, quæ enumerantur *in can. Qui in aliquo dist. 51.* Licet autem in Abbatem vel Priorem Regularem eligi nequeat novitius, non professus Regulam, *can. Presbyteros 16. cap. Cùm causam 27. & c. Cum in magistratum 49. h.t.* in Episcopum tamen eligi potest *cap. Nullus 28. h.t. in 6.* In Prælatum verò Regularem non potest eligi non Monachus, *c. Cum ad nostram 37. h.t.* sicut nec in Abbatem non instructus in Regula Monachali, *c. Officij 38. h.t.* Habens etiam plures dignitates vel beneficia curata, sine dispensatione eligi non Potest, *c. Dudum 54. h.t.* Quod si verò electio alicuius cassata fuerit non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest: secus si vitio personæ, *Super eo 12. huc tit.*

§ VI.

Qualis debeat esse seu eligi Episcopus.

1 *Debet in primis esse iusta ætatis, probatæ vitæ & scientiæ.*
2 *Quænam requiruntur scientia.*
3 *Pœna, eligentium indignum.*

ELigendus in Episcopum debet esse legitimè natus, trigesimum annum ætatis excessisse; probatæ vitæ & scientiæ, *cap. Cùm in cunctis 7. & c. Innotuit 20. h.t.* & aliis qualitatibus præditus, quia iuxta sacros Canones, *can. Qui Episcopus dist. 23.* (vbi plurimæ referuntur) & Conc. Trid. decreta requiruntur, Conc. Trid. *Sess. 24. c. 1. de reform. & Sess. 7. c. 1. de reform.* ac insuper in ordine Subdiaconatus, & quidem sex mensium spatio ante electionem, Conc. Trid. *Sess. 22. c. 2. de reformat.* * Vbi latiùs vide, quæ & quanta in eligendo scientia requiratur, sicut & *can. Qui Episcopus dist. 23. can. Qui Ecclesiasticis §. ecce dist. 36. can. Omnes dist. 38.* Debet autem in genere esse talis & tantæ, vt muneris sibi iniungendi necessitati satisfacere possit. 1 2

Debent verò electores, quantum in se est, adniti, vt semper dignissimi eligantur, iuxta communem sententiam, tam Theologorum quàm Canonistarum, de qua vide Covarr. *ad reg. Peccatum p. 2. §. 7. num. 4.* nam aliàs totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Conc. Trid. *d. Sess. 24. cap. 1.* Eligentes scienter indignum, pro prima vice sunt ipso iure privati potestate eligendi, *c. Cum Vvintoniensis 25. h.t.* & ab Ecclesiasticis beneficiis obtentis in illa Ecclesia, ad quam fuit facta electio, per triennium suspensi. Nec possunt interim ad aliquam dignitatem in eadem Ecclesia, secus in alia, eligi vel assumi, *c. Cum in cunctu iuncto c. Per inquisitionem 26. h.t.* defectumque Capituli supplet Episcopus, *d. c. Cum in cunctu, §. Cleri sanè.* 3

§. VII.

De Confirmatione Electi.

1. & 2. *Qui & à quibus confirmandi.*
3 *Pœna ingerentium se administrationi Ecclesiæ omissâ confirmatione.*
4 *Ordo petendæ confirmationis.*
5 *Quid observare debeat, cui ius est confirmandi.*
6 *Ante confirmationem citandi contradictores.*
7 *Confirmati potestas ante consecrationem.*

ELectione Canonicè peractâ & publicatâ, priusquam electus Ecclesiæ administrationi se

se immiscеat, necessariò confirmari debet, *c. Postquam 3. h.t.* à suo scilicet superiori, cui subiicitur: vt Abbas, aliique inferiores, ab Episcopo: nisi probent exemptionem, *c. Cum monasterium 13. h.t.* Innoc. *in c. In singulis n. 3. inf. de statu Monach.* Put. *decis. 39. de prabendis*: & iure communi antiquo Episcopus à suo Archiepiscopo, *c. Cùm dilectus 32. h.t.* Archiepiscopus à suo Patriarcha vel Primate, *can. Metropolitanus antiquus. distinct. 65.* Patriarcha à summo Pontifice, *cap. Scripium. 40. h.t.* vel Legato in provincia; sicut & quilibet immediatè subiecti summo Pontifici, vel quorum Confirmationem singulari iure Pontifex sibi reservavit: prout sibi reservavit confirmationem Episcoporum Germaniæ, vigore Concordatorum, *c. Nihil 44. §. caterum hoc tit.*

2 Hodie verò, postquam Romani Pontifices per secundam Regulam Cancellariæ sibi generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales & Episcopales, reservarunt, omnium horum confirmatio vel institutio ab ipso summo Pontifice petenda est; sive electi fuerint, vbi adhuc viget mos eligendi; sive nominati & designati ex privilegio à Principibus, Regibus, Imperatoribus, vel aliis Patronis.

3 Quòd si, omissa confirmatione, electus, per se vel per alium, in totum vel partem, sub quocumque colore vel prætextu, id est, sive titulo electionis, sive titulo procuratoris vel œconomi, administrationi Ecclesiæ se ingesserit, ipso iure privatur iure sibi per electionem quæsito, *cap. Nosti 9. c. Qualiter 17. h.t. c. Avaritiæ, eod. in 6.* quia non debet ipse sibi honorem assumere, sed vocari tanquam Aaron, *d. c. Qualiter.* Et quia eo casu cassatur electio, vitio personæ, non autem electionis, redditur quoque intelligibilis, & inhabilis ad eandem aut aliam Ecclesiam, secundùm, *c. Super eo 12. h.t.* Abb. *in d. c. Qualiter num. 8.* Eáque pœna obtinet in quocumque electo ad cathedralem Ecclesiam, & ad aliud quodcumque beneficium electiuum, Franc. *in d. c. Avaritiæ, num. 2.* Crescent. *decis. 6. num. 11. & 12. de iure patron.* Nec potest recipi ab Ecclesia, recipientésque ipso iure privantur potestate eligendi pro ea vice, Gloss. *in c. Bona memoria 23. in V. licentiam h.t. c. quanto & ibi Gloss. in V. suspendimus inf. de transl. Episcop.* & manent suspensi à suorum beneficiorum perceptione, donec Sedis Apostolicæ meruerint gratiam obtinere, *Extravag. 1. h.t in Com.* Excipiuntur tamen ij, qui extra Italiam in concordia e.. Sti, à summo Pontifice confirmandi sunt: quibus ob Ecclesiarum necessitatem & vtilitatem facta est potestas administrandi Ecclesiam, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus; sic tamen, vt de rebus Ecclesiasticis nihil penitùs alienent, *d. cap. Nihil §. caterum h.t.* Quod à Bonifacio VIII. ad Abbatissas certo modo porrectum est, *c. Indemnitatibus, §. si verò & §. caterum eod. in 6.* Excusantur etiam à dicta pœna, si administraverint de licentia legitimi superioris, Gloss. *in d. c. Avaritiæ V. procurationu & ibid.* Archid. vel electo competierit, ex privilegio vel consuetudine, administratio Ecclesiæ vacantis, Ioan. Andr. *in d. c. Avaritiæ & ibi* Franc. *sub num. 2. circa finem, vers. in eadem:* & Gloss. ibidem ponit sex casus, in quibus electo concessa est administratio. Non sufficit etiam, ad prædictam pœnam incurrendam, accepisse possessionem ante confirmationem, vel constitutum esse œconomum vel procuratorem: sed probanda est administratio de facto in spiritualibus vel temporalibus, vt tradit Glossa *in d. c. Avaritiæ 5. in V. eo ipso, & ibid.* Franc. *n. 5.*

Dixi antè, electione Canonicè peractâ; quia nullus nisi Canonicè electus confirmandus est, *can. Nullus dist. 62. & ibi* Archid. & Geminianus. Quòd si verò quis non Canonicè electus, confirmatus fuerit, an gesta per eum valeant, vide Panor. *in d. c. Nullus h.t.*

Ordo petendæ confirmationis hic præscribitur *in c. Quam sit eod. in 6.* vt in primis, electione peractâ, electores, quàm citiùs commodè possunt, eam præsentent electo. Et quamvis, si in eo culpabiles extiterint, non præiudicent electo, Monach. *in c. Quam sit 6. num. 4. h.t. in 6. & ibi* Gloss. *in V. commodè*: tamen ipsi quoad se, totaliter excluduntur à prosecutione electionis, & suspenduntur per triennium continuum ab omnibus beneficiis, quæ in Ecclesia, de cuius electione agitur, obtinent; ad quæ si intra illud tempus se propriâ authoritate, vel alio quæsito colore, ingesserint, illis ipso iure perpetuò sunt privati, *c. Cupientes, §. caterum, eod. in 6.* Indè electus, à die nuntiatæ ac præsentatæ electionis, intra mensem electioni de se factæ consentire, & eam acceptare, cessante iusto impedimento, tenetur, sub pœna excidendi iure, sibi per electionem quæsito. Postquam verò electioni de se celebratæ consensit, & eam acceptavit, tunc intra tres alios menses sequentes confirmationem petere tenetur, cessante iusto impedimento, sub simili pœnâ privationis iuris, sibi per electionem competentis, electione revertente ad eligentes: *d. c. Quam sit fin. c. Si electio 26. h.t. in 6.* 4

&

& ibi Monach. quamvis non teneatur eam obtinere, quia sæpè plus temporis labitur, priusquam cum Camera Apostolica super annatis componatur. Impedito autem, accusato, denuntiato, inquisito, tempus non currit. Mald. *de Iust. & iure & relig. t. 9. c. 2. dub.* 10. Hoc tamen trimestre petendæ confirmationis postmodum Nicolaus III. immutauit in electione ad Cathedrales & Regulares Ecclesias, quarum confirmatio ad summum Pontificem spectat, vel interiectâ appellatione; devoluitur; vt scilicet intra vnum mensem post consensum vel notitiam electionis ipsemet electus per se, vel si legitimè sit impeditus, per procuratorem ad Sedem Apostolicam iter arripiat, & ad illud conficiendum tantum temporis sumat, quantum necesse fuerit pro locorum intervallo, *d. c. Cupientes iuncto c. postquam eod. in* 6. vbi pleraque alia ab eo adiecta videre licet.

5 Cavere autem diligenter debet is, ad quem ius confirmandi spectat, ne præcipitanter confirmet; sed ante omnia diligenter inquirat & explorat de persona electi, in loco, vbi natus, & diutiùs fuerit conversatus, *cap. Scriptum* 40. *h. t.* eiusque sufficientia, vita, moribus, atque aliis qualitatibus, *c. Nihil* 44. *h. t. c. fin. eod. in* 6. & similiter de qualitatibus contradicentium in eadem plebe, cui ordinandus est, *can. Illud distinct.* 23. déque ipsa electione, vel electionis actu seu processu; idque vel in iudicio inter partes, si quis contradictor fuerit, & compareat, vel ex mero suo officio, si non fuerit contradictor, etiamsi nihil electo obiiciatur, *c. Cum nobis olim* 19. *h. t.* vt tunc demum, si ritè omnia confecta viderit, cõfirmationis munus electo impendat, *d. c. Nihil, d. c. Cùm nobis h. t.* Alioquin si per negligentiam confirmet indignum, ipso iure perdit potestatem confirmandi primum eius successorem, & à perceptione fructuum proprij à suo superiore sine prævia monitione per sententiam suspenditur, *d. c. Nihil & ibi Gloss. in V. suspendatur*, quoysque eius indulgentiam mereatur promereri. Si verò per malitiam convictus fuerit in hoc excessisse, graviori subiacebit, vltioni, arbitrio superioris, *d. cap. Nihil, can. Si qui sine & ibi Gloss. can. Quicumque* 5. *distinct.* 81. imponetúrque pœna dispositionis, *can. Tantus* 3. *eod. distinct.* & promotus deiicitur, *d. c. Nihil.* Vide quæ de examine promovendorum ad Cathedrales Ecclesias, quoad natales, sufficientiam, mores, vitam, doctrinam, ætatem, & alia à sacris Canonibus requisita, faciendo, & ad Pontificem transmittendo, statuit Conc. Trid. *Sess. 2. cap. 2. & Sess. 24. cap. 1. de reformat.* cuius ordinationem postmodum renovavit; & in multis ampliavit Gregorius XIII. vt videre licet in eius Bulla, quam refert Piasec. *in Praxi sua Episcop. in proœm. de Electione n. 2.*

Quòd si electus coëlectum, vel alium suæ 6
electionis adversarium, habeat, is ante confirmationem omninò citandus erit: alias verò, vbi concors fuerit electio, aut nullus nominatim se opponit electioni, generale & peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua celebrata est electio, quo contradictores, si qui sint, moneantur, & evocantur, vt statuto die & loco confirmationis faciendæ veniant, causas improbandæ electionis & impediendæ confirmationis dicturi: alioqui, prætermissâ hac observatione, confirmatio nullius erit momenti, *cap. fin. eod. in* 6.

Cæterùm Canonicè confirmatus Episcopus, ante consecrationem consequitur ius in re, Gloss. *in c. Cùm venissent in V. enunciavit inf. de integ. restitut. iuncto, cap.* 2. §. *sicut inf. de transiat. & ibi* Gloss. *in V. confirmatus, ac vtrobique* DD. Rota *decis.* 6. *hoc titul. in novis*, & ex iure communi potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis vel dignitatis Episcopalis, vti excommunicare, corrigere, iuramenta à Vassallis recipere, beneficia conferre, instituere, causas matrimoniales cognoscere, indulgentias concedere, & alia similia, notata *in cap. Accedentibus inf. de excessib. Prælat. & ibidem.* Panormit. *num.* 4. Non etiam ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, veluti Ordines conferre, *cap. Nostri* 9. *& aliis hoc tit.* sicut nec ea, quæ competunt Episcopo ex privilegio: qualia habentur *in cap. vlt. de pœnit. & remiss. cap. quod nonnullis de privileg. & c. vlt. eod. tit. in* 6. vel ex delegatione. Felin. *in c. Eam te à num.* 17. *sup. de rescript.* Piasec. *in Proœm. de elect. sub num.* 19. Nec isto iure requiritur, vt Episcopus confirmatus adeptus sit possessionem sive installationem vel investituram: Panormit. *in cap. transmissam* 15. *num.* 3. *hoc tit.* Felin. *in cap. Ne Dei timorem num.* 2. *& seq. inf. de Simonia*, Rota *decis.* 182 *num.* 3. 5. *& 6. p.* 2. ad plenam scilicet administrandi potestatem, nisi alicubi contrarium consuetudine fuerit receptum, vel alius sit in possessione, quia tunc requiritur, vt inducatur in possessionem per iudicem, etiamsi adversarius iniustè possideat, Panormit. *in d. cap. Transmissam num.* 3. Franc. Marc. *quæst.* 49. *p.* 1. Iure novo *in Extravag. Iniuncta de elect. in Extravag. communibus*, opus est, vt Episcopus, si velit

exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, post confirmationem suam, obtineat literas Apostolicas: alioqui nec admitti nec recipi tanquam Episcopus, nec possessionm Ecclesiæ sibi collatæ consequi potest. Latè Garz. *de Beneficiis p. 5. cap. 4. §. 3. num. 242. & seqq.* quam Extravagantem postea Iulius III. renovavit & ampliavit Constitutione suâ, incip. *Sanctissimus in Christo Pater.* ann. 1553. die 17. Maij relata per Piasec. *in Praxi Episcopali d. loco:* vbi vide, quomodo soleat prospici, ne Ecclesia vacans ob moram intercurrentem in expeditione Bullarum aliquid patiatur

§. III.

De Consecratione Episcopi.

1 *Consecratio à confirmatione intra menses tres petenda.*
2.3. *A quibus fieri debeat, & qua die.*
4 *Forma Consecrationis.*
5 *Effectus eiusdem.*
6 *Electionis hodie exiguum esse vsum in Belgio.*

EPiscopi electionem & confirmationem sequitur Consecratio, per quam matrimonium cum Ecclesia consummari dicitur, *c. 2. & cap. vlt. inf. de transl. Episc.* & ante quam non dicitur, quis Episcopus, sed Electus tantùm, *c. Nostri 9. hoc tit. & c. Tua 8. inf. de his, quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.* Et vltra tres menses à confirmatione, cessante legitimo impedimento, protrahi non debet, vt colligitur ex *can. Quoniam distinct. 75.* & novissimè ex Conc. Trid. *Sess. 23. c. 2. de reformat.* vbi pœnam statuit, vt si intra très menses consecratio non suscipiatur, promotus teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem sin intra totidem menses postea eam petere & procurare neglexerit, ipso iure sit privatus Ecclesiâ suâ Idem Conc. *Sess. 7. cap. 9.* decrevit, vt prorogationes de non celebranda consecratione vltra sex menses concessæ nulli suffragentur.

2 Consecrandus est Episcopus ex Apostolorum constitutione à tribus vt minimum eiusdem Provinciæ Episcopis, cæteris assensum præbentibus, & accedente de iure communi iussu Archiepiscopi, *cap. Si Archiepiscopus 6. inf. de temporib. ordinat. & c. Quod sedem 10. inf. de officio iud. ordin.* Quamquam melius foret, si ipsemet Archiepiscopus vna cum Suffraganeis hoc munus consecrationis obiret, *d. c. cum c. sequent.* vti olim fieri consuevit, vt patet ex *can. Episcopi & aliis dist. 64.* Ipse verò Metropolitanus nonnisi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus, Episcopus autem comprovincialis ibi consecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit, *can. vlt. circa fin. dist. 51.* Ex decreto Concil. Trid. celebrari consecratio debet, si extra Curiam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commodè fieri possit.

3 Congregatis autem eiusdem Provinciæ Episcopis, fieri debet consecratio, die Dominicâ, & horâ tertiâ lucis; scilicet secundùm Canones, *can. Ordinationes Episcoporum 1. & can. Quod die 5. dist. 75.* quia Episcopi vicem obtinent Apostolorum, quibus in die Pentecostes horâ tertiâ Spiritus sanctus datus est: & præmisso scrutinio cum precibus, *d. can. Ordinationes.* Scrutinium verò si de examen ordinandi in Episcopum fieri debet secundùm ea, quæ habentur *in can. Qui Episcopus 3. dist. 23.*

4 In ipsa consecratione peragenda Episcopi duo ponunt & tenent codicem Evangeliorum super caput & cervicem eius, qui consecratur, *d. can. Ordinationes:* vnoque super eo fundente benedictionem, reliqui omnes, Episcopi præsentes manibus suis caput eius tangunt, *c. Episcopus distinct. 25.* illúdque vna manibus inungunt sacro chrismate: quod ex oleo, nitorem seu puritatem conscientiæ, & ex balsamo, odorem seu integritatem famæ significante, conficitur. Vide plenius *infr. tit. de sacra Vnctione*; sicut & de aliis cæremoniis ministeriorum, quæ adhiberi solent, in Pontificali Romano.

Postremò Episcopus consecratus Ecclesiæ Romanæ & eius Pontificibus, fidelitatis iuramentum præstat, iuxta formam præscriptam *in c. Ego N. Episcopus inf. de iureiurando.*

Peractáque consecratione, aut elapso termino consecrationi præstituto, omnia beneficia Ecclesiastica, si quæ habet, ipso iure vacant, liberéque ab eo, ad quem provisio spectat, conferri possunt, *c. Cum in cunctu 7. §. cum verò h. t.* si modo habuerit possessionem, vel per eum steterit, quò minùs habuerit: nam ad vacationem vtrumque requiritur, & consecratio & adepta possessio, *can. Si quis Episcopi dist. 92.* Innocent. *in d. cap. Cum in cunctu*, Ioan. Staphil. *de vacat. per promotionem, num. 2.* Antea verò non vacant, quandoquidem consecratio ex causa reiici possit à superiore, *cap. Super hu inf. de accusationibus.* Gloss. *ad dictum, §. cùm verò:* imò nec vacant, lapsis tribus mensibus, nisi habuerit administrationem

nem bonorum, Innocent. *dict. loco.*

6 Denique, vt illud quoque breviter hîc moneam, hodie exiguus vſus electionis: partim quia omnes Eccleſiæ Cathedrales & Metropolitanæ reſervatæ ſunt diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ per ſecundam Regulam Cancellariæ; partim quia in pleriſque Regnis, & præſertim in hoc Belgio; Principes ex indulto Pontificis nominant perſonas ſibi probatas, non tantùm ad Epiſcopatus, ſed etiam ad omnes primas dignitates, ſæculares & regulares: & ſuper huiuſmodi perſonis nominatis Capitulum fingit electionis ſuæ proceſſum.

TITVLVS VII.

De Tranſlatione Epiſcoporum.

1 *Quid ſit Tranſlatio.*
2 *Cur propria auctoritate fieri nequeat.*
3 *Ex quibus cauſis fiat.*
4 *Quæſtio, cur matrimonium ſpirituale inter Prælatum & Eccleſiam diſſolui poſſit, non etiam carnale conſummatum.*

NOn ſolùm per Poſtulationem atque Electionem, verùm etiam Tranſlationem eorum, qui ante fuerunt, ſive poſtulati ſive electi, Eccleſiis providetur: ac proinde: poſtquam actum eſt de duobus prioribus modis, ratio ordinis poſtulat, vt de hoc tertio agamus.

1 Eſt autem Tranſlatio de vna Eccleſia, quam quis obtinet, ſive Epiſcopus ſive alius Prælatus exemptus, ad aliam maiorem, auctoritate ſummi Pontificis, propter Eccleſiæ neceſſitatem vel evidentem vtilitatem, tranſlatio ſeu mutatio, *can. Mutationes, can. Suas & can. Sicut vir 7. quæſt. 1.* Dixi, Ad aliam maiorem; quia ad minorem non fit tranſlatio, *can. Legitimus diſtinct. 93. in fine.*

Dico, Auctoritate ſummi Pontificis; quia licet Epiſcopus electus renuntiare iuri ſuo liberè & pro arbitrio poſſit, *cap. In præſentia inf. de renuntiat.* nec à principio cogatur quis invitus acceptare Epiſcopatum, *can. Geſta, can. Vbi iſta diſtinct. 74.* tamen, poſtquam confirmatus vel conſecratus eſt, non poteſt propria auctoritate propriam deſerere, *cap. 2. 3. & vlt. h. t.* adeò, vt ſi contra fecerit, vtráque ſit & propriâ & alienâ privandus, vt nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit, *d. cap. 3. in fine.* * Ratio eſt, tum quia maiores cauſæ, cuiuſmodi eſt tranſlatio Epiſcopi, atque aliæ, quæ à Gloſſa *in d. c. Inter corporalia* certis verſibus comprehenduntur, referendæ ſint ad Sedem Apoſtolicam: tum quia inter Epiſcopum ſive Prælatum & Eccleſiam, ſpirituale quoddam matrimonium per electionem initietur, per confirmationem ratificetur, & per conſecrationem conſummetur, *d. cap. vlt.* ac proinde matrimonium huiuſmodi ſolius S. Pontificis auctoritate ſolui poteſt, & ad Eccleſiam aliam Epiſcopus conſecratus transferri, *d. c. 2. & 3.* * Idque poſtulante Eccleſiæ neceſſitate vt dixi, veluti metu hoſtium, *can. Temporis 7. q. 1.* vel evidenti vtilitate, vt quia in alia Eccleſia plus proficere poſſit: vel ſuadente id bono pacis & concordiæ, Roman. *Conſil. 345.* Quo pacto D. Petrus ex Eccleſia Antiochena ſe Romam tranſtulit, *d. can. Mutationes, & can. Beati Petrus & Paulus 2. q. 7.* Roman. *Conſ. 352.* vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illis fieret caput ſanctitatis & religionis; vbi gentilium Princeps habitabat, ibi ſederet & moraretur Princeps Eccleſiæ. Talis enim tranſlatio antiquis vel novis Canonibus non eſt prohibita, ſi modo auctoritate ſummi fiat Pontificis; cuius ſolius eſt iudicare, ſubſitne talis vtilitas vel neceſſitas Eccleſiæ: verùm ea prohibita eſt, quæ ex cupiditate & ambitione fit, tanquam ambitioſa & Eccleſiis pernitioſa, *can. Epiſcopum, can. Propter 7. q. 1.* Indulgentia verò ſummi Pontificis ſuper huiuſmodi tranſlatione alicui conceſſa, ſtrictè ad literam eſt ſervanda, vt ſi ad maiorem dignitatem alicui tranſitus permittatur; vigore talis conceſſionis nequeat ad parem tranſire, *d. c. vlt. hoc tit.*

Quæres, Cur ſummus Pontifex hoc matrimonium ſpirituale, per conſecrationem conſummatum, magis diſſoluere poſſit, quàm carnale conſummatum? Ratio eſt, quia matrimonium carnale conſummatum Chriſtus induxit ad ſignificandam indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſſumptam; & proinde ex ratione huius ſignificationis habet omnimodam indiſſolubilitatem. At verò matrimonium ſpirituale, etiam per conſecrationem conſummatum, non habet hanc ſignificationem: vti nec matrimonium carnale ratum & nondum conſummatum, quod proinde per ingreſſum Religionis diſſolui poteſt, vt poſtea dicetur. 4

Quo pacto ergo, inquies, *in c. Inter corporalia 2. h. t.* dicitur, ſpirituale vinculum for-

tius esse carnali? Resp. non dici fortius, quoad omnimodam indissolubilitatem; quandoquidem variis modis dissoluatur, veluti translatione; depositione, renuntiatione auctoritate Summi Pontificis factâ: sed quoad alios respectus, veluti quia per matrimonium spirituale solui potest carnale; & spirituale ad se trahit carnale, non è contra. Nam, vt diximus, matrimonium carnale ratum, non consummatum, dissoluitur per ingressum Religionis, etiam altero invito, *cap. Ex publico inf. de conuers. coniugat.* & post matrimonium carnale, etiam consummatum, possunt coniuges mutuo consensu Religionem profiteri, vt etiam postea dicetur. At è diverso matrimonium spirituale non dissoluitur per carnale; nec semel professis Religionem licet postmodum contrahere matrimonium carnale. Adde quòd matrimonium spirituale etiam inde fortius vinculum dici possit, quòd operetur fortiùs, quatenus imprimit characterem, qui etiam post mortem manet: cum interim matrimonium carnale per mortem alterius prorsùs solvatur.

Translatus autem legitimè Episcopus nihil iuris in priori retinet Ecclesia, Calder. *consil. 1. de transl. Prælat. aliàs 56. num. 2.* si scilicet translationi consenserit, aliàs non. Verumtamen literas super secunda Prælatura oportet esse expeditas, & ostensas Capitulo: nam sola scientia, aut sola expeditio literarum, sine præsentatione in Capitulo facta, non sufficit. Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 15. num. 49. vbi alios citat.* Quinimò necesse est, vt translatus, possessionem Ecclesiæ, ad quam translatus est, acquisiverit, aut per eum non steterit, quò minùs assecutus sit. Felin. *in c. Eam te, n. 9. sup. de rescript.* Garz. *de beneficiis, p. 1. c. 6. n. 39 49. & seqq.*

Denique tametsi hic Titulus tantùm inscribatur *de translatione Episcopi*: tamen etiam alij possunt transferri, vt Cardinalis, *c. Dilectus inf. de prabendis*; Archiepiscopus, *c. bona memoria 4. supra de postulatione Prælatorum*; Abbas *in cap. Venerabilis sup. de consuetudine*, Præpos. *in cap. Dudum, sup. de electione*; & similes. Imò quicumque beneficiati transferri possunt, *cap. Admonet infr. de renuntiatione.* Et quidem inferiorum Clericorum translatio fit auctoritate cuiuslibet proprij Episcopi *can. Abbas 7. 17. quæst. 2. can. Si quis, & can. seq. distinct. 17.*

TITVLVS VIII.

De auctoritate & vsu Pallij.

§. I.

Quid sit Pallium, & cui competat.

1. 2. *Quid sit Pallium, & cur detur.*
3 *Quando & quo loco vti eo possit Archiepiscopus.*
4 *Pontifex Rom. semper & vbique eo vtitur.*
5 *Intra quod tempus peti debeat.*
6 *Episcopis non nisi ex priuilegio conceditur.*

INter eos, qui ad dignitates promoventur per Postulationem, Electionem vel Translationem, quibusdam ius Pallij competit de iure communi, vti Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, & Romanæ Ecclesiæ Pontificibus: de quo nunc agendum.

Est autem Pallium ornamentum quoddam, 1
de corpore Beati Petri sumptum, Pontificalis officij plenitudinem conferens, *cap. significasti 3. sup. de electione iuncto, cap. Nisi specialis 3. h.t.*

Dicitur, de corpore S. Petri sumptum; vel 2
quia super altare B. Petri benedicitur & consecratur à Papa; vel quia à Romana Sede proficiscitur. Nam licet illud conferant quoque quatuor Patriarchæ, nempe Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Ierosolymitanus: tamen privilegium conferendi à Romana Sede habent.

Dicitur, Pontificalis officij plenitudinem conferens; quia sicut Episcopus in Episcopatu suo non habet plenum & consummatum ius, nisi sit consecratus: ita nec Archiepiscopus in sua Provincia plenum ius habet, nisi Pallium sit consecutus: adeò vt ante illud acceptum se quidem dicere Metropolitanum, non tamen Archiepiscopum possit, *d. cap. Nisi 3. hoc tit.* nec ante queat exercere ea, quæ sunt ordinis Archiepiscopalis, saltem graviora ac maioris momenti, veluti Concilium Provinciale convocare, Episcopos consecrare, chrisma conficere, dedicare basilicas, ordinare Clericos, *cap. Quod sicut 18. §. præterea, & c. Significasti tertio, sup. de election.* & cætera, quæ sine sacrificio Missæ non obit. Hostiens. *in Summa hoc tit.*

tit. Potest tamen Episcopis concedere facultatem, vt suum suffraganeum consecrent, *cap. suffraganeis* 11. *sup. eod. tit.* aliáque facere, quæ stolâ tantùm indutus rectè exequitur, veluti calices & alia huiusmodi vasa consecrare, cœmeteria sacrare & dedicare, Hostien. *d. loco*, §. *quid sit Pallium.*

Quòd si ante acceptum Pallium Archiepiscopus exerceat ea, quæ sunt potestatis, ordinem spectantis, nec fuerit antea consecratus Episcopus, nullius momenti erunt: si vero fuerit consecratus Episcopus, firma erunt & rata; licèt peccet contra canones & iura, possitque per sententiam ab officio remoueri; aut aliâ mitiori pœna puniri.

3 Potest autem de iure communi vti Pallio in omnibus Ecclesiis, etiam exemptis, *Clemen.* 2. *de priuil.* Prouinciæ suæ inter Missarum solemnia; extra prouinciam vel Ecclesiam, veluti in suplicationibus, in concessu, in commitiis, non potest, *cap.* 1. *vlt. h. t. can. pallium distinct.* 100. nequidem ex consuetudine: nisi ex speciali privilegio alicui concedatur, vt in aliena Ecclesia, accedente eius consensu, cuius est Ecclesia, eo vtatur, *cap. ex tuarum hoc tit.*

Præterea alteri cedere pallium nequit, cùm illud personam non transeat, sed quisque debeat cum eo sepeliri, *cap.* 2. *hoc t.* Quòd si ad aliam Ecclesiam transferatur, non potest vti eodem pallio, quo in priori Ecclesia vsus fuit, sed aliud petere & expectare debet, *cap. bonæ memoriæ* 4. *in fine sup. de postulat. prælat.* & cum vtroque sepelitur, Panor. *in d. cap.* 2. *num.* 7.

4 Solus verò Romanus Pontifex semper & vbique vtitur pallio: idque in eo plenissimam designat potestatem, in quam assumptus est in vniuersam Ecclesiam Christianam, quæ eius Prouincia esse intelligitur, *can. cuncta per mundum. can. per principalem* 9. *quæst.* 3. Alij verò in Ecclesiis suis & certis diebus tantùm, quia in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, vocati sunt, *cap. ad honorem* 4. *h. t.*

5 Cæterùm Archiepiscopus intra tres menses, à die consecrationis, si antè non fuerit consecratus, vel à die confirmationis, vbi ante fuit consecratus, cessante iusto impedimento, per se vel per procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem, petere pallium debet, & quidem obnixè atque instanter, *can. prisca.* 2. *dist.* 100. quod illi datur, præstito priùs, & non taliter, Romano Pontifici fidelitatis & obedientiæ iuramento, *can. optatum d. distinct.* 100.

Qua autem forma detur, & quibus diebus 6
vti eo possit Archiepiscopus, vide apud gloss. *in dict. cap. Ad honorem* de forma pallij Panor. *in rubr. h. t. num.* 5. *& 6.*

Subiiciendum hic, Episcopum non vti pallio, nisi ex privilegio, *cap. in iuuentute inf. de præsumpt.* vbi id de Quinque-Ecclesiensi traditur idémque de Hostiensi in ostiis Tyberis fluuij; de Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania, alibi memoratur.

§. II.

De potestate Archiepiscopi.

1 *Archiepiscopus est summus Episcoporum, qui & Metropolitanus.*
2 *In quos iurisdictionem exerceat.*

ARchiepiscopus, qui subsequitur Primatem, tanquam iurisdictione inferior, *can.* 1. *distinct.* 99. maior est Episcopis, in sua Prouincia subiectis, per proprias diœceses, *can.* 1. 2. *& 3. 9. quæst.* 3 Episcopi autem subiecti in iure canonico vocantur suffraganei, quia Archiepiscopus in officio Archiepiscopali suffragentur. *Archiepiscopus* à Græcis dicitur Princeps seu summus Episcoporum, *can. cleros distinct.* 21. id est, primus seu summus Episcopus. Olim quidem solitus fuit vocari *Patriarcha*; sed postea vsus obtinuit, vt soli quatuor, suprà nominati, post summum Pontificem vocarentur Patriarchæ. Similiter olim Archiepiscopi dicti sunt *primates*; quia principalium ciuitatum Episcopi: tamen postea nomen illud potissimùm attributum fuit iis, qui præerant ciuitatibus, sub quibus erant ciuitates Archiepiscopos habentes. Aliter Archiepiscopus in vtroque iure vocantur *Metropolitanus. causa* 9. *quæst.* 3. *ferè per tot & Nouella Iustinian.* 5. §. *fin.* Atque hæc omnia non differre docet Rebuffus *ad* §. 1. *de institutione in concordatis*: dicitur Metropoliticum ius in iure nostro, quod competit Archiepiscopis, *c. vt litigantes de officio ordinarij in 6. & similibus.* Vocatur autem Archiepiscopus *Metropolitanus*, vel vt vult Isid. *in can. cleros distinct* 21. à mensura ciuitatum, quia iuxta Pelagium in singulis Prouinciis præfici debebat vnus Archiepiscopus, & vnaquæque Prouincia decem vel vndecim ciuitates, totidémque Episcopos, vt colligitur ex *can. scitote* 6. *quæst.* 3. vel quia in Metropoli aliqua ciuitate, id est matrice primaria, 1

sedem habet, *can.1.& 2.distinct.*90. Nihilominus *in d.can. Clericos* distinguitur Metropolitanus ab Archiepiscopo, vt ibidem videre licet.

2 Habet autem Archiepiscopus iurisdictionem Episcopalem & ordinariam in sua Provincia, cui præest, atque in omnes suffraganeos, non exemptos, eorumque est iudex ordinarius: *cap. Pastoralis inf. de officio ordinarij*: quorum proinde electiones confirmat, vel infirmat de iure communi, de causis eorum civilibus ac criminalibus cognoscit & iudicat: nisi tales sint criminales causæ, quæ reservatæ sunt Summo Pontifici, cuiusmodi est crimen hæresis. Conc. Trid. *sess.24.c.5.de reformat.* & quæ merentur depositionem seu privationé officij ac dignitatis. Vide idem Concil. *sess.13.cap.8.& d.sess. 24.cap.5.& 8.* In subditos verò suffraganeorum non habet iurisdictionem ordinariam, nisi certis quibusdam casibus eam vel ex consuetudine aut privilegio vel præscriptione acquisierit. *cap. duo sunt, inf. de offic. ordinarij.* Primus casus est in causis, quæ iure appellationis aut deuolutionis ad eundem pertinent, *cap. inf. de offic. Legati*: vbi quoad hoc traditur discrimen inter Archiepiscopum & legatum Papæ, quòd nempe super causis Episcopatuum & per simplicem querelam adiri possit, non etiam Archiepiscopus, nisi per appellationem causæ ad eum deuoluantur, causa autem ad Archiepiscopum deuolutâ, acquirit is iurisdictionem quoad personas appellantes tantùm, non quoad alios. Neque etiam ad ferendum testimonium in causa citare alium potest, neque causam delegare, subdito suffraganei inuito, *cap. 1. de foro competenti in 6.* Secundus casus est, si subditus Episcopi delinquat in diœcesi Archiepiscopi, vel in ea prædium habeat. Tertius, si absolutus ab Archiepiscopo nolit parere Episcopo. Quartus, si clericus habeat causam criminalem contra suum Episcopum, quia ea deduci debet ad Synodum, in qua Archiepiscopus præest. Quintus, quando Episcopus est negligens in eo quod facere debet sunt & similes alij, quos brevitatis causa omitto. Etsi verò vnus sit iudex Provinciæ, *can. in apibus 7.q.1.* tamquam habens iurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas 9. quæst. 3.* non tamen tamquam habens iurisdictionem ordinariam Episcopalem: cùm in vnaquaque provincia debeant esse plures Episcopi, vni Archiepiscopo subiecti; habentes iurisdictionem Episcopalem & ordinariam. Et ideò licèt Archiepiscopus sit iudex ordinarius Episcoporum suæ Provinciæ, non tamen subditorum illius. Nec habet hic locum vulgaris illa regula, *si vnico vincentem, te, te vince*, quia Archiepiscopus habet ligatam & limitatam potestatem quoad subditos Suffraganeorum.

TITVLVS IX.

De Renuntiatione.

3 *Quid sit Renuntiatio.*
2 *Quæ diuisio eius.*
3 *Renuntiatio in fauorem, alia simplex, alia qualificata.*
4 *Fieri debet cum auctoritate & consensu superioris.*
5 *Episcopatui ex quibus causis renuntiare liceat.*
6 *Semel admissâ renuntiatione non datur regressus ad idem beneficium.*
7 *Coram quo fieri debeat & per quem.*8.
9 *Regula Cancell. de infirmis resignantibus, & publ. resignationibus.*

EXPLICATIS modis, quibus potissimùm acquiruntur dignitates: sequitur de Renuntiatione, per quam acquisitæ, tam ab iis, qui vtuntur pallio, quàm ab aliis, sæpè amittuntur.

Renuntiatio in genere nihil aliud est, quàm proprij iuris spontanea abdicatio seu cessio. 1
Dicitur, Proprij iuris; quia iuri, quod habet quis tertius, renuntiare, seu illud resignare non potest, *l. si vniuersa Cod. de legatis, l. traditio ff. de acquir.rer.dom. l. obseruare in fine ff. de offic. proconsulis, cap. dilectio in fine prebendæ.*

Hic autem pressiùs sumitur pro dignitatis vel beneficij seu officij Ecclesiastici obtenti, seu iuris, quod in eo quis habet, spontanea & libera coram superiore facta dimissione seu refutatione. Dicitur Libera; quia coacta nullius est momenti, *cap. Super hoc 5. h.t.*

Ea est duplex, Tacita & Expressa. Tacita dicitur, quæ fit ipso iure, nullâ verborum declaratione interueniente. Vnde qui acceptat secundum beneficium incompatibile, secutâ pacificâ eius possessione, censetur renuntiare primo, *cap. de multa 28. inf. de prebendis*, & qui matrimonium contrahit, *c.diuersis inf. de clericis coniug.* Gloss. *in cap. vnico eod. in 6.* vel fit miles sæcularis, censetur renuntiare beneficio, si quod habet; *cap. in audientia 25. inf. de sent. excom.* 2

excom. vbi DD. Videatur pleniùs Rebuf. *in praxi benef. tit. de resignat.*

Expressa est, quæ fit verbis ad hoc accommodatis: idque dupliciter; vel purè & simpliciter; vel sub conditione aut in fauorem alicuius. Purè & simpliter fieri dicitur, quando fit in manibus superioris, sine vlla pactione, conditione vel modo, ita vt nulla fiat renuntianti reservatio, *cap. Tua nos, inf. de simonia*: & potest huiusmodi renuntiationem potest ordinarium beneficium resignatum conferre, cui velit, Rebuff. *d. loco tit. de resignatione pura* conditionalis est, quæ fit sub aliqua conditione vel modo. Talis est renuntiatio seu resignatio ex causa permutationis: item quæ fit in fauorem alicuius coram S. Pontifice. Quod addo, quia resignatio in fauorem non potest fieri coram ordinario: iure quippe Pontificio coram ordinario prohibita est omnis pactio & conditio in resignatione, tamquam simoniaca, *cap. Quam pio 1. quæst 2. cap cum pridem, & cap. fin. inf. de pactis, glossa & DD. in cap. ex parte inf. de officio delegati*, latè Garzias *de benef. part. 11. cap. 3. §. 2. num. 152. & seq.* potest tamen resignatus absque simoniæ labe rogare ordinarium, vt conferat tali vel tali, *d. cap. Tua nos de simonia*: licet peccet, si is, pro quo rogat, non sit idoneus, *cap. Tuam inf. de ætate & qualit. & ord. præficien.*

3 Renuntiatio in fauorem simpliciter est duplex, nempe simplex, quando quis simpliciter resignat in fauorem alicuius, absque vlla reseruatione: & Qualificata, quando aliquid reseruatur resignanti, veluti regressus vel fructus aut medietas eorum, aut aliqua pensio. Vide pleniùs Flaminium, *de resignat. beneficior. lib. 1. quæst. 1. & 2.*

4 Dixi antè, coram superiore facta dimissione; quia sicut miles sine permissu ducis non potest deserere militiam, *tit. ff. de re militari*: ita quicumque habet dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum, etiam minimum, non potest ei renuntiare sine consensu sui superioris, *cap. Admonet. 4. h.t.* quia præterquam quòd inter dignitatem & prælatum contrahatur quoddam spirituale matrimonium, quod propria auctoritate solui nequit, etiam quodlibet beneficium habet adiunctum officium Ecclesiasticum, *cap. vlt. de rescriptis in 6.* quod est publicum; & ideò aliter facta quoad Ecclesiam scilicet, seu superiorem, qui, non obstante tali renuntiatione, cogere eum potest obire officium suum, *cap. 1. h.t.* Alioqui renuntians sponte renuntiando, seipsum excludit seu priuat, si velit Ecclesia seu superior. Et hic consensus superioris necessariò requiritur in renuntiatione siue tacita siue expressa. Imola *in cap. ex ore 3. num. 20. inf. de his quæ fiunt à maiori parte capit. contra gloss. ibid.* Flamin. *de resignat. benef. lib. 7. quæst. 7.* quamvis Garz, distinguat *d. cap. 3. §. 3. num. 278. & seqq.*

Episcopatui verò renuntiare non licet, sine consensu summi Pontificis, *cap. Nisi cum pridem 10. & aliis h.t.* sicut nec aliis dignitatibus, Episcopatu inferioribus, quando eas obtinentes exempti sunt à iurisdictione Episcoporum aut Archiepiscoporum, & immediatè subiecti summo Pontifici, *cap. vlt. eod.* Cæterùm non solet S. Pontifex ob quamlibet causam admittere renuntiationem, *d. cap. 1. eod.* sed potissimùm propter sex, quæ enumerantur & explicantur *in d. cap. Nisi cum pridem*; & continentur his versibus: 5

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Prima itaque est debilitas corporis, ob quam tamen non debet quis remoueri, ne afflicto addatur afflictio, *can. cum percussio cum seqq. 7. quæst. 1.* Secunda, defectus scientiæ; ob quem etiam quis remoueri potest, *cap. Quamvis vlt. inf. de ætate & qualit. præfic.* Tertia, conscientia criminis, veluti simoniæ, homicidij, & similium prædictæ tamen tres causæ debent esse tales, vt ob aliquam earum quis munere suo fungi non possit. Hinc in *d. cap. 1. h.t.* non datur cedendi licentia Episcopo, qui propter senectutem vult cedere, si necessarius vel vtilis sit Ecclesiæ suæ. Quarta, malitia plebis, quæ nullo modò patitur Episcopum seu prælatum. Quinta, graue scandalum euitandum. Denique sexta est irregularis. Porrò certas causas, ob quas, & non alias resignationes omnes beneficiorum coram ordinariis fieri & admitti possint ac debeant, sub pœna nullitatis, si ex alia causa fiant, præscribit constitutio quædam Pij V. verùm ea, vt & multæ aliæ, hic publicata non est, quia restringit Ordinariorum facultates. Vide Flamin. *de resignat. benefic. lib. 5. quæst. vlt.* & alios, quos citat Garzias, *part. 11. cap. 3. §. 3. num. 269.*

Renuntiatione autem semel admissâ, cogitur renuntians cedere, licèt postea eum pœnitet renuntiationis factæ, *cap. ex transmissa h.t.* Et contra repetentem beneficium admittitur spontaneæ renuntiationis exceptio, etiam causa renuntiationis non adiecta: quia non est verisimile quem beneficium, multis fortè expensis & laboribus, quæsitum, quo sustentari debeat, 6

beat, facilè sine magna causa sponte sua resignasse : quamquam auctor replicare possit, quòd non sponte renuntiauerit, *cap. super hoc 5. eod.* quòdque qui renuntiauit litteris beneficialibus, non ideò institutioni iam factæ renuntiare videatur, *cap. sanè dilect. 7. eod.* Similiter qui petit licentiam renunciare compellendus est, *cap. Quidam cedendi 12 h.t.* quia in huiusmodi postulatione, vel commendum Ecclesiæ, cui quis præest, vel salutem propriam videmur attendisse : quorum neutrum suasionibus aliorum, quærentium, quæ sua sunt, seu leuitate qualibet impedire debet, *d. cap. Quoniam cedendi.* Non potest igitur, vbi quis semel renuntiauit, ad idem beneficium redire, nisi iterùm ad illud eligatur, *d. cap. ex transmissa, iuncto cap. cum inter 2. hoc tit.* Excepto tamen eo, qui propter crimen renuntiauit Episcopatui, & religionem ingressus est : nam hic ad Episcopatum redire non potest, licèt iterùm eligatur, *cap. post translationem eod.* Aliàs verò impeditus administrare officium, sive propter persecutionem, sive ob infirmitatem corporis, sive ob defectum scientiæ, & ideò factus Monachus, cessante impedimento, potest rursus ad Episcopalem dignitatem adsumi, *d. cap. post translationem.* Quin etiam, si quis affectus Episcopatum fuerit simoniacè, sed ignoranter, & postea fiat regularis licet ad primum reuerti non possit ad aliam tamen readsumi potest, *d. cap. post traslationem, §. rursus.*

7 Cæterùm coram eo renuntiatio dignitatis fieri debet, ad quem spectat confirmatio, *cap. fin. & ibi gloss. eod. tit.* alterius verò beneficij coram eo, qui potest resignantem, etiam inuitum, destituere *secundum glos. in Clem. vnica in V. manibus de renuntiat.* Verùm an renuntiatio simplicis beneficij fieri possit in manibus collatoris, inferioris Episcopo, ita vt is solus eam admittat, quæritur ? Negat ex Innoc. Rota *in antiquis h tit. decis. 5.* ob rationem antea datam. Verùm aliud obseruat vsus, quamuis non possit destituere solus.

8 Non solùm per seipsum, sed & per procurationem, vnum vel plures, clericum vel laicum renuntiare quis potest valetque renuntiatio, sive dignitatis sive beneficij, per procuratorem facta, etiamsi priùs reuocatus fuerit; ipso tamen & superiori, in cuius manibus facta est, ignorante : nisi per malitiam ipsorum, vel aliorum, reuocatio fuerit occultata, *Clem. vnica eod. & ibid. glos. in V. procuratorem.*

9 Denique obseruanda hic est regula 18. Cancellariæ, quæ statuit, vt in infirmitate resignantes superuiuere debeant viginti diebus; aliàs vacare beneficium per obitum censeatur. Quæ regula cœpit ab Innoc. 8. & hic quoque vsu recepta est teste Zypæo, *de iure Pontif. novo h.t. num. 3.* Atque obtinet in collationibus dumtaxat Papæ, non autem ordinariorum : eique vt Papa, ita & legatus eius potest derogare, etiam cum præiudicio graduatorum expectantium. Zyp. *d. loco* Exstat & alia regula de publicandis resignationibus : verùm quia forma eius hic non ita strictè seruatur, cùm sufficiat quòd resignatio palam innotescat, nec celetur, etiamsi in templo coram populo, tempore Missæ aut concionis, die festiuo non promulgetur, teste Zyp. *d. loco num. 2.* ideo de ea hic fusiùs non agam.

TITVLVS X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

1 *Prælati nomen in hoc titulo latè sumitur.*
2 *Negligentia Prælati qua sit ; & pœna illius.*
3 *Committitur ab Episcopo, non conferente beneficium vacans intra præfixum tempus & patrono non præsentante aliquem.*
4 *Item ab Episcopo recusante benedicere Abbatem sine causa.*

QVIA sæpè in prælaturis res negligenter & perfunctoriè aguntur, *can. Ante omnia d. 40.* nec solùm per cessionem seu renuntiationem dignitas vel beneficium amittitur, verùm etiam per nimiam remissionem, *c. inter corporalia versic. sed neque illud sup. de translat. Episc.* Et quia quod negligitur seu omittitur, supplendum & instaurandum est : ideo subiicitur hic Titulus, in quo tractatur, quo modo negligentia prælatorum deprehendatur & puniatur.

Prælatus strictè dicitur, quicumque in Ecclesiasticis habet iurisdictionem contentiosam, Abbas *in cap. 2. de iudiciis* latè verò comprehendit Episcopos, Abbates, Priores, Archipresbyteros, Archidiaconos, & alios, vsque ad simplicem curatum : & ita hic sumitur, quia cuiuscumque Prælati negligentia supplenda est, *c. 2. & fin. h.t.* 1

Est autem negligentia Prælati omissio eius, quod de iure vel consuetudine, ratione sui muneris, 2

muneris, facere debebat, *can. negligere* 55.11. *& 7. & ibi gloss. can. cùm simus* 3.9. *quæst.* 3. *cap.* 1. *& 2. distinct.* 84. Eaque variis modis supplent & coercetur, pro varietate eorum, quæ negliguntur seu omittuntur, & prout negligentia est maior vel minor: sic enim aliquando imponitur excommunicatio duorum mensium, *can. quidquid* 1. *quæst.* 1. aliquando pœna dispositionis vel priuationis dignitatis vel officij, *c.* 1. *de officio custodu*: aliquando verò negligenti & remissio per superiorem datur coadiutor idoneus, *cap. grandi h. t. in* 6.

3 * Quòd si ordinarius non contulerit beneficium vacans intra sex menses, priuatur iure conferendi, & illud deuoluitur ad superiorem: adeò vt collatio post illud tempus per inferiorem facta sit nulla, *cap.* 3. 4. *& 5. h. t.* nisi de misericordia toleretur, *d. cap.* 4. similiter si patronus intra tempus à iure præfixum, laicus scilicet intra quatuor menses. Ecclesiasticus verò intra sex, à die notitiæ vacationis beneficij, ad illud non præsentauerit clericum, amittit ius præsentandi pro ea vice, & illud deuoluitur ad superiorem, *cap.* 2. *& ibi* Abbas *h. t.* vide plenè Ioan. Honorium *in summa hoc tit. n.* 4. *& seqq.*

4 Quòd si Episcopus, ad quem spectat benedicere Abbates, (quâ benedictione consequuntur, quòd possint conferre minores ordines, *can. Quoniam distinct.* 96. *cap. cùm contingat. inf. de state & qualit. clement. attendentes de religios. dom. iunctâ gloss. in V. benedic.*) tertiò cum humilitate ac deuotione requisitus, subditos Abbates sine causa noluerit benedicere, ex tunc Abbates possunt omnia illa exercere, quæ posset benedicti, ac proinde minores ordines conferre, & proprios Monachos benedicere; donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recusent, *cap.* 1. *h. t.*

Nec obstat, quòd qui benedictionem non habet, eam dare non possit, *can. dilibertum* 1. *quæst.* 7. quia hanc potestatem in odium Episcopi, sine causa denegantis benedictionem accipiunt à iure seu canone: & licèt non habeant benedictionem Abbatialem, habent tamen simplicem Monachalem, vt inquit Abbas *ad d. cap.* 1.

Quòd si verò Prælati Monachis suis, vbi commodè fieri potest, dare lectorem sacræ scripturæ omiserint, Episcopi, tanquam in sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis cogere possunt Concil. Trident *sess.* 5. *cap.* 1. §. *in monasteriis*, videatur idem Concil. *d. sess. cap.* 2. §. *si quæ*, & rursus *sess.* 25. *can.* 8. *de regularibus.*

TITVLVS XI.

De temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum.

§. I.

Quid sit Ordo.

1 *Ratio nominis.*
2 *Definitio, materia, forma, effectus.*
3 *Character quid sit.*
4 *Minister ordinis est Episcopus.*

IN promotione prælatorum; sive eligantur sive postulentur, requiritur certus ordo: neque enim in Episcopum eligi potest, nisi qui saltem sit subdiaconus. Cùm verò ordines certis temporibus, & cum scrutinio, conferri debeant, atque in his seruandis negligentia committi: ideo nunc, ne vlla huius rei ignorantia prætendi possit, postquam de supplenda negligentia Prælatorum in genere actum est, ordinis ratio dictat, vt de temporibus agamus, quibus conferri ordines ab Episcopis debent.

Ordo sumitur dupliciter: Primò pro potestate quâdam ac gradu: & hoc modo dicimus in Ecclesia, sive triumphante sive militante, varios esse ordines ac gradus. Secundò, pro ipsa ordinatione seu ritu externo, quo huiusmodi potestas seu gradus confertur: & ita hic ordinem spectamus; non quidem in ea impropria ac generali significatione, qua ordinari censentur omnes ij, qui quoquo modo dedicantur diuinis obsequiis, etiamsi non in ordine ad diuinum sacrificium (qua generali significatione subinde in Conciliis fit mentio sanctimonialium ac viduarum, ad baptisterium ordinatarum, pro institutione scilicet mulierum baptizandarum, & presbyterarum, *in can. penult. & vlt. dist.* 32.) sed in ea, quâ significat ordinationem, quæ certo, sacro ac solemni ritu ab Episcopo fit & confertur, atque ad certum ministerium sacrificio diuino exhibendum refertur. 1

Vnde definiri potest, quod sit sacramentum, 2
à Christo institutum, quo quibusdam cæremoniis & rebus traditur potestas spiritualis ordinato, conficiendi Eucharistiæ sacramentum, vel administrandi in ordine ad illud.

Nauarrus *in Manuali cap.22.n.17.*

Materia est illud instrumentum, per cuius traditionem confertur ordo: sicut Presbyteratus per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & sic de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium traditionem.

Forma verò sunt verba, quibus in traditione materiæ vtitur ordinator Franc. de Victoria *de sacramento ordinis num.229.* vt sacerdotij v.g. *accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen*: & sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano latiùs continetur. Debet autem contractus materiæ simul moraliter fieri, quando verba formæ proferuntur.

Effectus est gratia, eiusque augmentum, vt quis efficiatur minister ordinis suscepti; & character, qui imprimitur in anima ordinati.

3 Conc. Trid *sess.23.can.4. de sacramento Ordinis.* Est autem character, vt ex Bonaventura & Angelo tradit Piasec. *1. part. cap.1. art.9. num.1.* spiritualis qualitas animæ, signans gratiam facientem, & ad gratiam disponentem & assimilantem: de necessitate supponit characterem baptismi, non item confirmationis: ideóque si quis non baptizatus ordinaretur, ordo non teneret.

4 Minister ordinarius est Episcopus, Victoria *loco citato*, Conc. Trid. *sess.23.cap.4.& 7.* Possunt tamen alij minores ordines conferre, ex concessione vel privilegio, vt postea dicemus.

§. II.

Quot sint ordines.

1 *Sunt septem numero.*
2 *Alij Maiores & sacri, alij Minores.*
3 *Ordines nouem, secundum canonistas; & eius rei ratio.* 4

1 ORdines posteriori modo sumpti septem à Theologis numerantur, ostiariatus, Lectoratus, Exorcismus seu Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus seu sacerdotium: qui numerus probatur ex *can. cleros distinct. 21.* Concil. Trident. *sess.23.can.2.*

2 Tametsi autem hi ordines, quatenus à se sunt sacramenta, sacri dici possint: ita tamen inter se distinguuntur *in cap.1.2.& cap.dilectus 15. h.t.* quòd quatuor primi dicantur minores ordines, tres verò alij dicantur superiores, maiores ac Sacri ordines, ea propria ac peculiari ratione, quòd versentur proximè circa materiam consecratam, seu res sacras contingant; nempe sacerdotium & diaconatus circa corpus & sanguinem Christi consecratum; subdiaconatus circa vasa consecrata. Et hinc sumitur ratio, cur tres maiores ordines suscipientes ex lege Ecclesiastica ad perpetuam castitatem obligentur, vt scilicet mundi sint, qui sancta & sacra correctant; curque olim subdiaconatus non fuerit dictus ordo sacer, vt patet *ex cap.A multis 9.inf.de etate & qualit.&c. cap. Miramur 7. inf. de seruis non ordinandis*: qui olim non fuit concessum subdiacono tangere vasa sacra, vt patet ex *can. Nullus dist. 24. & aliis.* Quatuor verò minores ordines non dicuntur sacri, quia non contractant proximè materiam consecratam seu res sacras.

Prædictis septem ordinibus canonistæ addunt duos alios, nempe clericalem ordinem seu primam tonsuram: quam esse ordinem, & ordine primum, probant *cap.cùm contingat.11. inf.de etate & qualit. &c.& ibi DD.& can. seriatim. 14. distinct.32.* deinde postremum Episcopatum, *ex d. can. cleros, can.1.d.distinct.32. & similibus*, Conc. Trident. *sess.23. can.6. & 7.* Atque in nouem ordines constituunt quorum minores sint quinque primi, quatuor verò reliqui Maiores. Ratio diversitatis ex diversa consideratione peti debet: cùm enim Theologi considerent ordines eorúmque distinctionem desumant ex habitudine ad sacrificium diuinum seu Eucharistiæ consecrationem confectionem, in qua consistit consummatio omnis diuini cultus: meritò Episcopatum non faciunt distinctum ordinem à Sacerdotio, quandoquidem simplex sacerdos parem prorsus cum Episcopo in ordine ad illam consecrationem & confectionem habeat potestatem, vt satis indicatur *in can.legimus 24.distinct.93.* similiter primam tonsuram non ponunt tanquam ordinem, quia non habet vllum certum officium annexum, nec per eam datur ministerij alicuius Ecclesiastici potestas, sed est solùm præparatio aliqua ad ordines & statum Ecclesiasticum; & inde dici solet ianua ad omnes ordines.

3

Canonistæ verò considerant Ordines in primis, vt constituunt Hierarchiam in Ecclesia militante, ac proinde clericatum & Episcopatum meritò à cæteris distinguunt, & tanquam diuersos ordines ponunt: vt, sicut in Ecclesia triumphante

4

triumphante sunt novem ordines, ita etiam sint in militante, quæ triumphantem imitatur, tanquam ad illius exemplar ordinata. Deinde considerant ordinem, vt significat, seu vt per eum confertur potestas, non solùm ordinata ad sacrificium divinum, verùm etiam ad conferenda quædam sacramenta, ordinis scilicet & confirmationis, atque ad alias quasdam sacras actiones exercendas, veluti ad consecrandum alium in Episcopum, ad consecrandas Ecclesias, moniales benedicendas, & similes: qualem potestatem cùm accipiat Episcopus in sua consecratione, non etiam simplex sacerdos in sua ordinatione, meritò Episcopatum tanquam diversum ordinem à sacerdotio constituunt, licèt sacerdotium in sua ratione seu essentia includat: secùs ac diaconatus respectu subdiaconatus, aut sacerdotium respectu diaconatus aut subdiaconatus, quem in sua ratione non includit, vt patet ex *cap. vnico inf. de clerico per saltum promoto.* Ratio diversitatis est, quia hæc, subdiaconatus, inquam, diaconatus & Presbyteratus, significant potestates distinctas, & quarum vna de sui natura non requirit aliam in eodem subiecto. Et licèt olim Episcopatus & Presbyteratus, ob paucitatem Christi fidelium & Ecclesiæ Præfectorum, concurrerent in eandem personam: postmodum tamen, crescente fidelium ac Presbyterorum numero, ad lites & schismata tollenda, Ecclesia alios creauit Presbyteros, alios Episcopos; vt, sicut Episcopi & Presbyteri potestates erant distinctæ, ita etiam in aliis diversæ personæ constituerentur, idque solùm vult *can. Olim distinct. 95.*

§. III.

A quo conferantur ordines.

1 *Conferuntur à proprio Episcopo.* 2.
3 *Pœna ordinantis alienæ diœcesis subditum.*
4 *Quis dicatur proprius Episcopus.*
5 *Summus Pontifex vbique & quemlibet ordinare potest.*
6 *Abbatibus non est conferendi minores Ordines.*

1 IVS & potestatem ordinandi clericos esse penes Episcopos, tanquam ordinarios ministros sacramenti ordinis, ex vi & potestate sui officij, iam antè diximus, & constat ex variis Canonibus, *vt can. 1. §. ad Episcopum distinct. 25. & aliis,* ac nouissimè ex Conc. Trident, *sess. 23. cap. 4. & 8. de reformat. & can. 7. de Sacram. Ord.* modò tamen non sint excommunicati maiori excommunicatione, vel suspensi, interdicti, depositi, degradati, simoniaci, schismatici, vel hæretici: nam à talibus ordinati, quamvis characterem ordinis, quam ipsi non amiserunt, recipiant, dummodò seruetur forma Ecclesiæ, non tamen accipiunt ordinis executionem, quam illi amiserunt & quam proindè dare non possunt, *argum. c. Quod sedem 10. inf. de officio ordinarij, vbi* gloss. *in v. gratia alia iura allegat.* Hoc tamen intelligendum, modò sint denuntiati esse tales, Nauarr. *in Manuali cap. 27. num. 24. quem plenius videre licet.*

2 Cauere autem debet Episcopus, ne alienæ diœcesis subditum, etiam Familiarem suum, absque ipsius superioris licentia, ad ordinem Ecclesiasticùm, etiam primæ tonsuræ, admittat, nisi triennio simul cum ipso præsens commoratus fuerit, & statim cum ordinibus beneficium illi conferat. Conc. Trident. *sess. 23. cap. 9. de reformat. & sess. 14. cap. 2. de reformat.* * 3 alii qui aliter ordinans per annum à collatione ordinum & ordinatus ab ordinum susceptorum executione, ipso iure suspenditur, quandiu ordinario videbitur. Concil. Trident. *d. sess. 23. cap. 8. de reformat. cap. 2. & 4. hoc tit. in 6.* licèt antea talis Episcopus deponi deberet, *can. Nullum 9. quæst. 2.* Hinc tonsuratus ab alieno Episcopo non est habilis ad beneficia, ac si non haberet tonsuram, *cap. fin. de clerico excommunicato ministrante:* quia paria sunt, non habere tonsuram, & habere inutilem, Rebuff. *de formula dimissoriarum 22.*

4 Proprius autem Episcopus seu Prælatus hic, seu quoad effectum susceptionis Ordinum, censetur Episcopus, ex cuius diœcesi oriundus est ordinandus, vel in cuius diœcesi beneficium Ecclesiasticum obtinet, vel licet alibi natus, domicilium habet, *cap. cùm nullus eod. in 6.* Conc. Trid. *sess. 2. cap. 2.* Requiritur etiam beneficium sufficiens ad victum honestum Episcopi verò nomine hic comprehenduntur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Metropolitani, & simplices Episcopi sub oriundis in diœcesi comprehenduntur etiam alibi nati, sed in diœcesi baptizati. Piasc. *p. 1 tit. 1. art. 2. n. 1.* Hinc Præfecti locorum seu prioratuum, non exemptorum, eorúmque socij possunt ordinari ab Episcopis, in quorum diœcesi sunt, quamdiu ibi morantur, licèt aliundè sint oriundi, *d. cap. cùm nullus eod. in 6.* Græci verò à Latinis, vel contrà, vbi eorum ritus differunt, ordinari non possunt, ne rituum fiant commixtiones, *cap.*

cum secundum 9. h.t. Quòd si Græcus, Latino Episcopo subiectus, à Græco, sine licentia Latini, ordinetur, interdicitur ei executio: sin de Latini licentia, toleratur, nec debet ab executione Ordinum talirer susceptorum impediri, *c. Quod translationem 11. h. t.* Episcopus quoque Italiæ Vltramontanum sub condigna pœna non debet ordinare; nisi de speciali Papæ licentia, vel per patentes literas Episcopi illius, continentes iustam causam, cur nolit aut non possit illum ordinare, eidem permittatur, *c. 1. & ibi Gloss. in Vrbaliæ de officio Ordinarij in 6.*

5 Summus quoque Pontifex, ob summam in vniversam Ecclesiam, quam habet potestatem, est cuiuslibet Christiani superior, & generalis Episcopus totius mundi: potéstque cuiuslibet Ecclesiæ Clericos ordinare, *c. penult. & vlt. 9. q. 3.* etiam solo verbo Clericum creare, quia ipse introduxit formam primæ tonsuræ, quam tollere potest. Dico, Clericum quia licet Rebuff. *in Praxi t. de Clericis, & à quibus & quomodo creentur num. 9.* secutus Felin. & Angel. quos citat, existimet etiam solo verbo, ob simplicem rationem posse creare Presbyterum, tamen re penitiùs examinatâ, id esse contra communem omnium Theologorum sententiam, & formam Presbyteratus iuris esse divini censeo. Ab eo verò significatus ordine aliquo non potest ab alio ad sublimiores promoveri, licentiâ ipsius non impetratâ, *c. Dum in distribuendis 12. h.t.* non ideò tamen subtrahitur ab Ordinarij potestate, *c. Per tuas extr. de maioritate.*

6 Sed & Abbatibus, non quidem ex vi sui officij, sed iure singulari a sacris Canonibus conceditur potestas conferendi primam tonsuram, Lectoratum, Psalmistatum, id est, officium cantandi, & Ostiariatum, *can. Quoniam distinct. 69 c. Cum contingat inf. de etate & qualit. &c. & alij*, sed suis dumtaxat monasterij Monachis, & quidem post professionem, ne exeant postea, sineque fraus, quæ præcavenda est, committatur, Rebuffus *d. loco num. 17.* etiam sine examine Episcopi, Navarr. *Consil. 14. de privilegijs*: modò tamen ipsi Presbyteri sint, ac munus impositionem ab Episcopo receperint, *d.c. Cum contingat, cap. Abbatibus de privilegijs in 6.* Alios Ordines minores, nempe Acolytatus & Exorcistatus, conferre non possunt; nisi ex speciali privilegio id eis concessum sit, prout hodie concessum videtur, secundum Zerolam *1. p. Praxis Episcopalis in V. Abbas*: & ita declarasse sacram Congreg. refert Piat. *1. p. cap. 1. art. 1. n. 7.* Quòd intelligendum de veris Abbatibus, vt sunt Benedictini, & alij, non verò de Commendatarijs, Zerola *d. loco.*

§ VI.

De literis dimissoriis, seu reverendis, vt quidam vocant.

1 *Quænam dicantur literæ dimissoriæ.*
2 *Sunt vel speciales vel generales.*
3 *Quis dare eas possit.*
4 *Non exspirant morte dantis.*
5 *Quando sine illis ab alieno Episc. Ordines conferri possunt.*

DE literis dimissoriis subiiciendum est ideo, quia Episcopus alienæ diœcesis subditum ordinare non potest, absque superioris eius licentia.

Sunt autem literæ dimissoriæ, quibus fit alicui potestas suscipiendi Ordinis ab alio, quàm à proprio Episcopo. * Et hæ subinde sunt speciales veluti quòd quis ordinari possit à tali vel tali Episcopo: & tum nequit ab alio ordinari, quàm ab expresso, quia vnius expressio est alterius exclusio, *c. Nonne 5. inf. de præsumpt.* Et ideò si nominatus in literis dimissoriis Episcopus, impeditus nequeat conferre Ordines, curétque in sua diœcesi per alium Episcopum eos conferri, talis non poterit ordinare nisi personas subiectas Episcopo, de cuius licentia & in cuius diœcesi ordinabit. Ita intellige *cap. 5. Sess. 6.* Conc. Trid. ne repugnet *c. 11. Sess. 7.* Zerolâ *p. 1. V. Dimissoria ad 5. vers. Secundum.* Aliquando verò sunt generales, veluti quòd à quolibet Episcopo ordinari quis possit. 1 2

Hæ literæ continere debent Ordines, qui illarum vigore conferendi sunt: aliàs per facultatem recipiendi Ordines minores vel Ordines tantùm, maiores non comprehederentur, *argum. cap. 1. hoc tit.*

Dare eas potest in primis summus Pontifex, 3 & quidem omnibus Christianis, *c. 1. eod. in 6.* ibi, *nisi à nobis, &c.* quia est generalis Episcopus totius mundi, *can. Cuncta per mundum 9. q. 3. & alij.* Secundò, proprius Episcopus suis subditis, sive sit Episcopus originis, sive domicilij, sive ratione beneficij, *cap. Cum nullus eod. in 6.* modò tamen sufficientem habere possit informationem de probitate morum, sufficientia & natalibus ordinandi. Episcopi verò superior seu Archiepiscopus iure Metropolitano, subditis Episcopi dimissorias dare non potest, iuxta communem sententiam scribentium ad *d.c. Nullus.* Similiter nec Prælati Episcopis inferiores, sive sint religiosi, sive sæculares, eas subditis suis dare possunt, citra Sedis Apostolicæ speciale indultum,

cilii, *c.3. eod. in 6.* nisi id faciant ex legitima consuetudine. Rebuffus *in Praxi benef. tit. de litera dimissoria n. 6.* vel nisi speciali mandato Episcopus hanc potestatem dederit suo Vicario, etiam Generali, Piasec. *p.1.c.1. art 2. n.9. vbi alios citat*; vel Episcopus ipse longè absit: nam hoc casu dare eas potest ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis; sicut & Sede vacante, mortuo scilicet Prælato, vel ab hostibus capto, Capitulum, *d.c. Cum nullus eod. in 6.* à quo tamen nonnihil per Conc. Trid. recessum est, partim *Sess.7. cap.10, de reformat.* partim *Sess.23. cap.10.* prout ibidem videre licet. Sed & ab eodem Concilio, *d. Sess. 7. cap.11.* statuitur, ne facultates de promovendo à quocumque suffragentur, nisi habentibus legitimam causam cur à propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam (qualis est ægritudo, Conc. Trid. *d. Sess.23.c.3.* quo nomine venit omne iustum & legitimum impedimentum, Zerola *d.V. Dimissoria ad 5. versic. tertium*) quódque tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo, in sua diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præsidio examine. Nam sicut non potest ordinare alienæ diœcesis subditũ, ita nec in aliena diœcesi Pontificalia exercere, etiã prætextu cuiusvis privilegij, *can.1.3.6.& 7.9.q. 2.* Conc. Trid. *Sess.6.c.5. de reformat.* nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personãs eidem Ordinario subiectas tantùm. Alioqui, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium; & sic ordinati, ab executione Ordinum sunt ipso iure suspensi, Concilium Tridentinum, *d.c.5.*

Literæ verò dimissoriæ, sive ab Episcopo, sive ab alio semel legitimè concessæ, non exspirant morte, civili vel naturali, vel finitâ potestate concedentis, nisi per successorem revocentur. Navar. *in c. Placuit de pœnit. dist.6.n.34. & 163.* Cardinalis *in Clement. fin.q.5. de electione.* Sic nec concessæ à Capitulo exspirant finitâ Sedis vacatione. Rebuffus *de forma dimissoriar. n.43.* Piasec *1.p.cap.1.art.2.n.10.*

Certis tamen casibus ordinari quis potest ab alieno Episcopo sine his dimissoriis. Primò, si proprius Episcopus Clerici fuerit suspensus ab Ordinum collatione, eo quòd alienos sine licentia ordinaverit, & suspensio eius sit manifesta, *c.2. eod. in 6.* Secundò, quando quis triennio præsens cohabitavit Episcopo alieno, modo antea dicto. Differunt autem Dimissoriæ à Cõmendatitiis, quòd hæ ad effectum susceptionis Ordinum tantùm dentur; illæ verò à iurisdictione etiam dimittant. Piac. *d.c.1. art.2. sub n.7.*

§. V.

Quibus temporibus Ordines conferendi sint.

1 *Minores Ordines confert Episc. quando & vbi ei libet,*
2 *Maiores non nisi in publica ordinatione, & temporibus certis,*
3 *Summus Pont. quolibet tempore.*
4. *Pœna ordinatorum & ordinantium extrà præscripta tempora. 5.*
6 *Debent gradatim conferri Ordines,*
7 *Et per certa interstitia.*
8 *De qualitate ordinandorum.*

CErtis & legitimis temporibus conferri ab Episcopis Ordines debent. Et quidem licèt Minores conferri possint, quando & vbi Episcopo libuerit, *c.6.h.t. can. fin. dist.69. & can. Quando dist.75.* etiam absque Missa, & à non ieiuno Episcopo, Piasec. *1. p.cap.1.art.8. num.5. vbi alios citat.* id tamen fieri debet intra diœcesim, Concil. Trid. *Sess.6.c.5. de reformat.* & præsertim Dominicis, aliisve festivis diebus; sicut & Virginum consecratio, *c.1. & 3. h.t.* Excipitur prima tonsura, quæ cùm voluntariæ sit iurisdictionis, & in Episcopatu, & extra, conferri potest, secundum Rebuff. *in Praxi tit. de Clericis, & à quibus & quomodo*, &c. *n.12.* 1

Maiores verò Ordines nonnisi in publica ordinatione conferri possunt, *d. can. Quando*; & quidem in Missa, *c. Quod sicut sup. de elect.* de necessitate scilicet præcepti, non de necessitate Sacramenti, Piasec. *d. loco*: & in ieiunio quatuor temporum, nempe in Sabbato sancto, & in die antecedente Dominicam Passionem, non obstante contrariâ consuetudine, *c.1.2.3.8. & alia h.t.* Concil. Trid. *Sess.23.c.8. de reformat.* Exceptis duobus casibus: Primò, si tanta sit ordinandorum multitudo, vt nequeant omnes in Sabbato ordinari: tunc enim in diem Dominicam sequentem collatio differri potest. Innoc. *in c. Literas h. t.* Secundò, si tam ab ordinandis quàm ab ordinantibus servetur ieiunium vsque in sequentem diem Dominicam, *can. Quod à Patribus dist.57.* Conferuntur autem potius in Sabbato, quàm aliis diebus, quia dies Sabbati consecrata est Spiritui sancto, cuius dona in Ordinibus recipiuntur. 2

Potest tamen summus Pontifex quolibet tempore ac diebus Dominicis & festivis eos conferre 3. hánque facultatem etiam aliis 3

Episcopis in fauorem ordinandorum concedere, quia haec prohibitio originem habet à iure positiuo, quo solutus est summus Pontifex. Quod si quis extra praedicta tempora ordinatus fuerit, tametsi recipiat characterem & ordinem, quia tempus non est de substantia ordinis, vt nec ieiunij tamen ex iuris positiui dispositione in poenam non seruati temporis suspenditur ab executione ordinis, quousque poenitentia ab Episcopo (qui scilicet in culpa non fuit) imposita, & impleta fuerit, *cap. cum quidam 8. cap. consultationi tuæ 16. & vtrobique g. toss. h.t.** Quantum verò ad ordinantem extra praescripta 5 tempora attinet, is priuatur potestate conferendi ordines, quos illicitè contulit, *d. cap. cum quidam cap. fanè 2. & cap. Literas 13. h.t.*

Sed & gradatim conferri ordines debent, 6 incipiendo à prima tonsura per ordinem, *can. si officia distinct. 59.* Nam casum accidit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quaerit ascensum: nec aedificati parietes priùs tignorum pondus accipiunt, quàm à nouitatis suae humore siccentur, ne si ante pondera, quàm solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant, *cap. vlt. dist. 48.* Non tamen vnâ eademque die vel duabus continuato ieiunio ad duos sacros ordines admitti quis debet, *d. cap. litteras & cap. dilectus eod.* etiamsi sit regularis. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 13. de reformat.* Idque sub poena suspensionis ab executione ordinis, illegitimè susceptis; adeò vt si eadem die tres susceperit, suspendatur à duobus vltimis, non à primo, qui legitimè susceptus est, vt manifestè colligitur *ex d. cap. litteras.*

Praeterea ex Conc. Trid. *d. cap. 13.* requiritur, 7 vt promotus ad subdiaconatum, nisi per annum in eo versatus fuerit, ad altiorem ascendere non permittatur, nisi aliud Episcopo videatur similiter *cap. 14.* vetatur promotus ad diaconatum, antequam per annum integrum in eo ministrauerit, ad sacerdotium ascendere, nisi ob Ecclesiae vtilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur: vbi indicatur, maiorem requiri causam dispensandi hoc casu, quàm in priori, in quo vtilitas sufficit. Posse tamen Episcopum dispensare super huiusmodi interstitiis, patet ex eodem Concilio, cùm ad eum quoque, quoad regulares promouendos, non ad eorum superiores, itidem regulares super huiusmodi interstitiis dispensare pertineat, prout declaratum fuisse per sacram Congregat. ex Quaranta refert Piacef. *d. cap. 1. art. 8. num. 5. §. requiritur item.* Vbi subiungit, eadem interstitia posse remittere Capitulum, sede vacante, seu eius vicarium, *in* casibus, quibus potest dari licentiam ordinandi, *ex declarat. eiusdem congregat.* & nullam poenam incurrere ordinarium vel ordinatum, non exspectatis interstitiis, licèt peccet ex Nauar. *Concil. 4. & 6. de temporib. ordinationum.*

Dixi antè, Ad duos sacros ordines; quia quamvis olim in minoribus quoque suscipiendis certa interstitia temporis praescripta fuerint, vt patet *ex can. singulis distinct. 77.* tamen licet nunc illos omnes eadem die suscipere & conferre, maximè vbi est consuetudo, *cap. 2. inf. de eo, qui furtiuè ord. suscepit.* Episcopus verò conferens eidem vnâ die plures ordines sacros, etiamsi de mandato Metropolitani hoc faciat, ab ordinandi potestate suspenditur, *d. cap. dilectus h.t.*

Quantum ad qualitatem attinet ordinandorum, vel etiam ordinatorum de (qua hic quoque agitur, vt patet ex *d. cap. cum quidam*, & *cap. Quod translationem eod.*) ea nihil aliud est, quàm accidens aliquod, afficiens personam ordinandi vel ordinati, siue benè, seu sit bona qualitas, vt morum probitas, prudentia, scientia, &c. sive malè, seu sit mala qualitas, vt prauitas morum, illitteratura, excommunicatio, suspensio, infamia, &c. Sed quia de illa non minùs commodè agetur in Tit. *de aetate & qualit. & ordine praficiendorum*, ideo quae hic dicenda forent, ad eum Tit. reiicimus. 8

TITVLVS XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

1 *Quid sit scrutinium, & quotuplex.* 2.
3 *Quid in hoc reseruetur circa minores aut maiores Ordines.*
4 *Primum & secundum scrutinium.* 5. 6.
7 *Qui à scrutinio excipiantur.*

VM nullus debeat ordinari clericus, nisi qui probatus fuerit vel examine Episcoporum, vel populari testimonio, vt habetur *in can. Nullus, distinct. 24.* ideo adueniente tempore, ordinationi praefixo, examinari debent ordinandi, *d. can. Nullus, can. Quando dict. distinct. 34.*

Scrutinium nihil est aliud, quàm examen, 1 per

per eum factum, ad quem spectat dictum à Scrutando: nam is, qui examinat ordinandos, scrutetur siue interrogat, *cap. vnico h. t.*

2 Vt verò alias scrutinij diuisiones (de quibus Hostiensis *in summa h. t. §. quot modis*) omittam, quoad ipsam ordinationem est duplex: vnum, quod ante oidinationem, & quidem diligenter, faciendum est, *cap. Nihil est* 44. §. *Episcopi sup. de elect.* alterum, quod fit in ipsa ordinatione.

3 Ad Minores itaque promouendi Ordines, ex decreto Conc. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* tenentur habere & exhibere testimonium à Parocho suo & magistro scholæ, in qua educantur & erudiuntur: ad singulos verò Maiores assumendi, per mensem ante ordinationem adire Episcopum debent, qui ad detegenda, si quæ fortè subsint, impedimenta occulta & incognita, Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committet, vt, nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoueri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, vita, à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem continentes, ad Episcopum quamprimùm transmittat.

4 Deinde feriâ quartâ ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, vna cum Archipresbyteris ad ciuitatem euocari debent; ipséque Episcopus, adscitis sibi sacerdotibus, & aliis iuris prudentibus, peritis diuinæ legis atque in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, doctrinam & fidem diligenter examinare atque inuestigare, *d. can. Quando, cum duobus seqq. distinct. 25. cap. 4. penult. & vlt. inf. de ætate & qualit. & ord. præficien.* Conc. Trid. *sess. 23. c. 7. de reformat.* & hoc vocatur Primum scrutinium.

5 Sabbato verò sequenti, qui probati & idonei reperti fuerint, Episcopo ordinandi præsentari debent per Archidiaconum, qui adsistit Episcopo, & ad quem de iure communi spectat examen & præsentatio ordinandorum ad sacros ordines, *cap. Ad hæc 7. cap. Vt nostrum 9. inf. de officio Archidiaconi*; ac proinde examinatores, quos sibi adsciscere debet Episcopus ex decreto Conc. Trident. *cap. 7.* & quos singulis annis in Synodo diœcesana pro examine ad Parochiales Ecclesias eligi iubet idem Conc. *sess. 24. cap. 18.* accipiendi sunt cumulatiuè cum Archidiacono, non autem cum illius exclusione.

Præsentando verò ordinandos dicit Archi- 6
diaconus, *Postulat sancta mater Ecclesia hos diaconos vel subdiaconos fieri*: & interrogatus, an eos dignos cognouerit; respondet, se nosse & testificari, in quantum humana fragilitas nosse sinit, *cap. vnico h. t.* & hoc vocatur secundum scrutinium. Ea autem responsione non peccat Archidiaconus, quamvis ordinandus reuera sit indignus, modò non sciat esse indignum, nec per eum stet, quò minùs sciat esse talem: quia non simpliciter asserit, illum esse dignum, sed quantum humana fragilitas nosse sinit; præsertim cùm illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare simili responsione vtuntur suffraganei, præsentantes Archiepiscopo electum in Episcopum, vt eum consecret; interrogati, num sciant illum esse dignum: hæcque interrogatio & responsio vocatur etiam scrutinium. Imò de eo potissimùm hoc Tit. agitur, vt patet *ex dict. cap. vnico.*

Quod si examinatio prædicta ordinationem 7
non præcedat, vel si inscio Episcopo suo quis ordinetur, censetur furtiuè ordinem suscipere: & qui ordinatus fuerit non examinatus iubetur deponi, *can. vlt. distinct. 24.** Attamen ab examine ipso seu scrutinio excipit Trid. præsentatos, electos seu nominatos ab vniuersitatibus siue collegiis generalium Studiorum *sess. 23. cap. 13. de reform.* Quod tamen videtur reuocare *sess. 24. cap. 18. de refor.*

TITVLVS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit, & ab excommunicato.

1 *Episcopus renuntians loco rectè confert ordines.*
2 *Renuntians loco & dignitati non nisi minores conferre valet.*
3 *Pœna ordinati ab huiusmodi Episcopo.*

Diximvs ante, quemlibet ordinandum esse à suo Episcopo, vel ab alio, de eius mandato ac licentia. Quia verò Episcopus, qui renuntiauit Episcopatui, desinit esse proprius Episcopus; excommunicatus autem, excommunicatione durante, suspensus est ab executione ordinis Episcopalis: ideò ne

quis

quis facilè decipiatur in ordinum susceptione, meritò inquirendum nunc est, quid iuris sit de eo, qui ab alterutro eorum ordinatus est.

1 Quod ad primum attinet, dicendum est, Episcopum, si renuntiauerit loco dumtaxat, rectè conferre ordines, ab aliquo Episcopo rogatum, siue minores siue maiores, quia manet Episcopus & quoad habitum & quoad
2 exercitium. * Si verò renuntiauerit loco & dignitati, quia remanet tunc solùm Episcopus habitu, & priuatur exercitio, vt colligitur ex *cap.* 1. Panormit. *ibidem hoc titulo.* Minores quidem conferre potest, quia etiam non Episcopus illos conferre valet, veluti Abbas: & ideò taliter promotus ad maiores Ordines ascendere non prohibetur, modò idoneus sit. At verò sacros ordines seu maiores, Episcopus talis conferre nequit: * Adeò vt, si quis ab eo sacrum ordinem suscipiat sciens, characterem quidem accipiat, non tamen in eo ordine ministrare possit, quia indignum se fecit. Dixi, sciens, quia si ignoranter, cum eodem, vt ministrare valeat, Episcopus rectè dispensat: sicut & cum eo, qui ignorans ab Episcopo excommunicato ordines accepit, *cap.* 1. & 2. *hoc titulo* nisi ipsemet ordinauerit: nam eo casu, ne videatur dispensare super proprio defectu, summus Pontifex adeundus est.

TITVLVS XIV.

De ætate, & qualitate & ordine Præficiendorum.

§. I.

De ætate Præficiendorum.

1 *Ætas requisita ad obtinendum beneficium.*
2 *Ad Episcopatum, & alias dignitates.*
4 *Ad Parochiale beneficium.*
5 *Ad Canonicatus.*
6 *Abbatissa non nisi quadragenaria eligenda.*

2 INTER ordinandos siue ordinatos, de quibus egimus, quidam præficiendi sunt dignitatibus, veluti Episcopatibus, de quibus potissimùm hoc Tit. tractat Pontifex, vel certis Ecclesiis seu beneficiis, ex quibus adscripti militiæ clericali stipendia, quibus sustententur, percipere valeant, cùm non teneantur propriis stipendiis militare, *cap. exsirpanda §. 1. inf. de prebendis, can. Militare* 32. *quæst.* 1. in præfiniendis verò spectanda & requisita est certa ætas, qualitas & ordo: de quibus nunc agendum est.

Et quidem quantum ad ætatem præficiendo 1
rum attinet, multa hic innovauit Conc. Trident. ex iure antiquo: nam eo iure ad obtinendum beneficium sufficiebat ætas septennij, *cap. Nullus sup. de temporib. ordinat.* hodie requiritur ætas 14. annorum, Trident. *sess.* 23 *c.* 6. *sess.* 22. *c.* 2. *de reformat.* saltem incœptorum. Riccius in *Praxi dec.* 392. Aliàs minori facta collatio est nulla: nec potest Episcopus in hac ætate dispensare, *c. Non est compos sup. de temporibus ordinat.*

Ad Episcopatum idem Concil. requirit ætatē 2
30. annorum completorum, *sess.* 7. *c.* 2. *sess.* 22. *c.* 2. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* Et ideo ad Cardinalatum Episcopalem eadem ætas requiritur: alioquin ad Diaconalem sufficere vigesimum tertium annum incœptum; ad Presbyteralem 25. quidam existimant, vt refert Azorius 1. *institut. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 10.

Ad dignitatem, inferiorem Episcopatu, ha- 3
bentem curam animarum requirit Concil. sicut & *cap. cum in cunctis* 7. §. *inferiore, sup. de elect.* ætatem 25. annorum, saltem inchoatorum, *sess.* 24 *cap.* 12. Ad alias verò dignitates, personatus, & officia, quibus cura animarum non incumbit, ibidem requirit ætatem 22. annorum completorum: cùm tamen iure decretalium ad personarum sufficeret ætas 14. annorum, *cap. indecorum* 3. *h.t.*

Ad Parochiale beneficium, vel aliud curam 4
animarum habens, licèt non sit dignitas, vel commenda detur, requiritur annus vigesimus quintus inchoatus; adeò collatio ei facta, qui non attigit illum annum, sit nulla, *cap. licèt. canon.* 14. *cap. nemo deinceps.* 15. *de elect. in* 6. Eadèmque ætas requiritur in vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, *element. vnica de officio vicarij.* Et licèt Piasec. *praxeos Episc. part.* 2. *cap.* 5. *a.* 3. *num.* 17. existimet, ad Parochiale beneficium sufficere ætatem, qua possit quis infrà annum promoueri ad Presbyteratum, per *d. cap. licet.* & Conc. Trident. *cap.* 12. *sess.* 24. tamen & *d. cap. licèt* & Conc. expresè contrarium disponit, vt ex textu videre licet, cùm tam; *d. cap. licèt*, quàm Conc. requirat, vt saltem attigerit 25. annum.

Ad Canonicatus & præbendas vel portio- 5
nes

nes Ecclesiarum cathedralium requiritur ætas, quam canonicatus seu præbenda vel portio ipse requirit, ratione ordinis, quem annexum habet, iuxta distinctionem Trid. *sess.* 24. *c.* 12. In collegiata verò & cæteris inferioribus requiruntur quatuordecim anni inchoati. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* scilicet, iuxta iuris communis dispositionem, in *cap. super inordinata* 35. *iuncta* Gloss. *V. pueri inf. de præbend.* nisi ex fundatione aliter cautum sit, cui Concilium non derogauit, *iuxta declarationem Card. ibid.*

6 Denique Abbatissa, Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita, quæ caput sit ipsius conuentus, eligi debet non minor annis 11. & quæ octo annis post emissam professionem laudabiliter vixerit, Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 7. *de regular.* Zerola *V. Abbatissa* §. 1.

§. II.

De qualitate præficiendorum.

1 *Qualitates eædem in præficiendis requisitæ, quæ in ordinandis.*
2 *Qualitates in Curato requisitæ.*
3 *In Archidiacono, Pœnitentiario, Scholastico,* &c. 4. 5.
8 *Prærogatiua graduatorum.*

1 QVantum verò ad qualitates attinet præficiendorum, tales, inquit Pontifex, *in can.* 4. *distinct.* 23. ad ministerium eligendi sunt clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

Igitur eædem qualitates in præficiendis requiruntur, quæ in ordinandis: ac proinde spectanda est primo regula Apostoli, *ad Timoth.* 3. & *ad Tit.* 1. quæ his versibus continetur: *

Primùm præcipitur, quòd sit sine crimine Præsul,
Monogamus, sobrius, prudens ordinatus, & hospes:
Casta docens, non percussor, non litigiosus,
Non cupidus, benè dispositus, non Neophytusue,
Talis Apostolica quòd præsit regula iussit.

Nam licèt Apostolus hanc regulam de Episcopo tradiderit, tamen August. *in can. Apostoli distinct.* 81. & Ambrosius *in can. cognoscamus distinct.* 34. eam ad alios clericos ordinandos, & consequenter præficiendos, extendunt singulorum autem dictæ regulæ capitulorum explicationem videre licet apud Hostiensem *in summa tit. de temporibus ordinat.* & apud Gratianum, *à 2. parte distinct.* 25. *vsque ad distinct.* 50. In summa, promouendi ad vnumquodque beneficium, officium, vel dignitatem, tales sint oportet, qui respondere muneri, illúdque debitè exequi valeant, pro varietate & diuersitate beneficiorum, vel dignitatum & munerum, iis incumbentium seu annexorum, iuxta Innocentium *in cap. cum in cunctis suprà de electione.*

Et ideò beneficia, curam animarum habentia, conferri debent personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos eam curam exercere valeant: aliàs collatio est nulla, conferens pœnas incurrit, 5. *Graue nimis inf. de præbendis, cap. Quia nonnulli inf. de clericis non residen. cap. Licèt canon de elect. in* 6. Concilii Trident. *sess.* 7. *cap.* 3. *de reformat.* Tenetúrque Curatus scire canones præsertim pœnitentiales, & quæ in administratione Sacramentorum requiruntur. 2

Archidiaconus in Ecclesia Cathedrali, doctrina ad munus suum necessaria & vitæ integritate commendabilis esse debet, Doctor aut licentiatus in sacra Theologiâ vel Iure canonico, ex decreto Concilij Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. Non comprehendi tamen eo decreto, quoad qualitatem doctoratus & licentiæ, Archidiaconum, qui cura animarum & omni prorsus iurisdictione caret, tradit Piasec. 2. *part. cap.* 5. *art.* 3. *num.* 13. *ex declarat. cardinal.* 3

Pœnitentiarius in Ecclesia Cathedrali annorum 40. similiter Doctor aut licentiatus in alterutra illarum facultatum, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperitur, Concilium Trident. *d. sess.* 24. *cap.* 8. Vicarius etiam sede vacante eligendus similiter debet esse Doctor vel licentiatus; saltem iure canonico, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Trid. *d. sess.* 24. *cap.* 16. 4

Scholasticus Doctor aut licentiatus in sacra pagina aut iure canonico, aut aliàs idoneus, qui per se id minus explere possit, Trident. *sess.* 23. *cap.* 18. §. *de cætero.* de qualitatibus in Episcopum eligendi dixi suprà *tit. de elect.* 5

Insuper sancta Synodus Trident. *d. sess.* 24. *cap.* 21. hortatur, vt in prouinciis, vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, aut saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedra- 6

libus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus, conferantur dumtaxat Magistris vel Doctoribus, vel etiam Licentiatis in sacra Theologia aut Iure Canonico; & vt Canonicatuum Cathedralis Ecclesiæ dimidiæ quoque parti ordo sacerdotij annectatur. Hinc in erectione novorum Episcopatuum per Belgium novem præbendæ, tunc primò vacaturæ, affectæ fuerunt: tres quidem Theologiæ, & totidem Iuris Doctoribus aut Licentiatis, tres verò aliæ Nobilibus diœcesanis, sive Theologiæ sive Iuris Doctoribus aut Licentiatis: & ad eas promovendi actu tales esse debent tempore promotionis, quia Bullæ loquuntur de promotis in aliqua famosa Vniversitate, quod actum præteritum importat. VVamesius *Consilio 18. iuxta ordinem Decretal. num. 1. & sequent.* In aliis autem beneficiis simplicibus sufficit doctrina mediocris, vel saltem, quòd beneficiatus sciat legere, construere, canere, horas Canonicas recitare, *Clem. unica de concess. prabenda, in unctâ* Glos. *in V. reputamus*, Navar. *de horis Canonicis c. 7. n. 3.* Piacci. *2. p. c. 5. n. 20.*

§. III.

De Ordine præficiendorum.

1 *Ad simplex beneficium sufficit regulariter prima tonsura.*
2 *Beneficiis singulis suus Ordo annexus.*
3 *Adsumendus ad curatum beneficium 25. annum attigisse debet.*
4 *In Episcopum vel Abbatem qui eligendi.*
5 *Ordo dupliciter annexus dicitur beneficio.*

1 POstrema pars Tit. est de ordine præficiendorum. Ad obtinendum itaque simplex beneficium sufficit prima tonsura: quamvis subinde requiratur, vltra tonsuram, Ordo sacer seu maior, pro varietate beneficiorum, illum ex consuetudine, statuto, vel fundatione requirentium. * Ideóque, cùm beneficiorum alia dicantur Sacerdotalia, alia Diaconalia, alia Subdiaconaliâ, is Ordo requiritur, quem beneficia postulant, vel saltem capacitas ad Ordinem intra annum, à die pacificæ possessionis, vel ex eo tempore, quo per beneficiatum steterit, quò minùs eam, cessante legitimo impedimento, nactus sit: nam intra illud tempus Ordinem requisitum suscipere tenetur, *cap. Licèt canon, c. Commissa de elect. in 6.* Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 4. de reformat.* vbi innovavit Clem. *Vt ij qui h.t.* & *Sess. 24. cap. 12.* vbi statuit, vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Canonicatus omnes seu portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus vel Subdiaconatus: quodque Episcopus cum consilio Capituli (quod tamen sequi non tenetur, vt declaratum fuisse à Sacra Congregat. refert Zerola, *in sua Praxi p. 2. V. Capitulum* Piac. *part. 2. cap. 3. art. 2. num. 7.*) designet & distribuat, prout viderit expedire, quibus canonicatibus & portionibus quisque Ordo ex sacris annexis in posterum esse debeat, ita tamen, vt saltem dimidia Presbyteri sint: nisi fuerit ea loci consuetudo, vt plures vel omnes habeant Presbyteratum annexum. Dixi Canonicatibus; quia iis, & non personis, Ordo assignari debet, *ex dicta declarat. Cardinal.*

Ad Parochialem Ecclesiam nemo assumi 3
potest, nisi sit Subdiaconus: potest tamen Episcopus cum constituto in minoribus Ordinibus dispensare, modò aliàs sit idoneus, & talis, vt infra breve tempus possit in Presbyterum ordinari, *c. Præterea 5. h.t.* id est modò attigerit 25. annum. Similiter ad dignitates quascunque quibus cura animarum (quæ rectè *in c. penult. h.t.* dicitur *ars artium*) subest, nemo promovendus est qui non attigerit 25. annum, *cap. Cum in cunctis §. inferiora sup. de elect.* Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. & ad d. locum Cùm Conc. tum c. Cum in cunctis & c. Licet Canon 14. de elect. in 6. plenè & enucleatè in elegantissima sua Analysi* V. Cl. Steph. VVeymius Collega meus, primò Canonum Ordinarius deinde Legum Antecessor primarius. Ad alias verò dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla incumbit, non minores 22. annis adsumi debent. Conc. Trid. *ibid.*

In Episcopum nemo eligendus, qui non sit 4
Subdiaconus, *c. A multis 9. h.t.* In Abbatem, Præpositum, vel Decanum, qui non sit Sacerdos, vel idoneus, vt brevi fiat, *c. 1. h.t.* Potest tamen, ob necessitatem Ecclesiæ, in minoribus constitutus, etiam irregularis, in Abbatem dispensativè eligi, *c. tuam h.t.* Archidiaconum oportet esse Diaconum; Archipresbyter sit Presbyter necesse est, *d. cap. 1. hoc tit.*

Observandum autem hic est, pro pleniori dictorum cognitione, dupliciter posse ordinem esse annexum beneficio vel dignitati; primò, respectu aptitudinis, & tunc requiritur, vt ad illud vel illam promovendus tempore suæ promotionis talis sit ætatis, vt infra annum possit illum ordinem suscipere, non autem requiritur, vt actu habeat: veluti Parocho, Decan. Archidiacono *c. Si pro 8. de prabendis in 6.* Secundò respectu actus; & tũ necessariò requiritur,

vt

vt qui promovetur ad tale beneficium vel dignitatem, tempore promotionis illum ordinem actu habeat: veluti si in fundatione vel statuto habeatur, quod tale beneficium debeat conferri actu Sacerdoti, vel Diacono, vel Subdiacono, vel non debeat conferri nisi Presbytero, Diacono, vel Subdiacono: quia, vt dici solet, qualitas adiecta verbo, debet adesse tempore verbi, seu per verbum significato, *argument. l. In dilectis §. si extraneus, ff. de noxal. action. & l. 1. §. tutoris ff. Quod iussu, DD. in l. Ex facto, in princ. ff. de vulgari.* Surd. *de aliment. tit. 9. quæst. 13. num. 5.* Sic quilibet acceptans beneficium, debet actu esse Clericus, seu habere primam tonsuram; nec in hoc casu cingendus habetur pro cincto, Riccius *in Praxi benef. decis.* 185.

§. IV.

De ætate ad Ordines requisita.

1 *Ætas requisita ad Ordines ex iure veteri.*
2 *Ex iure nove.*
3 *Ex iure novissimo seu Conc. Trid.*
4 *Pœna Episc. ordinantis, & ordinatorum, ante legitimam ætatem.*
5 *Super ætate solus Pontifex dispensat.*

1 DOcuimus, quis, Ordo in præficiendis exigatur: non abs re fuerit hîc subiungere, quænam ad quemque Ordinem ætas requiratur.

In primis igitur, qui ad primam tonsuram, & tres sequentes minores Ordines, promoveri cupit, annos infantiæ, qui sunt septem, *l. Si infantu C. de iure deliberandi*, expleverit necesse est: nisi ex devotione parentum inter Religionem. *cap. fin. & ibi* Gloss. *de temporib. ordinat. in 6.* qui ad Acolytatum, & Subdiaconatum, olim annum decimumquartum excessisse debebat, *can. In singulis distinct. 77.* & aliquando attigisse vigesimum, *canon. Quicumque, cum seq. ead. dist.* Ante 25. ætatis annum Diacon ordinari non poterant, *can. Placuit,* 2 *& aliis ead. dist.* * At verò de iure novo ad Subdiaconatum 18. ad Diaconatum 20. ad presbyteratum 25, requiruntur, *can. de his dist. 28.* Clem. *fin. h. t.*

3 Denique hodie ex Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 12. de reformat.* nullus ad Subdiaconatum ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. annum promoveri debet; hos tamen annos sufficit esse incœptos, Glossa & DD. *in d. c. Clement. fin.* Minoribus verò Ordinibus nullam certam ætatem præscripsit dictum Concilium, quasi hîc attendenda ea sit ætas, quam sacri Canones præscripserunt, iuxta declarationem Card. apud Piasec. *1. p. Prax. Episc. c. 1. art. 4. num. 1.* maiorque literarum & morum, quàm ætatis, habenda sit ratio: vt proinde arbitrio Episcopi relictum videatur, quâ ætate suscipi possint, vti satis insinuat ipsum Conc. Trid. *d. loco, & ead. Sess. cap. 5. & 6.* dum eorum non meminit. In Episcopo ordinando ætas 30. annorum exactorum vt minimùm spectatur, ex eodem Conc. *Sess. 7. cap. 1. de reformat.* sicut & antea semper spectata fuit, *c. Cum in cunctis sup. de elect. iunctâ Gloss. in Clem. Generalem de ætate & qualit.* &c. Prædicta tamen ætas in singulis Ordinibus non est de necessitate Sacramenti (quia quoad illud nulla certa ætas requiritur, cùm etiam infans, si ordinetur in Sacerdotem, receperit sit character; licèt possit adultus factus reclamare, nisi ratum habuerit in ætate legitima:) sed est de necessitate præcepti, Piasec. *d. loco in princ.*

4 Cæterùm Episcopus, ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspendi debet à collatione Ordinum: ordinatus verò ab ipsius Ordinis sic suscepti executione suspenditur, vsque ad legitimam ætatem, idque in iniuriam conferentis, vt in quo peccavit, puniatur, *c. Vel non est compes 14. iniuncto cap. dilectus sup. de temporib. ordinat.* Videatur Covar. *Clement. Si furiosus de homicidio p. 1. §. 1. num. 4.* vbi docet, non esse suspensum ipso iure, sed suspendendum per sententiam, secundùm ius commune. Quod addo, quia hodie per Extravagantem Pij II. incip. *Cum ex sacrorum*, quam refert Piasec. *d. artic. 4. num. 2.* ipso iure suspensus est (sicut & ordinatus ab alieno Episcopo sine literis dimissoriis, vel extra tempora) & celebrans efficitur irregularis, à solo Papa absoluendus, beneficiisque privari potest. Vide & Navarr. *in Manuali Confess. cap. 27. num. 155.* Quòd si verò beneficium conferatur alicui, ætatem ad illud requisitam non habenti, collatio est nulla, quantumvis modicum desit, putat vel dies vel hora, quia in limitatis à iure non licèt arbitrari. Garz. *de benef. part. 7. cap 4. num. 82. & seqq.*

5 Porrò Episcopum non posse super ætate dispensare quoad dignitates seu beneficia curata, sed ad hoc adeundum esse summum Pontificem, notat Gloss. *in d. Clement. fin. in V. annum, & cap. 1. hoc. tit. in 6. ad V. nim imminet, & ibid.* Ioan. Andr. *num. 2.* & quidem verbis expressis, his vel similibus, *super*

quâ de oberioris dono gratiæ, tecum dispensamus, secundùm stylum Curiæ Calder. *Cons. 8. de Rescriptis.* Verumtamen si Pontifex minori ante iustam ætatem dispensativè concesserit aliquam Ecclesiam, eam ante legitimam ætatem per se non administrabit, sed per alios idoneos; non quidem laicos, sed Clericos, *cap. 2. hoc tit.* In materia autem ætatis creditur dicto parentum, vel testium, *l. de ætate ff. de minoribus*, Rebuff. *de literis primæ tonsuræ num. 13.*

TITVLVS XV.

De sacra Vnctione.

§. I.

Quæ dicatur sacra Vnctio.

1 *Definitio,*
2 *Divisio in Exteriorem & Interiorem.*
3 *Ad exteriorem adhibetur Oleum Benedictum & sacrum Chrisma.*
4 *Chrismate inungitur Episcopus.*
5 *Oleo benedicto & Chrismate Sacerdotes, Reges, & Christiani omnes.* 6.

1 QVia in sacris Ordinibus conferendis & consecrandis Ecclesiæ ministris, vtus est sacræ Vnctionis, ideò sub tractatu ordinationum rectè hic Tit. positus est.

Est autem sacra Vnctio, iuxta Hostiens. *in Summa h.t. num. 2.* sacri olei materialis delibatio seu delibutio, secundùm formam Ecclesiæ traditam.

2 Estque duplex, Exterior materialis scilicet & visibilis, per quam corpus inungitur: & Interior, per quam invisibiliter cor, id est anima inungitur. Ponitur enim hic Cor pro Anima; sive quia secundum aliquos anima in corde sedem habet; sive quia vnctio non fructificat in anima, nisi ex corde & voluntate procedat. Hinc si quis invitus & contradicens baptizetur, nec rem nec characterem sacramenti Baptismi recipit, *cap. Maiores §. inf. de Baptismo.*

3 Ad exhibendam exteriorem vnctionem, quæ est signum interioris, benedicitur & consecratur oleum ex oleo olivarum, quod dicitur Catechumenorum & infirmorum: item conficitur aliud, quod vocatur Chrisma, ex oleo, designante nitorem conscientiæ; & bafamo, quod odor bonæ famæ exprimitur.

Chrismate in primis quilibet Episcopus vngi debet; non tam in corpore, quàm in corde: vt & interiùs nitorem conscientiæ, quantum ad Deum, & exteriùs habeat odorem bonæ famæ, quoad proximum. Vngitur verò in capite, & in manibus. Per caput mens intelligitur; per manus, opera, *d. cap. in principio.* Vtriusque vnctionis rationem vide *in c. vnico h.t.* Videantur & quæ suprà diximus *Tit. de elect. §. 7. de consecrat. Episcopi.* 4

Sacerdotes similiter inunguntur in manibus, sed oleo benedicto; quo etiam in veteri Testamento Reges vngebantur in capite: hodie verò post adventum Christi, qui est caput totius Ecclesiæ, solùm inunguntur in brachio, humero vel armo: tum quia iis propriè designatur Principatus, iuxta illud, *Factus est Principatus super humerum eius*; tum vt designetur differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis potestatem. Pontifex tamen etiam hodie in capite inungitur, quia repræsentat personam capitis, scilicet Christum, in Pontificali officio, *d. c. vnico §. 2. in fine.* Quatuor autem Reges de iure inungi ex historiis regni Neapolitani refert Ioannes Honorius *in Summa Decret. h.t.* nempè Ierosolymitanum à Patriarcha; Francorum ab Archiepiscopo Remensi; Anglorum à Cantuariensi; Siculorum ab Archiep. Barensi, summo Pontifice, vel alio Episcopo aut Cardinali, cui S. Pontifex pro tempore committit; aliis verò nonnisi ex privilegio id competere ibid. refert *ex Prob. ad* Monach. *in cap. 2. num. 3. & 4. de prob. in 6.* 5

In novo verò Testamento non solùm Reges & Sacerdotes inunguntur, sed & Christiani omnes bis ante Baptismum oleo benedicto; primùm in pectore, deinde inter scapulas: & post Baptismum bis Chrismate sancto; primùm in vertice, demùm in fronte *d. c. vnic. §. quia vero*, vbi ratio harum vnctionum, & cur in dictis partibus fiant, redditur. 6

Ecclesia quoque vngitur Chrismate, cùm dedicatur, altare cùm consecratur, primùm oleo, secundò chrismate: Calix verò, cùm benedicitur, sed Chrismate tantùm, *d. cap. vnico §. vngitur fin.*

***

§. II.

§. II.

De Confirmatione.

1 *Cur necessaria sit Confirmatio.*
2 *Definitio, Materia, & Forma.* 3. 4.
5 *Minister huius Sacramenti.*
6 *Qualitas confirmandorum.*
7 *De patronis.*
8 *Effectus Confirmationis.*

QVia per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, *c. vnico §. per frontis h. t.* & quia de extrema quoque Vnctione incidenter agit Pontifex *in d. c. vnico*: non alienum à re fuerit de vtroque hoc Sacramento aliquid subiungere.

1 Tametsi verò, vt dicitur *in can. 2. de consecrat. distinct. 5.* continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia, vtpotè per quam baptizatus armatur & instruitur ad agones & certamina huius mundi, accepto per ipsam Spiritu sancto, ad robur & augmentum gratiæ, *can. 1. & 2. & can. Nouissimè distinct. 5.* Vt proinde nullatenus in Christiano adulto queat à baptismo separari, & vnum sine altero ritè conferri non possit; licèt alioquin duo sint Sacramenta, *can. 3. eod. distinct.*

2 Est autem Confirmatio, vnctio chrismatis consecrati in fronte baptizati, facta ab Episcopo, sub præscripta verborum forma, ad audacter confitendum nomen Domini.

3 Materia eius remota est Chrisma confectum ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto & consecrato, *d. c. vnico h. t.* Proxima verò materia est vnctio ex prædicto Chrismate in fronte adhibita, ad formam seu signum crucis. De cuius, aliarúmque vnctionum significatione, vide *d. c. vnicum & d. can. Nouissimè distinct. 5.*

4 Forma est, *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. d. c. vnico §. per frontis, c. Numquid de consecrat. dist. 5.*

5 Minister ordinarius est Episcopus, *d. §. per frontis, can. Presbyteris de consecrat. distinct. 4.* Conc. Florent. *in Instructione Arm. & aliis similibus*, Trid. *Sess. 7. can 3. de confirmat.* Aliquando tamen, ex causa necessitatis ac dispensatione, illud concessum fuit Presbyteris, *can. Pervenit distinct. 95.* sed postea prohibitum.

6 Debet verò confirmandus esse baptizatus, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum: & septennis seu eius ætatis, in qua ille pugnandum cum dæmone; quod tamen consilij est, non necessitatis, quamvis tutiùs fuerit exspectare septennium, propter periculum reconfirmationis, Piasec. 1. *p. cap. 3. art. 2. circa finem.* Insuper ieiunum esse oportet, & peccata mortalia si quæ habuerit, confessum, Navarr. *cap. 22. num. 9.* Si tamen necessitas vrgeat, veluti infirmitas & mortis periculum, potest non ieiunus confirmari, *can. Vt Episcopi d. distinct. 95.* quia id etiam est consilij tantum. Imò vsus obtinuit, vt plerumque à non ieiunis conferatur & suscipiatur. Percutitur verò maxilla confirmati, in signum, quòd forti & inuicto esse animo debeat ad fortiter pugnandum pro fide: ipseque Episcopus, cum pluviali, mitra, stola, & baculo pastorali confirmare debet, *secundum declarat. Card. teste* Piasec. *d. loco n. 4.* & diœcesanos tantùm *idem ibid.*

7 Vt autem in Baptismo, ita & in Confirmatione patrini seu matrinæ intervenire debent, qui confirmatum in fide ac malitia Christiana plenius instruant: non tamen plures quàm vnus, sive vir sive mulier, aut ad summum duo, vnus & vna; iuxta Concilium Tridentinum, *Sess. 24. cap. 2. de reformat. matrimon.* Inter quos & confirmatum, confirmatique patrem ac matrem, & non vlterius (licèt olim aliter obtinuerit) contrahitur cognatio spiritualis: impediens contrahi matrimonium, & dirimens contractum, Tridentinum, *d. loco* Patrinum verò oportet esse baptizatum & confirmatum, *can. In baptismate de consecrat. distinct. 4.* alias non contrahet affinitatem. Piasec. *d. loco ex Angelo, quem citat.* Neque vnus idémque in baptismo ac confirmatione patrinus esse debet, cessante necessitate, *can. In Catechismo de cons. dist. 4.* nec item parentes proprium suscipere filium; alioquin separandi sunt, *can. Pervenit 30. q. 1.* Sed neque Monachis vel Abbatibus, respectu alienorum, licet suscipere filios, *cap. 1. inf. de cognat. spirituali; can. Non licet 103. cum seqq. d. distinct. 4. c. Pervenit. 36. q. 2. can. 16. q. 1.* excepto tempore necessitatis. Nec rursus coniuges sese mutuò suscipere debent, ob cognationem spiritualem, quæ inde nascitur, impediens matrimonium.

8 Proprius effectus Confirmationis est confortatio & corroboratio baptizati in gratia, per baptismum accepta, ad audacter confitendum Christi nomen, fortiterque contra omnes carnis, mundi, & diaboli impetus

pugnandum. Alius effectus est, imprimere characterem indelebilem, ratione cuius reiterari nequit, Piasec. *d. loco num. 2. vbi citat Victor. Angel. Armill.*

§. III.

De Extrema-Vnctione.

1 *Definitio.*
2 *Materia.*
3 *Quæ membra inungenda.*
4 *Forma.*
5 *Qui inungendi.*
6 *Effectus huius sacramenti.*
7 *Minister eiusdem.*

HOc sacramentum appellatur Extrema-Vnctio, quia datur agentibus inextremis, & præter alias vnctiones. * Est autem sacra- 1
mentum, quo ægroti oleo consecrato à Presbytero in certis partibus, sub certa verborum forma, inunguntur, & à morbi molestiis releuantur, vt faciliùs ex hoc mundo migrent, & corpora etiam, si ita expediat, sanitati restituantur.

Duplex in hoc sacramento est vnctio; interior, spiritualis scilicet & inuisibilis, qua cor, id est anima inungitur; & exterior, materialis & visibilis quâ corpus vngitur, *cap. vnico in princ. hoc tit.* 2

Materia ex institutione diuina est oleum olivarum, per Episcopum consecratum, *d. c. vnico.* Non negandum tamen, quin oleum non consecratum possit consecrato, priusquam deficiat, admisceri. 3

Inunguntur autem eo oleo in administratione huius sacramenti, de necessitate oculi, aures, nares, manus, labia. Si quis verò careat prædictis membris, vnctio fit in locis vicinis: veluti si cæcus fuerit, in organo visus; aut, si organo careat, in loco organi. Ratio, cur ita Christus instituerit, est, quia hoc sacramentum applicatur infirmo per modum perfectæ medicinæ, ad sanandum omnia vulnera animæ; & ideò congruenter applicatur omnibus sensibus externis, tanquam radicibus omnium vulnerum animæ, seu fenestris & portis, per quas peccata ingrediuntur. Vnde & ex more quarundam Ecclesiarum inunguntur etiam renes, vt in quibus sit sedes concupiscentiæ; & pedes, ob vim progressiuam & executionem. Ratio tamen pudoris & honestatis postulat, ne fœminæ in renes inunguntur. 4

Forma sacramenti est hæc: *Per istam vnctionem, sanctam, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti:* & sic in aliis membris si tamen necessitas vrgeat, necesse non est ad singulas vnctiones repetere, *per istam vnctionem*; sed satis est semel dixisse, & loca necessaria inungendo, addere, *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti: per auditum, per odoratum, per locutionem, & per tactum*, omissis aliis solemnitatibus & precibus, antecedere solitis: quæ postea suppleri possunt, cum precibus subsequentibus. Habet autem ista forma vim ex opere operato, & non ex fide vel deuotione recipientis. 5

Adhibetur verò hoc sacramentum baptizatis duntaxat, quia baptismum dixi esse ianuam omnium aliorum sacramentorum; & quidem adultis ac graui & periculoso morbo laborantibus, ita vt de vita dubitetur, vti colligitur satis ex illis verbis Iacobi, *infirmatur quis, alleuiabit, excitabit*, &c. quia adhibetur tanquam remedium supernaturale ad recuperandam sanitatem corporis, si ita expediat. Non est autem recurrendum ad remedia supernaturalia, dum suppetunt naturalia. Hinc non potest dari vlt. supplicio afficiendis, quia non sunt infirmi: nisi fortè in infirmitate existentes vel vulnerati vltimo supplicio afficiendi sint: quibus etsi non sit profuturum ad sanitatem corporis, prodesse tamen potest ad salutem animæ. Debet insuper is, cui datur, esse ita adultus, vt vsum rationis habeat, vel habuerit. Hinc non est dandum pueris vel amentibus à nativitate, quia nullas habent peccatorum reliquias: si verò amentes vsum rationis aliquando habuerint, & hoc sacramentum saltem implicitè ac virtualiter petierint aut desiderarint, illis effet conferendum, dummodò probabile fuerit, non incidisse eos in amentiam, dum in peccato essent mortali: nam in peccato mortali existentibus non est dandum, vti nec impœnitentibus, *can. illud superfluum distinct. 95.* Quòd si dubitetur, an aliquis sit mortuus, administrari potest sub conditione, *si non es mortuus.*

Effectus huius sacramenti in primis est, remissio peccatorum, non tantùm venialium, vt quidam volunt, sed etiam mortalium: tum quia venialia sine sacramento deleri possunt, nec ad ea tollenda requiritur infusio novæ gratiæ, quæ tamen est effectus omnium sacramentorum: tum quia Iacobus absolutè & generatim dicit, *& si in peccatis fuerit, remittentur ei*: tum quia in forma dicitur, *quidquid deliquisti*, &c. tum denique, quia non solùm venialia, 6

nialia, sed etiam mortalia, dici possunt reliquiæ peccatorum, quas dicitur hoc sacramentum abstergere. Nam fieri potest, vt quis confessionem ac communionem non ritè peregerit, & hoc ipsum nunc inuisibiliter ignoret; vel vt potest confessionem ac communionem legitimè peractam incidat in peccatum mortale, idque etiam ignoret, ac proindè, cùm non possit illud delere per confessionem, expiabitur, & gratiam consequetur per hoc sacramentum, dummodò sit attritus. Imò ad eum effectum, nempe ad peccatorum remissionem, quæ per sacramentum Pœnitentiæ non sunt expiata, peculiariter à Christo est institutum. Ex quo apertè sequitur, posse fieri, vt reipsâ saluetur aliquis per Extremæ-Vnctionis Sacramentum, qui sine eo damnationem incurrisset. Nauarr. *in Manual. cap. 22. num.* 13. Alius effectus est, alleuiare infirmum ab ægritudine, si ita expediat.

Minister denique est solus sacerdos, ritè ab Episcopo ordinatus. Conc. Trid. *sess.* 14. *can.* 4. *de hoc Sacramento.* Colligitur satis ex verbis Iacobi. *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros,* &c. Nam licèt vox illa, *Presbyter*, sit ambigua, & significet tam ætate quàm dignitate maiorem, tamen illis verbis Iacobi, per *Presbyterum* intelligi solùm sacerdotem ab Episcopo ordinatum, definit Trid. *d. loco can.* 4. vsus autem est ibi Iacobus numero plurali, pro singulari, eo modo, quo dicimus, confitendum esse sacerdotibus, cùm sufficiat vni confiteri. Vetitum tamen est Religiosis administrare hoc sacramentum clericis aut laicis, absque speciali licentia Presbyteri Parochialis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cuius absolutio summo Pontifici reseruata est, *clem.* 1. *in princ. iuncto* §. *finali de priuilegiis*: quod intellige, extra necessitatem.

TITVLVS XVI.

De Sacramentis non reiterandis.

§. I.

Quid sit Sacramentum.

1 *Varie acceptiones nominis Sacramenti.*
2 *Definitio Sacramenti.*
3 *Signum quid & quotuplex.*
4 *Quid nomine signi & gratiæ in definitione intelligatur.*

VT antea egerimus de Sacramento ordinis, Confirmationis & extremæ-Vnctionis, & inter sacramenta quædam reiterari, seu iterùm conferri possint, quædam non: ideò nunc discipiendum, quænam sint iterabilia, & quæ non; præsertim vt sciatur, quænam sacra Vnctio, de qua Tit. præcedenti, quæ in sacramentis reperitur, sit iterabilis, vel non.

Pro faciliori intelligentia sciendum, sacramentum dici à sacro, variisque modis accipi. Primò, vt significat pignus à litigantibus in loco sacro depositum Varro 1. *de lingua lat.* Secundò, vt significat iuramentum, diuino testimonio aut inuocatione alicuius rei sacræ confirmatum. Sic frequenter vsurpatur in iure, non modò canonico, sed etiam ciuili, vt in *authent. sacramenta puberum C. si aduersus venditionem, l. miles* §. *ignominiosa ff. de re militari*; & apud scriptores tam gentiles quàm Christianos. Tertiò, vt significat idem, quòd sacrum arcanum, sic 1. *ad Timoth.* 3. Incarnatio vocatur *magnum pietatis sacramentum.* Quartò, extenditur ad designanda occulta mysteria, licèt non sint sacra, sic *Apocalyp.* 17. res illæ occultæ, significatæ per bestiam & mulierem, vocantur *Sacramentum bestiæ & mulieris.* Quintò, vt significat signum rei sacræ: in qua significatione hîc accipitur; non quidem ita generaliter, sed prout significat signum rei sacræ, perfectè sacrantis ac initiantis hominem. *

1

Vnde & definiri solet, esse inuisibilis gratiæ visibilis forma, *can. sacrificium* 32. *de consecrat. distinct.* 2. vel explicatiùs, esse inuisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram iustificationem institutum. Catheci mus Rom. *de sacramentis in genere, cap.* 1. *num.* 3. *in fine.* videatur *can. Multi* 84 *circa medium* 1. *quæst.* 1.

2

Pro cuius definitionis intellectu faciliori Notandum, quòd signum sit res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid à se faciens in cognitionem venire, *can. signum de consecrat. distinct.* 2. Sic ex vestigio alicuius, teriæ aut niui impresso, cognoscimus aliquem transiuisse.

3

Est autem signum duplex, scilicet naturale, quale est fumus respectu ignis; & ex institutione, eáque vel humana, vt hedera vini; vel diuina: & hoc rursus est duplex, aliud speculatiuum, aliud practicum, speculatiuum dicitur, quod tantùm significat, & nihil efficit, hoc pacto serpens æneus erat signum Christi,

in

in crucem exigendi: & multa alia in lege Mosaica erant signa futurorum Practicum dicitur, quod non solùm significat, sed etiam efficit & operatur. Huiusmodi est ablutio in Baptismo, quæ significat & efficit ablutionem internam animæ à peccato.

In assignata igitur definitione intelligitur signum divinitùs institutum practicum, sensibile, aliquo sensu. Nomine autem Gratiæ intelligitur gratia sanctificans animam; & quidem perfectè, vt excludantur sanctificationes, quæ solùm sunt dispositiones ad perfectam sanctitatem: quales sunt sanctificationes vasorum, consecrationes altarium, aquæ benedictæ, & similium.

§. II.

Quot sint Sacramenta.

1 *Sacramenta sunt septem.*
2 *Eorum quædam necessaria ad salutem.*
3 *Quædam voluntaria.*

SAcramenta nouæ legis sunt septem, à Christo instituta, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Vnctio, Ordo, & matrimonium. Conc. Trid. *sess. 7. cap. 1. de Sacramentis*, Conc. Florent. *in instructione Armenorum*: quæ omnia crucis signaculo perficiuntur. *can. Nunquid de consecrat. dist. 5.* Et licèt omnia necessaria sint ad statum vniuersalem Ecclesiæ, eorum tamen quædam necessaria sunt ad salutem, alia verò non; sed voluntaria, id est pro cuiusque arbitrio & voluntate suscipiuntur, Conc. Trid. *d. loco can. 4. cap. Veniens 8. inf. de transact. can. remissionem 93. §. sed notandum 1. q. 1.*

Necessaria sunt Baptismus, Confirmatio Eucharistia, & Extrema-Vnctio, quia sine periculo salutis prætermitti, aut certè temerè negligi non possunt. Nam per Baptismum transimus in numerum credentium seu regeneramur ad vitam, & in eo Spiritus-Sanctus non abluit, ac plenitudinem tribuit ad innocentiam, *can. 2. de consecrat. distinct. 5.* absque eo verò nulla salus promittitur, *can. Nulla cum seq. de consecrat. distinct. 4. can. 1. cum sequent. de consecrat. distinct. 5.* per Confirmationem augemur in gratia, roboramurque in fide, *can. Spiritus-Sanctus de consecrat. distinct. 5. cap. nullus ministrorum de consecrat. distinct. 4. cap. vnico §. per frontis de sacra vnct.* renati verò & roborati nutrimur diuinæ Eucharistiæ alimoniâ, *can. omnis Christianus de consecrat. distinct. 1. cum his Qui recedunt, & can. de his 26. quæst. 6.* Et dum per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur: quemadmodum & simul corporaliter, si animæ expediat, per extremam-Vnctionem, *can. Non potest de pœnis distinct. 1. & similibus.*

Voluntaria sunt Ordo, *can. vbi ista distinct. 74. can. fin. §. fin. 22. quæst. 4.* & Matrimonium, *can. vbi non est 30. quæst. 2. Præterea, c. cùm locum inf. de sponsalib.* Per Ordinem Ecclesia gubernatur & spiritualiter multiplicatur; per matrimonium verò corporaliter augetur. Conc. Flor. *d. loco.*

§. III.

Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non.

1 *Reiterari non possunt characterem imprimentia Baptismus, Confirmatio, & Ordo.*
2 *Cætera possunt.*

EX prædictis septem Sacramentis quædam imprimunt characterem in anima indelebilem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile: idcóque ne illis fiat iniuria per reiterationem, quasi talem characterem non impressissent, sine sacrilegio reiterari non possunt, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, Conc. Trid. *d. loco, can. sacrosancta, can. maius 1. quæst. 1. & aliis, & tit. C. ne sanctum baptisma reiteretur:* adeò vt si quid in his administrandis incautè omissum fuerit, illud sine reiteratione reliquorum debitè & cautè supplendum sit, *cap. 1. & vlt. n. t.* sin dubitetur, an eiusmodi Sacramentum non reiterabile collatum sit, non dicetur iteratum, si conferatur, *can. Si nulla de consecrat. distinct. 4.*

Alia verò Sacramenta characterem non imprimunt, quæ proindè reiterari possunt, vti de Extrema-Vnctione patet ex Conc. Trid. *sess. 14. can. 3.* de Eucharistia ex *can. Quotidie, can. Si non frequentius de consecrat. distinct. 2.* de Pœnitentia (priuata scilicet) ex *cap. omnis inf. de pœnit. & remiss.* nam secus de publica, *can. in cap. distinct. 50.* de matrimonio denique ex toto *tit. decretal. de secundis nuptiis.* Hinc itaque patet, sacram vnctionem, quæ in administratione Sacramentorum Baptismi, Confirmationis & Ordinis adhibetur, non esse reiterabilem; eam verò, quæ adhibetur in Extremâ-Vnctione, esse iterabilem.

TITV

TITVLVS XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis vel non ordinandis.

1 *Illegitimè nati arcentur ab ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis.* 2.
3 *Possunt tamen ingredi monasteria & ordinari.*
4 *Quoad Ordines maiores solus Pont. cum iis dispensare potest.*
5 *Quousque se extendat dispensatio illa.*
6 *Filius patri in beneficio succedere nequit.*
7 *Pœna eius, qui sine dispensatione est promotus ad Ordines.*

EGIMVS antea de ætate & qualitate ordinandorum ac præficiendorum. Quidam verò ordinari & præfici prohibentur atque impediuntur; & in primis natalium vitio. Quemadmodum enim apud Ethnicos sancitum obseruatumque fuit, vt illegitimè nati, quantumlibet sine sua culpa hanc labem contraxissent, honoribus & dignitatibus indigni iudicarentur, vt latè tradit Tiraquel *de nobilitate cap.* 15.* Ita iure optimo & quidem priori à sacris canonibus constitutum fuit, vt ab Ordinibus sacris arceantur filij Presbyterorum, aliique illegitimè nati, *cap.* 2. *& cap. Ad hæc* 12. *& cap. fin. h. t. cap. cùm in cunctis* 7. *sup. de elect. cap. consulit* 5. *inf. de seruis non ordinandis.* Addidit, aliique illegitimè natis quia etiam de iis in Tit. agitur. Vnde idem Titulus in 6. habet, *de filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis.* * Arcentur autem hi omnes ab Ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis, tribus potissimum de causis: primo, ob excellentiam huius Sacramenti, dignitatisque clericalis, quæ non solùm personæ meritum, sed etiam orignis honestatem exposcit, nec infamibus aut turpibus committi debet, *can. Inter dilectos inf. de excessib. Prælator.* Secundò, in detestationem paterni criminis, *can. Proposuisti distinct.* 82. quod ius plerumque etiam in filiis detestatur, *cap. vergentis* 10. *inf. de hæreticis.* Tertiò, ob timorem incontinentiæ paternæ, cuius futuri imitatores præsumuntur, *can. Priusquam distinct.* 28. *can. Si gens Anglorum distinct.* 56. iuxta tritum illud:

Sæpè solet similis filius esse patri.

Si tamen tales ingrediantur monasteria, vel canonici fiant Regulares, poterunt omnibus ordinibus insigniri, *dict. cap.* 1. *& fin. & ibid. Doctores, h. t. & can. Nisi distinct.* 56. A Prælatura verò abstineant necesse est, *dict. cap.* 2. nisi cum ipsis dispenletur per Pontificem. Et licet Sixtus V. quadam sua constitutione prohibuerit illegitimos recipi ad Religionem; illam tamen prohibitionem Gregorius XIV. alia sua constitutione sustulit. Similiter Monialis illegitima nequit creari Abbatissa absque dispensatione Sedis Apostolicæ, *cap. indemnitatibus* 9. *§. fin. & ibi* Gloss. *in Vt canonica de elect. in* 6.

Quòd si natos illegitimè morum honestas fecerit commendabiles, poterit etiam Episcopus cum eis dispensare quoad minores Ordines, & quoad beneficia simplicia, *cap.* 1. *eod. in* 6. Piasec. 1. *part. cap.* 1. *a.* 10. *num.* 15. Garz. de benef. *part.* 7 *cap.* 2. *num.* 47. *& sequent.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 5. *num.* 98. *& seq.* non tamen accessoriè curata. Burtius *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. aut quibus annexus est ordo sacer ex statuto vel consuetudine, Panor. *in cap. fin. num.* 2. *versic. quandoque h. t.* Garz. *d. loco num.* 66. vnum, non plura, Francus *in cap. fin. num.* 4. *& ibid.* Gemin. *num.* 8. *h. t. in* 6. non verò quoad ordines maiores, nequidem virtute decreti Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* quia hæc irregularitas non oritur ex proprio delicto. Idque ad maiores Ordines, & ad maiora beneficia, veluti dignitatem, personarum, aut beneficium curatum, dispensare valet solus Pontifex *d. cap.* 1. *eod. in* 6. *iuncto c. vlt. h. t.* prout & ad canonicatus in Cathedrali Ecclesia, Panormit. *d. cap. fin. num.* 2. vbi fusè distinguit. Idque subinde fieri debere variis tum exemplis tum auctoritatibus ostendit Gratianus, *tota distinct.* 56. nullum parentis delictum filio innocenti imputari aut nocere debet, & vndecumque homines nascantur; si parentum vitia non sectentur & Deum colant, honesti & salui erunt, *cap. vndecumque d. distinct.* 56.

Et quamvis plenissima aliàs in beneficiis interpretatio sit facienda, tamen in huiusmodi dispensatione, per illegitimum à Pontifice obtenta, non venit Cathedralis Ecclesia, nisi hæc specialiter exprimatur, *cap. Quamvis* 4. *de prabendis in* 6. *& ibid.* Gloss. *&* DD. Rota *dec. h. t. in antiq. & dec. if.* 2. *eod. t. in nouis* multò minùs Episcopatus, Archid. *in c.* 1. *h. t in* 6. Quamvis extendat se ad beneficia iuris Patronatus, quia per eam non præiudicatur patrono; sed inhabilis ad beneficium fit habilis. Ioan. Honor. *in summa h. t.* Insuper ista dispensatio cùm exorbitet à iure communi, odiosa est & strictè intelligenda, eiusque

que præter, tu poteſt diſpenſatus vnicũ tantùm beneficium obtinere, *c.i. ſi h.t. in 6.* & ſi illud dimittat, non poteſt aliud eius loco recipere, quia de primo beneficio diſpenſatio ſortita eſt effectum, *c. Non poteſt in 2. reſponſe de præben. in 6.* & ibi gloſſ. *in V. primis* Rota *deciſ. 1. h.t. in nouis.* Diſpenſatus verò ad minores ſeu ſacros ordines, non videtur per hoc habilitatus ad beneficium, niſi id in diſpenſatione fuerit expreſſum, *d. cap. fin. h.t. in 6.* Garz. *de benef. part. 1. cap. 6. num. 7. & pluribus ſeqq.*

6 Cæterùm licèt cum filio Presbyteri diſpenſetur, vt ad ordines promoueatur, nequit tamen beneficium Eccleſiaſticum in ea habere, in qua pater aliquod habet; id enim eſt indecorum. Imò nequidem illis Eccleſiæ inſeruire poteſt cui pater immediatè tanquam rector aut Vicarius perpetuus præfuit, quia videretur filius veluti iure hæreditario ſuccedere patri, quod in beneficiis Eccleſiaſticis enixè eſt prohibitum, *cap. Præſentium & cap. ex tranſmiſſa 7. h.t. cap. 1. & aliis inf. de Præbendis*, Trid. *ſeſſ. 25. cap. 7. de reformat.* vbi pleniùs vide, prout & apud Garz. *de benef. part. 7. cap. 3. num. 66. & ſeqq.* Idque procedit etiam in filius eorum, qui in minoribus ſunt conſtituti; poteſt tamen, & quidem ſolus, in hoc, Pontifex diſpenſare. Dixi, Immediatè; quia mediatè poteſt filius Presbyteri ſuccedere patri, quia tunc ob interiectam perſonam non poteſt videri ei iure hæreditario ſuccedere: vt nec quando pater tantùm miniſtraſſet in aliqua Eccleſia ſine titulo, quo caſu etiam non prohibetur filius ad eandem Eccleſiam immediatè promoueri, *cap. conſtitutus h. t.* Quòd ſi Epiſcopus ſcienter contulerit ſacerdotis filio paternam Eccleſiam, exinde eum remouere non poterit; prout nec ſi ignoranter, donec in alia Eccleſia ei prouideat, vnde honeſtè valeat ſuſtentari, *cap. Veniens h. t.* Cæterùm ſi Epiſcopus filium Preſbyteri ordinauerit, non debet beneficij Eccleſiaſtici prouiſione carere, *cap. propoſuit 6. h.t.*

7 Quod ſi illegitimè natus ſine diſpenſatione promoueatur ad ordines, characterem quidem recipiet, non tamen ordinis ſic ſuſcepti executionem. Similiter & à beneficiis, ad quæ indiſpenſatus fuerit promotus, amouetur. *d. cap. Conſtitutus*: niſi cum eo poſtea diſpenſetur à ſummo Pontifice, *cap. 3. 4. 5. ibi Gloſſa h. t.*

***

TITVLVS XVIII.

De ſeruis non ordinandis.

1 *Cur ſerui ordinari prohibeantur, & pœna ordinatorum. 2.*
3 *Pœna Epiſcopi ſeruum ordinantis.*

POST impedimentum originis, ſequitur ſecundo loco de ſeruitute, quæ eſt impedimentum conditionis. Serui enim abſque conſenſu dominorum ſuorum, niſi priùs ab aliis fuerint manumiſſi & directam libertatem conſecuti, ordinari prohibentur; *cap. 1. 2. & 5. hoc tit. tota pœnè diſtinct. 54.* Hoc ideò, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clerici ſerui, vt dicitur in *can. Quicumque 5. d. diſtinct. 54.* & quia immunis eſſe debet ab aliis qui diuinæ militiæ eſt aggregandus, vt à caſtris Dominicis, quibus nomen eius adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur. Cæterùm de ſeruis ordinandis, vel non ordinandis, videatur inſignis diſtinctio gloſſæ, *ad cap. 2. hoc tit.* 1

Quòd ſi ſeruus de facto, qualibet calliditate aut fraude, ad ſacros ordines irrepſerit, deponitur, & domino ſuo reſtituitur, *cap. 2. h.tit.* & poſtquam de gradu ceciderit, eius conditionis ſit, cuius erat ante gradum, *can. Nulli 2. d. diſt. 54.* Pari ratione remouentur ab ordinibus originarij (id eſt nati ex adſcriptitiis, nempe iis, que colendo agro perpetuò addicti ſunt (*can. Generalis 12. & can. Admittuntur 21. d. diſt. 54.* Item Curiales, id eſt, qui ſenatui adſcripti ſunt, aut ſimili conditioni obnoxij, ſine dominorum voluntate, *can. Præcipimus 10. diſtinct. 34.* Sed nec liberti ſine conſenſu patronorum ordinari poſſunt, *d. can. Quicumque & cap. fin. diſt. 54.* Natus verò ex patre ſeruo & libera matre, cum talis non ſit ſeruus ingenuus, *inſtitut. de ingenuis*, ordinari non prohibetur, *cap. fin. h.t.* 4

Epiſcopus inſcio domino ſeruum ſcienter ordinans tenetur eum domino, cum duplici ſatisfactione, compenſare ſeu reddere: ſi verò neſcierit ſeruum eſſe, tum qui teſtimonium perhibuerint, aut ſupplicarint eum ordinari, ſimili redditioni tenentur obnoxij, *can. Si ſeruus 19. d. diſtinct. 54.* Si tamen ſeruus, ſciente & non contradicente domino ordinatus fuerit, hoc ipſo liber & ingenuus ac ritè ordinatus intelligitur, 5

intelligitur, *cap. si seruus seq. ibid.* Si verò domino ignorante, licebit eidem intra annum & seruilem fortunam probare, & seruum suum accipere, *vt ibi. habetur.*

TITVLVS XIX.

De obligatis ad ratiocinia, ordinandis, vel non.

1 *Cur ordinari vetentur obligati rationibus publicis reddendis. 2.*
3 *Non etiam debitores reipub. ex alia causa.*
4 *Quis excipere possit de hoc impedimento.*

1 TERTIVM impedimentum est obligatio ad ratiocinia sive quod provenit ex eiusmodi, obligatione. Vnde Syndici vniuersitatum aut collegiorum, tutores, curatores, actores, executores sententiarum aut testamentorum, procuratores, & id genus hominum, qui reddendis rationibus publicis, quæ hic ratiocinia apellantur, obnoxij sunt, ante officium finitum, & rationes redditas, ordinari prohibentur, *cap. vnico h. t. can. legem distinct. 53.* tum quia curis ac negotiis ita distrahuntur atque inuoluuntur, vt ordinum ministerio vacare nequeant; tum quia ex talium promotione nota aliqua infamiæ redundare posset in Ecclesiam: veluti si contingat eos doli in rationibus reddendis argui, aut præmoniti, ad fugiendam laicorum iurisdictionem, se curent in præiudicium creditorum ordinari, *d. cap. vnico & can. legem Distinct. 53.*

Dixi, qui reddendis rationibus publicis (ob publicam scilicet administrationem) obligati sunt; quia priuata administratio non impedit ordinationem: nisi vel ex dolo in administratione commisso mora sit lis, vel in procinctu mouenda, tunc enim ante litis exitum tales promoueri non possunt; &, si de facto promoueantur, digni erunt depositione, licet postea in causa vincant gloss. & Archidiac. *in can. tantu distinct. 81.*

2 Verumtamen ordinari non prohibentur debitores Reipublicæ ex alia causa, quàm administratione publica, veluti ex mutuo, locatione, conductione, emptione, & similibus, etiam obligatione adhuc pendente. Glossa & Archidiac, *in can. Praterea 3. distinct. 51.* Vti nec administratores rerum Ecclesasticarum, vel miserabilium personarum, aut cuiuslibet alterius piæ causæ, publicæ vel priuatæ etiam administratione pendente.

De hoc autem impedimento ordinum ad exemplum popularis actionis, quælibet Ecclesiastica persona excipere potest; & multò magis is, cui reddendæ sunt rationes, aut sua interesse putat. Abbas *in d. cap. vnico.* Finitur autem finita administratione ac rationibus redditis, *Doctores communiter in dict. cap. vnico.*

TITVLVS XX.

De corpore vitiatis non ordinandis.

1 *Exemplo priscorum sacerdotum corpore vitiati vetantur ordinari.*
2 *Dummodò vitium sit impediens ordinis executionem. 3.*
4 *De eo, qui sibi membrum aliquod sponte abscideric.*
5 *De eo, qui non culpa sua abscissionem patitur.*
6 *Modicus defectus impedimento non est.*
7 *Pœna sic ordinati.*

QVARTVM impedimentum est corporis vitium, sive quod ex eo vitio provenit, de quo *tota distinct. 49. & 55.* * Vt igitur olim apud Ethnicos sacerdotes integri corpore esse debebant; & à ministerio Dei, ex præcepto legis veteris, *Leuit. 21.* arcebatur habens maculam; item cæcus, claudus, grandi vel paruo aut torto naso, fracto pede, mancus, lippus, & similes (quo defectus mysticè de vitiis animi intelligi pulchrè explicat D. Greg. *in can. Hinc etenim d. distinct. 49.* (ita meritò sacri Canones corpore vitiatos ab ordinibus repellunt: imò promoti aliquando deiiciuntur, *cap. Expostuisti 6. h. t.* sicut & à beneficio iam adepto, *vt inf. tit. de clerico egrotante vel debilitato*; eò quod incompositio corporis inæqualitatem indicet mentis, *can. vlt. distinct. 41.* Abbas *in cap. Qui diuersitatem notab. 1. inf. de concess. prab.* & natura membra componat, provt moribus animæ conuenit; ita vt, cuius deformis facies est, vix queat præditus esse bonis moribus, fœda facies malos mores significet, iuxta Rhasin Medicum.

Verumtamen non quodlibet corporis vitium, quod in antiqua lege à ministerio Dei repellebat, hodiè impedit susceptionem Ordinum: sed illud in primis, quod ordinis impedit executionem, aut insignem inducit deformitatem, & consequenter indecentiam, quæ in scandalum publicum vergere possit, *cap. 2. & per tot. h. t.* Nec distinguendum, sponte an alieno facta vel casu, deformitas acciderit: nam à Gelasio Papa rescriptum fuit, *in can. fin. dist. 55.* ne is, cui per vim oculus ab alio excussus fuerit, ad sacerdotij gradum euehatur.

Dixi antè, corporis vitio ordinis impediri executionem, quia quoad ordines antè susceptos tantùm inducitur irregularitas in illo actu ordinis, qui vel ob insignem deformitatem, vel ob defectum impeditur vitio corporis, Couar. 1. *parte relect. clement. si furiosus de homicidio in princ. cum aliis, quos citat.* Hac ratione qui patitur vitium corporis, impediens celebrationem; nempe in iis digitis, qui ad consecrationem & eleuationem sunt necessarij à Missarum duntaxat celebratione abstinebit, non à Diaconatus vel subdiaconatus ministerio: sicut nec à concionibus habendis, confessionibus audiendis, & aliis clericalibus officiis exercendis. Potest enim quis esse irregularis, ne promoueatur ad superiores ordines, quia tamen non sit irregularis ad ministrandum in susceptis, vt ex Innoc. *in cap. Ad audientiam inf. de homicidio* tradit Piasec. *part. 1. cap. 1. art. 6 sub num. 4.*

7 Quòd si quis sibi membrum seu membri partem aliquam propria culpa & voluntate abscideriit, licet ea abscissio vsum ordinis non impediat, nec grauem inducat deformitatem, tamen ordinari talis nequit *can. si quis abscederit, & similibus, distinct. 33.* Etiamsi membrum abscissum sit occultum: veluti in eo, qui sibi virilia præscidit, etiam sedandæ libidinis causâ, *dict. can. si quis abscederit cum sequent. cap. 4. & 5. h. t.* cùm enim nemo membrorum suorum sit dominus, ne quidem causâ castitatis aut religionis sibi ipsi licet manus inicere ad occasionem vel mutilationem alicuius membri. Hinc si quis, cùm clericus esset, sibi membrum abscideriit, deponitur, tamquam sui homicida & Dei conditionis inimicus, *dict. can. si quis abscidit*, videatur Couar. *d. loco num. 6. & lib. 1. variar. resol. cap. 1. num. 8. & lib. 2. cap. 1. num. 11.*

4 Similiter ordinari prohibentur, qui ab aliis talem abscissionem passi sunt, culpa tamen sua: veluti quia inferint aut rogauerint, aut quia rei illicitæ operam dantes tale membrum casu perdiderint, *argum. cap. Dilectus, cap. Ex literis, & similium, inf. de homicidio.* videatur & Nauarrus *in Manuali. cap. 27. num. 198.* Garz. *de benef. part. 7. cap. 12. num. 8. & sequent.* Aliud dicendum, si à medicis, vel à barbaris, vel à dominis aut parentibus suis, sine propria culpa, talem exsectionem quis patiatur, (nec hoc casu necessum est, eum virilia sua arefacta, vel in puluerem redacta, secum gestare, vt possit, si sit sacerdos, celebrare, vti ridiculè fabulantur quædam mulierculæ, Nauarr. *in Manuali cap. 27. num. 20.*) aut fortuitò, dum operi rustico alteriue licito curam impenderet, vel etiam alieno facto digitum v.g. amiserit, si modò membri abscissio non impediat ordinis executionem, *can. si quis à medicis, cum tribus sequent. distinct. 55. cap. 3. 5. & fin. h. t.* Vt enim in illis perversa voluntas iustè vindicatur, ita in his casus vel alienum factum veniam meritò tribuit & meretur, *can. Qui partem, & can. Iator. d. distinct. 55.*

Modicus tamen defectus aut modica deformitas non impedit susceptionem ordinum: 8
veluti macula in oculo, non privans visu, nec notabilem deformitatem inducens, *cap. 2. h. t.* vel carentia vnguis in pollice: item claudicatio eius, cui seipso in altari non sit necessarius, *can. si quis iuncta glos. distinct. 55.* & lippitudo talis, ex qua non oriatur notabilis deformitas, Piasec. *dict. loco num. 2.* Quis autem defectus aut quæ deformitas sit notabilis, determinabit Episcopus, quandoquidem nulla certa regula in hoc constitui possit.

Quòd si corpore vitiatus, qui de iure ordinari non potest, de facto ordinetur, verè 6
recipiet ordinis characterem, sed non eius executionem, ex communi Theologorum & canonistarum sententia. In hac verò irregularitate solus Pontifex dispensare potest. Nec obstat *cap. significauit h. t.* quia potest intelligi de dispensatione Episcopi, auctoritate Apostolica præstita ac sibi delegata, vt docet Couarr. *ad dict. clem. si furiosus in princ. num. 7.* Piasec. *part. 1. cap. 1. a. 10. num. 12.* Post Nauarr. *in Manuali c. 27. num. 201.*

* * *

TITVLVS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

1 *Bigamia triplex, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria.* 2.3.
4 *Ratio. cur bigami ab Ordinibus sacris arceantur.*
5 *Pœna bigami absque dispensatione ordinati, & Episcopi ordinantis.*

QVINTO loco inter impedimenta ordinandorum non modica reputatur Bigamia seu Digamia, *c.1.& 2.h.tit.can.14 dist.32.can.16. Apostol. & seq.* de qua nunc videndum.

Vt autem Monogamus à μόνος & γάμος, quasi vnius mulieris seu vxoris vir, ita etiam Bigamus, quasi duarum mulierum vir nuncupatur. 1

Bigamia ex Gloss. *in c.2.h.t.* triplex constitui solet. Vera, scilicet, Interpretativa seu ex interpretatione iuris, & Similitudinaria seu per analogiam quandam.

Vera, eáque iuxta proprietatem nominis dicitur, cùm quis successivè plures legitimas habuit vxores, & cum eis copulam. Quod addo, quia si duas habuerit, & altera ante copulam fuerit mortua, non censetur bigamus, *argum. c. debitum h.t.*

2 Interpretativa est, quando non intercessit verè duplex matrimonium, sed virtualiter sive ex intentione: vti quando quis contraxit cum vna sola, sed vidua vel repudiata, *can. Si quis viduam dist.* 50. quæ tamen priùs suum matrimonium consummaverat; nam aliàs non esset defectus significationis: aut cum corrupta ab alio per fornicationem, *can. Maritum dist.* 33. vel cum virgine, quam post commissum ab ea adulterium cognovit, *can. Si cuius & can. Si Laici distinct.* 34. *& ibidem* Glossa; etiamsi per ignorantiam id contigerit: vel si cum vna validum matrimonium contrahat, cum alia invalidum, sive antecesserit validum sive invalidum, Sanchez *de Matrim. disp.* 49. *sect.* 2. *in* 3. *illat.* aut si cum duabus de facto, & non de iure contrahat, ob aliquod impedimentum: aut cum vna, mortuâ alterâ, idque scienter vel ignoranter; secutâ scilicet copulâ: hoc enim in omni bigamia est, necessarium. Si quis verò contrahat cum ea, quam ipse priùs cognovit, non censetur bigamus, Glossa *communiter recepta in c. fin. h.t.* & ibi Abbas *ac communiter DD.* Navarr. *in Manuali cap.* 27. *num.* 195. neque is, qui duxit vxorem alterius non cognitam *d.c. Debitum hoc tit.*

Similitudinaria est, quam incurrit Ordine sacro insignitus, vel voto solemni adstrictus, cum aliqua contraheus & consummans, *can. Quotquot* 27. *q.*1. *c. A nobis h.t.* licèt illa sit virgo: quia licèt neque de iure, neque de facto contrahat cum duabus vel vna corrupta validè, tamen affectum habet contrahendi cum opere subsecuto, postquam per Ordinem sacrum vel votum solemne spiritualiter & similitudinariè contraxit cum Christo, *c.h.t.* Quæ ratio bigamiæ cùm esset in eo, qui minoribus tantùm initiatus est, contrahente invalidè matrimonium propter impedimentum aliquod, non mirum, si is non efficiatur irregularis, nec censeatur bigamus. Navar. *d.loco.* Vnde & Innoc. Pont. *in d. c. fin.* loquitur de Subdiacono, qui tenetur solemni voto castitatis, *cap. A multis sup. de state & qualit.* &c. *& in c. Nuper hoc tit.* de Presbytero. 3

Arcentur autem bigami ab Ordinibus sacris, non ob peccatum; nam nuptiæ, etiam secundæ, tertiæ, vel vlteriores non sunt peccatum, *can. Acutius & similibus, distinct.* 26. sed ob aliam, eámque duplicem potissimum rationem, vnam mysticam & primariam, alteram moralem & secundariam. Primaria & mystica est defectus perfectæ significationis Sacramenti, quæ est coniunctio Christi cum Ecclesia, ex Paulo *ad Ephes.* 5. éstque vnius viri cum vnica sponsa. Nam licèt matrimonium cum corrupta contractum sit verum Sacramentum, per mutuum consensum repræsentans coniunctionem Christi & animæ iustæ: tamen quia in secundo matrimonio non est amplius vnica vnici, nec vnus vnius, *d. cap. Debitum h. t.* ideò quoad significationem non est omninò perfectum Sacramentum, quia non significat coniunctionem Christi cum vnica & immaculata sponsa Ecclesia, *d. can. Acutius & d. c. Debitum.* Et ideò talis removetur à Sacramento Ordinis, quia non debet pati defectum in Sacramento, qui Sacramenta administraturus est, provt patitur bigamus qui diuisit carnem suam, *d. can. Acutius & d. c. debitum.* 4

Secunda ratio, & moralis est, quòd Clericus debeat esse hortator continentiæ & viduitatis; non possit autem esse hortator continentiæ & viduitatis, qui ipse coniugia frequentavit, *can. Vna & can. Qui sine crimine distinct.* 26. quia de incontinentia eius præsumitur, *c. Presbyteri dist.* 82. Hanc verò rationem non

esse primariam, constat ex eo, quòd bigamus censeatur etiam ille, qui vnam vxorem habuit, sed viduam, vel alio modo corruptam, vt patet ex dictis. Non obstat, quòd concubinatus sit longè turpior, quàm bigamia, & ille tamen non removeat ab Ordinibus: quia nihilominus bigamia ex natura signum est incontinentiæ magis diuturnæ, firmiúsque inhærentis.

5 Quòd si verò bigamus ordinetur absque dispensatione, recipiet quidem characterem, non tamen poterit absque dispensatione in eo Ordine ministrare. Dispensare autem Episcopus nequit cum bigamis, veris vel interpretatiuis: non solùm quoad sacros Ordines, *c.2. & ibi* Gloss. & Abbas *h.t.* sed nec quoad minores, aut primam tonsuram, aut beneficium etiam simplex, vt patet ex *c.vnico eod.in 6. ibique* Anchar. Franc. Concil.Trid. *Sess.23.c.17.de reformat.* nec etiam quoad vsum minorum Ordinum, contra Navar. quia communior sententia est in contrarium, Abbas *in c.1. h.t.* Suarez *de censur. distinct.49.sect.6.* & ita declarasse sacram Congreg. refert Piasec.1. *p.cap.1.art.10. num.11.* vbi tenet, posse Episcopum dispensare in bigamia similitudinaria, citans Abbas *in c.1.Qui Clerici vel voventes*, &c. Porrò si Episcopus ordinet bigamum absque dispensatione, privandus est potestate conferendi Ordines, *d.c.2.h.t.* non autem ipso iure suspensus est à collatione Ordinis, quem contulit. Garz. *de benef. p.7.c.6.n.6. & seq.*

TITVLVS XXII.

De Clericis peregrinis non ordinandis.

§. I.

Cur tales ordinari prohibeantur.

1 *Qui dicantur Clerici peregrini.*
2 *Illi non creditur, asserentibus se à suo Episc. promotos.*
3 *Nec admitti debent, vt celebrent publicè.*
4 *Ratio horum.*

1 INTER eos, qui ordinari non debent, vel non facilè, vel ab executione Ordinum repelli, sunt & Clerici peregrini, id est, qui non subsunt iurisdictioni ordinantis, *tota distinct.71.* Idémque dicendum de Laicis respectu Episcopi ordinantis, cui non subsunt, vt probat. *cap. vlt. de temporib. ordinat. in 6.* vbi ait Pontifex: *Nullus Episcopus absque superioris licentia homini alienæ diœcesis clericalem præsumat conferre tonsuram.* Censetur autem Laicus esse sub iurisdictione illius Episcopi, à quo Chrismate vnctus est atque confirmatus. Quibus verò modis quis subiiciatur Episcopo, ante dictum est.

Clerico autem peregrino, iureiurando asserenti se à suo Episcopo aliquos Ordines accepisse, & desiderare ad superiores promoveri, non creditur, *cap.2. h.t.* Nec potest ordinari à non suo Episcopo, nisi literas commendatitias & dimissorias adferat à suo: quarum exemplar descriptum est *distinct.73.* 2

Part modò peregrinus Sacerdos, qui omninò ignotus est, admitti non debet ab Episcopo, vt publicè rem divinam faciat & celebret, nisi per literas vel testes probet se ab Episcopo suo ad Ordines promotum esse, *cap.3. h.t. c.1. & 3. de temporib. ordinat. in 6.* Conc. Trid. *Sess.23. c.16. in fine.* Inferiores verò Episcopo non possunt Clericum peregrinum in suas Ecclesias recipere, absque Episcopi licentia, *c. vlt. h.t.* Imò ex valdè longinqua regione Clerici probare Ordines debent per literas, quinque Episcoporum sigillis munitas, *c.1.h.t.* 3

Ratio horum omnium est in primis, quòd Episcopus non debeat immittere falcem in messem alienam, quia inde nasci solent discordiæ, *can. illud dist.71.* deinde, quia Ecclesia suspectos habet Clericos peregrinos: solent enim esse criminosi, infames, excommunicati, fugitivi aut in exilium missi, vel aliis similibus obnoxij, affirmantes, mentientésque se ordinatos à suis Episcopis, *can. Afros & can. seq.dist.98. c.1. de temp. ordinat. in 6.* 4

Differt autem hic Titulus à Tit. *de Clericis peregrinantibus lib.2. Decret.* quòd hic agat de Clericis peregrinis, respectu Ordinum suscipiendorum; ille verò respectu litium, quatenus ratione peregrinationis gaudent vel non gaudent aliquibus litigantium privilegiis.

§. II.

De aliis Ordinari prohibitis.

1 *Ordinari prohibentur non baptizati, &c.2.3.*
4 *Non confirmati.*
5 *Mulieres & Hermaphroditi.* 6.

7 Illi

7 *Illiterati ; & pœna sic ordinatorum.* 8.
9 *Crimine aliquo infames.*
10 *Non habentes titulum.*
11 *Tituli nomine quid intelligatur.*

1 SVnt & alij, præter enumeratos qui ordinari prohibentur : vt in primis non baptizatus, quia baptismus est omnium aliorum Sacramentorum ianua & fundamentum, *c.*1. & 3. *inf. de Clerico non baptizato, ibique* Abbas, *cap.* 2. *de cognat. spirituali in* 6. Hostien. *in Summa huius tit.* Navar. *in Manuali cap.* 27. *num.*207. Piasec.1. *part.cap.*1.*art.*3.*num.*3.* 2 Secundò, baptizatus in ægritudine, *can. vnico distinct.* 57. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est : nisi fortè postea studium & fides eiusdem probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit, *d.can.vnico.* Item, baptizatus apud hæreticos, *c. Qui in qualibet* 1.*q.*7. si modò adultus fuerit, non infans : nam huic parentum error nihil officit, *can. Placuit cum* 3 *sequent. quæst.* 4. * Similiter nec rebaptizatus, vel rebaptizans, *can. Confirmandis distinct.* 50. *iuncto cap.*2. *inf. de Apostatu.* Idque obtinet etiam in ignoranter rebaptizatis ac rebaptizantibus, *can. Qui bis, & ibi Gloss. quam vide de consecrat. distinct.*4. Nec solùm hanc irregularitatem rebaptizatus in principio contrahit, sed & qui, postea quam scit se rebaptizatum, id ratum habet : imò is quoque, qui metu cadente in constantem virum, rebaptizatus fuit ; secus, si per vim coactivam. Sed & qui rebaptizanti ministrant, Acolyti, Subdiaconi vel Diaconi officio fungentes, eâdem irregularitate afficiuntur, *cap.*2. *inf. de Apostatu.* Et horum omnium dispensatio ad solum spectat Pontificem, qui vix cum illis dispensabit, vt religionem ingrediantur, *d. c.*2. Licèt videatur Episcopus posse dispensare cum rebaptizato ignorantiâ probabili ; vel metu cadente in constantem virum, vt tenet Piasec. *d.art.*3. *n.*4.

4 Similiter ordinari nequit non confirmatus. Conc.Trident. *sess.*23. *cap.*4. *de reformat.* Si tamen ordinetur, modò non ex contemptu faciat, nullam censuram incurret, Victoria *de Sacramento ordinis num.* 232. Imò in tali casu nec ordinatum nec ordinantem peccare moraliter, tradit Navarr. *in Manuali capit.* 22. *num.*9.

5 Item mulier, tanquam Ordinis prorsus incapax, *cap. Noua* 10. *inf. de Pœnit. & remiss.* Archidiac. *in can. Diaconissam* 27. *quæst.*1. Hostiens. *in Summa h.t.* §. *sed & prater ; tenéntque Theologi & Canonista omnes.* Nec obstat, quòd legamus in Ecclesia fuisse Presbyteras, Diaconas, & Episcopas, *can. Mulieres, can. Presbyter distinct.*32. *l. Generali Cod. de sacros. Eccles.* quia eam appellationem non sunt sortitæ ab Ordine aliquo sacramentali, sed ex eo, quòd fuerint vxores eorum, qui Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri vel Episcopi facti erant, & separatim vitam cœlibem agebant : vel eam appellationem acceperunt à dignitate aut curâ, sibi inter mulieres concessa & commissa : hoc enim pacto olim Presbyteræ dicebantur viduæ seniores ; & Diaconarum munus erat præesse foribus Ecclesiæ, per quas mulieres ingrediebantur. * Idem docent Theologi & communiter Interpretes *in can. si testes* §. *Hermaphroditus* 55. *quæst.* 2. de Hermaphroditis, æque vel magis participantibus sexum fœmineum, quia tales non sunt absolutè & simpliciter viri. Qui verò magis declinant ad sexum virilem, capaces quidem erunt Ordinis, tanquam qui simpliciter censeantur esse viri, *iuxta l.* 6 *Quæritur ff. de statu hominum* ; tamen ob indecentiam & monstrositatem repelli debent. *can.*1.*dist.*36.

Sed & ab Ordinibus arcentur illiterati, id 7 est qui vel nullam omninò literarum habent scientiam, vel non eam, quæ ad Ordinis cuiusque susceptionem & executionem requiritur, *c. Congregato* 53. *sup. de elect.* idque ideò, quia Clericorum ac Præsulum est, lucem sapientiæ ac scientiæ aliis infundere, ac populum in via Domini erudire ; quod præstare nequeunt illiterati. Adeò vt penitùs illiterato ne quidem prima tonsura conferri queat, *cap. fin. de temporibus ordinat. in* 6. Concil. Trid. *Sess.*23. *cap.*4. *de reform.* frustrà in hoc dispensante Episcopo. Quæ autem scientia sit sufficiens, Iudicis seu Episcopi arbitrio relictum est : nisi quòd hodie Conc. Trid. exactiùs & meliùs declarat, quæ & quanta literarum cognitio in singulis Ordinibus requiratur : de prima tonsura, *Sess.*23. *cap.* 4. quoad minores Ordines, *c.*11. & quoad Subdiaconatum ac Diaconatum, *cap.* 13. quoad Presbyteratum, *cap.*14. quoad Episcopatum, *sess.*7. *cap.* 2. & *Sess.*22. *cap.* 2.

Quòd si prorsus illiteratus ordinetur, re- 8 cipiet quidem characterem, quia literarum scientia, licet sit de præcepto, non est tamen de substantia Ordinis : & conveniens pœna esse videtur, vt talis ab Ordinibus suspendatur, donec scientiam ad Ordinem sufficientem sibi comparaverit. Tollitur verò hoc impedimentum, Primò, si scientia ad Ordinem requisita comparetur : adeò vt tunc non sit opus

aliquâ

aliquâ dispensatione, cùm cessante causâ cessare debeat effectus. Secundò, per dispensationem; quam tamen impertiri nequit Episcopus, eo quòd hæc irregularitas sit iuris Pontificij, nec in iure reperiatur talis potestas Episcopo data.

9 Præterea ordinari prohibentur graviori aliquo crimine irretiti, vt Apostatæ, Hæretici, Schismatici, Simoniaci, Idololatræ, Adulteri, Incestuosi, Fornicarij, Raptores Virginum, Sodomitæ, Periuri, Homicidæ voluntarij aut culpabiles, *cap. Continebatur* 8. *c. de cætero* 11. *inf. de homicidio*, *& communiter DD.* Sub homicidio autem hîc continetur non solùm homicidium, ex quo mors sequitur, sed etiam abscissio membri, vt scilicet abscindens membrum aliquod corporis humani hanc irregularitatem contrahat, Piasec. *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 5. *num.* 5. post Abb. *in c. Tua nos* 19. §. *ad vltimum inf. de homicidio.* Item Falsarij, Vsurarij, Fures, Sacrilegi, & similes *cap. fin. sup. de temporib. ordinat.* Item Scurræ, Scenici, Ludicri, Seditiosi, Iniuriarum tenaces, Vltores, Adulatores, Aleæ atque ebrietati dediti, *can.* 5. *cum sequent. distinct.* 46. aliique similes, de quibus vide *can. Infames* 6. *quæst.* 7. *& can. quæst.* 7. *per tot.* Qui quidem omnes ordinari vetantur, modò notorij sint, aut per sententiam, aut per confessionem in iure, id est, in iudicio factam, aut per evidentiam facti, quæ tergiversatione aliquâ elidi non possit, *cap. fin. inf. de cohabit. c. Cler. & mulier.*

10 Insuper solemniter & publicè pœnitentes, excommunicati maiori excommunicatione, Navar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 12. *&* 24. Suspensi ab Ordine: interdicti sub pœna suspensionis ab Ordinis sic suscepti executione, aut depositionis in perpetuum: & durante excommunicatione, suspensione, vel interdicto, nequeunt ad superiorem Ordinem ascendere, Navar. *d. c.* 27. *n.* 244.

Denique nullus sine titulo ordinandus est. Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* adeò vt si absque titulo Episcopus aliquem scienter ordinet, vel det licentiam accipiendi Ordines ab alio, teneatur providere ordinario de alimentis, donec beneficium sufficiens eidem
11 contulerit, *c.* 2. 4. *&* 6. *inf. de prabendis.* * Tituli verò nomine hodie intelligi debet, in Regularibus quidem professio, Zerola 1. *p. V. Dimissoria vers. ad quintum*; in Regularibus autem beneficium sufficiens ad vivendum honestè, vel sufficiens patrimonium aut pensio, *c. Tuis quæst. cibus inf. de prabendis.* Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* vbi statuit, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere: vt nec resignari eiusmodi beneficium queat, nisi factâ eius rei mentione, nempe quòd ad illius titulum sit promotus; nec admitti resignatio, nisi constet, quòd aliunde vivere commodè possit: vel nisi constet, eum verè patrimonium vel pensionem habere talem, quæ ad vitam sustentandam satis sit: vt denique nec patrimonium saltem non reservato vsufructu, nec pensio, sine licentia Episcopi, alienari, extingui, vel remitti vllatenus possit, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat, quo vitam commodè duceret. Ratio huius est, ne Clerici in opprobrium & cum dedecore Ordinis mendicare cogantur, Conc. Trid. *d. loco*, Hinc non potest promoveri quis ad sacros Ordines sub titulo Capellaniæ vel Vicariæ, ad nutum amovibilis, vel alterius beneficij manualis, Garzias *de Benefic. p.* 1. *n.* 83. aut Commendæ, nisi sit perpetua.

TITVLVS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

1 *Quis dicatur Diaconus: & munus illius.*
2 *Quis archidiaconus: & munus illius in quibus consistat.* 3.

ABSOLVTO tractatu ordinationum seu ordinandorum & præficiendorum, sive explicatis modis, quibus ad dignitates Ecclesiasticas promoveri contingit: nunc agendum est de dignitatum officiis, vt sciatur, quo pacto quisque in dignitate constitutus, officio seu munere suo fungi debeat. Quia verò Archidiaconus post Episcopum in Ecclesia Cathedrali dignitate maior est, *cap. Ad hæc* 7. *hoc tit.* atque etiam potestate, cùm secundum Card. *in Clement.* 2. *de prabendis*, plura ex iurisdictione seu foro contentioso competant Archidiacono, quam Archipresbytero, cui cura exercitiúmque fori pœnitentialis potissimum incumbit, vt patet *ex cap.* 1. *&* 2. *hoc titul. & can. Perlectis.* §. *Archipresbyter distinct.* 25, ideò de illo videndum est primo loco.

Vbi

Vbi notandum in primis est, Diaconi nomen esse generale, posséque etiam personis non Ecclesiasticis accommodari, ob generalem significationem verbi, à quo deducitur. Nam dicitur Diaconus à Græco verbo Διακονία quod Ministro seu famulor significat, & ad diversa ministeria referri potest. Vnde & Diaconi latinè ministri dicuntur, *can. cleros dist. 2.* & eorum alij sæculares, alij sacri dici possunt. Sumitur tamen hic nomen illud specialiter pro sacro, dicitúrque comparatione Presbyteri, cui ministrare, subseruire & subiici debet, *can. legimus dist. 93.* in iis, quæ traduntur *in can. Perlectis §. ad Diaconum dist. 25.* sicut in veteri testamento Leuitæ, in quorum locum Diaconi successerunt, sacerdoti legis antiquæ ministrabant. Diaconus dum ordinatur, inquit Gregorius, solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius ponit, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, *can. Diaconus dist. 23.* & sub certis verbis ei traditur stola & codex Euangelij: stola quidem, quia Euangelium, quod per Christi iugum figuratur, lecturus est.

2 Inter Diaconos sunt, qui inseruiunt Presbyteris simpliciter, quibus & subiiciuntur, locúmque digniorem cedere debent, *can. Peruenit, & similibus. dist. 93.* Alij verò inseruiunt Episcopo, qui proinde Archidiaconi, quasi Principes seu primi Diaconorum dicuntur; sicuti Archiepiscopus dicitur Princeps primus Episcoporum, *dict. can. cleros dist. 21.* Alitérque Archidiaconus etiam oculus Episcopi vocatur, & vicarius eius reperitur, *cap. 1. hoc tit.* Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* tamquam qui velut in specula & statione positus prospicere debeat actus totius Ecclesiæ & ad Episcopum referre, *can. Diaconi Ecclesiæ & ibi* Glossa, *& aliis, distinct. 93.* Atque ratione Episcopi, cui inseruit, dignior est Presbytero & Archipresbytero, non fungente eo officio, *cap. 1. inf. de officio Archipresbyteri.* Eique iure communi adhæret dignitas, quæ maior censetur Monasteriis ipsis & Præposituris eorum.

3 Quantum verò ad officium seu munus Archidiaconi attinet, prævalent ea in re constitutiones & consuetudines Ecclesiarum, sicut & in aliis officiis, *iuxta cap. cùm olim sup. de consuetudine*: & eæ pœnæ tot sunt in officiis Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpositi, & Decani, quot sunt Ecclesiæ; iisque standum est, & maximè attendi debent.

Cessantibus verò consuetudinibus locum habent; quæ tum *in d. can. Perlectis dist. 25.* tum in hoc Tit. nostro, tum alibi passim habentur; veluti quòd ipso iure vicarius sit Episcopi in omnibus, omnisque cura in clero, tam in vrbe quàm extra per parochias habitante, ad eum pertineat, *cap. 1. hoc tit.* quòd & curam animarum *cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora sup. de elect.* & Diaconis, Archipresbyteris, Presbyteris aliisque clericis sibi subiectis impleret: quòd tertio quoque anno circumire & visitare teneatur diœcesim, si Episcopus hoc munus per se obire non possit, *d. c. 1. hoc tit.* & singulis propriam Ecclesiam, *cimandamus 6. hoc tit.* iuxta modum præscriptum à Concil Trid. *d. sess. 24. c. 2.* Eiusdem est audire iurgia singulorum, & cuncta, quæ correctione & emendatione indigent, corrigere atque emendare: nisi ardua sint negotia & excessus sit grauis ita vt maioris necessaria sit præsentia & maior auctoritas, *d. cap. Ad hæc h. t.* Insuper curare debet, vt Ecclesiæ sartæ tectæ maneant & sollicitè custodiantur, *c. 3. t. h. t.* vt officium diuinum ritè fiat, *cap. 2. h. tit.* vt vacante Ecclesia parochiali per substitutum aliquem cultus diuinus peragatur. Chopinus *lib. 1. de sacra Politia tit. 8. n. 19.* Item examinare & sistere Episcopo ordinandos, de mandato tamen Episcopi; quoad examen scilicet, quandoquidem illud hodie ad Episcopum spectet ex Conc. Trid. Ad hæc examinare promouendos ad beneficia, eodémque instituere in beneficiis: mittere in possessionem Abbates & Abbatissas, *c. Vt nostrum 9. h. t.* Aliaque similia sui muneris debet: quæ quia varia sunt, siue ius commune siue consuetudo cuiusque Ecclesiæ Cathedralis spectetur, vt interdum in vna Ecclesia plures Archidiaconi constituantur, prout in Cathedrali Leodiensi cernere licet.

Nemini tamen sine mandato & licentia Episcopi cura animarum, obtentu alicuius consuetudinis, committere debet, *c. 4. h. t.* Similiter nec de iure communi potest excommunicare, suspendere; vel interdicere, *c. 5. h. t. iuncto c. licet inf. de pœnis*: licèt de consuetudine id aliquando permittatur, *c. dudum 54. vers. sed cùm in iure sup. de electione.* Non potest etiam dare commendatitias seu dimissorias ad suscipiendos alibi Ordines, *cap. Significasti 8. h. t.* Conc. Trid. *sess. 23. cap. 11. de reformat.* Non item potest visitare monasteria, nisi in quantum consuetudo permittit. *c. vlt. h. tit.* Similiter non cognoscit hodie causas matrimoniales & criminales, ex Conc. Trid. *d. sess. 24. c. 20.* nec causas concubinatus *idem*, Conc. *sess. 15. c. 14. de reformat.* Fructus

& iura vacantium Ecclesiarum parochialium subinde ex consuetudine vel privilegio habet, sic tamen vt interim onera adimpleri per alium curet.

Ad Archidiaconatum promovendi 25. annis nati sint oportet, acdigni, qui saltem Diaconi sint, & ex Conc. Trid. *d. Sess. 24. cap. 12. de reformat.* Licentiati in Theologia vel Iure Canonico.

TITVLVS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

1 *Quis Presbyter.*
2 *Qui Sacerdotes dicantur.*
3 *Eorum munus & distinctio.* 4.
5 *Quis Archipresbyter.*
6 *Alius Vrbanus, alius Ruralis.*

ARCHIDIACONO proximus dignitate & gradu in Ecclesia Cathedrali est Archipresbyter: de cuius proinde officio sequitur.

1 Quod vt melius intelligatur, sciendum, Presbyterum, Latinè Seniorem dici. Et quia cùm olim, tum etiam hodie in Republ. benè constituta dignitates & honores maiores deferri senioribus solent, *l. Vt gradatim, ff. de muneribus.* ideò hoc nomen Presbyter, non solùm ætatis nomen est, verum etiam dignitatis; & qui Sacerdotes vocantur, dicuntur Presbyteri, non modò ob ætatem vel decrepitam senectutem, sed ob dignitatem & honorem, quem acceperunt, *can. Cleros, §. Presbyter dist. 21.* Est enim venerabilis senectus, & gloria senum est canities, quæ sapientiam designat, *can. Porrò dist. 94.*

2 Sacerdotes verò dicuntur, quasi sacrum dantes, nomine veluti compositio ex Græco & Latino, *d. can. Cleros, §. Sacerdos, iuncta.* Gloss. *ibid.* Atque ita Sacerdotis, sicut & Presbyteri, nomen generali notâ potest latiùs sumi, quàm pro eo, qui initiatus est sacro ordine, scilicet pro omni eo, qui quodlibet offert sacrificium: quo pacto Concil. Laodicenum *in can. vltim. distinct. 32.* ostendit eas mulieres, quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud Latinos dici viduas seniores, vniviras, & matricarias, & in Ecclesia tanquam ordinatas constitui non debere. Gentilium porrò sacerdotes dicebantur Flamines, *d. n. Cleros, §. Sacerdotes autem*, vbi redditur ratio istius appellationis.

3 Ordinantur propriè Sacerdotes ad sacrificium; eorúmque præcipuum munus & officium in ordinatione statuitur, conficere scilicet in altari Sacramentum, vel vt alias legitur, Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, *can. Perlectis distinct. 25. & aliis.* Qualiter verò ordinetur Sacerdos seu Presbyter, traditur *in can. Presbyter distinct. 23. & cap. fin. sup. de Sacramentis non reiterandis.*

4 Sacerdotum autem alij simpliciter Sacerdotes appellantur, alij Archipresbyteri, alij Chorepiscopi (quorum institutio & potestas non tantùm in Romana, sed & in aliis totius orbis Ecclesiis tanquam improba & supervacanea interdicta & sublata est, *can. Quamvis & can. Quod Episcopi distinct. 68.*) alij Episcopi, alij Archiepiscopi seu Metropolitani, alij Primates, alij Patriarchæ, alij summi Pontifices. Gratianus *in princ. 21. dist. §. inter eos*, loi eam discretionem tradit introductam esse maximè à gentilibus, qui inter suos Flamines alios simpliciter Flamines, alios Protoflamines appellabant.

5 Dicitur verò Archipresbyter, quasi primus seu princeps Presbyterorum vel sacerdotum, & à plerisque Decanus appellatur, *cap. Ad hæc sup. de officio Archidiaconi.* Et quamquam Archidiacono maior sit ordine, quando is tantùm est Diaconus, tamen eo minor est iuridictione, & dignitate, spectato iure communi, *c. 1. & ibi* Gloss. *h. t.*

6 Archipresbyterorum alius est vrbanus, qui videlicet in civitate Episcopali omnibus presbyteris præest, & vicem Episcopi, quando sibi ipse defuerit, sustinet, *cap. Officium h. t.* Alius Foraneus, quem aliàs communiùs appellant Decanum Ruralem, quasi qui ruri, id est, extra civitatem Episcopalem, plebis ac Presbyterorum, reliquorumque Clericorum sibi subiectorum, curam habeat, *cap. vlt. h. t.* & Decanum Christianitatis. Officium Vrbani optimè declaratur *in cap. 2. & h. t.* Ruralis verò *in d. cap. vltimo.*

TITVLVS XXV.

De Primicærio, eiusque officio.

1 *Nominis ratio.*
2 *Primicerij munus & officium.*

Tertio

TERTIO loco est Primicærius, primus in choro vel cantu, absente Archipresbytero. Panormitan. *ad h. rubric.* & aliquibus Ecclesiis est nomen dignitatis, vt patet *ex cap. Cum accessissent sup. de constitutionib.* & ex iurisdictione facultateque animadvertendi in Clericos delinquentes, ei annexâ, *can. Perlectis*, §. *ad Primicarium dist.* 25. quam non modò in sacerdotes inferiores, sed & in Canonicos & ipsos dignitate Ecclesiastica præstantes exercet, vt ex Glossa *Pragmat. sanct. in* §. *fin. tit. quomodo divin. offic. sit celebr.* refert Chopin. *lib.* 1. *Sacra polit. tit.* 3. *n.* 10.

1 Deducitur autem Primicærij nomen à Cereo: cùm enim ante charræ & membranæ inventionem in pugillaribus, ceratis arborum libris & foliis, aliáve materia, scriberetur, factum fuit, vt quæ in eiusmodi ceratis libellis, & per translationem etiam in aliis, scriberentur, in ceris scripta dicerentur; & quod in primo loco scriptum erat, in prima cera; quod in secundo, & in secunda; quod in tertio, in tertia; & quod in postremo, in ima cera scriptum diceretur. Hinc etiam, quia is, qui primus erat seu dignior, primus in albo scribebatur, *lib.* 1. *ff. de albo scribendo*: Primicærius dictus est, quasi primus in ordine ceræ seu scripturæ, & in omnibus ordinibus dignior: sic enim sæpiùs legimus, in Novella 8. *Notariorum primicarium*, id est, primum seu in matricula Notariorum primò scriptum, & in *Primicarium mensorum* id est, inter mensores, *Primicarium ex corpore Decanorum*, *Primicarium fabricæ*, *protectorum*, *domestic-orum*, *equitum*. Sic Augustinus vocat Stephanum, *Primicarium Martyrum*. Is verò, qui primicærium, in quocumque ordine, Secundicærius, & sic deinceps, dicebatur.

2 Hinc igitur factum quoque est, vt qui Ecclesiis præficitur Diaconis, & aliis Clericis ac cantoribus instruendis atque docendis, ad cantum in choro destinatis, (& Græcis χορῳδιδάσκαλος vel χορῳδιδάσκαλος dicitur, id est, Chori magister, Aristot. 3. *Polit. cap.* 9. & Plato *de legibus*) Primicærius dici cœperit, veluti primus in choro, & primus ratione cantus: alioquin non est primus simpliciter, cùm subsit Archidiacono, *cap. vnico h. t.* Aliter dicitur Cantor sive Præcentor: sub quo etiam Succentor est, Host. *in Summa h. t.* eo quòd officium cantandi Lectiones, Laudes, aliáque, seu eorum distributio ad canendum, illi incumbat, & similiter ordo ac modus canendi, pro tempore & solemnitate præcátque in cantu. Ad eundem spectat determinatio delationis cereorum seu luminum: leves præterea castigationes Clericorum, aliáque similia, de quibus *in d. can. Perlectis*, §. *ad Primicarium dist.* 25. *& in d. c. vnico h. t.*

TITVLVS XXVI.

De officio Sacristæ.

1 *Sacrista quis, & officium illius.* 2.
3 *Videri eundem cum Thesaurario.*

SEQVITVR quarto loco de officio Sacristæ, Sacrista dicitur à rerum sacrarum custodia, quasi sacris stans; & idem est, qui Sacrarius: vt enim locus, in quo res sacræ reponuntur & asservantur, dicitur Sacrarium, *l. Sacra* §. *sacrarium ff. de rerum divis.* ita qui rebus sacris præficitur, vocatur Sacrista, *cap. vnico h. t.* Videturque idem cum eo, quem in Ecclesiis quibusdam Thesaurarium vocant: aliter Cimeliarcha dicitur, *l. fin. in fine Cod. de bonis auctor. Iud. possident.* & vtriusque videtur idem esse munus atque officium, vt colligi videtur *ex can. Perlectis* §. *ad thesaurarium in fine dist.* 25. *& d. cap. vnico hoc tit.* vbi Sacrista dicitur subiectus esse Archidiacono * & ad eius curam pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici (qui magis in vasis sacris & instrumentis Ecclesiasticis, quàm in pecunia numerata consistit) nec non quæ ad luminaria pertinent. Et *in d. can. Perlectis* dicitur; ad Thesaurarium pertinere basilicarum & ostiarij ordinationem, incensis & luminariorum præparationem, curam baptisteriis ordinandi. Ex quo loco, vt & ex antè dictis patet, Sacristam nudum habere officium, absque vllâ iurisdictione aut præeminentia, *Rota tit. de præb. decis.* 9. *aliàs* 153. *in novis.* Potest tamen eidem per consuetudinem vel privilegium attributâ iurisdictione accedere dignitas, *Rota ibid.* Idque ostendunt delegationes Pontificiæ Thesaurariorum, Turonens. *in cap. Ex tenore* 11. *inf. de foro compet.* Linconensis, *in c. Signif.* 18. *inf. de conuers. coniugat.* & Nivernensis, *in c. Cum olim* 32. *inf. de officio & potest. Iud. deleg.*

TITVLVS XXVII.

De Officio Custodis.

DENIQVE Custos quasi minister est Sacristæ, *Secundum Gloss. & Panormit. ad rubr. hoc titulo* ideóque de eius quoque officio aliquid subiiciendum est. Illud autem consistit in his, vt non tantùm ad horas Canonicas pulset iussu Archidiaconi; sed & palsia vel linteamina altaris, cunctáque vtensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat; in lampadibus & luceruis diligenter accendendis & extinguendis pervigil existat, *cap. 1. hoc titulo* panem, & vinum omni tempore ad Missam præparatum habeat; oblationes seu Eleemosynas Clericis singulis distribuat, *d. cap. 1. & cap. 2. hoc titulo.* Et hîc vix vnquam videtur habere iurisdictionem, aut dignitatis vel minimam partem.

Cæterùm non est magna vis facienda in hoc, vel ante dictis nominibus, eorúmque officiis de iure statutis; sed omnia referri debent ad consuetudines Ecclesiarum, pro quarum diuersitate nomina ista variantur, & pariter eorum officia.

TITVLVS XXVIII.

De officio & potestate Vicarij.

§. I.

Vicarius quis, & quotuplex.

1 *Vicarius alius Perpetuus, alius Temporalis.* 2.
3 *Perpetuus habet se adinstar beneficiarij.*
4 *Non etiam Temporalis.*

CONSIDERATIS eorum officiis, qui deseruiunt Ecclesiæ nomine proprio sequitur de iis, qui deseruiunt nomine alieno; cuiusmodi sunt Vicarij. Dicitur enim Vicarius à Vice, quòd vicem alicuius gerat: cùm enim quis rebus suis Interesse vel superesse non potest, Vicarium sibi in iis constituit per quem quæcumque gesta fuerint, perinde habentur, ac si per ipsum constituentem expedita fuissent, *iuxta c. Qui facit de Reg. iuris in 6.* Quamquam hoc loco non tam latè accipiatur nomen Vicarij, vt denotet eos omnes, qui quoquo modo vices alienas obeunt in functionibus Ecclesiasticis (vt cùm Archidiaconus dicitur esse Vicarius Episcopi, *cap. 1. sup. de officio Archid.*) sed strictiùs, pro eo scilicet, qui officium Ecclesiasticum, quod alteri ordinario iure competit, ipsius nomine exercet.

Duplicis autem Vicarij in Iure Canonico potissimum sit mentio: vnius Perpetui, vt *in c. Ex parte h.t. c. Extirpanda* 30. *§. qui verò inf. de prabendis, c. G. perpetuus inf. de fide instrument.* alterius Temporalis, vt *in cap. Pervenit inf. de appellat.* 1

Perpetuus dicitur, qui Canonicè, id est, auctoritate Episcopi constituitur in aliqua Ecclesia Parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede, ex proventibus ipsius Ecclesiæ. Sic à sacris Canonibus permittitur habenti Parochialem Ecclesiam, suæ vel dignitati vel præbendæ annexam, substituere sibi Vicarium idoneum & perpetuum auctoritate Episcopi, *d.c. Extirpanda §. qui verò, & c. de Monachis inf. de prabendis, & similibus.* Vide Conc. Trid. *Sess. 7. cap. 6. & 7. & Sess. 25. cap. 16. de reformat.* vbi idem permittitur Cathedralibus, Collegiatis seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque, quæ beneficia Ecclesiastica curata perpetuò sibi vnita & annexa habent.

Cæterùm Vicarius eiusmodi, semel Canonicè, vt dixi, id est, auctoritate superioris constitutus, non potest per proprium Ecclesiæ Rectorem, aut eius successorem, removeri, aut portione sibi assignatâ fraudari, *d.c. Extirpanda §. qui verò, Clement. vnica h.t.* licèt aliàs mandatum revocari possit pro arbitrio mandantis. Imò nec Episcopo permittitur eidem administrationem auferre, nisi iustis de causis, vt colligi videtur *ex c. Ad hæc h.t.* quia scilicet Vicariatus perpetuus non habet se ad instar simplicis mandati, sed ad instar beneficij, & Vicarius perpetuus ipso iure censetur beneficiarius, *c. Perpetuus inf. de instrument.* Gloss. *in c. 1. in V. in diversis h.t.c. Michaël inf. de filiis Presbyterorum*: eisque officium refertur inter beneficia *in c. Postulasti* 27. *sup. de rescriptis*; & penes eundem est cura animarum. Abbas *in d.c. Extirpanda § qui verò*: ideóque curatus primitiuus, vt aliqui vocant non potest nec debet Sacramenta conferre. Hinc quoque fit, quòd Vicarius, sicut & quilibet alius, in 2

bene

beneficio, auctoritate Episcopi sibi collato instituì debeat, *c. ex frequentibus inf. de institut.* semelque institutus, temerè & sine causa ac præter iuris ordinem non sit amovendus; vt neque quisquam beneficio privandus est: quodque quis nequeat esse Vicarius in diversis Ecclesiis, *c. 1. & 2. h.t.* aut sibi alium Vicarium perpetuum substituere, iuxta communem sententiam, sed per seipsum deservire compellendus sit, per subtractionem fructuum vel ipsarum Vicariarum, *c. vlt. h.t.* Non obstante regulâ *in c. Qui facit 72 de reg. iurù in 6.* quia non habet locum, quando industria personæ spectatur, vti in Vicario attenditur. Posse tamen ad tempus aliquod ex iusta aliqua causa alium substituì, docet Abbas *in cap. Clericos h.t.* Hinc etiam in Vicario perpetuo Iura, de Rectore Parochialis Ecclesiæ constituta, locum obtinent: veluti quod infrà annum à Vicaria obtenta ordinari Presbyter debeat, sicut obtinens Parochialem, *Clem. vnica h.t.*

3 Vicarius Temporalis est, qui in locum alicuius ad tempus substituitur, iustâ subsistente causâ, puta quia pluribus Ecclesiis, quas obtinet simul deservire nequeat, *can. Et temporis 26. q. 1.* aut pluribus negotiis ratione sui muneris & officij distineatur, vel quia ob peregrinationem, ægritudinem aut iustam absentiam, ab Episcopo cognitam & approbatam, vel ob aliam aliquam causam, veluti necessitatem aut vtilitatem Ecclesiæ, deservire suæ Ecclesiæ non possit.

4 Cùm autem ad tempus dumtaxat huic Vicarius constituatur, non habet se ad instar beneficiarij, Glossa *in Extravag. Ioann. 22. Execrabilis de prebendis*: sed iure penes Rectorem principalem manente, penes Vicarium solummodo est functio & administratio, quam exercet nomine alterius, & quæ exspirat morte Rectoris principalis; ad cuius etiam nutum revocari potest, Abbas *in d. cap. Extirpande.*

§. II.

De Vicario Episcopi.

1 *Vicarius Episc. quomodo ab aliis distinguatur.*
2 *Dicitur & Officialis.*
3 *Isque necessariò constitui debet.*

1 CVm Episcopus, plurimis negotiis involutus, nequeat per se sufficere omnibus, ac spiritualibus potissimum intendere debeat, Vicarium sibi constituat oportet, vel vnum vel plures, *can. In nova 16. q. 7. cap. Quoniam 14. inf. de officio iud. ord.* Anchar. *in Clement. 2. de rescriptis,** qui proinde Vicarius Episcopi, & quidem, more loquendi recepto, simpliciter Vicarius appellatur: de quo potissimum hoc Tit. agitur, non etiam de aliis, qui licèt revera Vicarij sint Episcopi, vt Archidiaconus, *cap. 1. c. Ad hæc sup. de officio Archidiac.* Archipresbyter, *cap. 1. c. Officium sup. de offic. Archipres.* tamen non solent appellari Vicarij, quia nomen proprium, & administrationem habent, ex præscripto ipsorum Canonum; nec sunt Vicarij constituti ab Episcopo, sed ab ipso iure, ratione dignitatis & officij, quo funguntur. * Aliter autem Vicarius Episcopi, si generalis sit: appellari solet Officialis Episcopi, & è contra, vt constat *ex d. Clem. 2. de rescriptis, in fine* Gloss. *ib. in V. Officialis, & in c. vlt. h.t. in 6. & in eod. in 6.* vbi textus vocat eundem Officialem, & statim *d.c. fin.* dicitur disiunctivè Officialis aut Vicarius Generalis Episcopi. 2

Adeò verò necessum est, vt Episcopus sibi Vicarium constituat, vt si ea in re fuerit negligens, ad Metropolitanum seu Archiepiscopum devoluatur huiusmodi deputatio: eóque deficiente antiquior Episcopus ex Suffraganeis eundem cogere possit. Conc. Trid. *Sess. 24. c. 16. de reformat.* Tametsi autem Capitulum, vivente Episcopo, eóque vel absente, vel negligente, non possit Vicarium constituere; potest tamen, eo mortuo, vel electum ab Episcopo confirmare, vel alium eligere. 3

§. III.

Qualis debeat constitui Vicarius.

1 *Debet esse probatæ vitæ ac doctrinæ.*
2 *Clericus, non Laicus, nisi ex causa.*

QVoniam ex facto Vicarij tenetur Episcopus, sibique imputare debet, si malum elegerit, *Ad hæc sup. de officio Archid.* Rebuffus *in forma Vicariatus num. 188.* ideò etiam videndum, qualis eligi debeat. 1

Eligi igitur & constitui debet Vicarius probatis moribus, ætate 25. annorum, *argum. cap. Cùm in cunctu 7. §. inferiora sup. elect.* rerum & causarum forensium peritus, *l. penult. Cod. de iudiciis, l. ad Rempub. ff. de muneribus.*

Doctor vel Licentiatus, saltem in Iure Canonico, vel aliàs, quantum fieri potest, idoneus, Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 16. de reformat.* * Clericus item, saltem primæ tonsuræ 2

non coniugatus; Franc. *in cap. 1. h. t. in 6.* nisi certis casibus: veluti si Episcopus iurisdictionem habeat temporalem, cuius capax est laicus, non etiam spiritualis, *cap. 2. de iudiciis*: aut adsit licentia Papæ, vel necessitas vrgeat. Assessorem tamen laicum Episcopus habere potest. Abbas, Felin. & alij *in cap. de his & c. Decernimus inf. de iudiciis*: quia officium Assessoris est consulere, quod etiam in Ecclesiasticis facere potest laicus: licèt honestiùs fuerit adhibere clericum, si reperiatur idoneus, Felin. Dec. *in d. cap. Decernimus.*

§. IV.

Quot modis constituatur.

a TRipliciter constitui potest: vel in spiritualibus tantùm, cuius est officium excommunicare, suspendere, interdicere, Sacramenta conferre, beneficia visitare, corrigere, aliaque similia exercere; & talis vicarij in spiritualibus fit mentio *in cap. 3. de temporib. ordin. in 6. & in cap. 4 inf. de officio Ordinarij.* Vel in temporalibus tantùm, cuius administratio consistit in iudicio, vel extra iudicium. Vel denique Vicarius est in spiritualibus & temporalibus simul: & hic Vicarius generalis Episcopi appellatur *in c. fin. eod. in 6.* creariique debet cum expressione spiritualium & temporalium simul alioquin nõ esset generalis, si vel in spiritualibus dumtaxat, vel in temporalibus crearetur, *c. Si Episcopus & c. Ecclesiis de supplenda neglig. Prælat. in 6.* aut si simpliciter concederetur potestas administrandi videatur Rebuff. *in Praxi benef. tit. de forma Vicariatus Archiepisc.* Sic nec generalis diceretur, si constitueretur in aliqua speciali parte diœcesis, etiam in ipsa parte, in qua residet Episcopus; sed diceretur foraneus & delegatus.

2 Secundò, potest Episcopus vnum vel plures Vicarios constituere, si id consuetudine receptum fuerit, aut si expressè agatur, vt plures constituantur, prout plures constitui expedit, quando Episcopus ad diversa territoria diœcesim suam extensam habet. Alioquin per simplicem constitutionem secundi censetur prior reuocari *DD. in cap. clericos h. t.*

3 Tertio, potest constituere vnum generalem, qui vices ordinarij constituentis gerat in tota diœcesi, & ius dicat in loco ac tribunali, in quo consuevit ipse Ordinarius ius dicere, Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 29. quæst. 1. num* 11. & talis est principalis, & dignitatem habere dicitur; licèt non eam, quæ sit beneficium Ecclesiasticum, vel incompatibilis cum alia dignitate. Rebuff. *in d. Praxi tit. de Vicario Episcoporum.* Alium verò constituere potest in certa aliqua parte diœceseos, extra civitatem Episcopalem, qui proinde vocatur Forneus, nec dignitatem habere censetur.

§. V.

De potestate & iurisdictione Vicarij.

1 *Rationes, quibus asseritur Vicarium Episcopi esse delegatum.*
2 *Probatur, esse Ordinarium.*
3 *Satisfit rationibus contrarijs.*

1 TAmetsi non desint, qui velint, Vicarium Episcopi, licèt principalis sit, non esse ordinarium, sed delegatum, Gotoffredus *in summa h. t. quæst.* 1. eò quòd eius iurisdictio morte expiret Episcopi, sicut iurisdictio delegati re integra finitur morte delegantis, *cap. gratum, cap. Licèt vndique inf. de officio delegati*; quòdque vices Episcopi gerat, *cap. Romana in princ. de appellat. in 6.* sicut delegatus fungitur vice delegantis, *l. 1. §. qui mandatum ff. de officio eius & cap. l. Solet ff. de iurisdict. omnium iudicum*: cùm tamen ordinaria iurisdictio, mortuo concedente, adhuc remaneat, nec possit ab Episcopo concedi, vt patet *ex can. A iudicibus 2. quæst. 6. l. Et quia ff. de iurisdict.* Glossa *in cap. 2. V. statuitur inf. ne Prælati vices suas vel Eccles. sub an. censu, conced.* * nihilominus verius videtur, Vicarium Episcopi, si sit principalis, habere ordinariam iurisdictionem, sicut habet Episcopus, cuius vices gerit, prout docet Sanchez *de Matrim. lib. 3. disput. 29.* Glossa *in cap. licèt in V. officialem eod. in 6. cap. Perlectis distinct. 25. in V. iurgia*, DD. *in cap. Quoniam in plerisque inf. de officio ordinarij & cap. 2. de consuet. in 6.* quia licèt constituatur seu nominetur & designetur ab Episcopo, non tam ab eo, sed ab ipso canone & iure iurisdictionem accipit *cap. 2. eodem in 6.* ac proinde ordinariam, *d. can. A iudicibus.* Confirmatur ex eo, quòd idem tribunal & eadem iurisdictio sit Episcopi & Vicarij, *dict. cap. Romana & dict. cap. 2. & ibi interp. de consuet. in 6.* Et propterea, licèt à delegato appelletur ad delegantem, *cap. Super quæstionum §. porrò inf. de officio delegati*: tamen à Vicario seu officiali Episcopi in iis, quibus est 2
ordinarius, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum appellatur, *dict. cap. Roman. dict. cap. 2.*

ds

de consuet. in 6. ne ab eodem ad eundem aut seipsum interponi appellatio videatur. Idem dicendum de Vicario capituli, sede vacante, & Vicario generali, habente iurisdictionem Episcopalem, vt tradit Sanchez *dict. loco.* Et hinc fit, quòd Episcopus non possit reuocare aut impugnare, quod legitimè & canonicè Vicarius gessit Rebuff. *in Praxi tit. de Vic. Episcop. num.* 40.

3 Non obstant in contrarium allata: quia ideò iurisdictio Vicarij extinguitur morte Episcopi, quia illius iurisdictioni tamquam accessoria cohæret, & sic gerit vicem Episcopi: vt tamen non ab eo, sed à iure iurisdictionem accipiat, idémque cum Episcopo tribunal constituat, non diversum: prout delegatus diversum constituit à delegante, à quò suam iurisdictionem habet. Et ideò rectè à delegato ad delegantem prouocatur; sicut & ab Archidiacono, aliisque Prælatis inferioribus, ad Episcopum, non autem Archiepiscopum. Rectè etiam à Vicario Episcopi ad Episcopum appellatur, quoad ea, in quibus illius est delegatus: veluti quando illi diuisim & seorsim ab institutione committit aliquos casus: qua de re videatur Sanch. *d. disp. 29 quæst. 1.*

§. VI.

Quibus modis finiatur potestas Vicarij.

1 *Finitur morte Vicarij, item morte constituentis, &c.*
2 *Item Episcopo Ecclesiam suam deserente.*
3 *Et reuocatione.*

1 FInitur primò, ipsius Vicarij morte. Secundò per mortem, vel etiam excommunicationem constituentis, *cap. 1. h.t. in 6.* Glossa *in clem. vlt. de procuratoribus V. contestata*: ita vt nequidem ante mortem vel excommunicationem Episcopi constituentis causas cœptas, ex mortuo vel excommunicato perficere queat, Speculator *de offic. Ordinarij* §. 1 *in V. Auditores*, Gloss. *in d. clem. vlt. cap. 1. de officio Vicarij in 6.* quia idem prorsus est tribunal vtriusque, eadémque vtriusque persona reputatur, *cap. 2. de consuet. in 6. cap. Romana de appellat. in 6.* Ideóque cessante tribunali Episcopi per eius mortem, vel suspensa iurisdictione per excommunicationem (quod euenit, quando est denuntiatus, aut notorius clerici percussor) cessat quoque vel suspenditur tribunal seu iurisdictio Vicarij. Et in hoc differt Vicarius à legato, cuius potestas non exspirat, quoad incœpta, morte delegantis, sicut nec per excommunicationem eiusdem. Ratio est, quia non idem delegantis & delegati est tribunal. Idem dicendum, Episcopo interdicto vel suspenso ob eandem rationem, quando scilicet est denuntiatus; idque post Concil. Constantiense; nam antè retinet iurisdictionem.

Tertiò finitur, si Episcopus Ecclesiam suam 2
resignet, aut ad aliam transferatur, aut sua priuetur, vel ab ea remoueatur, vel Religionem ingrediatur.

Quartò, reuocatur eius commissio ab Epis- 3
copo constituente, vel eius successore: etiam sine consensu Capituli, quemadmodum absque eius consensu constitui potest, Abbas *in cap. sua nobis h. t. & ibid.* Ioan. Andre. *num 9. idem* Abb. *in cap. penult. sub num. 4. h. t.* Debet tamen reuocatio insinuari Vicario: alioquin si reuocationem ignoret, interim per eum gesta valent, donec ei innotescat Garz. *d. benef. part. 5. cap. 8. num. 174. & sequent.* Quin etiam, si adsit error communis reuocationis, gesta per illum, etiam reuocationis conscium, valebunt, *arg. l. barbarus ff. de officio Prætoris*: in qua non attenditur ignorantia priuata, vt gesta valeant, sed communis.

§. VII.

De officio Coadiutoris.

1 *Coadiutor quis.*
2 *Datur Episcopo, & aliis inferioribus.*
3 *Cum futura successione, nisi ex causa, dari non potest.*

DAtur subinde Episcopo Coadiutor: de 1
cuius munere, Vicarij officio explicato, operæ pretium est, vt aliquid hic subiiciatur.

Dicitur Coadiutor, qui alteri in subsidium, explendi officij causâ, adiungitur. Quibus autem ex causis, & quâ formâ detur Episcopis & aliis superioribus, explicatur *in cap. vnico de clerico ægroto in 6.*

Neque enim Episcopo dumtaxat, sed etiam 2
aliis inferioribus datur, si res exigat, veluti si morbo impediti supereſſe muneri suo non possint; vt de rectore Ecclesiæ, leprâ; de Archidiacono, paralysi, laborantibus, rescriptum est *in cap. 3. & fin. vbi latè* Abbas *inf. de clerico ægrotante.* Cùm occupatus infirmitate vel ægritudine debeat, ne afflicto addatur afflictio.

Coadiutorem

Coadiutorem tamen cum futura successione dari prohibet Conc. Trident. *sess. 25. cap. 7. de reformat.* ne sic inducatur votum captandæ mortis alicius: præterquam si Ecclesiæ Cathedralis vel Monasterij vrgens necessitas, aut euideus vtilitas postulet, Prælato dari Coadiutorem; qui tamen non aliter cum futura successione dabitur, quàm causâ priùs à summo Pontifice diligenter cognitâ, & concurrentibus qualitatibus, quæ à iure & decretis *dict. Conc.* in Episcopo & Prælato requiruntur; aliàs concessio Coadiutoris subreptitia censetur.

TITVLVS XXIX.

De officio & potestate Iud. delegati.

§ I.

Quis sit delegatus, & quis delegare possit.

1 *Quis dicatur iudex delegatus.*
2 *Delegare potest summus Pontifex.*
3 *Et ab hoc delegatus subdelegare.*
4 *Ampliatio.*
5 *Item quilibet ordinarius rectè delegat.*

DIXIMVS de iis, qui vices alienas gerunt in divinis officiis & iurisdictione voluntaria: superest agere de iis, qui vices alienas gerunt in iudiciis & iurisdictione contentiosa, idque vel in vna tantùm, vel in certis causis; quales in primis sunt iudices delegati, qui magnam affinitatem habent cum Vicariis potissimùm forancis: item legati & iudices ordinarij. Atque ita deindeps ab hoc Tit. vsque in finem libri traduntur περὶ πράξεως, id est præparatoria iudiciorum, Quorum prima inspectio est de iudice, si forte reus, priusquam respondeat actori seu aduersario suo, habeat aliquid, quod opponat adversus personam iudicis.

1 Iudex autem delegatus est, qui iurisdictionem contentiosam, non suo iure aut suo nomine, sed ab alio sibi mandatam & alterius nomine exercet: eius scilicet, qui causas, ad forum sinum spectantes vel deuolutas, cognoscere & diiimere non potest. Atque ideò in vsitatis appellatur iudex, cui mandata est iurisdictio, vt patet *ex toto tit. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio*: dicitúrque proprium nihil habere, nec sua vti iurisdictione, sed eius, qui mandauit aut delegauit, *l. 1. §. qui mandatam ff. dict. tit. l. Solet 16. ff. de iurisdict. omnium iudicum.*

Delegare verò potest in primis supremus 2
Princeps, ac summus Pontifex, prout frequentissimè facit: tum quia, cùm sit iudex omnium Christianorum in causis Ecclesiasticis, vnus omnibus audiendis non sufficit: tum quia nimis sumptuosum foret illis, qui in remotioribus degunt regionibus, Romam ad causas suas ibid. agendas, proficisci.

Secundò, delegare potest ille ipse, qui à 3
summo Principe vel summo Pontifice delegatus est, si fortè causam sibi delegatam per debilitatem vel occulationes cognoscere nequeat, *cap. si pro debilitate 3. & aliis h. t. l. à iudice C. de iudiciis*: & quidem vel suo coniudici, id est sibi adiuncto delegato, vel alteri & extraneo vices suas committere potest, *cap. Quamvis 6. h. t.* idque delegando, seu, vt vocant, subdelegando, vel principium vel medium vel finem causæ sibi commissæ, sive coniunctim sive diuisim, hoc est vnam partem causæ vbi, & alij aliam, *cap super quæst. 27. in princ. versic. Quòd si delegatus h. t.* quia hanc potestatem habet à iure, *cap. Pastoralis 28. eod. c. si duo eod in 6. text. in l. vnica in fine Cod. Qui pro sua iurisd.* &c. Vide Marantam *Spec. aurei part. 4. dist. 5. num. 25.* Quinimò si subdelegatus iniuncto munere fungi detrectet, compellere eum ad hoc poterit, dummodò ipse exonerare seipsum malitiosè non studeat: licèt aliàs, extra causam delegatam, subdelegatus maior esset delegato: veluti si delegatus summi Pont. subdelegauerit sibi Episcopum suum, prout potest, etiam inuitum, *dict. cap. Pastoralis 28. in princ. & ibi* Abbas *pen. tot. & cap. Sanè 11. eod.* quia in ea causa maior est Episcopo suo, tanquam repræsentans personam summi Pontificis delegantis. Habere tamen debet in eo compellendo gradus ac dignitatis & personæ rationem, *d. cap. Pastoralis & d. cap. sanè.*

Sed quid si delegato suo mandauerit Pontifex, vt personaliter negotium exequatur; Nihilominus subdelegare poterit, dummodò partes consentiant: præterquam si mandauerit inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatis aliisvè ministris prouideri, quia istis casibus industria & fides personæ videtur, *cap. fin. §. in autem h. t. cap. Is cui 12. eod. in 6.* vel si nudum ministerium commiserit; veluti vt excommunicet, absoluat, dispenset,

dispensęt, pœnitentiam iniungat, in possessionem inducat aut aliud quid simile agat: nam tali casu, excepto legato Sedis Apostolicæ, non potest alteri vices suas committere; quia non iurisdictio, sed potiùs certum ministerium ei committitur, *dict. cap. fin. h.t.*

5 Non potest tamen delegatus Principis subdelegare, cum potestate subdelegandi, quia tametsi in iure reperiatur ei concessa potestas subdelegandi, tamen non reperitur concessa potestas dandi facultatem subdelegandi. In eóque distinguitur ab ordinario, qui licèt sit minimus, cùm habeat potestatem vniuersalem & ordinariam, potest tamen delegare cum potestate subdelegandi. Posset nihilominus subdelegatus à delegato, sicut & delegatus Episcopi, committere aliquem actum causæ absque iurisdictione. Piasec. *part. cap. 4. n. 1. sub num. 16. vers. subdelegatus.*

6 Tertiò, quilibet iudex ordinarius, cùm iure proprio & in se ipso iurisdictionem radicatam habeat, delegare potest, *cap. cum Episcopus de officio ordin. in 6. l. more maiorum ff. de iurisdict. om. iudic. l. cognitio 4. §. cum propriam ff. de officio eius cui mand.*

§ II.

Qua forma fiat delegatio.

1 *Fit delegatio vel ad vniuersitatem causarum, vel ad certum genus.*
2 *Item ad vnam aliquam causam, vel plures.*

1 DElegare quis alium potest vel ad vniuersitatem, id est ad vniuersas causas cognoscendas, cuiusmodi est delegatus Officialis Episcopi; vel ad certum genus causarum, v.g. quæ tali anno occurrent, quæ centum florenos non excedunt, quæ in tali territorio ventilantur, vel quæ oriuntur ratione mutui, depositi, &c.

2 Potest insuper quis delegare alium vel ad vnam aliquam causam, vel ad plures, verùm certo numero definitas, veluti ad quinque vel sex. Rursus non tantùm vnus ad vnam aliquam delegari potest, sed & plures: idque trifariam, aut simpliciter, aut adiectâ hac clausulâ, *Quòd si non omnes interesse possint, alij nihilominus in causa procedunt, cap. Prudentiam 21. h.t.* aut denique hac formulâ *Vt omnes, aut duo, aut vnus procedat. cap. cum plures 8. h.t. in 6.* Quæ forma hodiè est frequentissima. Vide de his formulis delegandi tradita inferiùs, *hoc tit. §. 4. n. 5.*

Factâ autem causæ delegatione simpliciter, ea omnia, quæ ad expeditionem causæ pertinent, tacitè committi videntur, *cap. Praterea 5. h.t. l. 2. ff. de iurisdict. iud.* quia explorati iuris est, vt delegatis iudicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur, *cap. prudentiam 21. §. penult. in fine h.t.*

Porrò iuxta canones quælibet causæ delegari possunt; etiam quæ sunt meri imperij, secundùm communiorem Canonistarum sententiam, *cap. licet de off. Vicarij in 6, cap. fin. ne clerici vel monachi in 6. cap. Quod sedem 10. de off. iud. ordin. & ibid.* Abbas *n. 4.* Couar *lib. 3. Var. resol. cap. vlt.* Vide tamen aliter sentientem Fachin. *controuers. iuris lib. 9. cap. 99. & lib. 12. cap. 93.*

§. III.

Quinam delegari possint, vel non.

1 *Delegari nequit minor 20. annis, nisi causa.*
2 *Delegandus à summo Pontifice debet esse in dignitate constitutus.*
3 *Ab Episcopo non vtique; & ratio diuersitatis.*
4 *Iudices Synodales.*

DElegari autem nemo potest, nisi annum ætatis vigesimum peregerit vel decimum octauum, si partes litigantes in eum scienter consenserint. Minori verò annis 20. facta delegatio, ab alio, quàm à Principe, non ignorante, quòd minor sit, non tenet, *cap cùm vigesimum 41. h.t.* Nam hoc ipso, quo Princeps aut Pontifex quem minorem sciens, dat iudicem, intelligitur habere eum idoneum, qui iudicet, *l. Quidam consulebat 37. ff. de re iudicata.* 1

Vt tamen delegatio à summo Pontifice, vel eius legato, valeat præter ætatem, oportet iudicem delegatum non solùm esse iurisperitum, & non suspectum, *cap. cùm R. Canonicus 35. h.t.* verùm etiam in aliqua dignitate vel personatu constitutum (licèt non referat, an sit titularis, an Commendatarius, Chassan, *ad Consuet. Burgund. tit. de success. superior. num. 58.* vel saltem canonicum alicuius Ecclesiæ Cathedralis *cap. Statutum 11. in princ. de rescriptis in 6.* vel priorem conuentualem, qui ad eum prioratum non consueuerit per electionem assumi: vel Officialem Episcopi, seu eius Vicarium Generalem. Nam Foraneus delegari non potest, sicut nec Religiosus vel monasterij prior claustralis, 2

stralis, *clemen. 2. de rescriptis & dict. cap. statutum.*

3 Episcopus verò causâ aliquam delegare potest etiam simplici clerico suæ diœcesis, *c. cum Episcopus 7. de offic. Ordin. in 6.* Ratio diversitatis est, quia Episcopus melius nosse potest suorum clericorum industriam, & an idonei sint, quàm summus Pontifex, vel eius legatus: fierique potest, vt simplicem aliquem clericum Episcopus nouerit multò doctiorem & magis idoneum, quàm sit alius quilibet in dignitate vel personatu constitutus: & ideò *d. cap. Statutum* non concurrit nec tangit Episcopos aut alios inferiores, *secundum* Archidiac. *post* Innoc. & Hostien. *ibid.* At verò summus Pontifex, cùm longè absit, non potest nosse singulorum clericorum conditiones, déque idoneitate cuiusque iudicare debet ex præsumptione. Præsumit autem, ad dignitatem aliquam promotos, vti dignitate, etiam moribus & scientia præstare cæteris.

4 Quia tamen ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum disiunctionem, personarum, quibus causæ mandantur, notitia vsque adeò haberi non potest, indéque subinde fit, vt iudicibus non vndequaque idoneis causæ in partibus delegentur: statuit Conc. Trid. *sess. 25. cap. 10. de reformat.* vt in singulis Synodis Prouincialibus, aut diœcesanis, personæ aliquot, saltem quatuor, quæ qualitates, *in dict. cap. statutum* requisitas, habeant, & alioquin ad id idoneæ designentur, quibus, præter locorum ordinarios, posthac causæ Ecclesiasticæ ad spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus à sede Apostolica & eius legato delegari possint. Videatur fusiùs dictum Conc. & Steph. Vveymf. *in Analysi d. cap. statutum*, *innouati per* Conc. Trident.

5 Porrò actor, iudicem habere recusans in ciuitate vel diœcesi rei conuenti, potest alium non in sua, sed in alia ciuitate vel diœcesi liberè impetrare dummodo & actor & reus diuersarum sint prouinciarum, & non vltra vnam diætam vnius siue diei iter vocetur reus, *d. cap. statutum*, §. *cum autem.* Quamvis alioquin quis ad duas diætas siue duorum dierum iter extra suam diœcesim per litteras Apostolicas trahi potuerit, *cap. Nonnulli 28. sup. de rescriptis.*

§. IV.

De officio iudicis delegati.

1 *Officium & Potestas differunt.*

2 *Iudicis delegati officium est; primò; ne procedat ante præsentationem rescripti delegatorij.*

3 *Secundò, vt diligenter seruet formam mandati.*

4 *Ad connexa tamen sit extensio.*

5 *Dummodò sic non contraueniatur intentioni mandantis.*

6 *Tertiò, vt admittat exceptiones: & quæ illæ sint.*

7 *Quartò, vt intra annum exsequatur sententiam.*

8 *Differentia inter delegatum ab Ordinario & S. Pontifice.*

VIdeamus nunc de officio & potestate iudicis delegati. Differunt hæc duo Officium & potestas, quia potestas latiùs patet, licèt enim quidquid officij est iudicis, etiam potestati eius subiiciatur: non tamen è diverso, quidquid iudicis potestati permittitur, id etiam subeitur iuris necessitati, *l. Non quidquid* 40. *ff de iudiciis*: nam sæpè vnum facere potest, & nihilominus alterum facere tenetur. Quia tamen pleráque, quæ facere iudex potest, & quæ ab eo fieri in causa admodum expedit, etiam facere tenetur, ideo hic Tit. in Decretal. inscribitur, *de offic. & potest. iudicis deleg.* 1

Consistit autem officium & potestas iudicis, Primò in eo, ne procedat ante præsentationem rescripti delegatorij, licèt sciat se constitutum esse iudicem delegatum; & vt procedat post datam rescripti, quia ante præsentationem rescripti delegatorij non habet exercitium iurisdictionis, *cap. super eo 12. inf. de appellat. & ibi* Philip. *in vlt. notab.* Felin. *in cap. sciscitatus 13. col. 8. sup. de rescriptis.* Rota *decis. 19. de præbend. in nouis*, latè Flamin. *de resig. benef. lib. 7. quæst. 51. num. 16.* Nauarr. *de renunt. consil. 6. n. 1.* adeò vt quamvis superveniat postea rescriptum, non validetur processus antea factus: quia censetur factus à priuato: dummodò tamen opponat & excipiat pars de rescripto non præsentato, aliàs valeret processus, Maranta *part. 4. Spec. aurei dist. 14. n. 8.* 2

Secundò, vt diligenter seruet formam & tenorem suæ delegationis seu mandati: quia mandatum delegatorium cùm sit stricti iuris atque extraordinariæ iurisdictionis, extendi non debet vltra personas vel causas in eo expressas, *cap. P. & G. 40. h. t. & dict. cap. super eo, de appellat.* Adeòque constare de eo oportet, in certo tenore suæ delegationis: neque aliàs parere quis tenetur, nisi ostenso & probato mandato; nec sufficit simplex copia, *cap. cum in iure 31. & ibi* Abbas in Felin. *hoc tit.* & in *c. Præterea 2. inf.* 3

de

de dilationib. Bartol. *in l. 2. ff. Si quis in ius vocatus*, &c. Maranta *dict. part. 4. distinct. 5. num. 59.* Eritque nullum, si quid contra tenorem egerit rescripti, *cap. cùm dilecta, sup. de rescriptis*, tanquam à non habente iurisdictionem, sed à priuato gestum, *cap. cum olim 32. h. tit.* Et in hoc distinguitur delegatus ab ordinario; hic enim mandato non tenetur inferere suam iurisdictionem, quia semper pro ea præsumitur. Abbas *d. cap. cùm iure col. penult.* Ideóque sufficit, quòd mandet nuntio, vt aliquem citet; sive verbo, sive literis, *text. in cap. cum dilect. 6. ibi vnicâ voce inf. de dolo & contumacia.* Maranta *dict. num. 59.*

4 Ad connexa tamen & accessoria rectè fit extensio, quamvis in rescripto nulla eorum fiat mentio, quia connexorum, vt dicitur, idem est iudicium, *cap. translato sup. de constit.* & data alicui iurisdictione, ea quoque concessa intelliguntur, sine quibus explicari iurisdictio nequit, *l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudic.* Ideóque, si cui causa specialiter delegetur, poterit nihilominus delegatus citare partes, punire contumaces, eligere nuntium, eundémque, si falsam relationem fecerit punire; sicut & quemlibet alium impedientem, quò minùs causa exitum aut progressum habeat, *cap. 1. & cap. Præterea 5. h. t.* & alia pleraque perficere, quæ ad expeditionem causæ pertinent, quandoquidem hæc omnia delegatione contineantur, *d. cap Præterea, cap. Prudentiam 21. h. t.* Quamquam non minùs rectè omnes actus iudiciales expresè demandari possint, sive coniunctim sive sigillatim, *cap. super quæstionem 17. cap. Pastoralis 28. h. t.* sicut & ipsa rei iudicatæ executio, *dict. cap. Pastoralis, §. qui vero.*

5 Cæterum formam mandati iudex delegatus ita seruare debet, vt intentionem potiùs mandantis, quamvis fieri potest, sequatur, quàm verborum superficiem, *cap. super eo 15. h. t.* quia actus non debet extendi ad incognita seu non cogitata. Vnde si tribus v.g. simpliciter delegatio causæ alicuius facta sit, vnus delegatorum, vel etiam plures, vno absente, aut mortuo, nihil agere possunt, *dict. cap. Prudentiam, l. vno ex tribus ff. de re iudicata*, quia iurisdictionem non habent nisi omnes simul, *cap. cùm causa 22. & cap. vno delegatorum 42. h. t.* Secus si adiecta sit hæc clausula, *Quod si non omnes interesse possint, alij nihilominus in causa procedant*: nam tunc procedere poterunt, vbi de impedimento tertij, siue illud sit iuris sive facti, vel quòd requisitus, cùm possit, interesse nolit, legitimè constiterit, *d. cap. Prudentiam, & ibi latè* Abbas & Felin. Aliàs si procedant, antequam collega notificauerit eis suum impedimentum, processus erit nullus. Sin formula delegationis concepta fuerit hoc modò, *vt omnes, aut duo, vel vnus procedat*, tum singulis intelligitur concessa facultas procedendi in solidum, *cum super 23. h. t.* ita vt præuentioni sit locus, & alij cœptæ ab eo, qui præuenit, causæ se vlteriùs immiscere nequeant: nisi fortè is infirmitate vel alia iusta causa impediatur, quò minùs causam finiat malitiosè prosequi derrectet, *cap. cum plures eod. in 6.*

Quòd si delegationi forma certa præscripta non fuerit, seruanda erit forma præscripta à iure communi, cui in dubio non intelligitur Pontifex velle derogare, *cap. ex parte 13. h. t.*

Tertiò consistit officium iudicis delegati in admittendis exceptionibus rationabilibus, procedendóque iuxta iuris præscriptum & æquitatem, nisi in litteris delegationis (quod tamen quoad exceptiones vel rarò vel nunquam fit, aliter caueatur; *dict. cap. ex parte, cap. Causam quæ 18. sup. de rescriptis.* Variè autem potest aduersus delegatum excipi: veluti quòd non sit delegatus; neque enim creditur talis, nisi suam delegationem probet, *dict. cap. cum in iure*: vel quòd sit delegatus ab eo, qui delegare non potuit; vel quòd ipse delegari non potuerit: vel denique, quòd exspirauerit eius iurisdictio; & sic de similibus. Quòd si verò delegationis diuersa rescripta simul præsententur, vt sciatur, quid agendum, videantur quæ suprà diximus. *Tit. de rescriptis, §. 5.* de præferentia vnius præ altero. 6

Demque consistit officium delegati in exequenda intra annum sententia, à se lata si sit delegatus Principis vel Summi Pontificis, *cap. Quærenti 26. h. t.* aut ab alio iudice, cum vniuersitate causarum. Eamque executionem potest delegatus Summi Pontificis etiam ordinario iudici demandare, *cap. Significasti 7. cap. sanè 11. h. t.* Imò & cogere ad exequendum, licèt is sciat sententiam esse iniustam: nisi efficere apud delegatum valeat, vt liberetur ab hoc onere, quia non cognitio, sed executio tantùm mandatur, *c. Pastorali 28. §. quia verò h. t. & notat. in d. c. sanè & c. significasti.* 7

Dixi, aut ab alio iudice cum vniuersitate causarum; quia delegatus ab ordinario aliquo, inferiori Summo Pontifici, v.g. Episcopo vel Archiepiscopo, absque vniuersitate causarum, sententiam suam exequi nequit: quandoquidem officium eius sententia lata exspiret, & executio in delegantem reiiciatur, *l. à Diuo Pio 15. ff. de iudic. cap. 4. & ibi DD. inf. de* 8

foro competent. Et hoc de iure civili, quo ea, quæ sunt mixti imperij, delegari nequeunt, *l. Iubere caveri 4. ff. de iurisdict. om. Iudic. l. 1. ff. de officio eius*, &c. Secus de Iure Canonico, si potestatem exequendi habeat, provt hoc iure habere potest, quo ea, quæ sunt mixti imperij, qualis est executio, delegari possunt, *secundum.* Gloss. *in c. Quod sedem 10. de officio Iud. ordin.* Maranta *p. 4. distinct. 5. principali, num. 45. in fine.* Abbas *in cap. Si quis 4. de foro compet. col. vlt.* Et hoc casu, quo, inquam, habet executionem suæ sententiæ, potest, sicut & Ordinarius, ex causa ampliare vel minuere tempus, quod datur iudicatis seu condemnatis, *secundum.* Abb. *in c. Quod ad consultationem 15. de re iudicata*: aliàs id non potest, quia hoc esset imponere legem superiori seu delegantis, ad quem spectat executio, *c. Ex insinuatione 50. inf. de appellat.* Maranta *d. loco, n. 46. & seq.*

Differt insuper delegatus Summi Pontificis vel Principis à delegato ab alio Ordinario Iudice, quòd, vt ante diximus, ille subdelegare possit, hic verò non aliter, quàm si vniversa iurisdictio ei mandata sit, *l. 1. & 2. §. is quoque ff. de iudiciis.*

§. V.

Quibus modis finiatur iurisdictio Iudicis delegati.

1 *Finitur morte delegantis & delegati.* 2.
3 *Revocatione.*
4 *Lapsu diei.*
5 *Finito negotio.*

1 Finitur autem iurisdictio Iudicis delegati multis modis. Primò, morte delegantis, re integrâ, *cap. Relatum 19. c. Gratum 20. c. Licet vndique 30. h. t. l. Et quas ff. de iurisdict. omni. iud.* Re autem non integrâ nequaquam exspirat; vt si coram delegato contestata sit lis, vivo adhuc delegante, *d. cap. Relatum*: imò si delegatus cœperit vti iurisdictione, partem, citando dumtaxat, quia etiam per solum mandatum de vitando definit per solum mandatum de vitando definit re esse integra, & perpetuatur iurisdictio delegati, *d. c. Gratum, & ibi Gloss. in V. quasi cœptum*; vtique respectu Iudicis delegantis, vt per mortem huius ea non revocetur, non etiam quod partem, vt hæc cogatur coram iudice delegato litigare, nisi decreto & executâ citatione, *arg. l. Si quis postea de iudic. Rota in antiq. de dolo & cont. dec. 9. n. 2.*

Secundò, morte delegati, quando scilicet delegatio facta est personæ, expresso proprio nomine delegati. Glossa *in cap. Quoniam Abbas 14. h. t. & ibi.* Panormit. *n. 3. & 4.* Alioquin si facta sit dignitati, vel sub nomine dignitatis perpetuæ, v.g. Rectori talis Vniversitatis, Decano vel Præposito talis Ecclesiæ, morte delegati non extinguitur, sed transit ad successorem, *d. c. quoniam.* Felin. *in cap. Eam te de rescript. n. 17.* Sed & morte vnius exspirat officium sive potestas pluriuum delegatorum, nisi aliud in delegatione fuerit expressum, *cap. Vno penult. h. t.* 2

Tertiò, revocatione, re integrâ scilicet, quia regulariter mandatum omne revocari re integrâ potest, *c. Venerabili 37. h. t.* 3

Quartò, lapsu termini seu diei, ad causam decidendam præstitutæ: nisi ante dies consensu partium fuerit prorogata, id est, in longius tempus producta, *c. de causis 4. & c. Consuluit 24. h. t.* Nam licet consensus privatorum nequeat facere Iudicem, *l. Privatorum 3. l. de iurisdict. cm. Iud.* potest tamen veri Iudicis iurisdictionem, priusquam ea exspiraverit, prorogare, *l. 2. §. sed si Iudex ff. de iudiciis.* 4

Quinto, finito negotio, seu postquam delegatus functus est officio suo, Hostiens. *h. t. n. 11.* sententiâ scilicet Iudicis delegati mandatâ executioni, quando eam executioni mandare potest iuxta prædicta, *c. In literis 9. h. t.* aut sententiâ latâ, quando eam executioni mandare nequit. 5

§. VI.

De Delegatis à iure ipso.

DElegati vel sunt ab homine, de quibus dictum est, vel sunt delegati iuris, id est, qui à iure delegatam iurisdictionem habent. Sic enim Episcopi quibusdam in casibus, aliàs Sedi Apostolicæ reservatis, præsertim circa Ecclesias & Monasteria exempta, eorúmque personas, auctoritate iuris sine alio mandato procedunt, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, vt videre licet *cap. Irrefragabili 13. §. cæterum infr. de officio iud. Ordin. in cap. Ad abolendam in fine infr. de hæretico, cap. vnico de Clerico ægrotante in 6.* ac variis Concil. Trid. locis, vt *Sess. 5. cap. 1. & 2. Sess. 6. cap. 2. & 3. de reformat. Sess. 13. c. 5. de reform. Sess. 14. c. 4. de reform. Sess. 21. c. 3. 5. 6. & 8. de reform. Sess. 24. c. 9. 10. 11. & 14. Sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in celebra-*

celebration. Missæ, & c.3.6.8.10. de reform. Sess.25. c.5.8. & 9. de regularibus, & c.9. & 14. de reform. Videatur Azorius *2.p. Moral. Institut. lib.3. cap.54.*

TITVLVS XXX.

De Officio Legati.

§. I.

Legati qui, & quotuplices.

1 *Quis dicatur Legatus.*
2 *Alij sunt legati à Latere.*
3 *Alij Missi.*
4 *Alij Nati.*

1 QVEMADMODVM Iudex delegatus vice ac munere fungitur delegantis, ita Legatus gerit vices Summi Pontificis in provincia vel regno sibi commisso: nam cùm Summus Pontifex non possit adesse omnibus, qui in provinciis eum præsentem requirunt, Legatos suo nomine mittit, *c.1 & 4. h.t.*

2 Legatorum autem tria sunt genera, vt colligitur *ex c.penult.h.t. & c.1. eod. in 6. & vtrobique Glossa.* Alij dicuntur Legati Laterales seu à Latere; alij Nuntij Apostolici seu Legati Missi vel constituti; alij denique Legati Nati.

3 Legati à Latere, ex vsu Romanæ Curiæ, dicuntur soli Cardinales, ab ipso summo Pontifice ex Vrbe & Curia Romana missi, ad certam provinciam administrandam, vel ad negotia cum Regibus, Principibus, aut aliqua Repub. tractanda. Ideò dicuntur Legati à Latere, quia quasi à latere Pontificis, cui adsistunt in consilis & arduis, & veluti ex eius Senatu mitti solent, *c.Volentes 8.cum c.seq. h.t.* Nam Cardinales, pars corporis Papæ censentur, & in locum Senatorum successerunt, *can. Ecclesia 16. quæst.1.*

Legati Missi dicuntur, qui non mittuntur de latere Pontificis, nec è numero sunt Cardinalium, sed à Summo Pontifice speciatim constituuntur, de consilio tamen Cardinalium, quamvis etiam absque eo possit Pontifex Legationis officium alicui committere, *c. Novit 7. & ibi* Abbas *h.t.* Et quamquam constitui possint Clerici quicumque: solet tamen Pont. Prælatos tantùm huic muneri deputare.

4 Legati Nati dicuntur, qui dignitati suæ Ecclesiasticæ officium & munus Legati Apostolici annexum habent. Ideò Nati dicuntur, quia simul atque ad talem dignitatem eliguntur, eique præficiuntur, vna etiam veluti nascuntur Legati. Talis in Anglia est Archiepiscopus Cantuariensis, de quo *cap.1. h.t.* Item Archiepiscopus Eboracensis, *c.1. inf. de appellationibus*; in Francia Archiepiscopus Remensis, cuius est Regem Franciæ vngere, de quo *in c. Per venerabilem, §. verum infr. Qui filij sint legitimi*: in Aquitania superiori Archiepiscop. Bituricensis, de quo *in cap. vlt. infr. de maioritate & obed.* & alij, quos recenset Azor. *2. p. Mor. Instit. lib.5. c.27.*

§. II.

In quo conveniant hi Legati.

1 *Conveniunt, quòd egressi Vrbem accipiant singuli legationis insignia.*
2 *Quòd ordinariam iurisdictionem habeant.*
3 *Quòd valeant statuta condere, perpetuo duratura.*
4 *Quòd ex tenore literarum pendeat potestas legationis.*
5 *Legati benigne recipiendi ac tractandi; & pœna non admittentium.*

QVod verò horum Legatorum sit officium ex duobus capitibus, in quibus scilicet conveniant & in quibus differant Legati, colligere licebit.

Conveniunt itaque in primis, quòd omnes, cuiuscumque generis sint, simpliciter appellatione Legati veniant intelligendi, Glossa *in c. Statutum de rescriptis in 6. c. Privilegium de verb. signif. eod.* quia omnibus vox Legati communis est.

Secundò, quòd mox atque egressi sunt vrbem, accipiant Legationis insignia (quæ sunt equus albus, vestes rubeæ, frænum & calcaria deaurata, Hostiens. *in cap. Antiqua inf. de privilegiis*) eisque vti valeant, dum ab vrbe mittuntur (sicut olim Proconsules, quibus æquiparantur, *cap.2. eodem in 6.* vrbem egressi insignibus Proconsularibus vti poterant, & exercere iurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam, *l.2. ff. de officio Proconsulis*) & rursus eadem ingressi vrbem deponant. 1

Tertiò, quod idem possint in provinciis sibi demandatis, quod in sua diœcesi Episcopus, habeantque ordinariam iurisdictionem, quam exercent iure suo, vt patet ex 2

cap.2.eod.in 6. vbi vocantur ordinarij, & reputantur ad instar Proconsulum ac Præsidum, quibus olim certæ provinciæ moderandæ decernebantur, erantque ordinarij. Eorum autem officium est vice summi Pontificis noxia euellere & dissipare salutaria inducere & promouere, *dist. cap. 2.* causas Prouincialium, quæ per appellationem aut simplicem querimoniam ad eos deferuntur, tanquam ad iudices ordinarios, audire & cognoscere, *c.1.h.t.*

3 Quartò, quod in prouinciis sibi commissis circa ea, quæ ad iurisdictionem eorum pertinent, veluti ad mores componendos & vitia corrigenda, valeant statuta condere, perpetuò duratura, ac vim habentia etiam post depositum legationis officium, *cap.vlt h.t.* Quinimò si expediens videatur, licet eis leges prædecessorum suorum reuocare: insuperque causas ad se pertinentes aliis delegare; ita tamen, vt huiusmodi delegati iurisdictio vna cum legati officio extinguatur, nisi præmissâ citatione sit perpetuata, *dict.c.vlt.& ibi* Abbas *cum Glossa.* Quod si quis legatus fuerit in diuersis prouinciis; potest negotia vtriusque expedire in v[illegible] *cap.nouit.7.h.t.* sive voluntariæ sint iurisdictionis (cuiusmodi olim extra prouinciam tract. poterat Proconsul *dict.l.2.ff.de offi. Proconf.*) sive contentiosæ, *iuxta cap.vlt.inf. de iudiciis & cap.olim in [illegible] iniuriis*, Villadiegus *de legato quæst.* [illegible] licèt aliàs quis inuitus extra prouinciam ad iudicium trahi nequeat, *can.neminem.11.q.6.* tamen eo ipso, quo summus Pontifex, qui iuri communi derogare potest legatum ad plures prouincias mittit, censetur etiam concedere, vt negotia vnius in altera explicare possit.

4 Quintò, in eo conueniunt, quòd potestas legatorum potissimùm ex tenore litterarum suæ commissionis pendeat: ita tamen, vt legato constituto non credatur, nisi eas ostenderit, *can.fin. distinct. 97.* legato verò à latere etiam non ostensis litteris, credatur: nisi fortè asserat, se à summo Pontifice potestatem habere maiorem solita & maiorem ea, quæ ex iure communi competit Legato, vel eam, quæ alteri præiudicet, Azorius 2. *part. Instit. Moral. lib.5.cap.27 vbi testatur de communi.*

5 Posteaquam verò constiterit de legatione & aduentu legati, is benignè recipiendus, tractandus, & honorandus erit, sicut ipse Pontifex, cuius vicem gerit, *cap. cum venerabilis supr. de consuet.* eique necessaria in sua legatione subministranda sunt, prout in consecratione se facturos iurant Episcopi, *cap.Ego inf.de iure iurando*: nec vlla eis circa hoc potest suffragari præscriptio, *cap. Accedentes inf. de præscriptionibus.*

Quòd si quis legatos Apostolicos non admiserit, vel fuerit impedimento in officio legationis ipso facto excommunicationem incurrit, & loca ei subiecta interdictum; cui tam diu subiacent, quamdiu in ea contumacia perseuerat, *cap.1. de consuet.in Extrauag.communibus.* 6

§. III.

In quibus prædicti legati differant.

1 *Primò differunt potestate, præsente legato à latere.*
2 *Secundò, quoad beneficiorum collationem & reseruationem.3.*
4 *Exceptio.5.*
6 *Quæst.*
7 *Limitatio circa prædicta.*
8 *Potest Legatus à latere in sua prouincia, quod Episc. in sua diœcesi.*

VIdimus, in quibus conueniant legati: videndum nunc, in quibus differant. * In primis Legato à latere ex sua dignitate quædam supra alios competunt, ac maius imperium habet in prouincia sibi commissa, quàm alij, *cap. Si Abbatem 36. §. huiusmodi de elect. in 6.* Ideòque, præsente eo, legatus missus aut natus executionem suæ legationis non habet, nec insignibus legationis vtitur, *cap.volentes, 8. h.t.* sicut nec legatus natus iurisdictionem exercere valet, præsente legato constituto, qui maioris est potestatis. 1

Insuper differunt quoad beneficiorum collationem, cognitionem causarum, exemptarum, confirmationem electorum Episcoporum & Prælatorum exemptorum, *d. cap. Si Abbatem*, absolutionem excommunicatorum ob clerici percussionem, in quibusdam casibus, *cap.penult.h.t.* & ibi Glossa.* Et quidem quoad beneficiorum collationem differunt, quia legatus à latere potest conferre beneficia proprie dicta, in prouincia sibi delegata, tempore legationis suæ vacantia, *c.1.& 2.eod.in 6. c.si à sede de præbendis in 6.* etiam ad Papam deuoluta, secundum Ioan. Andr. Goffr. Innoc. Specul. *& alios quos cita: & sequitur* Azor.2.*part.Moral.Instit. lib.5.cap.28.quæst.14.* etiam Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis; & cætera beneficia, quæ dignitates minores vocantur, nec per electionem conferuntur; & quidem absque consensu, imò 2

simò & inconsulto patrono, ad quē spectat præsentatio, modò is sit Ecclesiasticus, *cap. dilectus 6. h.t. & cap. cum dilectus inf. de iure patronatus*; tametsi collatio eorum spectet ad clericos, extra suam provinciam existentes, quia in collationibus locus beneficij attenditur, clement. 1. *de supplenda negligentia Prælat.* Si tamen habenti vnum beneficium, conferat aliud, illius mentionem facere debet, aliàs nullius momenti erit collatio, *cap. fin. eod. in* 6. quamquam diversum sit in aliis collatoribus inferioribus, *clement. 2. de officio ordinarij.* Vnde neque Legatus natus seu constitutus potest conferre beneficia suæ legationis, nisi hoc ei specialiter fuerit indultum à summo Pont. *dict. cap. 1. eod. in 6.*

3 Præterea legatus à latere potest reseruare collationi suæ beneficia non vacantia, etiam in fauorem & gratiam certi alicuius clerici: licèt tribuere non possit ius ad beneficium vacaturum, *iuxta* Glossam *in cap. 1. h.t.*

4 * Atque ideò potest quidem non obstante tali reseruatione, voluntatem mutare, & alteri conferre: non verò potest promittere vel conferre beneficium vacaturum, *cap. 2. inf. de*

5 *concessione præbendæ.** Similiter non potest conferre aut sibi reseruare beneficium iuris patronatus laici, patrono inuito, quando ius patronatus competit ratione dotationis, fundationis, extructionis, *dict. cap. cum dilectus inf. de iure patronatus.* Idque propterea ne laici ab extruendis, dotandis ac fundandis Ecclesiis auertantur. Alud proinde iuris erit, si comperat ius illud ex præscriptione, consuetudine vel privilegio; tunc enim cessat ea ratio. Ant. Butrius & alij *in dict. cap. cum dilectus.* Gambarus *de officio legati lib. 3. n. 242. & seq.*

6 An verò beneficia quæ sunt iuris patronatus clericorum & laicorum simul, iis inuitis conferre vel reseruare valeat, dubitatur. Quidam affirmant; ea ratione, quòd talia beneficia censeatur Ecclesiastica eò quod dignius trahat ad se minùs dignum, *cap. Quod in dubiis inf. de consecrat. Eccles.*; quódque ex societate clerici cum laico tota causa iudicetur Ecclesiastica, Bartol. *in l. 1. ff. de appellat.* Frederic. *& alij, quos citat.* Azorius 2. *part. Moral. Institut. lib. 5. quæst. 2. dub. 1. vbi refert ita olim fuisse iudicatum.* Alij verò negant, *argum. eorum, qua notantur in c. 1. de iure patronatus in 6. & in l. communem ff. Quemad. seruitus amittatur.*

7 Abstinere etiam debet à Prælaturis Cathedralium, regularium, Collegiatarum Ecclesiarum: similiter à dignitatibus Cathedralium maioribus, quæ per electionem conferuntur, *cap. deliberatione h.t. in 6.*

Cæterùm vna reseruatione in Ecclesia aliqua, vel de beneficio, ad alicuius collationem spectante, factâ, & adhuc pendente, non potest interim aliam facere in eadem Ecclesia, vel de beneficio, ad collationem eiusdem spectante, *cap. Præsenti & dict. cap. deliberatione eod. in 6.* At finitâ seu sortitâ effectum primâ reseruatione, potest aliam facere, factâ mentione primæ: aliàs enim non subsisteret. Vbi verò effectum sortita non fuerit reseruatio a legato facta, exspirat ea exspirante legatione. Aliis autem legatis hæc non sunt permissa, absque speciali Pontificis mandato, *c. eod. in 6.*

Denique, vt alia omittam, legatus à latere 8
potest in provincia sibi commissa, quidquid ordinarius in sua diœcesi, & concurrit cum eo in collatione beneficiorum, *cap. 1. 2. eod. in 6. cap. Si à sede de prabend. num. 6.* omniáque exsequitur: iis exceptis, speciatim sunt reseruata summo Pontifici; quia hæc non comprehenduntur in Generali illius mandato. Ideóque nec Episcopos de Ecclesia in Ecclesiam transferre, nec vnam Ecclesiam Cathedralem alteri subiicere, nec Episcopatus vnire vel dividere potest, absque speciali mandato, *cap. 3. & 4. h.t.* Non etiam potest causam, specialiter à S. Pontifice alteri demandatam, ad suam cognitionem trahere, vel sententiam, ab eo secundum formam mandati latam, irritare, *cap. 2. h.t.* cùm speciale mandatum deroget generali: neque de ea cognoscere, quam remisit ad summum Pont. *cap. 5. h.t.* quia ex quo causam retuli ad Pontificem, desiit esse iudex illius.

Illud quoque notandum ex Conc. Trid. interdici legatis quibuscumque, ne Episcopos in causis, ad eorum fora spectantibus, impedire aut turbare præsumant, neve contra clericos vel alias personas Ecclesiasticas; nisi requisito priùs Episcopo, eóque negligente procedant, *sess. 24 cap. 20. de reformat.* Idémque Conc. *sess. 22. cap. 7.* legatis certam formam in appellationibus, ad eos interpositis, admittendis, & in concedendis inhibitionibus præscripsit, idque potissimùm *ex cap. Romana 3. de appellat. in 6.*

§. IV.

Quibus modis finiatur officium legati.

1 *Finitur morte.*
2 *Reuocatione.*
3 *Tempore.*
4 *Causâ.*

Reliquum

1 RElíquum eſt, vt videamus, quibus modis finiatur legatorum poteſtas: Finitur in primis morte legati; quando eius perſonæ nominatim, ſive expreſſo nomine proprio legati, munus legationis eſt commiſſum: tunc enim commiſſio cenſetur perſonalis, & morte legati extinguitur, niſi aliud ex ſubiecta materia vel verbis commiſſionis colligatur, aut inutilis reddatur commiſſio. Quòd ſi commiſſio fiat ſub nomine dignitatis vel officij perpetui, cenſetur realis, & morte legati non extinguitur, ſed tranſit ad ſucceſſorem in ea dignitate, vel officio, quod non moritur *can. Quoniam Abbas 14 ſup. de officio delegati.* Quid ſi fiat, expreſſis ſimul nominibus & perſonæ & dignitatis? Cenſent quidam tunc attendendum eſſe, quod prius eſt expreſſum: contra alij, eo caſu commiſſionem ſemper eſſe perſonalem, ac proinde ſemper extinguit morte legati. Videatur Sanch. *lib. 8. de Matrim. quæſt. 2. num. 20.*

Dixi, legationem finiri morte ipſius legati, non etiam morte eius, qui conſtituit; quia cùm habeat iuriſdictionem ordinariam, quoad ea, quæ ſibi iure ſuæ legationis competunt, conſequens eſt, morte Papæ non extingui eius officium, *cap. legatos 2. eod. in 6.* niſi miſſus ſit ad Papæ beneplacitum, quod eius morte extinguitur, *cap. ſi gratioſè de reſcriptis in 6.* Multò minùs extinguitur morte Papæ, ſi non ab eo, ſed à ſede Apoſtolica, quæ numquam moritur, miſſus fuerit, *dict. cap. legatos*, vel ſi legatio ei competat ratione dignitatis, *cap. 1. h.t.*

2 Secundò, finitur reuocatione, ſi ab eo fiat, à quo miſſus eſt, *cap. nouit. & cap. fin. h.t.* Si tamen ante egreſſum è Prouincia, cauſas aliquas delegauerit, aut delegatus iudicium inchoauerit, poterit procedere; & ab eo appellabitur ad Papam vel ſucceſſorem ipſius legati. Cauſam verò, à ſe vel Auditore curiæ ſuæ inchoatam, non finiet ipſe poſt egreſſum ſuum, ſed ſucceſſor eius: vel Papa, ſi alium non conſtituerit. Sede autem vacante Collegium non poteſt legatum reuocare, niſi ex graui cauſa.

An & eo ipſo reuocatus cenſeatur, quo ſummus Pontifex alium Legatum ad eius Prouinciam mittit, quæſitum fuit. Affirmant quidam: alij negant, & quidem communius ac verius; tum quia non repugnat iuri, in eadem Prouincia duos eſſe iudices ordinarios; tum quia primus tutor non cenſetur eo ipſo reuocatus; quo datus eſt ſecundus, *l. 2. C. de teſtamentar. tutel.* Valent autem geſta à legato reuocato, antequam reuocatio ad notitiam eius perueniret, *cap. 1. de conceſſ. prabend. in 6.* Nec reuocatus deponit officium legationis, niſi velit, priuſquam ſubſtitutus Prouinciam ingrediatur, *l. meminiſſe ff. de officio Proconſ.*

Tertiò, lapſu temporis, quod legationi præfinitum eſt, *cap. de cauſis 4. ſup. de officio delegat.* 3

Quartò, expletâ cauſâ ad quam ſpecialiter fuerit conſtitutus legatus. Verumtamen è prouincia ſibi decreta diſcedere, ſine venia Pont. non poteſt, niſi hoc ipſum in commiſſione eius contineatur: ſicut nec è contra reuocatus à Papa, & è Prouincia egreſſus, ad illam redire poteſt ſine novo mandato. 4

TITVLVS XXXI.

De officio Iudicis ordinarij.

§. I.

Quis dicatur Iudex ordinarius, & à quo iuriſdictio ea detur.

1 *Definitio ſeu deſcriptio iudicis ordinarij.*
2 *Iuriſdictio ordinaria à quo detur.*

CVM Tit. præcedenti egerimus de vno genere ordinariorum iudicum, nimirum de legato, & antea etiam de Vicario Epiſcopi: proximum eſt, vt de officio ordinariorum in genere tractemus. 1

Vbi obſeruandum eſt, iudicem ordinarium dici ab ordine, eò quòd talis iudex conſtitutus ſit iuxta ordinem communiter acceptum & obſeruatum in diſtinguendis, diſtribuendis, & pro vnoquoque loco adſignandis iuriſdictionibus, vt ſatis colligere eſt *ex can. 1. 13. quæſt. 1.* Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 9. de reformat: & alibi.* Qui quidem ordo hoc habet, quod habet Princeps alicuius Reipub. (qualis in Eccleſia Catholica eſt ſummus Pont.) omnem poteſtatem & iuriſdictionem penes ſe vnum non retineat, ſed aliis inferioribus magiſtratibus & iudicibus variè communicet, iure ipſius magiſtratus competentem & officio cohærentem.

Hinc Igitur iudex ordinarius dicitur, qui propriam iuriſdictionem habet, id eſt quam iure ſuo ſeu iure Eccleſiaſticæ ſuæ Prælaturæ, vel magiſtratus, quo fungitur, non autem alieno nomine exercet, *l. more maiorum ff. de iuriſdict. om. Iud. l. 1. ff. de offic. eius*, &c. Eóque pacto differt

à delegato & Vicario Foraneo, qui iurisdictionem alieno, non suo nomine, exercent.

Iurisdictionem ordinariam tribuit in primis canon seu lex, *cap. duo simul 9. h. t. & l. 1. ff. de officio eius cui mand. est iurisd.* Secundò, summus Pont. & Princeps sæcularis, *can. à iudicibus 2. quæst. 6. can. omnes basilicæ 16.* & populus, habens supremam potestatem. Tertiò, consuetudo legitimè præscripta, *d. cap. 9. h. t. cap. vlt. eod. in 6. & cap. cum contingat inf. de foro compet.* Quo modo Vniuersitates, etiam Studiorum, & Collegia licita, quæ leges & statuta concedere possunt, ex approbata consuetudine, iudicem sibi deligunt ordinarium, Octau. Vestrius *in praxi sua lib. 3. cap. 3. num. 2.* Quartò, priuilegium, *cap. Nouit. versic. non enim inf. de iudiciis.*

Ipsi verò iudices ordinarij vel magistratus, summo Pont. aut Principe inferiores, iurisdictionem quidem suam aliis mandare ac delegare possunt, vt antè diximus: non tamen tribuere vlli iurisdictionem ordinariam, *dict. can. à iudicibus*; nisi fortè tamquam legis minister: quo pacto iurisdictionem ordinariam dare dici potest Episcopus, creando officialem generalem, seu Vicarium perpetuum instituendo, vel confirmando, vel conferendo beneficium, cui annexa sit iurisdictio de iure vel consuetudine.

§. II.

Qui iurisdictionem ordinariam habeant.

1 *Iurisdictionem ordinariam habet in primis summus Pontifex.*
2 *Item Patriarchæ, Archiepisc. Episcopi, &c.*
3 *Iurisdictio Episcopi quatenus se extendat. 4. 5. 6.*
7 *Item Ecclesiarum Collegiatarum Præfecti.*
8 *Abbates & priores in Monachos; Abbatissæ in moniales. 9.*
10 *Quinam prohibeantur esse iudices ordinarij.*

1 IVrisdictionem Ecclesiasticam ordinariam habent omnes Ecclesiarum Prælati, vel ex lege & constitutione aliqua, vel ex consuetudine aut priuilegio, *cap. duo simul 9. h. t. cap. vlt. eod. in 6. cap. cùm contingat. 13. inf. de foro compet.* Gloss. *in cap. 2. inf. de iudiciis.* Atque in primis summus Pontifex, qui omnium Christi fidelium iudex est ordinarius, *can. Aliorum, & pluribus aliis, 9. quæst. 3.* Ita vt pro diœcesi propria vniuersum habeat orbem Christianum, Felin. *in cap. Gratianum. 2. vers. & de hoc alias inf. eod. per can. cuncta per mundum dict. quæst. 3.* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. in proœmio §. 1. num. 8.*

2 Secundò, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in sua quisque Prouincia vel diœcesi, *cap. 1. h. t. cap. Non minus inf. de immunit. Eccles.* adeóque ordinariorum nomine simpliciter prolato soli ferè Episcopi denotari solent.

3 Etenim Episcopus in sua diœcesi iudex est ordinarius omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum de iure spectantium. *cap. sonquerente 16. h. t.* In spiritualibus quidem iurisdictionem habet tam in laicos, quàm in clericos, *cap. nouit versic. cum enim inf. de iudic.* atque etiam in causis criminalibus Ecclesiasticis cuiusmodi sunt causæ hæreseos, Simoniæ, adulterij, quando agitur ad tori separationem, *cap. 1. h. t. & cap. Tua. 5. inf. de procurat.* Potestque, vbi opus fuerit, in vindicandis criminibus, ad forum suum spectantibus, implorare brachium sæculare, id est auxilium iudicis laici, siue auxilium publicum, vt dicitur in *dict. cap. h. t.* vt, si quæ crimina non possit ipse sufficienter punire censuris Ecclesiasticis, vel aliis pœnis, ea per iudicem laicum sæuiori pœna ac corporali animaduersione, vel etiam gladio castigentur. Nam vetitum est clericis, ad sacros ordines promotis, de pœna sanguinis aut membrorum mutilatione iudicare, vel consilium iudicantibus dare, vel sententiæ eorum subscribere, aut eiusmodi pœnam inflire, vt patet *cap. Postulasti 21. inf. de homicidio, cap. Sententiam sanguinis inf. ne clerici vel Monachi &c. & similibus.*

4 In clericos verò suæ diœcesis iurisdictionem habet ordinariam in omnibus causis, siue criminalibus siue ciuilibus: licèt quidam clerici alios etiam inferiores iudices habeant, veluti Decanos, Præpositos, aut capitula, quibus immediatè subsunt: nec enim per hoc eximuntur à iurisdictione Episcopi, ne quidem in prima instantia *arg. l. vlt. Cod. de iurisd. om. iudic.* vbi qui de collegio sunt alicuius professionis vel negotiationis, nihilominùs subiecti manent Præsidi vel alij superiori iudici.

5 Et hinc patet notabile discrimen inter Archiepiscopos & Episcopos, quia Archiepiscopi non habent iurisdictionem ordinariam in subditos Episcoporum, vti nec Patriarchæ in subditos Archiepiscoporum; nisi certis casibus, vt cùm per appellationem causa ad eos

devoluta est, vel nisi ex consuetudine aut privilegio iurisdictionem in illos acceperint, vt ante dictum fuit. Ratio huius est, quòd Archiepiscopus non sit iudex totius Provinciæ suæ, nisi quoad iurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas 9. q. 3.* iurisdictionem verò Episcopalem habeat tantùm in sibi subditos. Hinc est, quòd Archiepiscopus non possit Suffraganei sui subditum cogere, vt delegationem Archiepiscopi invitus suscipiat, *c. Pastoralis 11. in princ. h.t.* Quòd si inferiores Iudices, subiecti Episcopo, sententiam aliquam, veluti excommunicationis vel interdicti, in sibi subiectos protulerint, eam Episcopus vsque ad dignam satisfactionem inviolabiliter servare tenetur, *c. Cum ab Ecclesiarum 3. c. Ad reprimendum 8. h.t.*

6 Planè cùm dicimus, permissum esse Episcopo in sua diœcesi de adulteriis, aliisque criminibus (vbi scil. fama est de iis perpetratis sufficiens, quæ moveat ad inquisitionem de veritate) inquirere, iudicare, & vlcisci, secundùm Canones, *d. c. 1. h.t.* etiam omni appellatione remotâ, & consuetudine non obstante, *c. irrefragabili 13. h.t.* atque etiam, vbi opus fuerit, brachium invocare sæculare; *d. c. 1. c. Quoniam 14. in fine h.t.* hoc ita limitandum est, nisi Canonici excipiant, se Capitulo, non Episcopo, immediatè subesse, ex privilegio aut longa consuetudine: quo casu Episcopus præscribet Capitulo certum diem, intra quem de Canonicorum excessibus cognoscat, eôsque puniat: quod nisi fecerit, lapso termino ad Episcopum spectabit cognitio. Alioquin in exemptos suæ diœcesis iurisdictionem exercere nequit, licèt rescripto summi Pontificis mandatum illi esset, vt omnes suæ diœcesis Clericos corrigere possit, *c. Grave 19. h.t.* quia in mandato Generali non veniunt ea, quæ verisimile est, mandantem non fuisse concessurum, *can. In Generali de Reg. iur. in 6* ideóque ad hoc esset speciali mandato. De aliis ad officium Episcopi spectantibus, vide Canis. *lib. 1. cap. 16.*

7 Insuper iurisdictionem ordinariam habent, Ecclesiarum Collegiatarum Præfecti, vt Præpositi, Decani, Plebani; aliique Prælati inferiores Episcopo, in sibi subditos, *c. 3. hoc tit. c. 2. inf. de iudiciis & c. Dilectus 55. inf. de appellat.*

8 * veluti Abbates & Priores in sibi subiectos Monachos, *c. Illorum inf. de sent. excommun.* Neque enim Episcopus in Monachos, sed Monasteriorum Prælati iurisdictionem exercent, etiam in criminalibus, *cap. Ea quæ inf. de statu Monachorum*: nisi fortè extra Monasterium degentes deliquerint: quo casu &c. Trident. Ordinariis Iudicibus diœcesis iurisdictionem in eos delegavit, *Sess. 6. cap. 5. Sess. 7. c. 14. Sess. 14. c. 4. de reformat.* sicut & quando degentes in Monasterio extra Monasterium notoriè & cum scandalo delinquunt, *Sess. 25. c. 4. de reformat.*

Præterea Abbatissa in Moniales & subiectos, sibi Clericos, *cap. Dilecta 12. inf. de maiorit. & obed.* quos tamen excommunicare nequit, vti nec absoluere à peccatis, aut suspendere ab actu Ordinum, vel alia in eos exercere, quæ pendent à potestate clavium, cuius ipsa est incapax, *cap. 9. inf. de pœnit. & remiss.* potest tamen ad hæc implorare officium Episcopi, *d. cap. Dilecta.* 9

Vbi verò Monasteriorum Prælati suis subditis corrigendis negligentes fuerint, licebit Episcopis eorum negligentiam supplere, *cap. Quanto 7. h.t.* provt etiam supplere malitiam vel negligentiam delegati à summo Pontifice, *cap. Significavit 6. h.t.* quantumvis delegatus alias maior sit Episcopis, *c. Pastoral. 11. hoc tit.* 10

Denique Archidiaconi, Archipresbyterorum; Archipresbyteri, Presbyterorum sunt iudices ordinarij.

Prohibentur fieri Iudices ordinarij, servi, fœminæ, nisi sint Reginæ, Principissæ, Comitissæ, vel habeant administrationem, vt Abbatissa. Item minor viginti annis, nisi fiat à Principe: ignari & improvidi: & denique qui famâ laborant, vt excommunicati, Schismatici, hæretici, & similes.

TITVLVS XXXII.

De officio Iudicis.

§. I.

Quid sit iudex.

1 *Quis dicatur Iudex, & vnde.* 2.
3 *Qui, & ex qua causa, potestatem iudicandi non habeant.*

RECTE deinceps sequitur de officio Iudicis in genere, provt est commune Iudicibus, Delegato, Legato, & Ordinario.

Dicitur autem Iudex, qui publicam habet de causis & criminibus cognoscendi & iudi- 1

candi

candi potestatem, quam iurisdictionem appellant Dico; Publicam; ad excludendum arbitrum, qui non est iudex, nec potestatem iudicandi publicam habet, sed privatam, nempe ex consensu privatorum, qui iudicem facere nequeunt, *l. Privatorum C. de iurisdict. om. iudic.*

Dicitur verò Iudex: quasi ius dicens populo, sive quòd iure disceptet, iure autem disceptare est iuste iudicare. Non est ergo Iudex, si non est in eo iustitia, *cap. Forus §. In omni inf. de verb. signif.* 2

Potestatem iudicandi habent quilibet non prohibiti. Prohibentur alij ex defectu aliquo naturali, vt furiosus non habens lucida intervalla; surdus, mutus, impubes, quia iudicio caret. Et talis defectus potest quandoque obiici, etiam postquam sententia transivit in rem iudicatam; & quandocumque obiicitur, reddit iudicium retrò nullum. Maranta 4. *part. Spec. aurei dist.* 16. *n.* 3. Alij ex accidentali, & inducto per ius positiuum, vt quia iudex sit infamis, seruus, excommunicatus, Senatu motus, *can. Infamis §. tria sunt 3. quæst. 7. l. Cum Prætor, §. non autem omnes, ff. de iudiciis, & ibi Glossa.* Et tum, si defectus sint notorij ac manifesti, possunt quandocumque opponi ad invalidandum iudicium, quando scilicet sunt tales, qui ipso iure iudicium invalidum reddunt: vt si Iudex sit seruus vel excommunicatus, *cap. Ad probandam infr. de re iudicata, cap. Pia 1. de except. in 6. c. Scisciatus 13. supra de rescriptis.* Secus statuendum de defectu infamiæ, qui si non opponatur ante litem contestatam, valet processus & iudicium, Maranta *d. loco.* Sin defectus sint occulti, tunc distinguendum, vt per Abb. & Felinum *in d. cap. Scisciatus.* 3

§. II.

Quod sit Officium Iudicis.

1 *Iudicis est providere litiganti de advocato.*
2 *Oportet esse virum bonum & probatæ vitæ.*
3 *Legisperitum, & iudicare secundum leges.*

Officium Iudicis latissimè patere ait Iurisconsul. *in l. 1. ff. de iurisdict. omn. Iudicum:* idque tam extra iudicium, quàm in iudicio: quod hic nimis, longum foret singulatim explicare; & pleráque ex antedictis intelligi possunt. * Quibus addi potest, *ex cap. 1. h. t.* eo quoque pertinere, vt si alter litigantium careat advocato, iudex ei de advocato prospiciat, *l. Nec quidquam §. advocatus ff. de officio Proconsul.* Sic etiam ad Iudicem spectat providere, vt æqua fiat patronorum & advocatorum distributio, *can. infames, §. si verò, 3. quæst. 7.* & vt sit aliquis ordo postulationum, prout præscribitur *in d. l. Nec quidquam, §. observare.* Ad eundem spectat subvenire oppresso, iudicare pupillo egeno, defendere viduas, humilem & pauperem instificare. 1

Præterea virum bonum esse oportet, ne fiat iudex alienarum culparum, qui grauatur pondere suarum. Durum enim esset, vt, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, is Iudex fiat alienæ. Debet etiam esse remotus ab omni fauore & odio, nec acceptor personarum vel munerum. 2

Debet insuper esse legisperitus, & secundùm leges, consuetudines, ac statuta, & secundum allegata ac probata, non autem secundùm priuatam sententiam, iudicare, *can. Iudices 3. q. 7.* vbi eleganter D. Ambros. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis; sed iuxta leges & statuta pronuntiat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotij natura, decernit,* &c. Cæterum qualiter Iudex ex actis ius dicere debeat, adversus ea, quæ priuatim cognoverit, tractat pulchrè Covarr. *lib. 1. Var. resol. cap. 1. & ibi in notis,* Vffelius. 3

§. III.

Quotuplex sit Officium Iudicis.

1 *Officium Iudicis aliud nobile.*
2 *Aliud mercenarium.*
3 *Discrimen vtriusque.*

Officium Iudicis dividunt vulgo Interpretes in officium Iudicis Nobile, & Mercenarium. Nobile vocant, quod non subservit vlli actioni institutæ, sed per se imploratur, & à Iudice exercetur auctoritate iuris, sive motu proprio, vel ad petitionem partis, licèt nulla proponatur, vel etiam competat ordinaria actio: veluti quando minor vel Ecclesia læsa contractu aliquo, implorat officium Iudicis, vt in integrum restituatur, vel contractus rescindatur, *toto t. ff. de minorib. cap. 2. inf. de in integrum restitut.* vel cùm quis perit, vt vicinus caveat de damno infecto. Hoc autem 1

Iudicis nobile officium subinde textus Iuris appellant *auxilium Prætoris*, *Inst. it. de noxal. action.* interdum *merum Prætoris officium*, *l. Stipulationum 5. ff. de verb. obligat.*

2 Mercenarium Iudicis officium vocant, quod iuri & actioni institutæ subservit, vt scilicet actio instituta melius procedat, & exitum habere possit: adeò vt cessante actione cesset officium illud: veluti cùm Iudex volentem agere alieno nomine iubet satisdare, id est promittere, datis etiam fideiussoribus, dominium rei in iudicio controversæ ratum habiturum, quidquid in iudicio eius nomine egerit, *l. ff. Rem ratam hæberi*: aut iubet reum satisdare iudicatum solui. Hoc iudicis officium mercenarium Iuris textus appellat *merum Iudicis officium, vt in instit. de divis. stipulat.* Interpretes tamen illud appellant *mercenarium*, quòd in eo Iudex non sit liber, sed sequi debeat naturam actionis propositæ; cui proinde officium mercenarium subservire dicitur. Et hinc fit, quòd, cùm actionum diversæ sint naturæ, diversimodè etiam se habeat hoc Iudicis officium: nam in aliquibus veluti in bonæ fidei actionibus, latissimè patet: in aliis verò, veluti stricti iuris actionibus, strictim concluditur, §. *actionum autem Inst. de actionibus.*

3 Sed & hoc discriminis est inter officium nobile & mercenarium, quòd in iis, quæ petuntur officio Iudicis mercenario, non sit opus litis contestatione, nempe quando officium nobile principaliter imploratur Exempli causâ, quando restitutio in integrum imploratur, opus est litis contestatione, quia tunc officium nobile pro actione proponitur, seu habet se instar actionis, in qua opus est litis contestatione, *cap. 1. hoc titul.* Dixi, quando principaliter imploratur; quia secus est, si incidenter, puta ratione alicuius actionis institutæ.

TITVLVS XXXIII.

De Maioritate & Obedientia.

1. *Quid sit Maioritas.*
2. *Maiorem quem esse alio contingit quinque modis.*
3. *Ex Maioritate oritur obedientia, eáque in tribus consistit.*

VEMADMODVM in cœlesti Hierarchia seu Ecclesia triumphante non omnes sunt pares potestate, dignitate, & ordine, sed differentes: ita & in Ecclesia, personarum Ecclesiasticarum, seu ministrorum & Iudicum Ecclesiasticorum, de quibus ante egimus, diversi ac distincti sunt ordines, & alij maiores, alij minores: eâque diversitas necessaria est ad Ecclesiæ militantis debitam gubernationem, vt explicatur *in can. Ad hoc distinct. 89.* Eóque hic tit. spectat, vt intelligatur, quid pro totius Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione minores seu inferiores Ecclesiasticæ personæ debeant maioribus & superioribus, & è contra. * Vbi Maioritas nihil est 1
aliud, quàm excellentia vnius personæ præ altera, vel etiam vnius rei præ alia.

Potest autem aliquis esse maior alio variis modis: Primò, ratione Ordinis: quo pacto 2
Diaconus maior est Subdiacono; Sacerdos Diacono, *cap. Statuimus 15. hoc tit.* & Episcopus Presbytero, *c. 2. & c. Omnes 4. eod.* licèt olim Presbyteri, qui in singulis civitatibus constituebantur, simul essent Episcopi, eóque sensu appellatio eorum aliquando in antiquis Canonibus confundatur.

Secundò, ratione Benedictionis aut Consecrationis, vt Abbas & Abbatissa, Monachis & Monialibus, *cap. Dilecta filia 12. cap. Cùm inferior. 16. & cap. penult. h.t.* Sic Episcopus consecratus maior est electo, & Ecclesia consecrata maior benedicta.

Tertiò, ratione Administrationis, Iurisdictionis & Dignitatis: vt Archidiaconus maior est Archipresbytero, *c. Ad hoc 8. supr. de officio Archidiaconi.* Similiter Cardinalis maior dignitate est Presbyteris, & cæteris Clericis Capellarum, titulo sui Cardinalatus subiectarum, etiamsi non sit Presbyter vel Episcopus, sed Diaconus dumtaxat, *cap. Hu quæ 11. h.t.* Sic quoque Canonista maior est Legistâ.

Quartò, ratione Antiquitatis seu temporis. Ita prior & maior habetur, qui priùs fuerit ordinatus, *cap. 1. hoc tit.*

Quintò, ratione excellentiæ seu prærogativæ ipsius ordinantis. Quâ ratione ordinatis à summo Pontifice aliquid deferendum est præ cæteris: licet per hoc non à iurisdictione sui Episcopi, *cap. per tuas 7. & ibi* Gloss. *hoc tit.*

Ex eo autem, quòd quis sit maior alio, oritur Obedientia, quam minor maiori debet, 3
quæ iuxta Glossam *in can. 1. distinct. 93. in V. Obedientia*, in tribus consistit. Primò, in reverentia exhibenda. Sic *in can. Non oportet ead. distinct.* præcipitur, ne Diaconus, nisi ex iussione

ne

ne Presbyteri, sedeat, & similiter honoretur Diaconus à sequentibus, id est Subdiaconis, & aliis inferioribus Clericis. Secundò, in iudicio obeundo: revereri enim & observare debet minor maiorem, eiúsque parere iudicio. *cap.2. cap. Sollicita 6. & similibus hoc tit.* nisi fortè minor ordine vel tempore sit maior iurisdictione & dignitate, hoc enim pacto, vt ante diximus, Archipresbyter & Presbyter, quamvis ordine maior fuerit Archidiacono, tamen eidem debet reverentiam, ratione maioris administrationis, ipsi commissæ, *can.1. distinct.25.* Tertiò, in mandato maioris suscipiendo; dummodo minor iurisdictioni maioris subiectus sit, *cap. Pastoralis supr. de officio ordinarij*, & maior intra fines suæ iurisdictionis se contineat, *cap. Legebatur 3. & cap. Dilecti 13. hoc tit.* modò etiam honesta & licita imperet: nam si quid adversans iuri divino aut naturali, aut scandalum pariens, præcipiat, iustè non obtemperatur; & habet locum regula, ex *Act. cap.4.* Oportere Deo magis obedire, quàm hominibus, *can. Si Dominicis XI. quæst.3. & similibus*: licèt aliàs quod præcipitur, iustum esset, si tamen pariat scandalum: hoc enim ratio vitandi scandali operatur, vt tum cesset lex, dictans superiori obtemperandum, provt probatur *ex cap. Cum teneamur infr. de præbenda.* Vide Covar. *1. p. Relect. cap. Peccatum de reg. iuris in 6. num.7.* Prædictis limitationibus addit Glossa, *sub finem can. 1. distinct.93.* nisi inferior absoluatur ab obedientia superiori debita, vel per appellationem aut recusationem, aut moveat superiori controversiam, aut denique superior deponatur.

TITVLVS XXXIV.

De Treuga & Pace.

1 *Treuga quid sit.*
2 *Inducianum & Treugæ discrimen.*
3 *Treuga vel Conventionalis vel Canonica, & hæc Perpetua vel Temporalis.*
4 *Definitio Pacis.*

IVDICVM Ecclesiasticorum, & maiorum, quibus obediendum esse diximus, est, subditos discordantes ad concordiam, quatenus fieri potest, revocare, *can.1. & totâ dist.90.* ad concordiam verò per treugam & pacem devenitur, *can. Studendum d. distinct.90.*

Treuga, secundùm Hostiens. *in Summa h.t.* est securitas, personis & rebus ad tempus præstita, discordiâ nondum finitâ. Et in Legibus dicitur Fœdus vel Induciæ, *l. Postliminium, §. Inducia ff. de captivis & postlim. reversis.* * Et quamquam inter Inducias & Treugam ita distinguant Interpretes, quòd Induciæ sint ad modicum tempus, Treugâ verò in longum tempus extendatur, tamen quia vtraque conditio ad tempus fit, non alia videtur esse distinctio, quàm quod Inducianum vocabulum sit Latinum, Treugæ verò Gallicum. 1 2

Treuga autem duplex est, alia Conventionalis, quæ scilicet ab hominibus fit, & ex conventione formam recipit, sicut & quilibet contractus, *l.1. §. si conveniat ff. depositi.* Et hæc quoque hosti Romani imperij servanda est, *can. Noli 23. q.1.* vtique & is ex sua parte fidem server, *cap. Pervenit 3. infr. de iureiurando, can. Si infidelis 28. quæst.1.* Altera est Canonica seu Legalis, à Canone seu Lege introducta. Et hæc vel perpetua est, vel temporalis. Perpetuam habent Presbyteri, Clerici, Monachi, conversi, peregrini, & rustici cum animalibus quibus arant, quamdiu fuerint in agricultura; sicut milites, dum militant, *c.2. h.t.* Temporalem habent omnes à feria quarta post occasum Solis vsque ad feriam secundam ante ortum Solis, ab adventu Domini, vsque ad octavam Epiphaniæ, & à septuagesima vsque ad octavam Paschæ, *c.1. h.t.* illis enim temporibus abstinendum ab armis & præliis: nisi inevitabilis hostium vrgeat importunitas, eóque casu pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum non pugnare, esset quodammodo Deum tentare, *can. Si nulla 23. q.8.* 3

Cæterùm neque Cap. primum huius Tit. quod tempora induciarum præscribit, neque cap. 2. quod recenset personas, quæ tempore belli plenâ securitate gaudere debent, vsus observat. Alioquin pœna violantis inducias, *in d. cap.1.* est excommunicatio, si post tertiam monitionem non satisfecerit damno, ob violationem illato. Violantis verò pacem publicam in Imperio est bannum, de quo eiúsque effectibus vide tract. And. Gaill. *de pace publica lib.2.*

Pax verò est vinculum charitatis seu amicitiæ & concordiæ, *cap. Novit. infr. de iudiciis*; vel vt alij volunt est finis discordiæ. 4

***

TITVLVS XXXV.

De Pactis.

§. I.

Quid sit Pactum.

1 *Pactum in genere quo modo à contractu & transactione differat.*
2 *In quo à pollicitatione differat.*
3 *Pactum specialiter sumptum.*

PER Pacta & Transactiones plerumque treuga & pax inducitur ac firmatur, Pacisque nomen à Pacto seu Pactione appellatum est, *l. 1. ff. de pactis.* Ratio propterea ordinis postulat, vt de pactis & transactionibus agamus: eóque magis, quòd vocati in iudicium, priusque litem ingrediantur, ob dubium litis euentum, sæpiùs pacisceantur aut transigant.

1 Differt autem pactum in genere à contractu & transactione, sicut genus à specie; vnde & de pactis primo loco tractatus instituitur. Nam contractus propriè eas tantùm conuentiones complectitur, quæ synallagma, id est vltrò citróque obligationem continent, vt sunt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes. Transactio dumtaxat eas cõuentiones continet, quibus res dubiæ terminantur finémque accipiunt, & quidem aliquo dato, vel retento, vel promisso, vel remisso. At verò pactum continet omnes contractus & transactiones; atque adeò promissiones & conuentiones qualescumque, sive contineant synallagma, sive non, sive rem transigant, sive non; sive pariant actionem, sive non: * ita vt nihil aliud sit pactum in genere acceptum, quàm, vt Vlpian. I. C. ait *in dict. l. 1 ff. eod.* duorum pluriumve in idem placitum consensus. Vnde differt à Testamento, Codicillis, & omni alia vltima voluntate quæ tantùm vnius voluntate constat.

2

3 * Item à Pollicitatione, quæ tantùm est offerentis promissum, *l. 3 ff. de pollicitat.* Vnde & cum absente Pollicitatio esse potest; pactum verò non, nisi quis sit præsens, qui nomine absentis acceptet seu consentiat: licet interdum Pollicitatio pro pacto sumatur, *lib. 5. C. de contrahenda & commit. stipulat.* Dicitur, in idem placitum; id est in eandem conuentionem. Nam placitum idem significat, quod conuentio, *l. Vix certis 53. ff. de iudiciis, in verbis,* contra placiti fidem, & *l. 4. ff. de seruitutibus.* Vt proinde non sit necesse addere expressè, ad idem placitum dando, vel accipiendo, vel remittendo, quia hoc in vocabulo, *Placitum,* includitur, sicut in conuentione.

Aliàs specialiter sumitur Pactum, prout à transactione & contractibus tam nominatis quàm innominatis, distinguitur: & tum sumitur pro conuentione, quæ sit super re certa & gratuitò, id est animo donandi. Nam licèt pactum etiam fieri possit ob causam, tam naturâ suâ, quæ magis spectari debet, est gratuitum; licet de facto & actu possit esse non gratuitum. At verò transactio semper fit ob causam, & de re incerta, vt postea dicetur. Hinc ille versus: 4

Incerta de re transactio dicitur esse,
Sed fiunt certa pacta fauore rei.

§. II.

Diuisio & effectus Pactorum.

1 *Pactorum alia publica, alia priuata: item alia expressa, alia tacita.*
2 *Priuatorum alia in rem, alia in personam.*
3 *Alia nuda; alia non nuda seu vestita.*
4 *Ex nudo pacto iure ciuili non dari actionem.*
5 *An de iure canonico.*

PActorum alia sunt Publica, alia Priuata. Rursus alia Expressa, alia Tacita. Expressa sunt, quæ vel re, id est inter præsentes habito tractatu, vel per Epistolam, aut per nuntium fiunt, *l. 2. ff. h. tit.* Tracita sunt, quæ nec per Epistolam, nec per nuntium fiunt. Et ideo si debitori reddiderim cautionem, id est chirographum, videor cum illo conuenisse, ne petam; profuturámque ei conuentionis, id est taciti pacti, exceptionem placuit, inquit iurisc. *in d. l. 2.* Sic item inuecta & illata in prædium vrbanum, censentur ex tacito pacto pignori obligata locatori, pro mercede habitationis. 1

Rursus priuatorum pactorum alia sunt *in* 2 rem, alia in personam. Pactum in rem est, quando generaliter pascisor, ne petam, in personam, quando pascisor, ne à persona, v. g. Titio petam, *l. Iurisgent. 7. §. 8. ff. eod.*

Alia

3 Alia item ſunt nuda, alia non nuda ſeu veſtita, vt vocant nuda ſunt, quæ ſola conuentione paſciſcentium cõſiſtunt, ita vt nec in proprium nomen contractus tranſeant; neque cauſam habeant, id eſt dationem vel factum, ob quod oporteat alterum alteri præſtare, quod promiſit: veluti v.g. Si inter nos placuerit, vt mutemus libros, & ego tuum accipiam, tu verò meum, nudum erit pactum, quamdiu nec ego tibi meum tradidero, nec tu mihi tradideris tuum. Pacta non nuda ſunt, quæ vel tranſeunt in proprium nomen contractus, vt emptio, venditio, locatio, conductio; vel ſi proprio nomine deſtituantur, ſubeſt cauſa, id eſt datum vel factum aliquod ab altero, propter quod alteri dare quoque vel facere, quod promiſit quis, tenetur: vt ſi in antè dato exemplo, ego, conuentionem ſecutus, tibi meum librum tradiderim, eſt pactum non nudum, ſed veſtitum, quia iam ſubeſt cauſa, cur tu quoque tuum mihi tradere debeas.

4 Ex nudo pacto non naſcitur actio iure ciuili, ſed tantùm exceptio, *d. l. iuriſgentium* §. 4. Ex pacto non nudo oritur & obligatio & actio vtroque iure, *d. l. 7. & toto tit. ff. de præſcriptis verbis.* Ratio, cur ex nudo pacto iure ciuili non detur actio, eſt, quia quando quis nudo pacto promiſit aliquid, eo iure intelligitur leuiter & inconſideratè promiſiſſe; & ideò ius illud non cogit eum ſtare promiſſis, ſed hoc eius liberalitati & honeſtati relinquit. Deinde, quia ſi ex nudo pacto daretur actio, infinitæ inde lites facilè naſcerentur, cùm nihil ſit in communi vita frequentius, quàm ciuiles illæ nudis pactis promiſſiones.

5 Cæterùm an iure Pontificio ex nudo pacto oriatur obligatio & actio? admodum controvertunt interpretes. Communior & receptior ſententia eſt, oriri, *ex cap. 1. h. t.* Nam, quod ibi vult Pontifex, vt inita pacta ſuam obtineant firmitatem, illud videtur etiam de nudis pactis accipiendum: & *ex cap. 3. eod.* vbi iubet Pont. quæ promittuntur, opere compleri. Ratio differentiæ, quia graue eſt fidem fallere, cùm inter ſimplicem promiſſionem & iuſiurandum apud Deum nihil interſit, *can. iuramenti 22. quæſt. 5.* Ius autem Pontificium maximè periculum animæ ſpectat: non ita ciuile, quod magis inſpicit externam & politicam, quàm internam iuſtitiam. Vnde etiam tolleret quaſdam vſuras, *l. Eos qui C. de vſuris*; & concubinatum, *toto tit. ff. de concubinis.*

§. III.

Quis, cui, & de quibus poſſit paſciſci.

1 *Paſciſci omnes poſſunt, qui conſentire.*
2 *Alteri nemo paſciſcitur.*
3 *De omnibus, ad rem familiarem ſpectantibus, paſciſci licet.*
4 *Non valet pactum, bonis moribus aut iuri contrarium.*

QVandoquidem pacta fiant conſenſu *l. 1. ff. eodem*, ſive expreſſo ſive tacito, paſciſci omnes poſſunt, qui conſentire; & è contrà paſciſci non poſſunt, qui nequeunt conſentire, vt infans pupillus, infantiæ proximus, furioſus extra lucida interualla, mente captus, ebrius, prodigus, cui bonis interdictum eſt, niſi paſciſcendo faciat conditionem ſuam meliorem, vt ſi paſciſcatur, ne à ſe petatur, & ſimiles. 1

Vnuſquiſque autem ſibi rectè paſciſcitur, non alteri, niſi eius iuri ſubiectus ſit, *l. Si decem §. ſi pactus ſim ff. eod.* Deque omnibus rebus paciſci licet, quæ ad priuatum paciſcentium ius ſpectant: de publicis non item *iuriſgentium 7. §. ſi paſciſcar. 14. cum ſeq. ff. eod.* 2

Cauendum verò, ne, quod in pactum deducitur, bonis moribus aut iuri aduerſetur, *cap fin. h. t.* Hinc non valet pactum, ne dolus præſtetur, ne furti vel iniuriarum agi poſſit, ſi furtum vel iniuria fiat, *d. l. 7. §. 15. & 16. & l. Si vnus 27. §. 4. ff. eod.* Sicut nec pactum valet de rebus ſpiritualibus, vel quæ ſpiritualibus ſunt annexæ, ſi non ſit gratuitum: veluti ſi quis, re aliquâ temporali data, paſciſcatur cum alio, vt ab eo beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtineat, *cap. cum pridem 4. cap. cum clerici 6. & cap. vlt. h. t.* Sed neque momenti alicuius eſt pactum, licèt beneficium pro beneficio detur, *cap. Quæſitum inf. de rerum permutat.* quia omne huiuſmodi pactum eſt Simoniacum, *dict. cap. cum pridem*: niſi quis paſciſcatur, vt beneficium vel penſionem pro beneficio accipiat, ſub beneplacito ſuperioris. Similiter non poteſt quis paſciſci, vt poſt mortem alicuius ſuccedat ei in beneficio, *cap. Accepimus 5. h. t.* 3

* * *

TITVLVS XXXVI.

De Transactionibus.

§ I.

Quid sit Transactio.

1 *Transactio & generaliter & specialiter sumitur.*
2 *Definitio transactionis specialiter sumpta explicata.*

TRANSACTIO est species pacti generaliter sumpti; vel hinc constet ordinis ratio.

1 Sumitur quidem etiam Transactio subinde latè pro omni actu, quo ab obligatione receditur, & negotium aliquod inter aliquos componitur, sive litis causa, sive non, *cap.2. h.t.* vbi fit transactio super decimis extra litem: & ita etiam sumitur verbum, Transigere *in l.1. §.1.ff.de Pactis.* At verò hic specialiter sumitur, * prout est rei dubiæ & litis incertæ non gratuita remissio, *l.1.ff.eod.*

2 Dicitur, rei dubiæ; vt distinguatur à pacto, quod est de re certa; & quia de re certa & indubitata, v. g. de re iudicata, si appellatum non sit, transactio regulariter est nulla, *l. post rem 11. ff. eod. l. Si causa 32. C. eod. l. Eleganter §. post rem ff. de condict. indebiti.* quamvis res iudicata pacto remitti possit, *dict. l. Si causa Cod. eod.*

Additur, & litis incertæ; quia transactio propriè accepta non fit de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem suscipiendam, seu quæ timetur, *cap. constitutus 4. & alij, h.t. dict. l. Eleganter §. post rem, & l. Fratris C. eod.* etiamsi alias in se sit certa, quia nihilominus dicitur dubia, propter litis euentum incertum, *l. in summa in princip. ff. de condict. indebiti.*

Additur denique, non gratuita; quia nullo dato, vel retento, vel promisso; aut remisso, procedit transactio, in eóque differt à pacto specialiter sumpto. Et ideò super spiritualibus, & iis, quæ spiritualibus annexa sunt, verbi gratia super beneficio Ecclesiastico, vel iure patronatus, non potest fieri transactio, *cap.4.7. & cap. Praterea 9. h.tit.* si, quod datur, vel remittitur aut promittitur, si quid temporale, quia id incidit in crimen Simoniæ.

§. II.

Quis transigere possit.

1 *Transigere possunt, qui consentire, & sanâ mente sunt.*
2 *Quatenus procurator transigere possit.*
3 *Quatenus tutor & procurator.*
4 *Quatenus Prælatus Ecclesiæ.*

TRansigere potest, quicumque pascisci, id est, qui consentire, & mente sanâ est, quamvis æger sit corpore, *l. Sanum 27. Cod. eod.* atque ita rectè etiam transigit mutus, Surdus, similiter pupillus maior infante, ac maior sine tutoris vel curatoris auctoritate, modò rem suam meliorem faciat: quamvis veriùs sit, locum fore restitutioni, si minor postmodum se læsum tali transactione, etiam iuratâ, intra legitima tempora probauerit; præterquam si transegerit super iniuriis aut morte patris, & modò ex tali transactione manifestum dedecus minori aut familiæ non inferatur. Vide Treutler. *select. disput. volum.1. disput.7. Thesi 2. ad litt.B.* 1

Nec solùm Dominus, sed etiam procurator transigere potest, si modò ad transigendum speciale habeat mandatum, vel sit procurator cum administratione libera, *cap. Qui ad agendum versic. procurator eod. in 6. l. Procurator cui generaliter 58. ff. de procuratoribus;* aut rem suam datus sit, *l. iusiurandum §. fin. cum l. seq. ff. de iureiurando:* quia talis alienare potest, ac proinde etiam transigere, *d. l. Procurator cui ff. de procurat.* aliàs verò transigere nequit, etiamsi esset omnium bonorum procurator constitutus, *l. Mandato generali 60. ff. de procurat.* quia talis alienare nequit: & transigere, est alienare, *l. Procurator tutorum 63. ff. eod.* licèt contrarium nonnulli sentiant. 2

Tutores verò & curatores, quamvis transigere possint, non possunt tamen transigendo donare vel alienare res, alienari prohibitas, *l. 4. Cod. de prædiis minorum, l. Nulli Cod. h.t.* Idémque in patre, bona liberorum administrante, obtinere verius est, *l. Pupillorum §. si pater ff. de rebus eorum,* &c. atque in administratore civitatis, qui similiter licèt transigere possit super iure dubio, tamen transigendo alienare vel donare, seu, quod idem est, rem liquidam sine superioris aut publico omnium, 3

aut

aut maioris partis civium consensu, remittere prohibetur, quia remissio certi iuris in donationem incidit, *l. Si quis delegaverit ff. de novat.*

4 Ex eo tamen, quòd transigere sit alienare, non potest Prælatus Ecclesiæ, v.g. Episcopus, Abbas, & similes, de rebus Ecclesiæ suæ, sine consensu Capituli aut superioris, transigere, *c. 3. c. Veniens 8. h.t.* etiamsi liberam earum habeat administrationem, *cap. Cum nobis in fine sup. de elect.* quia Prælatus habet liberam potestatem rei dumtaxat benè gerendæ, non autem pendendæ vel dissipandæ, *can. Episcopus 10. q. 2.* Et ideò vbi agitur de re, in perpetuum præiudicium Ecclesiæ vergente, præter consensum Capituli, requiritur consensus superioris, *de cætero 5. & d. c. Veniens h.t.* In sui tamen solius præiudicium transigere potest, vt scilicet transactio valeat, quandiu Ecclesiam recturus est, non vlterius, *d. c. de cætero.*

§. III.

De quibus transigi possit.

1 *Transigere licet de qualibet re dubia.*
2 *De crimine etiam capitali, excepto adulterio.*
3 *Non verò de crimine non capitali, excepto crimine falsi.*
4 *Non etiam de spiritualibus, interueniente aliquo temporali.*
5 *Non de matrimonio.*
6 *Non de relictis in testamento.*
7 *Non de alimentis futuris.*

1 TRansigi potest de qualibet re dubia & litigiosa, *l. 1. ff. eod.* de qua vel lis est, vel esse potest, *l. 2. Cod. eod.* etiam post conclusionem in causa, quia tunc quoque dubius litis est eventus. Non tamen post rem iudicatam, vel iureiurando decisam, nisi interposita sit appellatio, aut interponi possit, *l. 7. ff. eod.* aut negetur ignoretúrve iudicatum esse, *l. Post rem 11. ff. eod.* aut alio modo res iudicata adhuc dubia esse possit, *l. Cum is 32. §. 1. ff. de condict. indebiti*: nam aliàs, cùm per sententiam definita & determinata sit, amplius transactione finiri non potest: nec expedit, vt, quæ publico iudicio semel definita sunt, rursus pro privatorum arbitratu, tanquam indefinita & incerta, transactione definiantur.

2 De crimine quoque capitali tam actori seu accusatori, quàm reo, transigere permittitur, *l. Transigere 18. Cod. eod.* quia vnicuique sanguinem suum quovis modo licet redimere, *l. 1. ff. de bonis eorum, &c.* Nec pro confesso transigens haberi debet, quia magis declinandi grauissimi periculi causa quàm conscientia facinoris transigere censetur, *l. fin. ff. de prævaricatorib.* Excipitur tamen *in d. l. Transigere* adulterium, quòd licèt ex lege Iulia capitale non fuerit, *l. Clodius, D. de his, quibus vt indignis, & c.* sed postmodum esse cœperit, *l. Quamvis C. de adulteriis*: tamen de eo nominatim lex Iulia pascisci vetuit, quia talis conventio in lenocinium incidit; & sufficit, quòd postea cœperit capitale esse, vt cõstat, *ex d. l. Transigere & d. l. Quamvis.*

De aliis autem criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem, *d. l. Transigere*: quia tametsi crimini falsi certa pœna, scilicet deportationis, statuta sit, *l. 1. §. fin. de falsis*: cœpit tamen postea esse arbitraria, *l. Qui duobus & l. penult. D. de falsis*; ita vt ad mortem deveniri possit: & proinde ob metum mortis, etiam in hoc crimine, vt in capitali, transigere litigatoribus permittitur. 3

De spiritualibus verò, vel his annexis, non licet transigere, interveniente aliquo temporali, *c. Constitutus 4. c. Super eo 7. c. Præterea 9. h.t.* sed gratis & amicabiliter componere, *d. c. Super eos.** At in matrimonio nec transactio nec compositio amicabilis admittitur, *cap. fin. h.t.* quia si semel legitimè contractum sit, amplius dissolui non potest: si verò illegitimè, id est contra sacros Canones, reconciliari non potest partium transactione vel compositione. 4 5

De eo quoque, quod in testamento relictum est, transigere non licet, non inspectis verbis testamenti, quia talis transactio captiosa est, ideóque improba, *l. 5. D. eod.* 6

Similiter nec de futuris alimentis, quamvis vltimâ voluntate relictis, sine auctore Prætore & causæ cognitione, *l. Cum h.t. 8. eod.* ne contenti modico præsenti, facilè sibi relicta repudient homines, & inde contra testatoris voluntatem fame laborent: de præteritis verò, quia in iis hoc periculum cessat, transigere licet, *l. 8. Cod. eod.* 7

§. IV.

De effectu transactionis.

1 *Finem controversiæ imponere.*
2 *Retractari ex post facto nequit.*

EFfectus transactionis est, finem litibus motis & movendis, aut quæ timentur, imponere, *l. Fratris Cod. & similibus.*

Prætérea quòd semel inita nullo prætextu retractari possit, ne quidem rescripto Principis, *l.cum proponas 17.C.eod.* nec sub prætextu specierum vel instrumentorum postea repertorum, *l.sub prætextu 19.& 29.C.eod.* quia qui super principali transigit, etiam super accessoriis, & iis seruientibus, transigit: & cùm transactio fiat libero & mutuo consensu, firma manere debet, *cap. Statuimus, can. contingit hoc sit.* quod enim semel placuit, amplius displicere non potest. Atque ita licèt pristina actio non sit extincta, quia transactio non est modus tollendæ obligationis à iure ciuili introductus, *Institut. Quibus modis tollit.obligatio:* tamen agenti semper obstat exceptio transactionis, quæ vocatur exceptio litis finitæ, *cap.4. de litis contest. in 9.* quia transactio non habet minorem vim ad litem dirimendam & finiendam, quàm res iudicata, *non minorem Cod. eod.* Stephan. Gratian. 2. *part. disputat. Forens. discept.400. num.16.* vbi subiungit, quòd facta super sorte, extendat se ad fructus & accessoria, imò ad pœnam.

TITVLVS XXXVII.

De Postulando.

1 *Verbum Postulandi quid significet hoc loco.*
2 *Qui postulare possint.*
3 *Quidam edicto prohibentur.*
4 *Quidam lege.*
5 *Quidam sententia.*

VOCATI ad iudicium non pascíscuntur vel transigunt, sed malunt iudicio contendere, ideóque quærendi sunt aduocati vel procuratores ad causam instituendam & agendam. Quò spectant sequentes Tit. & in primis hic *de postulando*: quia postulare est vnum ex præparatoriis iudiciorum, de quibus sequitur agendum.

1 Omissa verò ea verbi significatione, quâ Postulare significat expoſcere in Prælatum, illum, qui propter aliquod impedimentum canonicum eligi seu promoueri non potest, nisi cum eo dispensetur, de qua significatione antè egimus; & rursus ea, quâ significat idem, quòd accusare, vt cùm dicimus, Postulare aliquem criminis: hic nihil est aliud, quàm desiderium suum vel amici sui apud eum, qui iurisdictioni præest, in iure, id est iudicio exponere (quod ad actorem pertinet, vel alterius desiderio contradicere (quod ad reum spectat) *iuxta l.1.§.2.ff.h.t.* Atque ita etiam ij qui aduocati non sunt, dum per se suas rationes coram iudice allegant, & suam causam agunt, postulare dicuntur; etiamsi Postulandi verbum pro aduocatione vsurpari certum sit, *dict. l.1. §.1.& toto t.Cod.eod.* Ex eo verò, quod dicitur, in iure; sequitur eum, qui consulit in cubiculo suo, non dici postulare, seu aduocatum agere.

2 Postulare possunt omnes, qui nominatim non prohibentur. Prohibentur quidam edicto Prætoris, quidam lege, quidam sententia Iudicis.

3 Eorum, qui edicto prohibentur, quidam in totum prohibentur, vt minor 17. annis; alioquin, completa ea ætate, postulare minori permittitur, *d. l. 1.* Item omninò Surdus. Alij pro aliis tantùm postulare vetantur, pro se possunt, quia edictum de postulando est prohibitorium: veluti mulier, tum ne contra pudicitiam, sexui suo congruentem, alienis causis se immiscat: tum quia patrocinari munus est virile, ciuile, & quodammodo publicum. Item cæcus, quia insignia Magistratus videre & reuereri non potest. Ideóque non obstat, quòd possit esse iudex, *l.cæcus Cod. de iudiciis*; quia iudicia olim etiam priuatis à prætore mandabantur, & in iudice priuato nihil nisi iudicium, prudentia & doctrina requiritur. Insuper insigni turpitudine notati, vt damnati de calumnia, de capitali crimine, passi muliebria, & qui operas suas locarunt ad depugnandum cum bestiis. Alij denique & pro se & pro aliis postulare possunt; non tamen promiscuè pro omnibus, sed pro certis tantùm personis; vt ille, qui ex edicto tamquam infamis notatur. Postulare autem hi possunt pro coniunctis personis, puta parentibus, liberis, fratribus, sororibus, vxoribus, & aliis, edicto comprehensis. Atque hæ quidem personæ omnes ita postulare prohibentur, vt de consensu quidem partium, aut aduersario volente, admitti possint, quia licèt iudiciorum partes illæ, quæ potissimùm ad litigatores spectant, pactis eorundem mutari possint non tamen eæ, quæ præcipuè, ob dignitatem publicam magistratus conseruandam institutæ sunt, vti est hæc postulationis prohibitio, *d.l.1.in princ.*

4 Lege interdicitur quibusdam, etiam pro aliis, postulare: veluti iudicibus & arbitris, in ea causa, in qua iudicaturi sunt, *l. Quisquis C.eod.* Item non Christiano, sub pœna exilij, *l.vlt. C. eod.* clericis quoque interdictum est à canonibus, ne coram laico iudice postulent, siue maioribus

maioribus Ordinibus sint initiati, vt Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, sive in minoribus, adhuc versentur, modò stipendiis sustententur Ecclesiasticis; nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ, aut miserabilium personarum, vt orphanorum & viduarum, quæ proprias causas administrare nequeunt, prosequantur, *cap.1. & vlt.h.t.* Quòd si clericus contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, coram iudice laico aduocatus vel procurator esse præsumpserit, spoliari eiusmodi beneficio tamquam ingratus potest, *dict. cap. vlt.* Sic nec Monachi, nec Religiosi, licèt clerici non sint, aduocationis officio rectè funguntur, *cap.2.h.t.* adeò vt ne monasterij quidem sui causas agere valeant, nisi Abbas id ipsi mandauerit & impetrauerit; idque sive agatur coram iudice Ecclesiastico, sive laico.

Et in hoc differunt Religiosi à clericis non Religiosis, quòd hi coram iudice Ecclesiastico aduocatum agere possint. Imò si in minoribus adhuc constituti sint, nec habeant iustum stipendium ex officio Ecclesiastico, vnde commodè alantur in vtroque foro aduocati officium exercere, *argum.1.d.c.2.* à contrario sensu, quod valet, quando contrarium nusquam in iure est expressum. Panormit. *ibid.* Vide Steph. Gratian. *disceptat. forens. tom.1. cap.57. num.12. & seq.* vbi multos casus refert, quibus clericus postulare potest.

Denique sententia iudicis quidam postulare prohibentur: vt si Aduocatis & procuratoribus postulandi officium, ob contumaciam vel delictum, aut aliam causam, ad certum aliquod tempus vel in perpetuum iudex interdicat, prout potest, *l.1. in fin ff. de officio. Præfecti vrbis*, Maranta *part.6. in princ. in materia inquisitionis*: veluti quia iussi ab eo patrocinari alicui, absque iusta causa id recusauerint, *l.7. Cod. eodem* vel quia cum cliente conuenerint, vt rem, de qua litigatus, aut eius partem, loco honorarij accipiant, *l.5. Cod. eodem.* Nam licèt aduocatus possit de iusto salario pasci, *l.1. §. si cui cautum cum seq. ff. de variis extraord. cognit.* tamen huiusmodi pactiones de futuro litis emolumento prohibentur, nec ex iis occasionem arripiant calumniosè litigandi, & variis artibus veritatem oppugnandi, *l. sumptus ff. de pactis.*

***

TITVLVS XXXVIII.

De Procuratoribus.

§. I.

Quis dicatur Procurator.

1 *Ratio ordinis & nominis.2.*
3 *Definitio Procuratoris enucleata.*
4 *Iure canonico accipi latiùs nomen Procuratoris.*

INTER eos, qui alieno nomine postulant seu causas agunt, primas obtinent Aduocati, qui aliàs Patroni & causidici appellantur, quique per allegationes ac rationes iuris exponunt iudici iura & causas suorum clientum, tamquam iustitiæ administratores; quòd sanè magnæ est artis & doctrinæ. Vnde & munus eorum est publicum, honorificum, laudabile, *l. laudabile Cod. de aduocatis diuersor. iudic.* multis gaudens priuilegiis, *vt possim videre licet dict. tit. Cod.* Secundum verò locum obtinent Procuratores, qui munus magis priuatum obeunt, aliorum negotia gerentes, sive in iudicio, sive extra iudicium, in litibus sollicitandis ac prosequendis: in quibus proinde non tam opus est arte & ingenio, quàm diligentia; & quorum proinde munus est vile & onerosum, *l. Si quis procuratorem 34. Cod. decurion. lib.10.* imò vilissimum. Ioan. de Platea *ibid.* 1

Dicitur autem Procurator quasi pro alio curator, nempe pro domino rerum & negotiorum, cuius nomine res & negotia gerit. Introductus enim necessariò vsus fuit procuratorum, vt, qui rebus suis ipsi interesse non possunt, vel non volunt, saltem per alium possint agere & conueniri, *l.1. §. vsus ff. h.t.* 2

Procurator itaque est, qui aliena negotia mandato domini gerit seu administrat, *d. l.1. ff. h.t.* Genus definiti hic omissum subaudiendum est, Gestor, Administrator, seu Curator. Materia verò indicatur in verbis, *aliena negotia*: nam vti res sua nemini seruire dicitur, *l. in re communi ff. de seruitut. vrban. prad.* ita nec in proprio negotio quisquam sibi est procurator.

Per hoc, quod dicitur, *mandato domini*, distinguitur Procurator à Defensore & Negotiorum

rum gestore, qui sine mandato defendit & negotiatur, *§. igitur instit. de obligat. quæ ex quasi contractu nasc.* quamvis variis in legibus is quoque, qui sine mandato negotiis alienis sese offert, & qui aliquid negotij nostro nomine gerit. Procurator vocetur, qui verius Negotiorum gestor dicitur, *l. Qui hominem 34. §. si gener. & l. Si quis 58. ff. de solutionib. & aliis.* Quoties tamen additur nomen, *verum*, intelligitur is dumtaxat, qui mandatum habet, vel cui id ipsum, de quo agitur, aut totorum negotiorum commissa & credita est administratio, *l. Pomponius 40. §. 1. ff. h.t.*

Per eandem partem distinguitur Procurator à Tutore, Creatore, & similibus aliis, qui non mandato domini, sed publica auctoritate, vel legis, vel Magistratus, vel testatoris, administrant.

Verbum, *gerit*, seu *administrat*, distinguit procuratorem ab Aduocato, quia Aduocatus non gerit priuatim negotia aliena mandato domini, sed pro alterius causa dicit & aduocat, seu ius partis explicat & merita causæ allegat. Similiter à Nuntio, penes quem non est ius administrandi seu gerendi negotium alterius alieno nomine sed nudum dumtaxat factum exequendi.

4 Porrò iure canonico latiùs patet nomen procuratoris: eóque venit etiam is, qui à non domino constituitur, veluti à prælato, vel alius clericis in causis Ecclesiasticis, *c. 1. & passim. h.t. olim inf. de restitut. spoliat.* Sic quoque vniuersitas vel collegium rectè procuratorem constituit, qui tamen proprio nomine Syndicus vel Actor appellari solet: ideóque vt data definitione tales etiam procuratores comprehendantur, addi potest, *vel quasi dominus.*

§. II.

Diuisio Procuratorum.

1 *Procuratorum alij extraiudiciales, alij iudiciales.*
2 *Vtrique vel Generales vel speciales.*
3 *Et differentia eorum.*
4 *Item procurator alius Verus, alius Falsus.*

1 PRocuratorum alij sunt Extraiudiciales, nempe qui ad negotia extra iudicium tractanda & explicanda constituuntur, *de quibus in tit. ff. & Cod. de mandatoribus:* alij iudiciales, qui in iudiciis versantur, & lites prosequuntur alieno nomine, vocanturque Procuratores ad lites, *de quibus passim h.t. & Cod. eod.* Et constituuntur vtrique tam præsentes & coram, apud acta scilicet Præsidis vel Magistratus, quàm absentes epistolam vel nuntium, *l. 1. 2. 3. 6. ff. h.t. l. 1. ff. Mandati, l. eum, §. iulianus de constituta pecunia*, Paulus *1. sent. 10. §. 1.* modò consentiant seu tatum habeant, sive expressè sive tacitè Et vel purè, vel sub conditione aliqua: vel in præsens tempus, nimirum vt statim negotia gerere incipiant seu lites prosequantur; vel in diem, vt scilicet incipiat officium post certum diem, v.g. post Kalendas talis vel talis mensis, & non antè, *l. item & ad litem 3. ff. h.t.* vel ad diem v.g. vsque ad annum, *d. l. item & ad litem.* Et tum si exspiret tempus, puta quia iudex impeditus fuerit, non potest vltra diem illum agere, etiam lite contestata. Caluolus *in praxi, §. procurator concluſ. 1. num. 4.* vbi tamen *num. 5. & sequent.* ex Aretino distinguit, vt, si constitutus fuerit generaliter ad omnes causas, possit etiam finito tempore causam prosequi: si ad vnam litem tantùm, & quidem ex parte actoris, vt tum adueniente die exspiret eius officium; si verò ex parte rei, vt tum actori liceat ab initio litis eum repellere: quia videtur reus velle actorem distrahere in plures aduersarios; quod facere nequit.

Rursus constituuntur aut cum clausula, *cum libera*, hoc est cum potestate plena & libera agendi, faciendi vel administrandi omnia, & quæcumque ipse dominus coram seu præsens agere & facere in causa seu negotio posset; vel sine tali clausula.

Extraiudicialis quoque duplex est, aut vni- 2
uersorum bonorum seu negotiorum, *l. procurator 63. ff. eod.* aut vnius alicuius vel alterius rei seu negotij, *l. 1. §. 1. ff. eod.* Similiter iudicialis vel est Generalis: ad omnes scilicet lites; vel specialis, ad vnam aliquam litem prosequendam constitutus, *d. l. 1. §. 1. ff. eod.* Mandatum tamen generale ad negotia, etiam ad iudicia se extendit, *cap. Qui generaliter eod. in 6.*

In eo autem distinguitur Procurator Extra- 3
iudicialis à iudiciali, quòd ille dari possit maior 17. annis: ad lites verò non nisi maior 25. annis, saltem de iure canonico, *d. cap. Qui generaliter, §. fin. eod. in 6.* tum propter beneficium restitutionis, quod minori competit, *l. minor 25. ff. eod.* tum quia non censeatur idoneus ad alienas lites peragendas, quippe qui legitimam personam standi in iudicio non habeat, *l. 1. & 2. C. Qui legit. personam*, &c. Quinimò in causis propriis agere per procuratorem cogitur, *l. fin. C. de legit. tutoribus:* excepto, quòd in beneficialibus & aliis causis spiritualibus, & dependentibus ab

iisdem

iisdem possit maior 14.annis per se, vel per procuratorem, agere & defendere, nulla patriæ potestatis vel voluntatis habita ratione. Alioquin si minor sit 14.annis, in huiusmodi causis nec agere nec defendere per se potest; sed per Episcopum vel eius Officialem ad huiusmodi lites ei curator dandus erit, *c.fin. ff. de iudicijs in 6.* Sic etiam delegatus sedis Apostolicæ in causis, quæ coram se agitantur, minori 14.annis potest curatorem vel auctoritatem constituendi, dare, *d.c.fin.§.delegatus.*

Secundò differunt, quòd procurator ad negotia liberè quandocumque alium substituere possit, *d.c.1.§.fin.eod.in 6.* non item procurator ad iudicia, nisi vel per litis contestationem factus fuerit litis dominus, *l.neque l. Quod quis l.nulla C.eod.* vel à domino substituendi potestatem habeat, vel in rem suam datus sit, *d. c. 1. eod.in 6.* Dicitur autem in rem suam constitui, qui constituitur quidem ad alienum negotium, mandato domini gerendum, sed ad suum emolumentum, *l.seruum §.fin.ff.eod.* Talis est, cui dominus actiones quoquo modo cessit, *l.Si quis & l.Procurator ff.eod.l.8.§. vlt.ff. mandati*, qui cùm mandatas & cessas sibi ab alio actiones exerceat, procurator quidem dicitur; quia tamē non in alienam, sed in suam rem & vtilitatem, actiones cessæ sunt, & omne commodum eum respicit, dicitur datus in rem suam, *cap. 4. Cod. eod.*

4 Denique procurator alius dicitur verus, qui legitimo mandato munitus est, alius Falsus, *l.Licet C.eod.l.falsus, C. de furtis, l.Licet ff. de iudiciis*, qui mandatum non habet, vel habet quidem, sed ab eo, qui dare non potuit, vel habet insufficiens, aut ad negotium, de quo agitur, impertinens: vt si proferat mandatum generale in causa exigente speciale mandatum, vel reuocatum, aut alio modo extinctum; & sic de similibus.

§. III.

Quis constituere Procuratorem possit.

1 *Procuratorem constituere potest dominus rei, idoneus ad obligandum se.*
2 *Dare Procuratorem nemo cogitur.*
3 *Prohibetur dare minor.*
4 *Excommunicatus.*
5 *Bannitus.*
6 *Captus ab hostibus.*
7 *Syndicus Vniuersitatis, ante litem contestatam, &c.*

PRocuratorem propriè dictum, constituere 1
potest quilibet ad se obligandum idoneus; & rei, de qua agitur, dominus. Glossa *in l.neque Cod.eod.* idque in causis tam civilibus, quàm criminalibus, nisi lege expresè prohibeatur. Ideóque minores, cum auctoritate tutorum & curatorum suorum si eos habeant, non verò ipsi tutores aut curatores, procuratorem rectè constituunt, *d.l neque*: nisi tutor curatorve per litis contestationem fuerit antea eius factus dominus, *dict. l. neque, l. Quod quis 8. & l. nulla 23. Cod. eod.* Dixi, dominum rei, de qua agitur, posse procuratorem, propriè dictum, constituere, quia latiùs accepto eo vocabulo etiam Vniversitas scholarum procuratorem constituit, *cap. Quia in causis 7. & cap.vlt.h.t.* item Collegium & Monasterium, *cap. cum causam inf. de iuramento calumniæ.* Mutus autem & surdus dant procuratorem eo modo: quo possunt, nempe nutu vel scripturâ.

Procuratorem verò nemo cogitur regulari- 2
ter, nisi velit, idque in causis granioribus. *cap.2. h.t.* Piasec. *part.2. cap.4. art.2. num.7.* Si tamen persona, quæ de causa pecuniaria litem instituit, sit illustris; quæque terrori possit esse iudici & aduersario, tum & ad agendum & ad defendendum procuratorem constituere cogitur. Secus & excommunicatus ad defendendum, de quo mox dicetur: itèmque Monasterium, quando contra illud agitur, *c. 2. inf. de in integrum restitut.*

Prohibetur autem dare procuratorem ad 3
lites, in primis Minor, tutorem vel curatorem non habens, exceptis quibusdam casibus, vt in actione iniuriarum, *l.Filiusfamilias 8. ff.eod.* Ratio est, quia cùm ipse personam legitimam standi in iudicio non habeat, alium ad hoc reddere legitimum nequit: quamvis si constituerit procuratorem, & pro eo pronuntiatum fuerit, fauore ætatis talis constitutio rata habeatur, *arg.l.non eo minus Cod.eod.* Quod ipsum à fortiori obtinet in pupillo.

Secundò, Excommunicatus constituere non 4
potest procuratorem ad agendum, *cap.vlt.hoc tit.* quia talis iuris fictione pro mortuo habetur *can. nemo Episcoporum 11.quæst.3.* Dixi, ad agendum; quia ad defendendum potest & cogitur dare, *cap.intelleximus inf.de iudiciis*, quia absurdum & iniquissimum foret, excommunicationem, quæ pœna est, & quæ proinde nocere debet excommunicato, ei prodesse in præiudicium alterius, cui non teneretur in iudicio respondere, nec per se, nec per procuratorem, *euidenter ff.de except.rei iudicatæ.*

Tertiò, Bannitus, quia is quoque, amissis bonis omnibus, civiliter mortuus censetur, Gaill. *lib. 2. de pace publica c. 12. per tot.*

Quartò, Captus ab hostibus non procuratorem, sed actorem constituit, quia quamdiu in potestate est hostium, sui iuris non est, nec rerum suarum dominus, *l. Ab hostibus ff. Ex quibus causis maiores, &c.*

Quintò, Syndicus vniversitatis, tutor, curator, ante litem contestatam non constituunt procuratorem, quia antea non sunt litis domini.

§. IV.

Quis constitui possit Procurator.

1 *Dari potest quilibet non prohibitus modo consentiat.*
2 *Etiam filiusfamilias.*
3 *Vnus, vel duo plureſve.*
4 *Prohibentur dari minor 25. annis, fœmina, miles, &c.*
5 *Non verò infames.*
6 *Prohibetur & fiscus.*

1 CONstitui autem potest Procurator quicumque certâ aliquâ lege non prohibetur. Hostiens. *in summa hoc tit. cap. 1. eod. in 6. l. Mutus 43. ff. eod.* præsens, sive absens, modò consentiat seu ratum habeat, *leg. 1. §. fin. & leg. 2 ff. eod. Licet 7. eod. cap. Cum dilecta infr. de confirmat. vtili:* & quidem solo consensu; sive expresso, veluti per pactum, nuntium, literas, ratihabitionem; sive tacito, vt cùm dominus præsens permittit alteri causam suam agere, vel procurator constitutus mandatum recipit, nec contradicit, *Clement. 1. eod. tit.* etiam solo nutu, dummodò Notarius, qui conficit instrumentum exprimat signum, quod tunc habetur loco vocis. Calvolus ex Baldo *in Praxi §. Procurator concluſ. 1. num. 1.* Requiritur tamen vtriusque consensus, & constituti & constituentis, quia vt nemo regulariter constituere procuratorem cogitur, ita neque invitus quis procuratoris officium subire compellitur, *d.c. Licet eod. in 6. l. Filiusfamilias §. invitus ff. eod.* vbi dicitur, invitum dici non tantùm eum, qui contradicit, sed eum quoque, qui consensisse non probatur.

2 Potest igitur procurator constitui, non solum paterfamilias, qui est iuris, sed & filiusfamilias *cap. Non iniustè 14. h. t.* etiam sine patris consensu, modò legitimam habeat ætatem, & non sit minor 25. annis, *l. Exigendi 1 C. eod. titulo.*

Insuper constitui potest vel vnus tantùm, vel duo, aut plures, *cap. Si duo eod. in 6.* & hi vel simul vel coniunctim; quo casu vnus sine alio admitti non debet, *d. cap. Si duo:* nisi quòd in causis beneficialibus vsu receptum sit in Curia vt valeat processus cum vno, de qua praxi testatur Vestrius *in Praxi lib. 4. cap. 5. num. 18.* Piasec. *2. p. cap. 4. art. 2. num. 8.* vel in solidum; quo casu præventioni locus est, potiorque conditio occupantis negotium per litis contestationem: nisi in constitutione contrarium caveatur, nempe quòd non fiat, vel non fiet melior conditio occupantis, *l. Pluribus 32. ff. eod. cap. Si duo:* exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, & aliorum negotiorum Ecclesiasticorum, in quibus, quia celeriorem expeditionem exigunt, pluribus in solidum constitutis, potest Iudex, ne propter eorum concursum negotia intricari contingat, magis idoneum eligere, aliis exclusis: *d. c. Si duo.*

Prohibentur dari procuratores, in primis 4
Minor 25. annis, vt antea diximus. Secundò, Mulier, quia officium procuratoris est virile, & à pudore sexus fœminei alienum: nisi vel in rem suam aut proprium lucrum mandentur illi actiones, vel causâ cognitâ pro parentibus, ægritudine, ætateve impeditis, eidem agere ob defectum aliorum, permittatur, *l. Neque fœmina l. Fœminas ff. eod.* Tertiò, Miles in aliena causa, etiam volente adversario, ne ea occasione à militia avocetur, *l. militem 7. leg. Qui stipendia 9. Cod. eod.* nisi in rem suam aut suæ cohortis nomine agat, *l. Filiusfamil. §. veterani ff. eod.* Quartò, Decuriones, & digniores aliis, quia procuratoris vile est officium. *Si quis 16. l. Si quis 34. C. de decurionibus lib. 10.* Quintò, Medici & Professores. Item Seruus, quia legitimam personam standi in iudicio non habet, *l. 1. & toto tit. C. Qui legit. person. standi in iud. non habeant:* Furiosus, quia consensu caret, *leg. 2. §. furiosus ff. eod.* Similiter mutus & surdus, licet ad negotia procuratores dari possint, non tamen ad litem prosequendam, *leg. Mutus 43. in princ. ff. eod.*

Infames olim procuratores nec dare nec 5
dari poterant. Paul. *lib. 1. Sent. tit. 2.* at Iure civili procurare possunt, *§. fin. inſtit. de exceptionibus;* quia procuratoris officium non est dignitas, à qua removeri debeant, sed onus, & quidem vile, reputatum. Iure verò Pontificio tales pro Ecclesiasticis non admittuntur, sed

tantùm

tantùm pro laicis & sæcularibus, Panormit. *In cap. Imperatorum num 9. inf. de iuramento calumniæ*, prohibetur etiam reus criminis capitalis, *l. Reum Cod. eod.* Redemptor alienæ litis, *l. Litem 15. C. eod.* Excommunicatus, *c. Intelleximus inf. de iudicis.* * Præterea Fiscus; Vniversitas vel Civitas, ne potentia vel gratia in re privata causam alterius partis reddat deteriorem *cap. 3. & toto tit. Cod. Ne fiscus vel privat.* &c. Fiscus quidem, provt representat totam vniversitatem, procurator esse nequit: secus, si interveniat, vt procurator privati: nisi aliunde eius gratia aut potentia ostendatur formidolosa, *toto tit. Cod. Ne liceat potentioribus, &c.* Denique qui Reipublicæ causâ absuturus est, aut initurus Magistratum, aut perpetuo morbo tenetur, aut invitus iudicium pati non potest, idoneus procurator ac defensor non intelligitur, *l. Neque 54. ff. eod.*

§. V.

In quibus causis constitui possit.

1 *Admittitur in omnibus non prohibitis specialiter.*
2 *Prohibetur in publicis iudiciis alieno nomine.*
3 *Item in criminalibus; & quatenus.*
4 *In privatis iudiciis quatenus.*
5 *Et in popularibus causis.*

1 CÆterum in omnibus causis & negotiis constitui potest, in quibus non reperitur prohibitum constitui procuratorem. Cùm enim hoc edictum sit prohibitorium, quidquid non invenitur prohibitum nominatim, debet intelligi concessum, *l. Cum Prator ff. de iudiciis.*

2 Non admittitur autem Procurator, neque ad agendum neque ad defendendum alieno nomine, in publicis iudiciis, *l. penult. §. fin. ff. de publicis iudiciis l. 2. 3. & 5. C. de his qui accusare possunt*; nisi quis ita de publico agat, vt & privatum commodum defendat: nam hoc casu, causâ cognitâ, permittitur procuratorem dare; & postea aliud agens exceptione repellitur, *l. Non cogendum 45. §. 1. ff. eod.*

3 Præterea in non publicis, sed in criminalibus, & eiusmodi, vt pœna supra relegationem damnato imponi possit, *d. l. penult. §. ad crimen. ff. de publ. iudic. & ibi* Bartol. *& DD.* Præterquam ad allegandam absentiæ causam, *l. Absens, 71. ff. h.t.* Marantà *part. 4. Spec. auris dist. 1. num. 3. & seqq.* nisi de crimine agatur civiliter ad pœnam pecuniariam, provt de omnibus agi potest, *l. vnica C. Quando civilis actio præiudicet criminali*, aut nisi de adulterio agatur coram Iudice Ecclesiastico ad thori separationem, *cap. Tua h.t.* Vide Marantam *p. 4. n. 51. & seqq.*

An autem in privatis iudiciis admittatur procurator, controvertitur: & dici potest, admittendum, vbi pœna præstituta est, aut certa petitur, quæ sit minor relegatione, *l. Licet ff. eod.* Si autem pœna sit arbitraria, vti quando agitur de suspecto tutore, non admittendum, quia tum pro ratione circumstantiarum augeri potest, etiam vsque ad mortem, & illa pœna procuratori imponi non potest. 4

In popularibus causis distingui solet, vt actor procuratorem dare non possit, nisi suam iniuriam principaliter prosequatur, quia aliàs publica non sua causa est: pro reo autem alius rectè interveniat, quia privatam causam, hoc est pecuniariam, quæ istis actionibus peti solet, tuetur, *d. l. Licet in princ.* Vide VVesenb. *in Parat. ff. h.t. n. 5.* 5

§. VI.

De Mandato Procuratorio.

1 *Regulariter nemo admittitur sine mandato.*
2 *Etiam cùm generaliter ad negotia & iudicia constitutus intelligitur.*
3 *Defensionem tamen rei suscipere sine mandato quilibet potest.*
4 *Fines mandati à procuratore diligenter servandi.*

QVamquam coniunctæ personæ quales sunt parentes, fratres, affines, liberti, & similes, vsque ad quartum gradum, *secundùm* Hostiens. *in Summa h.t. n. 13.* inter quos etiam est bastardus, iuxta Peckium *de iure sistendi cap. 3.* Reyger *in Thesauro Iuris, V. Procurator, num. 71.* pro consanguineis; item maritus pro vxore, absque mandato procuratores esse possint, dummodò caveant de rato, *l. Pomponius, §. fin. ff. eod. c. Nonnulli, §. fin. sup. de rescriptis*, Gloss. *in cap. 1. h.tit. l. Maritus, Cod. eod.* tamen non solet aliàs admitti quis in iudico, tanquam procurator alterius ad agendum, nisi de mandato suo legitimè & plenè docuerit, *d. cap. 2. h.t. l. Non solùm, §. qui alieno ff. eod. &* 3

ibi DD. vt ex eo appareat, quam potestatem habeat. Nam constitutus ad agendum in vna causa, hoc ipso idoneus non est ad agendum in alia, *cap. Constitutis 12. h.t.* Vt neque constitutus ad acceptandum beneficium vigore vnius gratiæ, illud acceptare potest vigore gratiæ, alterius. Ioseph. Ludovic. *concl. 45. num. 29.* Frustráque se defenderet reus in iudicio aduersus actorem, cùm non cogatur dominus ratum habere, quàm quod cum eo, cui dedit mandatum, reus egerit, réque inter alios acta præiudicare aliis non possit aut debeat, *l. 1. C. quib. res iudic. non noceat.*

2 Similiter licèt procurator, constitutus generaliter ad negotia, etiam ad iudicia datus intelligatur, vt ante diximus: non tamen ad ea, quæ speciale mandatum exigunt: qualia sunt iuramentum deferre aduersario vel recipere, Mynsing. *cent. 4. Obseru. 99. in fine*; vel cum eo transigere aut pascisci; contrahere sponsalia vel matrimonium, & similia de quibus latissimè Ioseph. Ludovic. *concl. 30. n. 7.* vbi enumerat nonaginta tres casus requirentes speciale mandatum: adeò vt, licèt constitutus sit ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia (quantumvis mandatum exigant speciale) nihilominus ex vi generalitatis huiusmodi ad articulum aliquem, in quo exigitur mandatum speciale, admitti non debeat, nisi specificato aliquo vel aliquibus articulis, speciale mandatum exigentibus, adiecta sit clausula generalis, quia tum etiam non expressa continebantur, *cap. 4. & 5. eod. in 6. l. Procurator 58. cum seqq. ff. eod.* dummodò tamen hæc non sint graviora expressis, vt sunt matrimonij contractus, & exceptiones, quæ in electi, vel eius, cui prouisio facienda; vel facta est, personam obiiciuntur: hæc enim propter sui momentum desiderant expressum mandatum, *cap. fin. iunctâ Glossa eod. in 6. Clement. 2. eod. tit.*

Dixi ante, non admitti aliquem alieno nomine ad agendum absque mandato, id est, vt agat partes actoris; quia potest quilibet, etiam absque mandato, defensionem rei in se suscipere, etiam invito actore modò satisdet, id est, fideiussoribus datis promittat, iudicatum solui, §. *fin. Institut. de satisdat. l. Qui proprio §. 2. h.t.* & personam legitimam standi in iudicio habeat: quia naturali rationi conveniens est, alterius conditionem per alium posse fieri meliorem, præsertim cùm alterius non interest, *l. Solvendo 39. ff. de negot. gestis*; publicéque expedit, absentes omnes, etiam ignorantes, per quemcumque defendi, *l. Seruum 33. §. publicè ff. h.t.* ne ignari damnum sentiant, nemine eos defendente, *l. 1. §. fin. ff. Quòd cuiusque vniuers. nomine*, &c. Dicitur-que, qui alium sine mandato defendit, non procurator, sed defensor, in textibus Iuris nostri, *l. de qua re 74. §. cum absentem ff. de iudiciis, & alibi.*

Debet autem procurator diligenter seruare fines mandati, alioquin in eo, in quo excedit, 4
non præiudicat domino, *l. Diligenter ff. mandati*: & non tam constituenti, quàm sibi nocet, *l. Si procurator C. Mandati, c. 9. inf. de arbitris.*

§. VII.

Quo pacto finiatur Procuratoris officium.

1 *Finitur mutuo consensu.*
2 *Reuocatione domini, re adhuc integrâ.*
3 *Finitâ instantiâ.*
4 *Morte domini.*
5 *Et procuratoris.*
6 *Item mutatione procuratoris.*

Finitur procuratoria potestas non vno mo- 1
do. Et quidem primò, sicut mutuo consensu constituitur procurator, ita mutuo consensu reuocatur, *l. Mutari 24. ff. h.t.* iuxta vulgatam Iuris regulam, vnumquodque eo dissolui, quo colligatum est.

Secundò, finitur per reuocationem domi- 2
nini, re integrâ, id est, lite nondum contestatâ, *l. Ante litem 16. ff. eod.* & vt Glossa ait *ad Clem. fin. eod.* ante præparamenta in negotiis extra iudicium. Post litem verò contestatam, cùm iam dominus sit factus litis, *l. Procuratoribus 22. Cod. eod.* non potest invitus reuocari, nisi iusta causa subsit, *cap. 2. eod. in 6. l. Post litem 27. ff. eod.* veluti si fuerit effectus inimicus domini, Calvolus *in Praxi*, §. *Procurator concl. 17. num. 2.* si suspectus, affinis vel hæres aduersarij, vel eius ætatis, aut valetudinis, vt minùs aptus sit litibus prosequendis aut negotiis gerendis, & sic de similibus, *d.l. Post litem, cum aliquot seq. ff. eod. cap. 2. eod. in 6.* Sed ne quidem volens post litem contestatam reuocari potest, si aduersarius nolit. Suarez *in thesauro recept. sent. V. Procurator, num. 292.* Ex iisdem causis potest petere procurator, vt etiam invito domino liberetur ab hoc onere, *l. Filiusfamilias 8. §. fin. cum sequentib. ff. eod.*

Vt

Vt tamen locus sit reuocationi, dominus eam non solùm ipse procuratori, sed & aduersario suo vel iudici insinuare debet, *cap. Ex insinuatione 3. & seq. h.t.* alias, quòd his ignorantibus fuerit gestum, etiam post reuocationem, ratum habendum erit, *cap. mandato 13. h.t.* si vtique vergat in præiudicium principalis: imputet enim sibi dominus, quod iudicem vel aduersarium reuocationis suæ non fecerit certiorem.

Quòd verò dictum est, reuocari ante litem contestatam procuratorem, id fallit in procuratore substituto: nam hic, suscepto semel mandato, licet eo nondum fuerit vsus, non potest à substituente reuocari: nisi is habuerit potestatem reuocandi ab ipso domino, à quo constitutus intelligitur; ita vt principalis procurator substituendo sibi alium censeatur officio suo functus, *c. 2. eod. in 6.*

3 Tertiò, finitur finitâ instantiâ, id est, latâ sententiâ definitiuâ: nec enim cogitur procurator iudicium appellationis prosequi, *l. finitus Cod. eod.* neque grauandus est vltra, finito per sententiam negotio. Secus dicendum, si constitutus esset generaliter ad omnes causas, & lites, motas & mouendas, quia tum non solùm appellare, sed & prosequi appellationem tenetur.

4 Quartò, per mortem domini constituentis, re integrâ adhuc *l. nulla 23. Cod. eod. l. Si defunctus 15. ff. eod.* Sed & interdum re non integrâ, verùm contestatâ & cœpta lite, per mortem constituentis potest quis desinere esse procurator, vt in casu, quo Prælatus vel quilibet alius pro Ecclesia vel beneficio procuratorem constituit *iuxta clement. fin. eod. tit.* quia nihil agi debet Sede vacante; & si quid fiat, perpetuum fieri dicitur, *cap. 1. & fin. inf. ne sede vacante*, &c.

5 Quintò per mortem ipsius procuratoris, non solùm re integra, *l. Tam ex contract. 57. ff. de iudiciis l. Si quis 27. §. morte ff. mandati.* Etenim non transit ad hæredes hoc officium, cum videatur electa industria personæ, *l. vnica, §. vbi autem C. de cad. tollendis.*

6 Sextò, mutatione procuratoris, seu alio in locum eius substituto: veluti quando diuersis temporibus pro eodem negotio constituuntur plures procuratores, per constitutionem posterioris censetur reuocatus prior, *l. Si quis cum procuratorio, §. fin. ff. eodem* nisi exprimatur, quòd in secunda constitutione priorem non reuocare intendat, *argum. cap. Si quem eodem in 6.* vel prior iam litem contestatus fuerit, aut ad certam causam constitutus, & posterior generaliter ad omnia negotia, quia per genus non derogatur, speciei, Cabedo *dec. 14. n. 15. cum seq. lib. 1.*

Septimò, si ipse dominus, sive ante sive post litem contestatam, ad causam suam veniat, non vt adsistat procuratori suo, prout potest *cap. 2. eod. in 6.* sed vt eandem causam per se tractet: nam eam per se tractando, censetur tacitè procuratorem reuocare; nisi ex protestatione aut aliis coniecturis contrarium appareat, *d. c. Si quem.*

§. VIII.

De exceptionibus, quæ personæ Procuratoris obiici possunt.

1 *Exceptiones illæ desumendæ partim ex persona domini constituentis, partim ex parte procuratoris.*
2 *Sed cum distinctione.*
3 *Falsi procuratoris gesta, opposito defectu mandati, rata non sunt.*
4 *De habente mandatum dubium.*
5 *De excommunicato.*

EX prædictis patet, quænam exceptiones in iudicio aduersus Procuratorem vel actoris vel rei obiici possint, sive ex parte eius, à quo constitutus est: veluti quòd constitutus sit à non habente potestatem constituendi, vti à non domino, vel eo, ad quem causa non pertinet, & sic de similibus (nam omnia, quæ aduersus principalem opponi possunt, etiam procuratori eius possunt obiici:) sive ex parte procuratoris; veluti quòd is procurator esse nequeat, quia sit minor, excommunicatus, reus criminis, &c.* Hac tamen seruata distinctione; quòd tametsi quis ideo procurator esse nequeat, quia legitimam personam standi in iudicio non habeat, idque in quacumque parte litis obiici & probari possit, (cùm paria sint, non esse, & non legitimo modo esse,) *l. Quoties, ff. qui satisdare cogantur*; totiésque iudicium reddatur nullum, quoties vna persona ex tribus, ad iudicium requisitis, deest, sive is actor sit, sive reus, sive iudex, *cap. Forus inf. de verb. significat. l. iudicium, D. de iudiciis*;) tamen si ius standi in iudicio habeat aliunde, puta ratione militiæ, dignitatis, aut alterius similis causæ, ab officio procuratorio repelli possit: quodque si principio nihil contra personam eius excep-

ptum fuerit, valeat iudicium, nec quicquam post litem contestatam possit obiici, *l. Ita demum 13. Cod. eod. l. Qui procuratorem 57. C. eod.* excepto impedimento excommunicationis, sive exceptio oriatur ex defectu materiæ controversæ, quia ea non admittat procuratorem, vt quia actio sit criminalis, in qua regulariter non admittitur procurator, qua de re cum limitationibus vide Ant. Gabriel. *l. 7. de malefic. concl. 9.* Quamvis si plura sint crimina, & inter ea aliqua capitalia, aliqua pecuniaria, admitti possint pro pecuniariis, non pro capitalibus, Ios. Ludovic. *concl. 46. num. 33.* vel quia fit popularis actio, vel quia exigat speciale mandatum, cùm exhibeatur tantum generale, sive denique ex parte mandati, vt quia non sit sufficiens, non debitâ formâ conceptum, aut transmissum ad Iudicem vel adversarium, aut revocatum, vel aliqua in parte sit mutatum; & sic de similibus.

3 Falsi autem procuratoris gesta, post defectum mandati oppositum, non possunt rata haberi: antea verò & quæ damno & quæ vtui domino sunt, rectè confirmat dominus. Suarez *in Thes. recept. sentent. V. Procurator, num. 319. & 320.* Falsique procuratoris exceptio est peremptoria, & opponi potest etiam post sententiam, *l. Licet 40. ff. de procuratorib.* Et similiter exceptio, *Tu non es procurator*, semper opponi potest: sed exceptio, *Tu non potes esse procurator*, tantum ante litis contestationem, Reger. *in Thes. suo Iuris V. Procurator n. 58.*

4 Habens verò mandatum dubium; admitti potest cum cautione de rato, nisi causa requirat speciale mandatum; aut sit causa matrimonialis, in qua, quia arduum vertitur negotium, non admittitur cum cautione, si de mandato illius dubitetur, Vestrius *in Praxi lib. 4. c. 5. n. 19. & 21. in annot.*

5 Denique, quia dixi excipi impedimentum excommunicationis, Notandum est, ita distinguendum videri, vt, si fuerit excommunicatus tempore constitutionis, quia tunc non subsistit constitutio, maneat fallus procurator, & processus non valeat: si verò post mandatum supervenerit excommunicatio, tum, si non opponatur, valeant acta: quemadmodum alias, vbi quis certâ lege prohibetur esse procurator, processus nihilominus cum eo factus, est validus, nisi contra eundem excipiatur ante prolationem sententiæ, Felinus *in c. Post cessionem n. 22. inf. de probationibus.* Ante mandatum verò non valent acta ipso iure, sive opponatur, sive non Maranta 4. *p. dist. 16. n. 42.* vbi plenius vide.

TITVLVS XXXIX.

De Syndico.

1 *Syndicus in quo distinguatur à Procuratore.*
2 *Ab Actore.*
3 *Ab Administratore Vniversitatis.*
4 *Ab Oeconomo.*
5 *Constitui necessariò debet ab vniversitate.*
6 *Quis & qualis constituendus. 7.*
8 *Satisdare non tenetur.*

PROCVRATORES Vniversitatum & Collegiorum, qui propriè Syndici vocantur, à Procuratoribus privatorum propriè dictis distinguuntur: quòd hi à dominis, Syndici verò ab Vniversitate, Collegio, vel alterius communitatis corpore constituantur, ad negotia illius tractanda, ac potissimùm ad causas & lites in iudicio prosequendas, *l. 1. §. Quibus permissum D. Quod cuiusque vniversit. nomine &c. c. Quia in causis sup. de procuratoribus.* Nam Syndicus dicitur à δίκη, id est, causa, quæ in iudicio agitur. Vnde & in Decretalibus diversi exstant Tituli *de Procuratoribus & de Syndico*; & diversis nominibus appellantur, quòd arguit esse diversos, *argum. l. Si idem codicilli Cod. de codicillis*, licèt magnam inter se habeant affinitatem, Atque ideò, vbi dicitur, causam vniversitatis agi per procuratorem, vt *in d. c. Quia in causis, c. Petitio 9. sup. de procurat., c. Cum causam inf. de iuramento calumniæ*, id accipi debet in Syndico; quia vbi constat de voluntate constituentis, non est facienda vis in nomine, *arg. §. si quidem in nomine Instit. de legatis.* 1

Tametsi autem in eo quidam distinguant Syndicum ab Actore, quòd Syndicus generaliter constituatur ab Vniversitate vel Collegio, aut alio corpore, ad omnes causas etiam criminales, tam præsentes quàm futuras tractandas, sine decreto; Actor verò specialiter, ad vnam aliquam causam, vel plures præsentes, cum decreto, *l. Item eorum §. si Decuriones, D. Quod cuiusque vniversit. nomine, &c.* tamen in hac materia procuratorem vniversitatis vel alterius communitatis Actorem pro Syndico, & è diverso, sumi, patet *ex l. 1. in V. & actorem sive Syndicum, d. l. & d. c. Petitio sup. de procurator.* 2

Differt

Differt verò Syndicus ab Administratore
3 Vniversitatis, quòd hic in administratione pecuniæ, aliorúmque negotiorum, eodem pertinentium, versetur, Syndicus; in litibus prosequendis, in quo etiam differt à Curatore civitatis, qui alia negotia civitatis extraiudicialia prosequitur.

4 Differt ab Oeconomo, quòd is sit dispensator Ecclesiæ seu defensor, cui res Ecclesiæ gubernandæ mandantur.

5 Necesse autem est, vt Vniversitas, sive alia communitas, constituat Syndicum, quia absque constitutione nec agere quidquam, nec cum ea quidpiam agi rectè potest, *l. Sicut* §. 1. *D. Quod cuiusque vniversit.* &c.

Ad constituendum verò convocandi seu citandi sunt omnes, qui sunt de communitate, quíque ius suffragij habent, secundùm morem consuetum, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Si tamen aliqui vocati se absentent, possunt præsentes Syndicum constituere, modò sint duæ partes, vel maior pars Vniversitatis, *iuxta l. 3 ff. d.t.*

Non est tamen necessarium, vt in instrumento Syndicatus exprimatur omnium constituentium nomina, modò sigillo Vniversitatis muniatur, vt docet Panormit. *in cap. vnico h.t.* Mynsi. *Cent. 1. Obser. 76. post* Oldradum *cons.* 100. Alij distinguunt, vt in numerosa Vniversitate ob difficultatem exprimi non debeant, nisi eo casu, quoad alienandum Syndicus constituitur, *iuxta c. fin. sup. de procurat. & l. fin. Cod. de vendendis rebus ciuitatis lib.* 10. in parva verò necesse sit exprimi, vt appareat duas partes fuisse præsentes, & nullum constituentium excommunicatum. Creditúrque instrumento Syndicatus, modò appensum habeat sigillum Vniversitatis, tanquam factum de consensu eiusdem Vniversitatis, *cap. Tertio loco 5. inf. de probat.*

6 Constitui verò Syndicus potest sive ex ipsa Vniversitate, si in ea reperiatur idoneus, sive extraneus, quamvis satiùs fuerit adsumi ex ipsa Vniversitate, quando in ea reperitur idoneus, quia præsumitur talis maiori fide & diligentia causas suæ communitatis acturus, quàm extraneus.

Suadet tamen Pontifex Religiosis, vt causas suas extraneo alicui, non Religioso demandent, constituto etiam salario aliquo, quia expedit servos Dei, vel cum aliquo suo incommodo, à strepitu abstinere forensi, ne hoc pacto à divinis avocentur officiis, *c. vnico h.t. & c. 1. inf. Ne Clerici vel Monachi &c.* Nec obstat, quòd Monachi possint esse procuratores Superioris licentiâ, *can. Monachi 6. q. 1.* quia id verum est necessitate cogente: vt si ob paupertatem non possint alicui extraneo salarium constituere.

Sed & laicus potest esse Syndicus Vniver- 7
sitatis Ecclesiæ, etiam in spiritualibus, quia non exercet aliquam spiritualem, vt patet *ex c. 1. de procurat. in 6.* Et idcò non obstat *can. Iudicatum dist. 98. & can. In nona actione 16. q. 7.* vbi videtur requiri, quòd sit Clericus, quia illà iura loquuntur de Oeconomo seu administratore rerum Ecclesiasticarum, cui scilicet committitur cura rerum Ecclesiasticarum, tam spiritualium quam temporalium, vt ibidem indicatur: nam ob admixtionem spiritualium tale officium non cadit in laicum; secus, vbi agitur de cura temporalium tantùm. Panormit. *in c. vnico h.t.*

Sicut autem tutor non cogitur satisdare, 8
quia auctoritate publicâ constituitur, *l. Tutores, Cod. de administrat. tutor.* ita nec Syndicus cavet de iudicatum solvendo, sed tantùm de iudicio sisti cùm sit persona publica, vicémque Vniversitatis sustineat, quæ præsumitur semper esse soluendo: nisi quando de Syndicatu & mandato probabiliter dubitari potest, Glossa *in l. Item* §. *fin. ff. Quod cuiusque vniversit. &c.* Ex eadem causa Syndicus iurat de calumnia in animam propriam non verò Collegij constituentis, *c. In pertractandis 3. cum c. seq. inf. de iuram. calumnia.*

TITVLVS XL.

De his, quæ vi metúsve causâ fiunt.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Quid sit vis, & quotuplex. 3.*
4 *Quid Metus.*
5 *Metu gesta ipso iure valent & obligant.*
6 *Exceptio.*
7 *Succurritur metum passo per restitutionem in integrum.*
8 *Dummodò metus sit cadens in constantem virum.*
9 *Metus reverentialis non prodest.*
10 *Communicans cum excommunicato per metum peccat.*
11 *Oportet etiam vt præsens sit metus.*
12 *Et ab extrinseco illatus.*

13 Quod si iusto metui iuramentum accesserit, illud servandum erit.

1 POSTQUAM egit Pont. de exceptionibus, quæ deſumuntur ex perſonis eorum, qui alieno nomine in iudicio verſantur, quas actor vel reus, priuſquam litem ingrediatur, adverſario ſuo obiicere poteſt; & de iis, quæ ſponte agimus in iudicio, vel extra iudicium, quæque valent & irrefragabiliter ſervanda ſunt, *l. 1. ff. de pactis*: meritò iunc & recto ordine ſubiicit de iis exceptionibus, quæ deſumuntur ex perſonis, vel actoris vel rei, ad quas res controverſa pertinet, ſi quid vi aut metu factum ſit, ſive contractum, ſive alienatum; vt ſciatur, an ea quoque valeant, & quo caſu valeant; an verò retractari poſſint & debeant.

2 Vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt, *l. 2. ff. Quod metus cauſa geſt. erit.* Vim namque accipimus atrocem & quæ adverſus bonos mores fit, non eam, quam magiſtratus infert iure licito, & iure honoris, quem ſuſtinet, *l. 3. ff. eod.* non alium etiam minorem imperum, quis, quatenus minor, vim inferre non

3 poteſt.* Vis proinde, quem admodum ſumitur hoc loco, alia eſt Præciſa; veluti ſi violentiâ inevitabi eripiam alicui librum, pileum, vel quid aliud, vel deiiciam aliquem in flumen; quo caſu magis pati quàm agere quis dicitur, *c. Sacro 5. h. t.* Alia eſt Cauſativa ſive Conditionalis, quæ non abſolutè cogit, ſed ſub conditione, vt ſi quem cogam mihi tradere equum ſuum, vel ſolvere centum. Rurſus alia eſt Publica, quæ cum armis fit, & Vis armata dicitur: alia Privata, quæ fit ſine armis, & ſimpliciter, Vis aut Vis non armata dicitur: vnde & in Digeſtis exſtat Titulus *De vi & vi armata.* Alia inſuper Impulſiva, quâ quis impellitur ad faciendum, quòd aliàs non faceret: alia Ablativa, quâ quid mobile ab aliquo auferitur: alia Expulſiva, quâ quis è poſſeſſione ſua eiicitur: alia Turbativa, quâ quis turbatur in ſua poſſeſſione: alia denique Inquietativa, quâ quis inquietatur in vſu rei ſuæ. Et omnibus his caſibus dantur interdicta vim patientibus adverſus eam inferentes. Abbas *in cap. 4. num. 2. h. t.* Iaſon *in l. Si quando Cod. Vnde vi.*

4 Metus in genere dicitur, inſtantis periculi vel futuri causâ mentis trepidatio, *l. 1. ff. eod.*

5 Quantum igitur ad ea attinet, quæ vi metúve geſta eſſe dicuntur, ea valida ſunt & obligant ipſo iure, vt conſtat ex *l. Si mulier 24. §. 5. ff. eod. l. Si metus cauſa 85. ff. de acquir. hæred. & l. 1. ff. h. t.* vbi ait Prætor. *Quod metus cauſâ geſtum erit, ratum non habebo*: nam verbum futuri temporis ſignificat non ipſo iure eſſe nullum & irritum, ſed irritandum, Conſtat item *ex cap. 2. h. t. in* verbis, *quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritum revocari.* Item ex *Tit. Inſtitut. de exceptionibus in princ.* ibi, *Si metu coactus Titio ſtipulanti promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt iure te obligatum eſſe.* Præterea *ex l. fin. Cod. hoc titul.* vbi venditiones, donationes, tranſactiones per potentiam extortæ, præcipiuntur infirmari: nam inde ſequitur, ipſo iure valere, vt iuris remedio infirmandas, *dict. cap. 2.* Confirmatur ex eo, quòd Prætor promittat actionem & exceptionem. *Quod metus cauſâ*, ad hoc, vt geſta metu reſcindantur, *l. Metum 9. §. 3. & 4. ff. eod.* atqui exceptio non ſolet competere, niſi vt elidatur actio, quæ ipſo iure competit, *l. 2. ff. de exceptionibus.* Ratio autem, cur qui aliquid per metum geſſit, obligetur regulariter, eſt, quia coactus conſenſus eſt conſenſus, & coacta voluntas eſt voluntas, *d. l. Si mulier*: nam qui per metum vel metu coactus conſenſum ſuum præbet, verè & abſolutè conſentit, atque è duobus malis eligit minus, v. g. mauult contrahere, quàm interfici, vel aliud gravius malum pati, *can. Non ſolùm 22. quæſt. 4.* VVeſemb. *ad ff. hoc titul. num. 1.* atque ita elicit actum ipſius conſenſus, cuius conſenſus principium eſt voluntas, quæ licet quoad actus imperatos ſimpliciter cogi poſſit, non tamen quoad elicitos, ſed conditionaliter dumtaxat, quia ſcilicet, ſecluſo metu, voluntas nollet nec eligeret illud minus malum.

Excipiuntur tamen caſus aliquot, in qui- 6
bus metus vitiat ipſo facto, vt notatur *in cap. Abbas 2. hoc titul.* vt in cauſa matrimonij per metum contracti, in cauſa dotis per metum promiſſæ vel ſolutæ, in cauſa iuriſdictionis per metum extortæ, voti per metum emiſſi, ſententiæ per metum latæ, & aliis, de quibus Abbas *in dict. cap. 2. num. 8. & ſequentib. hoc titul.* potiſſimùm verò in cauſis ſpiritualibus, in quibus ea ſubtilitas non attenditur, ſed ſimpliciter vi metuve geſta pro nullis habentur, VVeſemb. *ad ff. hoc tit. in princip. poſt* Abbat. *in cap. de metuere, cap. Cùm locum, num. 2. & 6. cap. Veniens inf. de ſponſalib.*

Cæterùm licèt regulariter geſta per metum 7
ſummo iure tenent & obligent: tamen ob

iniuriam

iniuriam illatam metum passo, meritò rescindi petuntur per in integrum restitutionem; competitque reo adversus agentem, virtute contractus metu initi, exceptio. *Quod metus causâ*: sive is ipse, in cuius favorem contractus celebratus est, metum fecerit, sive alius, quia res metu acquisita, transit affecta eo vitio ad quemcumque possessorem, Glossa *in cap. 2. hoc titul. l. Item si 14. §. in hac actione ff. eod.* nisi quis suâ culpâ in metum inciderit, *d. l. Si mulier, in princ. ff. eod.* & metus iustè inferatur: veluti si maritus minetur vxori accusationem de adulterio: cessat enim tunc ratio iniuriæ, intuitu cuius contractus metu initus rescindi petitur. Quòd si iniustè & non iuridicè metus inferatur, veluti si maritus vxori adulteræ minetur mortem privatâ auctoritate, subvenitur metum culpâ suâ patienti, *cap. Veniens inf. de sponsal. l. Nec timerem 7. ff. hoc tit.*

8 Non quilibet autem metus meretur restitutionem, sed metus cadens in constantem virum; qui dicitur iustus metus, *c. fin. inf. de appellat.* item probabilis & gravis: vt & qui in virum cadit inconstantem, seu pusillanimem & formidolosum, qui etiam non timenda timeat, vocatur metus iniustus, improbabilis, levis & vanus, iuxta regulam Iuris, Vani timoris iusta excusatio non est, *l. Vani, ff. de R.I.* Dicitur autem metus cadens in constantem virum, qui respectivè ad personam patientis, spectatis etiam aliis circumstantiis, (veluti an causa timoris iusta sit) & qualitate ac robore personæ, metum patientis, atque etiam inferentis (idque arbitrio iudicis, vbi ex iure constat) merito gravis & timor gravis mali censetur, *iuxta l. 3. ff. Ex quibus causis maiores, &c.* quippe qui illatus cogeret etiam quemlibet prudentem virum eligere potiùs, quod electum est, quàm incurrere gravius aliquid, quod intentabatur: prudentis enim est è duobus malis eligere minus.

Dico, respectivè ad personam patientis: quia metus, qui respectu vnius dici potest cadens in constantem virum, non potest dici talis respectu alterius, fortioris & robustioris ac maioris animi. Et minor metus requiritur in fœmina, quæ suâpte naturâ est imbecillis, vt latè Tiraquel. *lib. 1. Connub. n. 71. & seq.* quam in viro, *arg. can. Indignantur 32. quæst. 6.* ibi, *cum tanto gravius, & c. Sicut inf. de homicidio, in princ.* ideóque consideranda, ætas, fragilitas ac magnitudo animi eius, cui incutitur metus.

Gravis igitur seu in constantem virum cadens metus censetur in Iure metus mortis, *c. Cum dilectus 6. h.t. d.l. Nec timorem 7. ff. eod. l. Si per vim Cod. Quod metus causa*: metus mutilationis, quia hæc est quædam mors partialis membri, *can. Si quis abscideris dist. 55.* item metus amissionis vel vniversi patrimonij vel maioris partis, *c. 2. h.t.* & sic de similibus.

Dubitatur de metu reverentiali. At verior 9
opinio est: non cadere eum metum in constantem virum, nec venire in Edictum. *Quod metus causâ*, &c. *l. vlt. h.t. & l. Ad invidiam 6. C. eod.* nisi minæ aut verbera, aut alius gravis metus accedat, *ex c. Ex literis inf. de sponsat. impuberum*, in verbis, *nolens, &c.* quam sententiam latè deducit Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 6. à num. 7.* Similiter dicendum, solas minas per se non esse iustam causam metuendi, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi, *iuxta l. Metus 9. Cod. h.t.* ibi, *non iactationibus & protestationibus.*

Ex dictis intelligi potest, cur is, qui metu 10
mortis inductus communicat cum excommunicato in iis, quibus Canones vetant communicare, in divinis scilicet, non excusetur à peccato, nec teneatur excommunicatione, *cap. Sacris 5. hoc titul.* Nimirum, quia talis metus quo quis peccat, non potest esse iustus; quandoquidem quilibet, quemlibet metum potiùs perpeti debeat, quàm semel mortale peccatum incurrere. Aliud dicendum, si absolutè fuerit coactus, *d. c. Sacris*: quamvis etiam metus iustus hoc faciat, vt peccatum sit levius, *d. c. Sacris.*

Secundò, requiritur ad restitutionem in in- 11
tegrum metus præsens & iusta illius causa, veluti præceptum, aut preces Principis, & similia, de quibus Sfort. Oddus *1. part. q. 7. art. 9. à n. 84.* & non tantùm suspicio eius inferendi, *l. Metum ff. eod.* Quamquam si talis suspicio sit quoque iusta & probabilis, sufficiat ad rescindendum contractum, quia tunc habetur pro metu, per *l. Novissimè 7. ff. Quod falso tutore auct. &c.* ibi, *quod si compulsus, aut metu, ne compelleretur, &c.*

Tertiò, debet esse metus ab aliquo extrin- 12
secùs illatus, & quidem eo fine, vt res talis fiat. Hinc si quis aliquid promittat vel voveat, ægrotus, aut in periculo naufragij ob metum mortis, vel res suas vendat, ne fame pereat; tamen tenetur, & stare debet suæ promissioni & venditioni, perinde ac si absque metu promisisset vel vendidisset, *c. Sicut nobis 17. inf. de Regularibus*; quia hic metus non est ab aliquo extrinsecùs illatus, sed suâpte naturâ & fortuito accidit. Similiter si quis mihi metum inferat ad matrimonium contrahendum, & eo metu

perculsus res meas vendam, non retractabitur venditio.

§ 3 Quid si quis iusto aliquo metu inductus promiserit aliquid, vel iuri alicui renuntiauerit, puta electioni de se factæ, & iuramento promissionem vel renuntiationem firmauerit, an non poterit vti exceptione hac, quòd metus causa promiserit vel renuntiauerit, & contrauenire iuramento? Dicendum, licèt iure ciuili iuramentum eiusmodi per vim & metum extortum sit nullum, *Auth. Sacramenta puberum, C. Si aduersus venditionem*; iure tamen Pontificio, quod plus defert religioni iuramenti, si tale iuramentum non vergat in dispendium salutis æternæ, omninò seruandum esse, nec competere exceptionem. *cap. Ad aures, cap. cum dilectus h.t. cap. Si verò aliquis inf. de iureiurando.* At verò si quod iuratum est, sit turpe & contra bonos mores, tum iuramentum est nullum, cùm iuxta regulam iuris, non sit obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum, *cap. Non est de R.I in 6.* & test Ambr. *in can. Vnusquisque 22. quæst. 4.* tolerabilius sit iuramentum non seruare, quàm quod turpe est facere.

Notandum denique hic est, ei qui metum passus est, competere duo remedia, aduersus ea, quæ metu gessit, scilicet actionem *Quod metus causa*, quam intentare potest, dum vult contractum rescindere; & exceptionem *Quod metus causa*, qua, vti potest aduersus agentem; virtute contractus metu initi, & qua probata repellit agentem.

TITVLVS XLI.

De in integrum restitutione.

§. I.

Quid sit restitutio, & quibus detur.

1 *Restituere & restitutio quid sit. 2.*
3 *Datur minoribus 25. annis.*
4 *Dummodo probent & ætatem & læsionem: & quanta ea esse debeat. 5.*
6 *Datur præterea Reip. Ecclesiæ, & aliis piis locis. 7. 8.*
9 *Item maioribus 25. annis ex iusta causa.*
10 *Deque eo, quo in minori ætate gestum est.*

INSCRIBITVR hic Tit. *de in integrum restitutione*, generaliter, quia, præter metum, ex aliis quoque causis, specialibus competit restitutio in integrum, veluti minoribus, & Ecclesiis, vel aliis locis, seu circumscriptis; sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderint in captionem, sive per mutationem status, aut iustum errorem, *l. 1. & 2. ff. h.tit.*

Restituere duo significat; reddere, & rem 1
in pristinum statum reducere, vt per inde sit, ac si nihil aduersus eam euenisset, *l. Restituere ff. de verb. signific. l. 2. restituas ff. nequid in loco publico, &c.* & ita hic sumitur.

Definiturque restitutio in integrum in pristi- 2
num statum repositio, seu reductio, *can. fin. in fin. 2. quæst. 3.* sive pristini iuris reintegratio: ita vt vnusquisque ius suum integrum recipiat, perinde ac si nullum negotium gestum esset, *l. Quod si minor §. restitutio ff. de minoribus, l. vnica, Cod. de reputationibus, quæ fiunt, &c. & l. 1. de sententiam passis*, Glossa *in cap. Audistu h.t. in V. contra reliquam.*

Datur vero non statim quibusuis, sed certis personis, & iustis de causis, cognitis & probatis; eámque infra præscriptum à iure tempus peti necesse est.

In primis igitur datur hoc beneficium mino- 3
ribus 25. annis, si vel ipsi vel eorum tutores, Curatores, aut Procuratores ex sententia iudicis, sive interlocutoria, sive definitiua, vel alio actu iudiciali læsi sint, *l. 1. & tot. tit. C. Si aduersus rem iudicatam, &c.* vel aliàs contrahendo, aut omittendo læsos se probent, *c. Constit. 8. h.t.*

Vt autem minor restituatur, duo probare debet: primò minorem ætatem, in qua quid gessit, *d. cap. Constitutus*; quia regulariter ætatem probare debet, qui in ea se fundat sive agendo, sive excipiendo; sive sit minor, sive maior, *l. Nam postea §. Si minor ff. de iureiurando.* 4
* Secundò, probare debet læsionem ex tali actu, vel dolo aduersarij, vel ætatis facilitate: non tamen modicam, *l. 4. ff. eod.* quæ scilicet tam leuis atque exigua, quam iudex meritò contemnat. Neque enim facilè ob rem minimam rescindi debet id, quod iure subsistit, *l. Si ex causa ff. de minorib.* cùm, vt dici vulgò solet, de minimis non curet Prætor, à quo hoc restitutionis beneficium proficiscitur, vt videre licet latè apud Sfort. Oddum *1. part. quæst. 4. art. 12.* Sed neque maximam læsionem esse oportet, vel quæ tanta sit, vt dimidium excedat iusti pretij, quia cùm tunc minor sit tutus ipso iure, & communi auxilio munitus, *iuxta l. 2. C. de rescind. vendit.* illi necessarium non est

hoc

hoc extraordinarium remedium, *l. In causa cognitione 16. in princ. ff. de minoribus.*

Dico nõ esse necessarium; quia licèt regulariter cesset restitutio in integrum, quando remedium competit ordinarium, vt latè tradit Sfort. *1. part. quæst. 17. art. 2.* tamen potest cum eo concurrere, quando pinguiùs pleniùs prouidetur per extraordinarium, quàm per ordinarium, Sfort. *dict. quæst. 17. art. 2. num. 33.* Vti in casu proposito locupletiùs est remedium hoc extraordinarium: & minorum interest, posse pluribus actionibus ius suum prosequi & remittere.

6 Secundò, exemplo minorum, competit Reip. ac ciuitati. *l. 4. Cod. Quibus ex causis maiores, &c. l. 3. Cod. de iure Reip. lib. 11.* item castro ac villæ, *l. Si hæres iussus 73. §. vicis ff. de legat. 1. & ibid.* Iason, *idem* Iason, *ad l. fin. princ. C. de sacros. Eccles.* Quamuis priuatorum loco ha-
7 beantur, *l. Eum qui 16. ff. de verb. signif.* * Similiter Ecclesiæ, quoquo modo læsa sit, siue contrahendo, siue alienando, *c. 1. h. t.* siue in iudicio, siue extra iudicium, per Episcopum vel alium Prælatum, aut per procuratorem, aut syndicum *cap. 2. 3. & 7. h. t.* atque aliis piis locis: quia Ecclesia læsa minori comparatur, *dict. cap. 2. & 3.* in verbis, *iure minoris*: adeò vt etiam aduersus aliam Ecclesiam petere possit hanc restitutionem, *dict. cap. 3. & cap. Suscitata 6. h. t.* Imò & aduersus sententiam Papæ, *cap. Ex litteris 4. cum seq. h. t. can. Sententiam & can. veniam 36. quæst. 9.* sicut & minor aduersus sententiam Principis, *l. Minor. 18. D. de minorib.* Nec obstat, quod dici solet, priuilegiatum non posse vti suo priuilegio in priuilegiatum: quia id verum est in pari vtriusque causa; puta si vterque læsus sit, & vterque æquè certet de damno vitando, quia tum possidentis melior est conditio, *cap. In pari de R. I. in 6.* Secus, si vnus læsus sit alter non; vel si vnus certet de damno vitando, alter de lucro captando.

Quartò, competit etiam maioribus 25. annis, si iusta sit causa, cur restitui mereantur, *dict. cap. Ex litteris hoc tit.* præsertim ob absentiam Reip. causa, vel etiam ob aliam, *l. 1. & 2. Cod. ex quibus causis maiores, &c. l. Nec non D. eod. tit.* vt iusti erroris, *l. 2. D. eod.* vel iustæ ignorantiæ; de quibus latè Sfort, Oddus *1. part. quæst. 8. per tot.* iuxta illam Prætoris generalem clausulam, *Si qua alia iusta causa mihi videbitur, in integrum restitutam, l. 1. D. Ex quibus causis maiores, &c.* Ad quam clausulam toties recurrendum erit, quoties æquitas suggeret, *l. sed etsi §. fin. D. d. t.*

Sed & maioribus competit de gestis in minore ætate, intra quadriennium ab ingressu ætatis maioris, *l. vlt. C. de temporibus in integrum restitut.*

§. II.

Intra quod tempus, & coram quo petí restitutio debeat

1 *Peti debet intra quadriennium continuum à tempore læsionis.*
2 *Coram iudice rei*
3 *Aduersus sententiam inferioris vel qui æqualis sit iurisdictionis.*

PEti & peragi restitutio in integrum debet 1
intra quadriennium continuum à tempore seu die læsionis, *cap. 1. & 2. eod. in 6.* Idque cognita causa, ob quam petitur, & præsente aduersario, vt causas restitutionis allegari ab impetrante audiat, *dict. cap. Ex litteris, l. 3 D. eod.* quia quòd quem tangit, peragi non potest, nisi is eius sit certior factus, *cap. Quod omnes de R. I. in 6.* aut per contumaciam absit, *l. in causa 13. in princ. versic. causa D. de minorib.* Si tamen aut præuaricationis aut fraudis manifestæ probetur interuenisse commentum, aut alia iusta causa subsit, poterit Iudex tempus hoc quadriennij in danda restitutione excedere, *dict. capite primo & secundo eodem in 6.* Proponitur autem hæc petitio, non iure actionis, sed implorato iudicis officio, *l. Quod si minor 24. §. vlt. D. eod. & est communis.*

Peti verò restitutio debet coram iudice rei, 2
contra quem petitur, *d. l. in causa 13. §. fin. cum l. seq. cap. causa h. t.* quia actor sequi debet forum rei. Oportet tamen hunc iudicem habere administrationem, iurisdictioni suæ coniunctum; vel esse delegatum ab eo ad vniuersitatem causarum, qualis est Officialis Episcopi, vel specialiter ad hoc iudicium exercendum: nam Ordinarius, qui administrationem non habet, sed tantùm iudicandi facultatem, & delegatus ab eo, de causa restitutionis cognoscere non potest, vti nec arbiter compromissarius, nisi coram eis mota incidenter fuerit causa. V. G. Si iudex sententia sua interlocutoria alterum læserit, restituere potest aduersus hanc suam sententiam, *d. cap. Causa hoc tit. leg. fin. Cod. Vbi & apud quem & cap. seq. Quoties C. de iudiciis,* Sfort. *prima parte quæstione 31. articulo 8. & seq.* At verò delegatus à summo Pont. etiam ad vnam aliquam causam, quia multò pinguius ius habet, quàm delegatus ab Ordinario, vt dictum

dictum est *sup. de officio & potest. iud. deleg.* restituere indistinctè potest.

3 Minor magistratus adversus sententiam maioris non restituit, *l. Minor*, 18. *in prin. ff. de minorib.* Aduersus sententiam definituam ipsius Principis, vel Procuratoris, vel Vicarij, aut delegati illius, solus restituit Princeps, *d.l. Minor*, *l. 3. C. Si aduersus rem iudicatam*, &c. Sfort. *1. part. quæst. 51. art. 3. n. 33.*

Porrò iudex in concedenda restitutione in integrum adversus contractum, mero iure validum, prospicere debet, ne is, adversus quem restitutionem concedit, fraudetur pretio vel sumptibus seu melioramentis necessarijs & vtilibus, quæ fecit, *c. 1. h. t.*

§. III.

Effectum restitutionis in integrum.

1 *Pendente restitutione nihil innouandum.*
2 *Eâ obtentâ redintegratur pristinum ius.*
3 *Transit eadem in hæredem, non in fideiussorem.*

1 Effectus restitutionis in integrū pro subiecta materia varius est. In primis pendente restitutionis iudicio regulariter nihil est innouandum ab vna vel altera parte, sed omnia in statu suo manere debent, donec res finita sit, *l. vnica, C. rest. it. in integr. postulata nequidem noui fiat*: nisi contra eum, qui petit restitui in integrum militet vehemens præsumptio malitiæ, quòd scilicet causa differendi & protrahendi executionem sententiæ hoc petat; quia hoc casu fit executio, præstita idonea cautione de restituendo; quod medio tempore, occasione sententiæ, percipiet adversarius, si petens restitutionem prævaluerit, *cap. Suscitata hoc tit.*

2 Obtentæ verò restitutionis effectus est, quòd, data restitutione adversus sententiam, ex integro agi debeat: adversus contractum verò vel alium actum, res retractetur, & in pristinum statum reponatur.

3 Præterea is effectus est restitutionis, quòd, licèt remedium sit extraordinarium personale, *l. 3. §. sed vtrum 4. ff. de minorib.* tamen, quia est in rem, & iuri familiæ inhæret, *d.l. in causa 13. §. interdum*, ideò ad hæredem & ad vniuersalem successorem transeat, *l. 2. & 4. C. de temporib. in integrum restitut.* accedi potest. *l. Quod si minor 24. in princ. ff. eod.* Non tamen transit in fideiussorem vel socium, *d.l. in causa l. 1. & 2. C. de fideiussor, minor.* quia iniquum & iniurium foret subuenire fideiussori in necem creditoris, qui in securitatem obligationis fideiussorem accepit, *d.l. in causa*. Secundò, quia fideiussor habet recursum aduersus minorem, vt indemnis maneat: idcóque cùm ordinarium habeat remedium, non debet ei concedi extraordinarium. Denique, quia minor restituitur, eò quòd fragile & infirmum sit eius iudicium: cuiusmodi non est fideiussoris, qui cùm sit maior, cautiùs prospicere sibi debuit, nec tam facilè spondere, cùm, vt dici solet, *Spende, præsto noxa est.*

TITVLVS XLII.

De alienatione iudicij mutandi causa facta.

1 *Ratio huius restitutionis: ad quid detur & aduersus quem, 2.*
3 *Quid nomine alienationis intelligatur.*
4 *Datur illis, quorum interest.*

1 Contingit nonnunquam, vt adversarius, dum intelligit litem aduersus se parari, malignè rem, de qua futura est controversia, alienet, vt hoc modo eludat intentionem agentis, ei duriorem ac molestiorem adversarium in suum locum obiiciendo. Quare meritò prouidendum fuit de remedio aliquo illis, in quorum præiudicium rei in iudicium deductæ fit alienatio, iudicij mutandi causa, præsertim cùm ex eiusmodi alienatione competat quædam species restitutionis in integrum, de qua proximè actum est, quæ iure actionis Prætoriæ in factum intra annum vtilem obtinetur; adversus eum, qui sic rem alienauit, ad id, quâti nostra inter est, alium adversarium non habere, aut potiùs (in quo præcipua vis huius restitutionis consistit) vt patiatur secum pristina actione vtiliter agi, perinde ac si non alienasset, sed adhuc possideret.

3 Dixi, adversus eum, qui sic alienauit; id est mutandi iudicij causa & fraudulenter seu dolo, nam vtrumque ad hanc actionem restitutoriam requiritur, *l. 4. ff. eod.* Atque ideò, si quis sine dolo possidere desierit, veluti si rem ipsam, quæ petitur, obligatus Titio soluerit, aut venditori redhibuerit, vel alienauerit, vt litis molestias subterfugeret, adversus eum non dabitur

dabitur hæc actio. VVesemb. *in Parat. ff. h. tit.* Sicut nec adversus eum, qui dolo quidem possidere desiit, non tamen iudicij mutandi causâ.

3 Nomine alienationis intelligitur hîc omnis actus, per quem dominium in alium transfertur, *l. 1. Cod. de fundo dotali*: sive sit conventio, vt venditio, permittit rem suam vsucapi, *l. Alienationis ff. de verb. significat.* sive non visus, vt dum quis non vtendo se[illegible]ute, illam amittit, *d. l. Alienationis.*

4 Addidi, ad id, quod nostra interest; quia ei, cuius nihil interest, non competit hæc actio restitutoria, vt patet *ex leg. 3. §. penult. & vlt. ff. eod.* Si quis igitur rei alienæ detentor, metuens, ne iudicio conveniatur, quia intelligit fortè rescriptum adversus se à summo Pontifice impetratum esse, transferat eam rem in alium, eo animo, vt frustretur adversarium, & rescriptum eludat, quod vltra expressa non extenditur, nec adversus alium, quàm qui in rescripto nominatim continetur, vim habet, vt dictum est ad Tit. *de rescriptis*: tamen impetrans eodem rescripto vti poterit etiam adversus eum, in quem res est translata, licèt in rescripto non sit nominatus, *cap. 1. h. t.* Similiter si Clericus actionem vel æs alienum alicuius laici in se transferri curaverit, eo animo, vt adversarium suum cogat causam suam agere vel defendere coram Iudice Ecclesiastico, datur adversus Clericum hæc exceptio, quòd cessio illa actionis, vel æris alieni, fit facta mutandi iudicij causâ, *c. 2. h. t.* quia non debet alteri per alterius factum & dolum præiudicari vel iniqua conditio adferri, *l. 1. ff. eod. l. Non debet 74. ff. de reg. iuris, c. Mutare 3. de R. I. in 6.*

TITVLVS XLIII.

De Arbitris.

§. I.

Qui dicantur Arbitri.

1 *Ratio ordinis & nominis. 2.*
3 *Arbitri alij sunt iuris, alij sponte sumuntur.*
4 *Et horum alij sunt Arbitratores, alij Recepti seu Compromissarij.*
5 *Differentia inter Arbitros & Iudices.*

TRACTATVM fuit antea de officiis Iudicum, tam ordinariorum, quam delegatorum, déque præparatoriis iudiciorum. Pergendum nunc esset ad ipsa iudicia; verum quia & Arbitri sunt quodammodo Iudices, ad quos recurrere solent hominum priusquam ad iudicia perveniant, vt per eos controversiæ absque strepitu fori, & breviori tempore, si fieri possit, terminentur & sopiantur; atque hoc modo impediatur litis ingressus, evitenturque iudiciorum moræ & sumptus, aliáque incommoda: ideò meritò hîc præmittitur de Arbitris. 1

Dicitur Arbiter ab Arbitrando, id est, æstimando. Est enim Arbiter vis bonus, ad aliquod negotium æstimandum & terminandũ electus. 2

Arbitrium duplex est Necessarium, & Voluntarium. Solent enim Arbitri adsumi, vel ex necessitate iuris aut statuti, vel sponte. Ex necessitate iuris, vt in causâ suspecti Iudicis: in qua adsumuntur arbitri iuris, qui de causa suspicionis cognoscant, *cap. Suspicionis sup. de offic. delegati, l. Apertissimi & l. fin. & ibi* Bart. *& DD. Cod. de iudicis*: sicut & quando statutum habet, quòd causæ inter coniunctos compromittantur, Abbas *in cap. Cùm dilectus 9. col. 7. h. t.* Item quando est quæstio de revocatione rescripti, *c. Pastoralis 14. sup. de rescriptis*; aliísque casibus à iure expressis. Et hi appellantur Arbitri iuris. * Rursus sponte dupliciter adsumuntur, nempe vel simpliciter & sine aliquo iudicij ordine: vt si in aliquem fiat compromissum, qui de re arbitretur & statuat, prout æquum sibi videtur, sine aliquo iuris ordine. Et talis vulgò Arbitrator seu Amicabilis compositor vocari solet; eiusque arbitrium semper referri debet ad arbitrium boni viri, *Societatem §. arbitrorum ff. Pro socio.* Vel sic adsumuntur, vt de controversia sibi commissa servato iuris ordine, pronuntient. Et hi propriè Arbitri dicuntur, & *in ff. & Cod.* vocantur *Arbitri Recepti*, quia ex recepto; id est, ex compromisso (vt interpretatur Iustinianus *in l. Rem non novam Cod. de iudiciis*) ad dirimendam controversiam eligũtur. Vnde etiam Arbitri Compromissarij appellantur; & tales in dubio potiùs videntur electi, quàm arbitratores. Deque horum arbitriis dicitur, quòd sint redacta ad similitudinẽ iudiciorum, *l. 1. ff. eod.* nam citãt coram se partes: libellum petitionis sibi edi iubent, testes examinant, &, vt summatim dicam, causam secundum iudicij ordinem per sententiam non secus quàm Iudices terminant: * Licet non pari potestate, quia arbitrorum potestas est privata, & ab ipsis compromittentibus competit, quorum, vt priuatorum, consensus iudicem 3 4 5

facere non poteſt eum, qui nulli præeſt iudicio *l. Cod. de iurisd. dict. om. iudic.* Neque iuriſdictionem habent, ſed tantùm cognitionem. At verò iudicum poteſtas eſt publica, & iuriſdictionem habent ac proinde poſſunt mulctare partem, eidémque ob contumaciam denegare audientiam, compellere teſtem, & falſa deponentem punire, quia id poteſt habens iuriſdictionem. Magnam tamen affinitatem cum iudicibus, maiorémque cum delegatis, quàm cum Ordinariis, vt patet *d.l. Apertiſſimi 6. eod.* ibi, *quaſi arbitri fuerint, &c.*

§ II.

Quo pacto fiat compromiſſum.

1 *Fit vel adiectâ pœnâ.*
2 *Vel nullâ pœnâ adiectâ.*
3 *Ex ſententia arbitri iure D. & C. quando detur actio.*
4 *Iure canonico ſemper ſtandum eſſe compromiſſo.*

COmpromiſſum verò in arbitros fit tribus potiſſimùm modis, vel adiectâ pœnâ, vel ſimpliciter non adiectâ pœna, vel cum iureiurando. Et quidem primò fit pœnali ſtipulatione adiecta, vt ſaltem metu pœnæ ſtetur compromiſſo. Nec refert, qualis ſit pœna, an certa aut incerta ſumma compromiſſa ſit, an verò aliud quid, *l. Non autem 28 D. eod.* dummodò vtrimque promittatur, *l. litigatores 11. §. 4. D. eod.* Et hoc caſu is, qui compromiſſo vel ſententiæ arbitri non ſteterit, pœnam ſoluere tenetur, eáque ſoluta à compromiſſo & ſententia arbitri liberatur, non ſolùm iure civili, *l. 1. Auth. decernit ius nouum C. eod.* ſed & canonico, *cap. dilect. 4. & cap. per tuas. 9. hoc tit.* etiamſi taciturnitas decem dierum interuenerit, *iuxta DD. in l. Cum antea C. eod.* niſi vna cum pœna adiecta ſit clauſula, *manente compromiſſo*, ſecundum *gloſſ. in dict. cap. dilecti in fine*: quia in effectu ſunt duo compromiſſa, vnum pœnale, alterum purum, ex quo etiam ſoluta pœna agi poteſt.

2 Interdum verò nulla pœna adiicitur: & tunc contra non ſtantem compromiſſo competit actio ad intereſſe, *dict. cap. Per tuas*, ibi, *at ſi nulla.*

3 Vbi obſeruandum eſt diſcrimen inter ius D. Cod. & canonicum: nam iure D. ex ſententia arbitri, niſi pœna per ſtipulationem adiecta eſſet, aut compromiſſum fuiſſet ſtipulatione confirmatum, non naſcebatur actio vel exceptio, quomodo fuiſſet compromiſſum, *l. 2. D. eod.* eò quod iure civili ex nudo pacto non detur actio. Secus obtinuit in ſententia iudicis, ex qua naſcebatur actori actio: & reo exceptio, *l. in iudicati D. de re iudicata & tot. tit. D. de except. rei iudicatæ.* Iure Codicis ex ſententia arbitri homologata, id eſt expreſſim approbata, veluti per ſubſcriptionem, vel ſaltem tacitè, nimirum per ſilentium decem dierum, naſcitur actio & exceptio, ſive pœna fuerit adiecta, ſive non *d. l. cum antea 5. Cod. eod.* Quod ſi iuratum ſit compromiſſum, tunc etiam ſtatim naſcitur & actio & exceptio, *l. ne in arbitris 4. Cod. eod.* Sin iuratum non ſit, tunc intra decem dies ab arbitrio reſilire licet; ac proinde vtile erat ſtipulari eo iure pœnam. Cæterùm Iuſtinianus poſtea vetuit compromiſſum fieri ſub iuramento, *d. Auth. decernit ius nouum.*

At iure canonico ſemper & indiſtinctè ſtandum eſt compromiſſo, ſive fuerit homologatum, ſive non; ſive adiecta fuerit pœna vel per ſtipulationem vel per nudum pactum, ſecundùm ſententiam eorum, qui exiſtimant iure Pontificio ex nudo pacto dari actionem; ſive non fuerit adiecta pœna, quia hoc caſu, ſi arbitrio non ſtetur, competit actio ad intereſſe, *cap. 1. & dict. cap. Per tuas h. t.* Quòd ſi compromiſſum ſit vtrumque iuramento corroboratum, omninò ſeruandum eſt, nec ſolutione eius quod intereſt contingit liberatione, ex eóque naſcitur actio, *ſecundum* Panormit. *in dict. cap. Per tuas:* niſi compromiſſum contineat peccatum, veluti ſi arbiter fuerit arbitratus, vt pro beneficio datur pecunia; quo caſu etiam iurato arbitrio acquieſcendum non eſt, *cap. 2. h. t. iuxta c. Non eſt obligatorium de R. I. in 6.* 4

§. III.

In quos & quales compromitti poſſit ſeu debeat.

1 *Compromitti non poteſt in ſeruos, neque in mulieres regulariter.*
2 *Non in excommunicatos.*
3 *Non in laicum, vtique in re ſpirituali.*
4 *In alios poteſt, & in ipſum quoque iudicem.* §.

CVm arbitria redacta ſint ad formam iudiciorum, *l. 1. D. eod.* ſicut non omnes ſunt idonei ad ſuſcipiendum iudicium, ita neque omnes ad recipiendum arbitrium. Ideóque perſonarum delectus habendus eſt, eligendique 1

que qui canonibus aut legibus non improbantur: prout in primis improbantur serui & mulieres, *l. Padius 7. ff. eod. & l. fin. Cod. eodem* nisi tamen mulier de iure communi vel consuetudine iurisdictionem ordinariam in subditos suos habeat, vti Abbatissa verbi gratia *cap. dilecti hoc tit.* vel ex privilegio Principis, *iuxta notata in cap. Super quibusdam inf. de verb. significat. l. Hoc iure §. ductus aqua. ff. de aqua quotid. & estiua.* Marcus Anton. Peregrin. *de compromissis, quæst. 2. num.* 38. quod maius est, quam esse arbitrum.

2 Secundò, Furiosi, Surdi, muti, *l. sed si 9. §. 1. ff. eod.* Tertiò Minores 20. annis, *l. cum leg. 41. ff. eod.*

Quartò, Excommunicati, quia tales à communione fidelium excluduntur, *cap. penult. inf. de sent. excommunicat.* seruata tamen moderatione, de qua postea, ex Concilio, Constantiensi, de duobus tantùm generibus excommunicatorum hodiè vitandis.

3 Similiter laicus non potest adsumi in re spirituali, *cap. Contingit. 8. h.t.* nec principaliter nec incidenter, *cap. Decernimus inf. de iudiciis.* Marc. Anton. *dict. cap. 2. num. 62.* nisi adsumatur iunctim cum clerico, ex auctoritate iudicis Ecclesiastici, *cap. Per tuas h.t.* de cuius intellectu latè Couar. *pract. quæst. 34. num. 1.* Alioquin in causa quoque ciuili potest in laicum à Clericis compromitti, *dict. cap. dilecti h.t.*

4 Cæteri verò in arbitros eligi non prohibentur: & parui refert, ingenuus quis, an libertinus sit, integræ famæ sit arbiter, an ignominiosus, *dict. l. Padius 7. in princ. ff. eod.* paterfamilias, an filiusfamilias, etiam in re patris, clericus an laicus, modo antea dicto.

5 An autem in ipsum quoque iudicem compromitti possit, dubitari potest, propter *l. sed si 9. §. 2. ff. eod.* Sed verius est posse, sive de delegato, sive de ordinario iudice agatur, *per text. in cap. cum tempore 5. cap. cum olim 7. cap. Ex part. 10. h.t. cap. litteras 14. inf. de præsum. cap. Nisi 21. inf. de prob.* modò id fiat à partibus sponte, non autem iubente iudice; quo sensu accipi debet *d. §. 2. l. sed si.*

§. VI.

In quo compromitti possit, & quæ Arbitrorum sit potestas.

1 *Compromitti potest in vnum vel plures, pari vel impari numero.*
2 *Non ita tamen, vt in casu discordiæ ipsi tertium adsumant. 3.*
4 *In sententia ferenda oportet omnes esse præsentes.*
5 *Exceptio.*

RECTÈ compromittitur in vnum vel plures, pari vel impari numero; quamvis consultius fuerit, vt impari numero adsumantur, *cap. 1. h.t.* vt si non omnes, saltem maior pars consentiat, cuius arbitrio stetur, ne ob mutuam dissensionem vtrimque parem facilè contingat arbitrium impediri, *c. 1. h.t. l. Item si vnus 17. §. 6. ff. eod.* Hinc si ex tribus arbitris duo condemnent in decem, & tertius in quinque, prævalebit sententia duorum, concurrentium in decem. Si verò omnes discordent, v. g. si vnus condemnet in quindecim, secundus in decem, tertius in quinque, tenebit sententia de summa minori, quæ maiori inest, *cap. 1. eod. in 6.* Dixi, consultius esse, vt, arbitri adsumantur, vnus, tres, vel plures, sed impari numero; hoc enim consilij potiùs est, quàm præcepti: nam & in duos, quatuor, vel plures, ac pari numero, compromittere licet, *c. 1. & 3. hoc. tit.* 1

Nullum tamen compromissum valet, quo ita compromittitur in duos vel plures, vt in casu discordiæ ipsimet arbitri eligant tertium aliquem, vel plures, nemine nominato, *cap. innotuit 12. & ibi latius* Gloss. *h.t.* tum quia vt dicitur *in d. l. item si vnus 17. §. si in duos ff. eod.* dissentirent fortè in illo tertio adsumendo: tum quia eligererent fortè talem, quem si præuidissent litigantes electum iri, eligi noluissent. Verùm si ita fuerit in duos compromissum, vt, si dissentirent ipsi tertium adsumerent, Sempronium verb. g. valet compromissum, quia in adsumendo tertio dissentire non possunt, *d. §. Si in duos.* 2

Nec obstat, *cap. cùm à nobis 13.* vbi contrarium statui videtur, nempe valere compromissum, in vnum vel plures factum, vt ipsi vel per se causam definiant, vel per alios, quos ad hoc elegerint: tum quia in casu illius Cap. Legatus, in quem compromissum erat, à se ipso in eligendo dissentire non poterat. Deinde non elegerat arbitros, sed arbitratores, in quos etiam incertos compromitti potest: neque enim arbitratorum sententia ita præiudicat litigantibus, atque arbitrorum. Nam si arbitratorum sententia sit iniqua, non tenentur compromittentes ei stare, sed reducitur sententia eorum ad arbitrium boni viri: arbitrorum verò sententiæ omninò acquiescendum est, sive æquum sit, sive iniquum, quod arbitrati fuerint *l. Societatem 76. ff. pro socio.* 3

Porrò pluribus adſumptis arbitris omnes in ſententia ferenda præſentes ſint opportet: alioqui vno abſente, licèt alij conſentiant, arbitrium non valebit, quia in omnes fuit compromiſſum, & potuit præſentia vnius cæteros trahere in aliam ſententiam *per text. & ibi* gloſ. *in l. item ſi vnus* 17. §. 2. *& §. vlt. ad l. ſi in tres, ff. eod.* * niſi adiectum eſſet, vt, vno vel altero abſente, reliqui nihilominus procedere valeant, *l. Non diſtinguemus* 32. §. *cum in plures* 13. *ff. eod.* aut ſi abſens legitimè requiſitus, ceſſante legitimo impedimento, nolit intereſſe cauſæ cognitioni aut definitioni: nam tunc ex iuris canonici diſpoſitione, *in cap.* 2. *eod. in* 6. contra iuris ciuilis diſpoſitionem, *in d. §. ſi in tres*, cæteri præſentes poterunt examinare negotium & liberè, non minùs, quàm eo præſente, nec volente cum iis in vnam ſententiam conuenire; vt ſic abſentia illius, præſentiâ repleta diuinâ, eum faciat reputari pro præſente, *d. cap.* 2. Secus conſtitutum eſt in tribus iudicibus ſimpliciter delegatis, quia maiori maturitate dantur, *d. c.* 2. *& ibi Gloſſ. & Doct.*

* §

§. V.

Super quibus compromitti poſſit vel non.

1 *Non poteſt compromitti ſuper cauſa matrimonij.*
2 *Non ſuper rebus ſpiritualibus.*
3 *Non ab exemptu in præiudicium exemptionis.*

1 COmpromitti in arbitros poteſt ſuper quælibet cauſa, canonibus aut legibus non prohibita, ne ſuper ea compromittatur. In primis igitur, ſicut non poteſt tranſigi in cauſa matrimonij, ita nec compromitti, *c. Ex parte vlt. ſup. de tranſact.* ob magnum animæ periculum, quod in ea cauſa vertitur.

2 Secundò, non poteſt compromitti ſuper tranſlatione Epiſcopi, vel aliis rebus ſpiritualibus, veluti beneficiis Eccleſiaſticis, niſi id fiat auctoritate ſuperioris, *cap. Ex part.* 10. *h.t.* ne vitioſus ad beneficia, quæ non niſi canonica inſtitutione acquiri poſſunt, detur ingreſſus.

3 Tertiò, exempti & immediatè ſubiecti ſummo Pontifici, abſque eius auctoritate ſeu licentia compromittere nequeunt, in præiudicium exemptionis, *cap. cum tempore* 5. *h.t.* quia id vergeret in præiudicium eiuſdem Pontificis, cuius potiùs agitur ius; quod ſibi in exemptos reſeruauit, quàm ipſorum exemptorum deinde etiam iure ciuili non poteſt fieri compromiſſum in arbitros, vel agitur cauſa libertatis, quia, vt inquit Paulus I.C. *in d. l. Non diſtinguemus* 32. §. *de liberali* 7. *ff. eod.* fauor libertatis eſt, vt maiores iudices habere debeat: atqui cauſa exemptionis maguam affinitatem habere videtur cum cauſa libertatis, *d. cap. cum tempore*, in verbis, *contra libertatem ipſius monaſterij*, & in verbis, *privilegiis vel indulgentiis libertatis.*

An verò Prælatus Eccleſiæ poſſit compromittere ſuper rebus Eccleſiæ, & an tale commiſſum tranſeat ad ſucceſſorem, vide remiſſivè apud Marantam, *p.* 4. *diſt.* 14. & Marcum Antonium *de compromiſſis q.* 4. *in V. Res prohibita alienari.*

§. VI.

De effectu compromiſſi & ſententiæ Arbitrorum.

1 *Pendente arbitrio coram iudice agi non poteſt parte inuita.*
2 *Arbitri à ſuſcepto ſemel arbitrio reſilire non poſſunt.*
3 *Sententia arbitrorum ſtandum eſt.*
4 *Neque ab ea appellatur.*

ARbitri poteſtas omnis ex ipſo compromiſſo dependet. Non ergo quodlibet ſtatuere arbiter poterit, nec in qua re libet, niſi de qua compromiſſum eſt, & quatenus compromiſſum eſt, *l. Non diſtinguemus* 32. §. *de officio* 15. *ff. h.t.* * Semélque in arbitros facto compromiſſo, non poteſt, pendente arbitrio, cauſa ampliùs coram iudice diſcuti, altero inuito, & agere volens, exceptione pendentis arbitrij repellitur, *l. Si quis rem* 30 *ff. eod.* 1

Quòd ſi verò ipſi arbitri, ſemel electi & ſuſcepto arbitrio, poſtea causâ cognoſcere & definire detrectent, poteſt iudex eos cogere: quia liberum quidem eſt ab initio arbitrium recipere, cùm hæc res libera & ſoluta, & extra neceſſitatem iuriſdictionis poſita, ſed vbi ſemel receptum fuerit arbitrium, iam officium ſuſceptum arbitri implere tenentur, & ad hoc cogi à iudice poſſunt, quia ad iudicem ſpectat, ſtudere, vt lites finiantur: nec decipi eos oporter, qui aliquem, quaſi virum bonum, deceptatorem inter ſe elegerint, *l. Labeo* 3. §. *tametſi ff. eod.* 2

Quantum ad ſententiam attinet arbitrorum, cùm illi ex mutuo conſenſu partium adſumantur, hodiè ſtandum eſt arbitrio, ſiue æquum ſit,

sit, sive iniquum, *c.1.e.Per tuas c.Exposita h.t.* sibi que partes imputent necesse est, quòd in talem vel tales compromiserint, *l. Diem proferre 27. §. stari ff. eod. l. Societatem §. fin. ff. pro socio.* Et iure Codicis sive ex constitutionibus imp. dixi antea competere actionem & exceptionem ex sententia arbitri, expresso aut tacito decem dierum consensu à litigatoribus semel approbata, *l.4.l. penult. C.eod.* Nisi fortè arbitri formam compromissi excesserint, *cap.cum dilectus h.t.* aut sordibus vel gratia ducti sententiam tulerint, *l. ita demùm ff.eod.* aut non observato iudicij ordine processerint, arbitria enim ad iudiciorum similitudinem redacta esse diximus *l.1.& 2.& ibi* Gloss.*& DD.ff.eodem.*

4 Præterea à sententia arbitri non appellatur, *d.l.1.Cod.eod.* nisi sit arbiter iuris, id est ex necessitate iuris adsumptus: nam ab huius sententia rectè appellatur, *c. Arbitris sup. de officio delegati.* Et insuper locus est petitioni pœnæ; si quæ fuerit adiecta, *c.4.& 9.h.t.*

§. VII.

Quo pacto Arbitrorum & Arbitratorum finiatur potestas.

FInitur denique potestas arbitrorum & arbitratorum morte eorum, vel alterutrius litigantium. *cap.ex part.10.h.t.* quia compromissum pendet ex compromittentium voluntate, quæ voluntas morte extinguitur: nisi in compromisso vtrimque hæredum facta sit mentio, *cap.fin.h.t.l.diem proferre 27.§.1.ff.eod.* Secus est in iudicio, quod mortuo altero litigantium transfertur in hæredem, *l.si is qui Romæ 34.ff.de re iudic.*

Secundò, re semel per arbitrum seu arbitros definita, *cap. Exposita 11.h.t.* Et hoc casu, si contingat alterum compromittentium mori, succedit in emolumentum ac damnum, quod ex sententia provenit, eius hæres, *arg.l.item 17. in princ.ff.eod.* Ita tamen sententiæ prolatione finitur compromissum, si de omnibus causis compromisso comprehensis arbiter vel arbitri pronuntiauerint, *l.dicere al.Qualem 19.§.1.ff.h.t.* nisi plures inferantur controversiæ, nihil sibi commune habentes: tunc enim illud actum videtur, vt possit pronuntiari separatim, quasi plura sint compromissa, *l. Quid tamen 21. in princ.& ibi* Gloss.ac Bart.*ff.eod.*

Tertiò lapsu termini, id est diei, in compromisso expressi, *l. si cum dies*, aliàs, *l.Quid tamen 21.§.5.ff.eod.*

Quartò, semel commissa pœna, nisi adiecta fuerit clausula, *Rato manente compromisso, l. si duo 34. in fine ff. eod.* denique transactione, iudicio facto seu accepto, & aliis similibus modis, de quibus Honorius *ad hoc tit. sub n.34.*

LIBER SECVNDVS DECRETALIVM.

PRÆFATIO.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Obiectum huius libri.*
3 *Methodus & Oeconomia eiusdem.*

POstquam libro superiori expositum est de fundamento totius iuris canonici, eiusdèmque divisione, & in partes suas distributione, ac personarum Ecclesiasticarum (à quibus iudicia dependent, & quæ in iudiciis Ecclesiasticis interuenire debent, *cap.1.inf.de accusat*) qualitatibus, officiis, officiorúmque distinctionibus, atque aliis eodem pertinentibus, & peculiaribus rei controversæ amicè magis, quàm per grauissimas dissensiones vel iudiciales molestias, definiendæ ac terminandæ, modis, tanquam præparatoriis quibusdam ad negotia Christianorum peragenda, & ad iudicia constituenda vel euitanda: sequitur, vt in ipsa iudicia gradum faciamus, & vniuersam ordinis iudiciarij rationem ac modum, in causis tam civilibus quàm criminalibus: summariè explicemus. Nam licèt diversus sit instituendi ordinandive iudicij in vtroque causarum genere modus, & de criminali agatur libro 5. Decretal. tamen probandi ac finiendi penè idem reperitur. 1

Itaque pro obiecto huius libri statui potest ordo iudiciarius, seu causæ cuiuslibet, præsertim civilis in iudiciis peragendæ modus. 2

Cùm verò, *secundum Gloss. in §.igitur in V. eadem in Prœmio institut.iust.n.* divisio in scientiis animum legentis incitet, mentem intelligentis præparet, & memoriam artificiosè reformet: dividi potest ordo iudiciarius in tria potissimum principalia membra, quorum

primum est de causa qualibet in iudiciis, præsertim civilibus, intuenda seu ordinanda, inchoandave, ad quod pertinent primi 17. Tituli: secundum de eadem deinceps instruenda, ad quod spectant subsequentes tituli vsque ad 27. qui est de sententia & re iudicata exclusivè: tertium denique de eadem dirimenda & fine debito terminanda, ad quod pertinet dictus tit. 27. & reliqui vsque ad finem.

TITVLVS I.

De iudiciis.

1 *Quid sit hoc loco Iudicium.*
2 *Ex quibus constet.*
3 *Ex persona iudicis, iudicium aliud est Ecclesiasticum, aliud sæculare.*
4 *Item aliud ciuile, aliud criminale, aliud mixtum.*
5 *Et criminale, aliud capitale, aliud non capitale.*
6 *A forma, aliud ordinarium, aliud Extraordinarium.*
7 *A materia, aliud petitorium, aliud possessorium.*

DE ordine iudiciario, vt diximus, hoc secundo libro disceptatur, quo pacto scilicet atque ordine in iudicio seu coram iudice causa, potissimum civilis, peragenda sit: & ideò summus Pontifex hunc librum auspicatur à generali tit. *de iudiciis.*

1 Omissis autem variis iudiciorum in iure significationibus, quas tradit Maranta 1. *part. spec. sui aurei*, & quindecim proponit Glossa, *ad cap. in iudiciis 12. de R. I. in 6.* in præsenti iudicium sumitur pro causæ discussione, quæ coram iudice pro tribunali sedente fit: Et dicitur iudicium, quasi iurisdictio, quòd in eo ius dicatur: & iudex, quasi ius dicens populo, sive quòd iure disceptet, *cap. Forus inf. de verb. significat.*

2 Ad iudicium hoc modo sumptum quatuor potissimum requiruntur, iudex Actor, Reus, & causa, tamquam origo negotij & materia iudicij: adeóque & in iudicio inquisitionis, vel alio simili, hæc quatuor, verè vel fictè saltem, interueniunt, quia fama præcedens repræsentat actorem, *Qualiter 17. inf. de accusat. cap. licet heli 31. inf. de simonia* in verbis, *sed quasi famâ deferente vel denuntiante clamore.*

Iudiciorum variæ sunt diuisiones, desumptæ 3
cùm à causa efficiente sive iudice, tum à materia, forma, & fine. A causa efficiente sive persona iudicantium aliud est Ecclesiasticum, quod coram iudice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, & de rebus Ecclesiasticis agitatur, potissimum spiritualibus, vt de matrimonio, beneficiis, & his annexo iure patronatus, de crimine hæresis, Simoniæ, & aliis similibus: aliud sæculare; quod coram iudice laico inter personas sæculares exercetur.

A materia, seu fine, circa quem iudicia ver- 4
santur, aliud est Ciuile, quo vel in rem vel in personam agitur, civiliter, & principaliter ad commodum priuatum, etiam cùm ex delicto agitur: nisi forte agatur civiliter ex crimine infamante, nam tunc dicitur causa criminalis. Foller. ad Marantam 4. *part. spec. dist. 1. num. 3. vbi alios citat.* Et hoc vel est Spirituale, quo agitur de re spirituali vel ei annexa *cap. 2. 3. & aliis, hoc tit.* vel Temporale seu Profanum, *cap. vlt. hoc tit.* Aliud est iudicium criminale, quo agitur de crimine principaliter ad commodum publicum seu vindictam, publicam: vt si in Ecclesiastico foro agatur ad degradationem, ad officii, dignitatis, vel beneficij priuationem, aut ad perpetuos carceres, tamquam ad pœnam, *cap. Etsi clerici 4. cap. cum non ab homine 10. h. t.* in sæculari verò ad pœnam capitalem vel membri mutilationem, aut etiam ad pœnam pecuniarum, fisco, non parti, applicandam. Bart. Curt. & alij *in l. prator ait ff. de sepulchro violato.*

Vnde subdiuidi potest hoc iudicium in capita- 5
le & non capitale. Capitale est, in quo agitur de crimine capitali, seu in quo venit irrogãda pœna capitalis; veluti dum damnatur quis ad mortem naturalem, quia perditur caput naturale: vel dum quis redigitur in seruitutem, aut damnatur in metallum, quia amittitur caput civile, quod est libertas: vel dum deportatur, quia tunc caput eximitur de civitate. Non capitale, in quo non venit imponenda aliqua ex tribus prædictis pœnis Maran. *d. 4. p. dist. 2.*

Mixtum verò iudicium est, in quo & civiliter & criminaliter agitur vt dum de crimine aliquo, v. g. furto vel iniuria agitur ad interesse partis, & simul ad vindictam publicam, *cap. tua 6. sup. De procuratoribus.*

A forma seu modo procedendi iudicium 6
aliud dicitur summarium seu Extraordinarium, in quo proceditur simpliciter & de plano, sine strepitu & forma iudicij, id est non obseruatis ad amussim solemnitatibus & terminis iudicialibus, veluti in causis electionum, postulationum,

num, & similibus, prout optimè explicatur *in clem. sapè de verb. significat.* & exemplum habemus in *cap. nouit. 13. h. t.* vbi extra ordinem agitur per vim denuntiationis Euangelicæ seu iudicialis contra quemlibet peccatorem. Quibus adde causam hæresis & læsæ Maiestatis, in quibus etiam ordo solemnis iudicij non seruatur, *c. fin. de hæret. in 6. & Extrauag. henrici 7. Quomodo in læsa maiest. &c.* Eiusmodi quoque sunt iudicia possessoria, *l. 1. C. Si de moment. possess. l. momentaneæ, C. vnde vi, l. vlt. ff. de appellat. recip. & similibus.* Ita tamen in hoc iudicio remittuntur solemnitates iudicij & solemnis ordo procedendi, vt probationes necessariæ & defensiones legitimæ, citatio, præstatio iuramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, non excludantur, & sententia definitiva feratur in scriptis, à Iudice, sive sedente, sive stante: quamquam in leuioribus & parui momenti negotiis, vbi non sit præiudicium veritati vel causæ principali, sufficiat rem semiplenè & summariè probari, vt in casibus recensitis à Glossa *in l. 3. §. secundum, ff. exhibendum.* Aliud verò dicitur Plenarium seu Ordinarium, in quo seruato iudicij ordine & solemniter de causa cognoscitur: puta cùm reo citato libellus seu actoris intentio scripto editur, & litis fit contestatio; cùm præstatur iuramentum calumniæ, probatione res docetur & excutitur, sententiaque in scriptis fertur à Iudice sedente; & postremò executioni mandatur: nisi ea per appellationem vel restitutionem in integrum vel supplicationem suspendatur aut rescindatur vel nulla declaretur. Ita Canis. *in summa lib. 4. h. t. 1. §. denique, per l. Prolatum & ibi DD. C. sent. & interloc. cap. in causis 19. inf. de sententia & re iudicata.*

1 Aliter iudicium Extraordinarium dicitur illud, quod coram delegato iudice instituitur, Glossa *in cap. Quoniam contra in V. extraordinarium inf. de probat.* & de hoc loquitur totus Tit. *sup. de officio delegati, & ff. de officio eius, cui mand. est iurisd.* Ordinarium verò illud, quod coram iudice ordinario instituitur, de quo loquitur totus Tit. *sup. de officio Ordinarij.* Quis autem sit iudex ordinarius, quis delegatus, diximus lib. 1.

Rursus iudicium aliud est Petitorium, aliud Possessorium. Petitorium dicitur, in quo de proprietate vel alio iure agitur, extra possessionem vel quasi possessionem: vt si res vindicetur, hæreditas, actio empti, depositi, commodati, vel alia similis intentetur. Possessorium est, in quo de possessione vel quasi contenditur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Possessio propriè est rerum corporalium, *l. 4. in princip. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quasi possessio incorporalium, *l. Si quis diuturno ff. Si seruitus vindicetur*; cuiusmodi sunt seruitutes, & similia alia iura.

Alias iudiciorum diuisiones tradit Maranta *in speculo 4. p. 1. principalis quæst.*

TITVLVS II.

De foro competenti.

§. I.

Quod sit Forum competens, & quibus modis constituatur.

1 *Quid Fori nomine intelligatur.*
2 *Et quid Forum competens.*
3 *Sortitur quis Forum, Ratione domicilij.*
4 *Ratione rei sitæ.*
5 *Ratione contractus.*
6 *Delicti.*
7 *Privilegij.*
8 *Ratione Collegij vel vniuersitatis, quam adsumptus est.*
9 *Ratione consensus & propagationis.*
10 *Clericus tamen consentire in iudicem laicum non potest regulariter.* 11.
12 *Laicus quibus casibus subiiciatur iudici Ecclesiastico.*

IVRISDICTIO seu fori competentia totius iudicij contentiosi est fundamentum, ita vt ea deficiente ne quidem sit iudicium, & nullitas ex eius defectu proueniens, irreparabilis atque insanabilis reputari consueuerit. Ideóque summopere præcauendum est actori, ne coram iudice incompetente reum conueniat: ac proinde etiam potest tractatum de iudiciis in genere, priusquam veniamus ad reliquos iudicij actus, dispici debet, quis dicatur iudex alicuius competens, & quod Forum competens: item quot modis quis forum sortiatur, vbi præmittendum, quid Fori nomine hic intelligatur.

Forus igitur seu Forum, omissis aliis significationibus, dicitur tum locus ipse exercendarum litium, in quo quis conueniri potest, *cap. Forus inf. de verb. significat. l. In hac 30. l. 2.* 1

divi 32. C. de donat. l. fin. C. Vbi in rem actio, &c. tum territorium, in quo quisque Iudex habet iurisdictionem: quo pacto tota dioecesis dicitur territorium Episcopi, *can. Omnis 16. quæst. 7.* Aliter dicitur tribunal & sedes ipsius iurisdictionis, *leg. 1. ff. de iudiciis*, *leg. 14. Cod. eod.* vel auditorium, *l. 14. §. 5. ff. de re iudicata.*

2 Vnde Forum competens vocatur hîc tribunal; cuius iurisdictioni reus subiicitur: nam regulariter actor sequi debet forum rei, *l. Si Clericus 4. cap. Cum sit generale 8. hoc tit. l. Iuris ordinem C. de iurisdict. omn. iud.* & similiter Iudex competens dicitur is, cuius iurisdictioni reus subiicitur, id est coram quo actio seu lis proponi & decidi potest; & vocatur Iudex suus, *l. 49. ff. de iudiciis*, *l. 6. C. de iurisdict.*

3 Variis autem modis quis sortitur forum. Primò, ratione Domicilij: nam eius iurisdictioni subest reus, in cuius territorio domicilium habet, *c. Dilecti 17. & vlt. h. t.* Censetur autem quis ibi domicilium habere, vbi larem rerum, fortunarumque suarum summam constituit, *l. Cives Cod. de incolis lib. 10.* ita vt inde non sit discessurus, modò nihil avocet, Glos. *in l. fin. in V. inter absentes Cod. de præscript. longi temporis*: vel saltem vbi maiorem partem bonorum suorum possidet, aut habitandi animo frequentiùs versatur, *l. 2. Cod. vbi senatores vel clarissimi*, &c. Quòd si quis pluribus in locis æque instructus sit, nec minùs in vno loco, quam in alio, moretur, in omnibus illis censebitur habere domicilium, *l. Labeo 5. cum l. seq. §. penult. ff. Ad municipalem*, Glossa *in d. l. fin.* sicut & contra, sine domicilio est, qui eo relicto navigat, vel iter facit, quærens, quò se conferat, atque vbi se constituat, *l. Eius 27. §. Celsus in fine ff. Ad municipalem.* Mutatio verò domicilij non perimit instantiam coram iudice domicilij cœptam, sed iudicium ibi finiri debet, vbi inchoatum est, *c. Proposuisti 19. h. t. l. Si quis postea quam 7. & l. Vbi acceptum 30. ff. de iudic.*

4 Secundò, ratione Rei sitæ: & ideò actione in rem vel mixtâ conventus, coram eo iudice respondere cogitur, in cuius territorio res sita est, *cap. Sanè & c. vlt. h. t. & l. vlt. Cod. Vbi in rem actio exer. deb.* Nec refert, res immobilis sit, an mobilis, *l. Quod legatur 28. ff. de iudiciis*: dummodò in loco, in quo sita est, sit permansura, nec custodiæ tantùm causâ ibi constitura. Aliàs si actione in personam, sive rei immobilis sive mobilis nomine, agatur, rei domicilium sequendum erit, *d. c. fin.* nisi cum bonis in loco sitis concurrat locus contractus, *arg. l. Hæres absens 19. §. proinde ff. de iudiciis.*

Tertiò, ratione contractus: nam contrahentes sistere se debent iudici eius territorij, in quo contraxerint, sive ad agendum sive ad defendendam causam suam licet alibi domicilium habeant; *d. c. vlt. & c. 1. eod. in 6.* Nisi contractus implementum & solutio in alium locum destinata sit, quia tunc non in loco contractus, sed in quem destinata est solutio, forum sortiuntur: contraxisse enim vnusquisque in eo loco intelligitur, in quo se, vt solveret, obligavit, *l. Contraxisse 21. ff. de obligat. & act. l. 1. C. de iurisd. l. vnica C. Vbi conven. qui certo loco dare promisit*, Covarr. *Pract. quæst. cap. 10. n. 5.* Idemque dicendum, si convenerit, vt alter contrahentium alio loco se defendat seu respondeat, *d. c. Dilecti 17. h. t.* Quo pacto autem sortiatur quis forum ratione contractus initi cum mercatore advena, vel viatore brevi discessuro, vide *in d. l. Hæres absens, §. 2. ff. de iudiciis.* Cæterum contractùs sumitur hîc non solùm pro contractu vel quasi contractu, vltro citróque obligatorio, sed pro omni pacto, vel vtrimque vel ex vna parte tantùm obligatorio, sive pro alio quolibet pacto, ex quo obligatio oritur: ita vt etiam hoc nomine veniat administratio tutelæ, curæ transactio, donatio, & alia similia, *d. l. Hæres absens, §. 1. cum l. seq.* 5

Quartò, ratione Delicti: nam eius Iudicis forum quis sortitur, in cuius territorio deliquit, *c. Postulasti 14. & c. vlt. h. t.* Et ideò Iudex apprehendens reum, etiam militem, in loco delicti, potest eum inibi punire pœna, tam corporali, quàm pecuniariâ, pro qualitate delicti *l. Si cui. §. idem Imp. & l. fin. ff. de accusat.* Cessat enim fori privilegium ratione delicti, *c. 2. inf. de privilegiis*: de quo tamen, & quo pacto id verum sit, vide Panormit. *in c. fin. h. t.* Quod si delinquens citatione præventus, fines loci, in quo deliquit, exiverit, etiam absens, legitimâ cognitione præcedente convictus, condemnari poterit, Panormit. *in d. c. fin.* Sin aliter, quo minùs citari possit, aut citatio ei insinuari, citabitur per edictum, in loco delicti publicandum, & valuis portarum vel Ecclesiarum affigendum, *per ea, quæ habentur in Novel. Nulli Iudicum, §. si quis verò*; ad hoc scilicet, vt missio fiat in possessionem bonorum, quæ in loco delicti habet, non verò vt quidquam in eius personam statuatur, Panormit. *in d. cap. fin. num. 6.* Et, si crimen fuerit atrox, poterit Iudex delicti requirere Iudicem domicilij seu loci, in quo

quo degit, vel latitat, vt ipsum citet, & remittat; eique iudex rogatus (si nondum eum ipse castigauerit, præmissâ summariâ cognitione super veritate commissi delicti) obsequi debet & delinquentem remittere, ex iuris communis dispositione: alioquin hodie in plerisque locis de consuetudine contrarium seruatur. Si verò crimen levius sit, non habet locum remissio, sed delinquens, vbicumque reperiatur, condignâ pœnâ puniri potest, *l.1.C. vbi de crimine*, &c.

7 Quintò, ratione privilegij, ita clericus non potest conueniri nisi coram iudice Ecclesiastico, sive criminaliter sive civiliter agatur, *cap. cum contingat 13. & cap. postulasti seq.h.t.* adeò vt iudex laicus, qui clericum per se distrinxerit aut condemnauerit, sit eo nomine excommunicandus, *cap.2.eod.*

Sextò, ratione adsumptionis in aliquod Col-
8 legium, vel Vniversitatem quis subiicitur cognitioni Præfecti ipsius Collegij vel Vniuersitatis, *l. fin. C. de iurisdict.om.iud. Auth. Habita Cod. ne filius pro patre &c.* dummodò hæc corpora auctoritate Principis coierint, *l. 3. ff. de colleg.illicitis.*

9 Septimò, ratione consensus: vt si quis vltrò in iudicem non suum consenserit, sive vt loquuntur, iudicis incompetentis iurisdictionem in se prorogauerit, *cap.Significasti 18.h.t.cap.P.& G. sup.de off.deleg.l.1.& 2. & ibid DD.C.de iudiciis, l.Si conuenerit ff.de iurisdict.om iud.* Nam cuique liberum est fauori suo & per consequens foro sive exceptioni fori declinatoriæ renuntiare, & in alium iudicem consentire, *l.penult.*
10 *Cod.de pactis.* * Aqua tamen regula excipitur iure Pontificio clericus, qui privilegio fori sui renuntiare ne quidem iuratò potest, & prorogare in se iurisdictionem iudicis laici, *cap. Si diligenti 12. hoc tit.* quia hoc privilegium, ne coram iudice laico conueniatur clericus, non est datum in fauorem clerici illius, qui conuenitur, sed in fauorem totius ordinis clericalis; & sic est publicum, atqui priuatorum pactione iis, quæ sunt iuris publici, derogari nequit, *l.iurisgentium 7.§.si pascisci ff.de pactis.* Quinimò clericus prohibetur prorogare in se iurisdictionem alterius iudicis Ecclesiastici, nisi cum consensu sui Episcopi, *dict.cap. Significasti hoc tit.* Hoc ideò, quia clericus ratione ordinis susceptj ab Episcopo, vel beneficij ab eodem accepti, aut sub eius iurisdictione siti, multò arctiùs subiectus est Episcopo suo, quàm laicus suo iudici.

11 Sunt tamen casus quidam, quibus clericus coram iudice conuenire potest, & è contra laicus coram Ecclesiastico. Atque in primis clericus coram laico, si sit vasallus laici, & de feudo controuersia oriatur, coram domino feudi vel patribus curiæ conueniri debet, *cap. Ex transmissa 6.cum c.seq.h.tit.* Gaill.1.*observat.* 37. Maranta 4. *part. dist.* 11. *num.* 75. Idque ratione directi dominij quod penes ipsum dominum est; & quia natura causæ ad se personam trahit, non è diverso.

Secundò, si primâ tantùm tonsurâ sit initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus, aut coniugatus, secundum tamen dispositionem & formam Concilium Trident. *sess. 23. cap. 9. de reformat. iuncta cap. vnico de clerico coniugato in 6.* Gutierrez pract. *quæst. ciu. lib. 1. quæst. 7.* vel si bigamus sit, *cap. vnico de bigamis in 6.* aut iaculatoriam artem per annum exercuerit, vel saltem ea de re ter monitus non recipuerit; nam hoc casu omni privilegio clericali exuitur, *cap. vnico de vita & honest. cleric. in 6.* sicut & is, qui in assassinatus crimine deprehensus est, *cap. 1. de homicidio in 6.*

E diverso laicus, multis casibus secundùm 12
canones subiicitur iudici Ecclesiastico, vt si possideat detineat res Ecclesiæ vel clerici, *cap. si clericus 5. hoc tit.* si rapuerit vel inuaserit res Ecclesiæ, *cap. cum sit generale 8. eod.* si ius aliquod Ecclesiasticum vsurpet, *cap. conquestus 16. eod.* Item si iudex laicus desit officio suo in administranda iustitia, potest laicus trahi ad iudicem Ecclesiasticum, *cap. licet 10. & Ex tenore 11. eod.* Denique miserabilis persona, veluti pupillus, aut vidua, vt de possessione deiecta potest coram iudice Ecclesiastico agere ad possessionem suam recuperandam, *cap. Ex parte 15. eod.* Aliàs secundùm regulam cogitur sequi forum rei, *dict. cap. Ex tenore hoc tit.*

Vbi autem dubium est, an vocatus de foro seu iurisdictione sit vocantis, tenetur hic comparere, & incompetentiam iudicis allegare, tum iudex ipse æstimabit, an sit suæ iurisdictionis, an alienæ, *l. si quis ex aliena ff. de iudiciis, c.1.c.cum persona inf.de privilegiis.* Vide *inf.§.3. num.7.*

§. II.

De requisitis ad prorogationem iudicis.

1 *Fieri debet prorogatio in iudicem, qui habeat iurisdictionem.*

2 *Et quidem ordinariam non delegatam.*
3 *Consentiente utroque, & renuntiante & adversario eius.*

1 VT tamen prorogatio iurisdictionis in iudicem non suum subsistat, necessum est, vt is habeat iurisdictionem, sufficientem ad cognitionem & decisionem causæ, quæ inter litigantes vertitur: vt, si causa sit spiritualis, iurisdictionem habeat spiritualem; si criminalis, non solùm possit de causa civili cognoscere, sed etiam de causa criminali, criminaliter intentata, habeátque potestatem crimina coërcendi. Alioquin non tam esset iurisdictionis vetesis prorogatio, quàm novæ collatio, quæ est in potestate privatorum, *l. Privatorum, Cod. de iurisdict. om. Iudic.*

2 Secundò, iurisdictio, quæ prorogatur, debet esse ordinaria, non delegata: nam cùm iurisdictio delegata non sit ipsius delegati, sed delegantis propria, *l.1. §. fin. l. Etsi Prator, D. de iurisd. eius cui mand. est iurisdict.* non potest vltra personas, in instrumento delegationis expressas, de ipsarum consensu prorogari, *c.P. & G. sup. de officio Iud. deleg.* nisi intercedat delegantis consensus, Panormit. *ibid.* Quamvis mandata alicui iurisdictio ad certum diem vel tempus, possit de communi partium consensu prorogari, *cap. causis sup. eod. l.2. §. sed si Iudex ff. de iudiciis.* Quemadmodum etiam Iudex ad certam vsque summam iudicare iussus, potest de re maioris minorisve quantitatis iudicare, si partes consentiant, *dict. leg.2. §.1. l. Inter convenientes 18. D. Ad municipalem:* sive is Iudex sit ordinarius, sive delegatus, Accurs. *in d. l.1.* quia diversitas quantitatis non inducit diversitatem iurisdictionis. Similiter Iudex, iussus de causa sibi commissa certo loco cognoscere, potest alio loco de ea cognoscere, si partes expressè consentiant, *cap. Statutum, §. in nullo de rescriptis in 6.* dummodo, si Ordinarius fuerit, intra fines sui territorij de ea cognoscat.

3 Tertiò, vtriusque, & renuntiantis foro suo & adversarij, intervenicnte debet consensus, *l.2. D. de iudiciis, l.2. C. de iurisdict. om. Iud.* qui tamen sufficit tacitus, *arg. d. l.2. D. de iudiciis*, Bart. *in d. l. D. eod. titul.* Et eorum, qui de iurisdictione incompetentis Iudicis proroganda convenerunt, potest alter, altero invito, recedere ab ea conventione, re adhuc integrâ, *leg. Si convenerit ff. de iurisdiction.* Censetur verò hîc res integra, si citatio nondum sit emissa, *argum. d.l. Si convenerit:* licèt Accurs. Bartol. Alexand. Iason. *ibi* vellint demùm per litis contestationem desinere esse integram. Cæterùm non est necessarium ad hanc prorogationem, vt ipsius Iudicis prorogari consensus interveniat, *d. l.2. in princ. versic. convenire.*

Denique non videtur in Iudicem incompetentem consentire, qui apud eundem Iudicem actionis genus sibi edi desiderat, *l. Non videtur 33. ff. de iudiciis.*

§. III.

De Citatione seu in ius vocatione.

1 *Citationis necessitas.*
2 *Quid sit Citatio; & divisio in Realem ac Verbalem. 3.*
4 *Item in Simplicem & Peremptoriam.*
5 *Requisita, vt sint ad instantiam partis & mandato Iudicis. 6.*
7 *Vt contineat nomen & cognomen Iudicis, ac citati: & causam. 8.*
9 *Item locum iudicij. 10. Et diem certum, quo citatus compareat.*

SVppositâ iurisdictione & competentiâ Iudicis, principium instituendi iudicij sumitur à Citatione seu in ius vocatione, *c. Quoniam contra inf. de probat. Clement. Pastoralu de re iudicata.* Gaill. 1. *Obser.* 50. adeò necessariâ, quoad absentem, vt nullatenus omitti possit, *d. Clement. Pastoralu.* Nam cùm ea ad defensionem spectet, iuris est naturalis: imò secundum aliquos divini; inducta, quando Deus citavit Adamum post peccatum commissum, dicens, *Adam vbi es? Genes. 3.* quos refert Calvosus *in Praxi, §. Citatio concluf. 1.* Et ideò, eâ omissâ, iudicium redditur nullum, *l. Ecclesia sup. de constitut.* 1

Citatio autem actus est legitimus quo quis, mandato Iudicis, iuris experiendi causâ in iudicium vocatur. * Estque vel realis, vel Verbalis, Illa per manus iniectionem & apprehensionem personæ citandæ; hæc aut privatim per apparitorem vel literas, aut publicè per præconem, tubam, campanam, aut edictis propositis, fieri solet, *l.8. Cod. Quomodo & quando Iudex*, &c. de qua plenè Felin. *in can. Quoniam frequenter, §. porro inf. Vt lite non contestatâ*, &c. 2 3

Edictali citationi tunc locus est, quando aliàs quis citari nequit: vt si locus sit tutus, si non proprij sit territorij, si remotus aut varius, vbi citandus moratur, vel si ipse citandus

citandus sit vagabundus, aut impediat, quominùs ad se citatio verbalis vel per literas pervenire possit. Menoch. *remedio 8. quæst. 13. de recup. possess. num. 13. & seqq.* Si item contradictor sit incertus, & citentur omnes in genere, quorum interest: vel si incerti sint creditores defuncti, & volens adire hæreditatem suspectam, cupiat facere inventarium: vel si agatur de materia diffamationis, Menoch. *d. loco, n. 121.* & sic de aliis similibus.

4 Rursus Citatio vel est Simplex vel Peremptoria. Simplex est, quæ citatum non ante contumacem constituit, quàm si tertiò & iusto, non minùs decem dierum, intervallo, vtique in civilibus facta sit, *l. Tres denuntiationes Cod. Quomodo & quando Iudex*, &c. *l. Et tertium & sequent. ff. de iudiciis.*

Peremptoria est, quæ simplices citationes ita perimit, vt in ius vocatum, si præfinitâ die non comparuerit contumacem constituat, *d.l. Et tertium & l. Nonnumquam ff. de iudiciis.* Et quamvis antea per intervallum, ad minùs decem dierum, singula edicta peremptoria citatione impetrari deberent, *l. Per intervallum ff. & l. Properandum Cod. de iudiciis*: tamen hodie singulis edictis necessarium esse intervallum triginta dierum, constat *ex Auth. Qui semel Cod. Quomodo & quando Iudex, &c.* ita tamen, vt Iudex pro qualitate personæ, temporis, loci, aliisque similibus circumstantiis, & edictorum numerum & eorundem intervalla, necessitate postulante; augere ac diminuere valeat, *d.l. Nonnunquam in fine ff. de iudiciis c. Consuluit in fine sup. ff. officio delegati, c. 1. inf. de feriis.* Vnde & post peremptorium edictum absens ex benignitate Iudicis citari potest, *l. Et post peremptorium ff. de iudiciis.*

5 Vt autem Citatio sit legitima plura requiruntur: Primò, vt fiat ad instantiam partis, dum agitur inter duos litigantes: maximè citatio ad sententiam, nisi Iudex videret perire instantiam, qui tum ex officio posset, Maranta *6. p. Spec. in verbis, citatio rectè concipiatur n. 115. & seq.*

Secundò, vt fiat mandato Iudicis competentis, 6 sive Ordinarij sive delegati; aliàs citatum non arctat, *l. Neminem Cod. de exhib. reis*, latè Gaill. *1. Obser. 48. num. 12. & 50.* Licèt sit realis, quia & hæc requirit causæ cognitionem, quam nuntius non habet, Gaill. *d. loco.* Et ideò regulariter citatio fit per apparitorem, speciale mandatum aut commissionem Iudicis habentem, *d.l. Properandum §. etsi quidem Cod. de iudiciis.* Nisi fortè delinquens in flagranti crimine capiatur; nam tunc lex ipsa licentiam concedit, Gaill. *lib. 1. Observat. 54.* aut nisi ob tenuitatem negotij, & causæ, & aut alium fori vsum, generale mandatum, ad quasdam citationes faciendas semel datum, sufficiat; quod & Alciat. probavit *in Rubr. Cod. ne ius vocati, &c.* Obtinétque in plerisque Curiis, in quibus, ex fori vsu, non requiritur, mandatum seu commissio Iudicis, sed ad simplicem petitionem partis fieri solet citatio, quando scilicet citatio fit in foro citantis.

Tertiò, continere debet nomen & cognomen Iudicis, vt citatus cognoscat, an iussu 7 competentis iudicis sit decreta citatio: nam supra iurisdictionem, vel extra territorium citanti impunè non paretur, *l. fin. D. de iurisdict. om. Iud. l. 2. D. Si quis in ius vocatus*, &c. Alexand. *in c. Clement Pastoralis de sententia & re iudicata.* Gaill. *lib. 1. Observat. 48. n. 7.* Nisi sit Iudex domicilij, qui subditum suum vbique existentem citare potest, Gaill. *d. lib. 1. Obser. 56. in fine.* Eâ ratione, quia quocumque se transferat, semper manet subditus: cùm propriè subditus dicatur ratione domicilij, *cap. Licet ratione h. t. & ibi* Felinus, Gaill *2. Obs. 35.* quod & incolas facit, *l. Domicil. & ib.* Gl. *D. Ad municipalē, l. Cives, l. Si in patria C. de incolis lib. 10.* Quòd si reus dubitet, an iussu Iudicis competentis citatus sit, comparere nihilominus tenetur, & incompetentiam allegare, *l. 2. ff. Si quis in ius voc. non ierit, & ibid. DD.* nisi notorium sit, Iudicem non habere iurisdictionem, Gaill. *lib. 1. Obser. 48. n. 8.* Et de hac competentia Iudex ipse citans cognoscere potest, an scilicet sit suæ iurisdictionis, an alienæ, *l. 2. §. sed si dubitatur, & l. Si quis ex aliena 5. D. de iudiciis, c. 1. c. Cum persona inf. de privilegiis.*

Quartò, continere debet nomen & cogno- 8 men eius, qui citatur, *cap. 34. & 36. sup. de rescriptis*, Gaill. *d. lib. 1. Obser. 49.* & similiter eius, ad cuius instantiam citatur, Gaill. *ibid. Obser. 50.* vt intelligat citatus, citationem non ex officio iudicis, sed ad petitionem & instantiam citantis esse facta.

Quintò, causam, saltem in genere, etiam in criminalibus; præsertim dum ex loco remoto citatur, *secundum* Abbatem *col. 2. in fine inf. de dilationib.* vt instruatur reus, super quo conveniatur, *d. cap. Præterea & ibi* Gloss. & accedat paratus ad respondendum, Gaill. *d. lib. 1. Obser. 51.*

Sextò, locum iudicij, vt citatus sciat, an Iudex non excedat fines suæ iurisdictionis, ci- 9 tando extra territorium; & an locus, ad quem citatur, sit tutus & commodus: nam citatus ad locum non tutum vel incommodum non tenetur comparere, *cap. Ex parte inf. de*

appellat. Clement. Paſtoralis de ſent. & re iudicata, l. Si locus ff. de iudiciis : & Iudex non admittens exceptionem loci non tuti (quæ licet dilatoria ſit, nihilominus etiam poſt litis conteſtationem opponi poteſt, tanquam continens gravamen ſucceſſiuum) infert citato gravamen, à quo licitè appellatur, Gaill. *d. lib. 1. Obſerv. 56.*

10 Denique diem certum, iuſtum atque opportunum, quo citatus compareat, & commodè ad locum iudicij venire poſſit, ſciátque an dies ſit iuridica: nam diebus feriatis, veluti die feſto aut vindemiarum vel meſſium, nemo ad iudicium venire compellendus eſt, *cap. 1. inf. de feriis, l. 1. ff. & l. 2. & 3. & fin. Cod. eodem titulo*, niſi quis citatus eſſet die feriatâ, ad vtilitatem hominum, ex commiſſione Principis, qui poteſt talibus feriis derogare, Calvolus *in Praxi §. Citato concluſ. 3. num. 21. & 24.* exceptis item cauſis alimentorum carceratorum, pupillorum, viduarum, miſerabilium perſonarum, & iis, quæ moram non patiuntur, veluti ſi tempore res periclitá ſit, vel alia vrgeat neceſſitas, & ſimilibus, quæ poſſunt expediri diebus feriatis, & in citatione ſunt exprimenda, vt citatus teneatur comparere: qui aliàs habet intentionem fundatam, non comparendi die feriatá; niſi, vt dictum eſt, ſit citatus ex commiſſione Principis ad talem diem in vtilitatem hominum. Non tamen eſt neceſſe, vt contineat horam comparendi, ſed citatus comparere debet horâ cauſarum ſolitâ, & tali hora, in qua poſſit actus expediri ante noctis tenebras: & ſi apponeretur certa, & actus non fieret horâ aſſignatâ, ſed aliâ, non valeret, vt tradit Maranta *6. p. verſic. Rectè citatio concipiatur num. 66.* Si verò dies apponatur nimis brevis, citatio talis valida non erit, *l. Aut qui aliter ff. Quod vi aut clam, &c.* & appellari ab huiuſmodi gravamine poterit, Gaill. *d. l. 1. Obſerv. 5.*

§. IV.

De executione citationis.

1 *Citatio in perſonam, vel ad domum fit, &c. & quando.*
2 *Deinde relatio apud acta fieri debet.*

1 COmmiſſione citationis nuntio factâ, oportet vt is eam exequatur, Et quidem primò reum citandum diligenter perquiret, vt ei coram in faciem citationem inſinuet. Eóque non reperto, poteſt in ſubſidium vel procuratori illius, ſi quem reliquerit, vel ad domum domeſticis, vel ſi nemo adſit, vicinis denuntiationem exponere, relicto ibidem commiſſionis ſuæ exemplo, vt ad reum citatio perveniat, *cap. Cauſam 3. inf. de dolo.* Quòd ſi verò citandus plures habeat ædes, executio citationis fiet ad eas, in quibus pro maiori parte anni egit, *arg. Clem. Cauſam* ibi, *in domo, quam, &c. de elect.* Sin æquali tempore moratus fuerit in omnibus, ibi citandus erit, vbi citationis tempore degit. Vide pleuè Damhoud. *in Praxi civili c. 59. & ibi* Tuld.

Executione factâ, incumbit eidem nuntio 2
facere eius relationem, quæ in acta referri debet, vt appareat de legitimè facta executione. Relationi autem executoris credi ſolet, propter fidem eius electam, & iuramenti religionem, quâ Iudici eſt adſtrictus, Gaill. *lib. 1. Obſ. 54. num. 4.* Mynſ. *Cent. 5. Obſer. 51. num. 2.* Quamquam aſſerenti, ſe ex mandato Iudicis citaſſe, non credatur, quia tantùm de ſuo facto, alieno, cuiuſmodi eſt commiſſio Iudicis, deponenti creditur. Gaill. *d. Obſer. 54. n. 5.*

§. V.

De effectu Citationis.

1 *Citatum conſtringit ad comparendum.*
2 *Perpetuat Iudicis delegati iuriſdictionem.*
3 *Præſcriptionem interrumpit.*
4 *Perpetuat & iudicu ordinarij iuriſdictionem.*
5 *Citatio illegitima per comparitionem validatur.*

QVod ad effectum citationis attinet, ea legitimè facta in primis conſtringit citatum ad comparendum, niſi iuſtâ exceptione ſe tueatur: veluti quòd magiſtratum gerat, quòd ſit parens vel patronus, quos ſine permiſſu Prætoris in ius vocare non licet; vel quòd propter loci religionem inde ſe movere non poſſit; quódve funus ducat, aut iuſta defuncto perſoluat, aliâ ſimili cauſa, de quibus latiùs videre licet *in l. 2. 3. & ſequentibus, ff. de iur. vocando & in l. 2. cum ſequent. ff. Si quis caution. in iud. ſiſten. &c.* Aliàs autem, ceſſante legitimâ exceptione, contumacia citati & non comparentis variè punitur, vt poſtea dicetur.

Secundò perpetuat Iudicis delegati iuriſdictionem,

ctionem, *c.10. & fin. sup. de officio Iud. deleg.* Et ideò si quis, postquam citatus est, alterius fori esse cœperit, in ea causa ius revocandi domum non habebit, *l. Si quis postquam 7. ff. de iudiciis, l. penult. ff. de iurisdict.om. Iud. cap. Proposuisti penult. h.t. Gratum 20. sup. de offic. & potest. iud. deleg.*

Tertiò, præscriptionem triginta annorum
4 interrumpit, *l. fin. Cod. de annali except.* * Facit etiam Iudicis ordinarij iurisdictionem perpetuam, respectu illius causæ, cuius intuitu citatio semel legitimè facta fuit, etiamsi citatus postmodum cœperit esse alienæ iurisdictionis, *d. c. Proposuisti, l. Vbi acceptam ff. de iudiciis.*

5 Quia verò effectus & finis præcipuus citationis est, vt reus compareat: ideò citatio illegitima, quæ tamen ad notitiam citati pervenit, per comparationem eius convalidatur, & reus comparens ad libellum actoris respondere cogitur: quia præsens regulariter citari non debet, Gaill. *d. lib. 1. Obser. 58.* Et hinc fit, quòd citatus ad certam causam comparens, secundùm communiorem sententiam, debeat respondere in alia causa. Gaill. *lib. 1. Obser. 51. num. 7.* vbi subiungit, eò spectare, quòd actor regulariter ante litis contestationem libellum & genus actionis mutare possit.

TITVLVS III.

De libelli oblatione.

1 *Quid sit Libellus.*
2 *Eius inspiciendi ac scribendi copia reo facienda.*
3 *Libellus debet esse clarus & certus, non alternatiuus, nec obscurus.*
4 *Libellus alternatiuus quando sustineatur.*
5 *Libellus duplex, Ciuilis seu Conuentionalis & Criminalis.*
6 *De medio seu causa petendi in libello conuentionali.*
7 *Eodem libello posse plures cumulari actiones.*
8 *Libello exhibito ab actore, danda res est dilatio aliqua.*
9 *In summario iudicio non est necesse libellum scripto tradi.*
10 *Vt neque coram arbitratore.*
11 *An & quatenus libellum mutare & emendare liceat.* 12.

REo legitimè citato comparente, nec Iudicis ad quem vocatus est, iurisdictionem declinante, actor libellum (* qui non est aliud, quàm brevis scriptura, clara actoris sive accusatoris intentionem, seu rem, quæ petitur, causam petendi, & nomen actoris ac rei continens) si iudicium sit plenarium exhibebit seu edet Iudici, * sive coram Ordinario vel delegato Iudice, sive coram arbitro agatur, civiliter aut criminaliter; & quidem scripto, licèt olim secus fuerit, *l. 1. ff. de edendo.* Eiúsque inspiciendi ac describendi copia Iudex reo faciet, sumptibus actoris, 2
Glossa *in Clement. Quamvis, in V. oblatos de appellat.* vt inde intelligat reus, ob quam causam in iudicium vocatus sit, & deliberare possit, vtrùm cedere, an contendere vltrà debeat, *l. Edita & Auth. Offeratur Cod. eod. can. Offeratur 111. q. 3.* adeò vt, si Iudex reo petenti deneget copiam, à tali denegatione rectè appelletur, *cap. Significantibus inf. de appellat.* Vt etiam si contendendum reus putet, veniat & ipse ad defendendum instructus, cognita actione, quâ convenitur; & Iudex, inspecto libello, dispiciat, quo pacto à se concipienda sit sententia, quippe quæ conformis libello esse debeat, *l. Vt fundus ff. Communis dividundo.* Vnde constat, libellum introductum esse non solùm in favorem actoris & rei, sed etiam ipsius Iudicis. Quem proinde oportet esse clarum & certum, non alternatiuum. Gaill. 1. *Obser. 26.* Quamquam non 3
statim libellum obscurum reiicere aut confringere debeat Iudex, dummodò ex iis, quæ postea in iudicium deducuntur, desumi possit apta eius declaratio, *l. fin. Cod. de annali except. capite 3. inf. de sent. & re iud.* Sin minùs, & declarationem libelli ineptam animadvertit, reum ab instantia iudicij absoluet, & actorem condemnabit in expensas: relictâ interim eidem potestate petitionis suæ denuò repetendæ & rectè instituendæ, *capite Examinata 15. sup. de iudiciis.* Alias sententia super libello evidenter inepto in causis ordinariis est nulla, etiam parte non opponente: tantáque est, vis istius nullitatis, vt non comprehendatur sub statuto, nullitates expressè tollente, Gaill. *lib. 1. Obser. 66.* Obscurior verò redditur libellus, ratione æquivocationis, generalitatis, alternativæ locutionis, &c. Gaill. *ibidem.* Procedit tamen libellus Generalis & obscurus in causis summariis, parte non opponente, Alex. *Consil. 32. col. 3. lib. 4.* imò etiam parte opponente, *secundùm* Ias. *in d. l. Edita n. 6.* secus in ordinariis.

Potest autem libellus obscurus declarari per solum libellantem, non etiam per hæredem eius vel procuratorem, nisi is ad hoc speciale habuerit mandatum: sicut nec Dominus libellum procuratoris sui declarare potest. Cravet. ad Vestrium *l.5.cap.vlt,n.*20.

4 Sustinetur etiam libellus alternatiuus; Primò *in actione hypothecaria*: vt si dicat actor, Peto illum condemnari ad traditionem rei obligatæ, vel ad soluendum debitum, *per text. in l.si fundus* 16.§.*in vindicatione ff.de pignor.* Gail.*lib.* 1.*obser.*42.*num.*8. Nam in actione hypothecaria possessor potest retinere rem, & litis æstimationem offerre creditori, *l.si creditor* 2.*ff.quibus modu pig. vel hypoth.sol.* Vide Socin. *in cap.*2.*h. tit. num.* 74. vbi hanc regulam, quòd libellus non debet esse alternatiuus, limitat nouem modis. Secundò, sustinetur libellus alternatiuus in materia *l.*2.*C.de rescindenda vendit.* vbi venditor concludere debet; vt emptor aut suppleat, quod deest iusto pretio, aut rem emptam restituat, *capite. cum dilect.*3.*inf. de empt. & vendit.* Gail. *dict. lib.*1. *obseruat.* 62. Tertiò, quando petitur restitutio aduersus contractum, qui tum actor potest concludere alternativè, vel quòd pronuntiet iudex, contractum esse nullum, aut, si quis sit, aduersus eum restituatur, Gaill. *dict. obser.* 62. *num.*7. Quartò, quando petitur restitui res, si existat, aut eius æstimatio, si consumpta sit; quando scilicet incertum est, an res extet. Gaill. *dict.obser.*62. *num.*5. Mynsi.*cent.*2. *obser.* 52. *num* 7. Alioquin si sit certum, existare rem, peti debet ipsa res, eius æstimatio, quippe quæ tantùm in subsidium debeatur, *leg. fin. Cod. de fideicommiss. libert.* Panormit. *in cap. grauis inf. de restitut. spoliat. num.*22. Gaill. *dict. obser.*62. *n.*6. *&* 7. Similiter quando incertitudo proueniat ex facto aduersarij, *text.in l.*1.*quia autem ff. Quorum legatorum.* Hinc, inquit, Gaill.*d.obser.*62.*num.*4. valeret huiusmodi libellum. Peto rem iure dominij vel quasi dominij; vel, peto me declarari dominum vel quasi dominem.

5 Cùm verò libellus sit duplex, nempe Civilis seu Conuentionalis, *cap. fin.h. t.* cuius vsus est in causis ciuilibus, qui scilicet in rem ciuilem, id est in id; quod actoris interest, concipitur; & criminalis, qui criminis accusationem continet, *can.nullus* 4.*quæst.*4. videndum est, quæ sit forma, vtriusque, & potissimùm conuentionalis, de quo hic agitur. In quo exprimi debet nomen & intentio actoris, item nomen rei, à quo petitur & nomen iudicis, coram quo petitur, scilicet

Quis, quid, coram quo iure petatur, & à quo.

In criminali verò nomen accusatoris, rei accusati, & iudicis, itemque delicti locus, annus & mensis, designari debet: quamquam si dies, qui mensem demonstrat, exprimatur, non aliâ mensis expressione sit opus, *l.libellorum* 3. *ff. de accusat.*

Præterea licet in conventionali non sit ne- 6
cesse in iure canonico exprimi verbis conceptis nomen actionis, *cap.dilecti sup.de iudiciis*, sufficiatque, vt ex forma conclusionis certum genus actionis intelligatur, quia ex'causa petendi vel medio concludendi qualitas intentatæ actionis colligitur & demonstratur. *cap.litteræ tuæ inf. de dilation.* Gaill. 1. *Obser.* 61. *num.*2. tamen necesse est, vt medium concludendi seu causa petendi exprimatur, Glossa *in d. cap. dilecti*: sive proxima, qualis in personali actione est obligatio, *l. licet*, §. *ea obligatio D. de procurat.* in reali dominium, *l.in rem D.de rei vendicat.* sive remota, qualis in actione personali est contractus, *l.Consensu*, *l. Actionum genera*, §.*actionum ff.De oblig.& act.*§.1.*Institut.De obligat.ex consensu*; in reali factum, ex quo causatur dominium, v.g. quod res sit legata, vendita & tradita. Et quidem in actione personali exprimenda est causa remota, *cap.fin.hoc tit.* v.g. Peto à te decem ex mutuo vel ex depositio, quia ex causa remota præsumitur proxima, scilicet obligatio. Nec sufficit exprimere causam proximam, veluti. Peto decem, ad quæ mihi obligaris, quia eadem res ex pluribus causis nobis deberi potest, *l.Et an eadem*, §.*actione*, *D.de exception.rei iudicata*: & reus non posset ex tali libello, tamquam incerto & non concludente certum aliquod ius agendi, deliberare, an cedere, an verò contendere debeat, *dict. cap. hoc tit.* Gaill.*d.observat.*61. *num.* 5. In reali verò actione, puta rei vindicatione, sufficit exprimere causam proximam, v. g. Peto rem, quæ mea est ratione dominij vel quasi dominij, Gaill. *d. Obseruat.*61. *num.*7. quia hinc sufficienter fit certior reus, an cedere, an contendere velit, Glossa *in cap.*2.*hoc tit. & in l.tit. D. de edendo*; quandoquidem duo non possint eiusdem rei dominium in solidum habere, *l.si vt certum*, § *si duobus D.commodati*, *l.Pomponius*, §. *sed & is D.de procuratorib.* neque vnus idémque vnam & eandem rem pluribus, ex causis obtinere, *d.* §. *actiones*, *l.*3.§. *ex pluribus D. de acquir.possess.l.Non vt ex pluribus D.de reg.iuris*, Gaill.*dict.obseru.*61. *num.*8. Non prohibetur tamen actor causam dominij simul libello comprehendere, asserendo rem suam esse, quia sibi donata vel legata, vel alio simili titulo acquisita sit, *c.*3.*inf.de sent.& re iudicata.*

Potest

7 Potest etiam actor in libello suo plures actiones simul cumulare, sive ex diversis causis ad diversa contra eundem vel diversum agat, sive etiam ex eadem causa, & ad idem contra diversos, si modo nihil obstet cumulationi, *l. si idem cum eo ff. de iurisdict. om. iud.* Gaill. 1. *obser.* 63. *num.* 1. Idque fauore dirimendarum litium, *cap. nullius de re iudicata in 6.* iisque sigillatim à reo respondendum est, & à iudice totidem, secundum cuiusque actionis naturam, sigillatim proferendæ sunt sententiæ in eodem iudicio: quia tot sunt libelli, quot actiones & facta, & ideo, cùm separatorum separata sit ratio, totidem sententiæ requiruntur: potéstque iudex partim definitivè, partim interlocutoriè pronuntiare, vt v.g. si post conclusionem in causa, quoad aliquod factum in actis allegatum, desideret adhuc aliquam probationem, potest, rescisså ex officio conclusione, vlteriorem probationem iniungere, & nihilominus quoad reliquas actiones, in quibus nihil desiderat, definitivè pronuntiare. Non obstante, quòd sententia sit indiuidua, *l. in hoc iudicio ff. Fam. ercis.* quia id verum est, quando libellus vnum factum continet; secus, quando plures & separabilia facta continet, Gaill. *dict. lib. obser.* 63.

8 Libello verò actoris secundùm ordinem iuris exhibito, non statim cogitur reus respondere, sed inducíæ dandæ sunt, vt interim deliberet, an contendendum sit, an acceptandus, vel recusandus sit iudex, & vt, si quas habeat exceptiones, proponat. Et quidem de iure communi dilatio viginti dierum conceditur *Auth. offeratur, C. de litis contestatione.* Hanc tamen dilationem ex communi obseruatione frequenter à iudice coarctari videmus, *arg. l. 2. ff. de re iudicatâ.*

9 Dixi initio, libellum ab actore esse, exhibendum iudici, si plenarium sit iudicium; quia in summario iudicio & breuioribus ac leuioribus causis etiam de iure communi non est necesse libellum scripto tradi: sed sufficit actoris petitionem coram iudice nudis verbis proponi, eámque actis continuò inseri, vt re postea exigente, eius copia haberi possit, *clem. sapè vers. verum de verb. signif. Auth. nisi breues, C. de sent. ex brevi recitan.* Bart. *in dict. Auth. offeratur.* Dubio autem existente, an aliqua causa sit de breuioribus, arbitrabitur iudex secundùm qualitatem personarum: nam inter duos Reges aut valde diuites causa centum aureorum est modica; inter pauperes verò eadem putatur magna, Caluolus *in praxi*, §. *libellus*, *concl.* 1. *num.* 5.

10 Similiter aliud obtinet, si coram arbitratore agatur, quia coram eo nulla solemnitas iudicij necessariò seruanda est, vt Bart. & alij tradunt *in l. si societatem*, §. *arbitrorum*, *D. Pro socio.* Et licèt in iudicio ordinario litigatores inter se pascisci possint, ne sibi inuicem libellum edere cogantur, *iuxta l. si quis, C. de pactis*: ne tamen iudici edatur (in casibus, in quibus requiritur) nec tacitè nec expressè pascisci queunt: quia, vt antè dixi, sententia conformis libello à iudice proferri debet, & quia libellus est introductus fauore publico, vt lites clariùs procedant, Caluolus *dict. loco concl.* 5. *num.* 1. & 2.

Cæterùm hic quæri potest, an libellus semel 11
editus mutari vel emendari, & quousque, possit. Pro cuius resolutione præmittendum est, discrimen esse inter mutari & emendari libellum: nam mutatur, quando actio proposita vel causa petendi expressa mutatur, & alia proponitur; vel receditur a re petita, & alia petitur; vel factum narratum mutatur. Emendatur verò libellus, quando vitium seu mendum aliquod vel obscuritas tollitur, salua ipsius libelli substantia: ita vt nec res petita, causa petendi, ratio mutetur, *l. si quis intention. 66. ff. de iudiciis.*

Potest itaque mutari libellus, in causis tam 12
civilibus quàm criminalibus, vsque ad litem contestatam, quia hactenus nondum cœptum est iudicium: at verò post litem contestatã actor libellum mutare non potest, nisi velit vti novo libello & noua instantia, recedendo à priori, cum refusione expensarum, *iuxta cap. Examinata sup. de iudiciis*; ne quidem si partium accedat consensus: quia per litis contestationem obligatur quis instantiæ, vt ab ea recedere & ampliùs pœnitere non valeat, *l. is qui se obtulit, 25. & ibi Glossa in V. qui discessit ff. de rei vindicat. l. sed etsi fuscepit 52. ff. de iudiciis, l. nemo Cod. de iurisd. om. iudic.* Nam hoc modo celebratur quidam quasi contractus, per quem obligatur quis ad id, quod in iudicio petitum est, si per sententiam (per quam consummatur iste quasi contractus) succumbat. Deinde litis contestatio, & alij actus substantiales iudicij, partium consensu tolli nequeunt, *Glossa in cap. de causis in V. consensus sup. de officio deleg.*

Emendare verò libellum licet vsque ad sententiam, *d. l. Si quis intentione, & tradunt interpr. plerique ad l. edita 3. C. de edendo.* Hinc si actor de summa petita aliquid diminuere velit, vsque ad sententiam audiendus est, *arg. l. Quidam ff. si certum petatur*: sicut &, si errore ductus ab initio minus, quàm sibi debebatur, petierit, potest

poteſt in eodem iudicio eademque inſtantia errorem ſuum corrigere, §. *Si minus inſt. de actionibus.*

Porrò de libelli oblatione vide pleniſſimè Speculat. *in tit. de libelli concept.* Quomodo autem in ſingulis actionibus formandus ſit libellus, tradit Caluolus *d. §. libellus concl. 6. & ſeq.* Ioan. Oldendorp. *in Progymnaſ. Actionum*, Mynſ. & alij *ad tit. inſtit. de actionib.*

TITVLVS IV.

De mutuis petitionibus.

§. I.

Quid ſint mutuæ petitiones.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Mutua petitio quid ſit.*
3 *Etiam clericus coram iudice laico reconueniri poteſt. 4. 5.*

1 PLERVMQVE viſo actoris libello de cuius oblatione iam dictum eſt, reus viciſſim ab actore aliquid petit, eumque reconuenire ſolet, præſertim quando compenſationi locus non eſt (vt ſi debitum ex vtraque parte non ſit liquidum, nec intra breuem terminum, arbitrio Iudicis ſtatuendum liquidari poſſit, *ſecundùm* Bald. *in l. fin. ff. de compenſat.* ſi neque liquidatum ſit per confeſſionem rei, Maranta *4. part. diſt. 6. num. 3.* vel ſi legis prohibitio impediat compenſationem, vt *in l. 1. 2. 3. 7. 9. & vlt. C. de compenſat. l. ob negotium 20 ff. eod. tit.* vel ſpeciei ad ſpeciem deſideretur compenſatio, *l. ſi conuenerit 18. ff. de pignorat. act.* vel denique ſi ex vna parte debeatur ſpecies, ex altera quantitas, *l. fin. C. de compenſat.* ſequitur propterea hic tit. *de mutuis petitionibus.*

2 Nam Mutuæ petitiones nihil aliud ſunt, quàm conuentio ex parte actoris, & reconuentio ex parte rei. Et Mutua petitio idem eſt, quòd reconuentio, qua ſcilicet reus, viſo libello actoris, viciſſim aliud ab eo petit, coram eodem iudice, & in eodem iudicio; etiamſi aliàs iudex ille non ſit actoris competens. Nec enim permittitur reo, durante iudicio conuentionis, actorem conuenire coram alio iudice, ne in ipſius calumnioſa poteſtate ſit, actorem ad alium iudicem trahere, & ſic eius actionem eludere, actorémque à petitionis ſuæ proſecutione diſtrahere, *l. ſi idem, §. ſed etſi mutua, ff. de iurisdict. Auth. Et conſequenter. C. de ſent. & interlocut.* niſi in iis caſibus, quibus vel ob controverſiæ naturam & qualitatem repugnantem, v. g. feudi aut rei ſpiritualis, vel aliud impedimentum, actorem coram eodem iudice nullo tempore conuenire poteſt reus. Bart. *in d. Auth. Et conſequenter, num. 3. & 9.* cùm ſic non actor ipſe, ſed natura & genus ſeu qualitas cauſæ, eundem iudicem dedignetur.

Non poteſt autem actor quoad reconuentionem, vbi ea locum habet, ſe vlla incompetentis fori exceptione tueri, quò minùs coram eodem, iudice reſpondere cogatur, *l. Papinianus, C. de ſent. & interlocut. omn. iud. l. Qui non cogitur 22. ff. de iudiciis*, vbi Vlp. ait, *Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, ſi ipſe ibi agat, cogitur excipere actiones, & ad eundem iudicem mitti*: etiamſi clericus ſit, qui coram iudice laico reum conuenit, ex receptiori DD. ſententia, quia ſcilicet rationi, ob quam coram laico clericus conueniri non poteſt, prævalet, æquitate ſuadente, cùm non debeat quis quem dedignari iudicem, cuius in agendo arbitrium ſecutus eſt *dict. l. cum Papinianus, can. Accuſatores, §. cuius in agendo 3. quæſt. 8.* Et huius reſpectu Abbas & Felinus materiam reconuentionis ſcribunt eſſe fauorabilem. Cui accedit, quod in iudiciis inter litigantes ſeruanda ſit æqualitas, *l. Non tamen 20. in fine. ff. de re iudicata, l. vlt. Cod. de fructibus & litium expenſis*: nec perſonarum ratio haberi debeat, *cap. in iudiciis de R. I. in 6.*

3 Neque obſtat, *cap. ſi diligenti ſup. de foro compet.* ex quo non licet Clerico vel expreſsè vel tacitè iuriſdictionem laici in ſe prorogare, *& ibi communiter canoniſtæ.* quia hoc caſu prorogat non clericus ipſe iuriſdictionem laici in ſe, ſed ipſa lex prorogat ſeu potiùs dat & defert laico iuriſdictionem in clericum, *d. l. cum Papinianus.* Et ideò hæc prorogatio eſt legalis, ſi ita vocare lubeat: nam cùm ſummus Pont. nuſquam vetuerit clericum coram iudice laico reconueniri, videtur voluiſſe hac in parte ſequi legem civilem, *arg. cap. 1. inf. de noui operis nuntiat.* latè Theoph. Giſebert. *de reconuent. cap. 11.* Præſertim cùm videamus Pontificem delegati iudicis iuriſdictionem ad cauſam, in delegationis reſcripto non expreſſam, ſpeciali reconuentionis fauore prorogaſſe, & voluiſſe modum procedendi, datum in cauſa conuentionis, intelligi repetitum in cauſa reconuentionis, *cap. 1. & 2. hoc.* Conſtat autem competentem

tem esse iudicem alicuius, qui in eum iurisdictionem à lege habet, *l. 1. ff. de eo cui mand. est iurisdict.*

Adde quòd, cùm liceat Clerico laicum coram Iudice Ecclesiastico reconvenire, æquum sit, vt laico quoque liceat Clericum coram Iudice reconvenire laico: in iis scilicet causis, de quibus cognoscere laicus potest, non etiam in iis, de quibus cognoscere nequit, veluti in causa matrimonij, decimarum, & aliis spiritualibus: item criminalibus, quæ infamant aut capitales sunt, Glossa *in cap. At si Clerici V. tenet, & ibi latè.* Panormitan. *numer. 20. & seqq. sup. de iudiciis*, Clarus *pract. crim. q. 36. n. 6.*

4 Neque obstat, quòd privilegium Clerici, ne conveniatur coram laico, sit toti ordini Clericorum concessum: nam pariter, quòd Legati legationis tempore conveniri non possint, publicæ vtilitatis favore inductum est; & tamen reconveniri éos posse constat, *ex l. 1. §. sed etsi agant ff. de iudiciis.* Indéque sequitur dumtaxat, Clericum non posse prorogare iurisdictionem laici in se, in præiudicium ordinis Clericalis, non autem quòd ipsa lex id non possit.

5 Non obstant quoque iura, quæ vetant Clericum à Iudice sæculari absolui vel condemnari, sub pœna excommunicationis, *cap. 1. 2. & d. cap. Si diligenti sup. de foro competenti, can. Denique distinct. 96.* quia intelligi possunt de causis merè spiritualibus, vel quoad conventionem, provt *in cap. Qualiter 17. sup. de iudiciis*, indicant illa verba, *Ne Clerici trahantur à laicis ad iudicium sæculare.*

§. II.

Coram quo, & quibus in causis locum habeat reconventio.

1 *Coram iudice etiam delegato reconvenire licet.*
2 *Et in causis omnibus non prohibitis.*
3 *Non in causis criminalibus criminaliter intentatis.*
4 *Non in causis executivis.*
5 *Non in causa appellationis.*
6 *Aut quarum natura & qualitas repugnat.*

1 POtest autem reus actorem reconvenire non solùm coram ordinario Iudice, sed & delegato, *cap. 2. h. t. & ibi* Abb. Maranta *4. p. dist. 6. n. 13.* Nisi Iudex delegatus de consensu vtriusque partis datus sit: nam eo casu locus reconventioni non est, quia cessat ratio *d. c. Cum Papinianus*, quandoquidem non à solo actore sit impetratus Iudex, sed & à reo. Ob eandem rationem reus actorem convenire non potest coram arbitrio compromissario, *c. Cum dilectus 6. sup. de arbitris*, latè Maranta *d. p. 4. dist. 6. n. 10.* quippe qui de iis dumtaxat possit cognoscere, quæ expresso litigatorum consensu in compromissum deducta sunt, *d. c. Cum dilectus, l. de his ff. de arbitris.* Neque etiam coram Iudice, quem Princeps proprio motu elegerit, nam & tunc cessat dicta ratio, Iason. *in l. 3. in princ. col. fin. ff. Quod quisque iuris*, &c.

Habet verò locum reconventio in omnibus causis, in quibus non reperitur expressè prohibita, nec repugnat causæ qualitas. Et proindè in causis quoque summariis, *Clement. Sæpe §. verum de verb. significat.* & quidem indubiè si vtraque causa sit summaria: alioquin si vna sit summaria, altera plenaria, procedit quidem reconventio quoad prorogandum Iudicem, vt constat *ex d. c. Clement. Sæpe*, quæ indistinctè loquitur; sed non quoad hoc, vt vnâ sententiâ terminentur, Maranta *d. dist. 6. n. 38.* In quibus verò casibus habeat locum reconventio de iure communi, videre quoque licet apud Menoch. *de arbitrariis Cent. 2. casu 184.* Thoming. *dec. 16.* Mynsing. *Cent. 1. obser. 10.*

2

Non habet autem locum; Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis, nisi reus reconveniendo vltrò maius crimen obiiciat, vel prosequatur suam suorúmve iniuriam, *l. 1. & l. Negando 19. Cod. de his qui accus. non poss. l. Is qui 5. & ibi* Gloss. & Bart. *ff. de publ. iudic.* latè Abbas *in c. 1. n. 22. h. t.* quia non obiectione aut relatione criminis, sed suâ innocentiâ reus purgatur, *d. l. Is qui 5. can. Neganda & per tot. 3. q. 11.* Quinimò reus criminaliter conventus actorem ne quidem civiliter reconvenire potest, vel contrà, *l. 2. §. sed etsi agant ff. de iudiciis*: nam pendente criminali causâ locus quæstioni civili esse non potest, *l. fin. Cod. de ord. iudic.* nisi civili disceptationi motæ principaliter quæstio incidat criminalis, vel criminali iudicio priùs instituto civilis causa adiungatur; tunc enim Iudex suâ sententiâ, super principali latâ, vtramque quæstionem dirimet, quia sublato principali accessorium quoque corruit, *l. Cum principalis ff. de reg. Iuris, c. Accessorium eod. t. in 6.* Civiliter verò de crimine conventus potest actorem reconvenire de alio crimine civiliter, coram Iudice competenti, id est, qui sit Iudex cõpetens reconventi, Maranta *d. dist. 6. n. 68.*

3

Secundò, non habet locum in causis executivis,

4

tius, quando scilicet petitur executio instrumenti confessionati, quia habet vim sententiæ, Bald. *in dict. Auth. Et consequent. num.* 17. *C. de sent. & interloc. om. iud.* Gutierrez 1. *pract. quæst. civil. quæst.* 112. vt nec in deposito, *l. penult. C. proposiți, l. vlt.* §. 1. *in fine ff. de compensat. cap. fin. inf. de deposito* : quia instrumentum depositi paratam habet executionem. Quod intellige de conuentione, quæ celerem rei depositæ restitutionem impediat, & pari passu ambulet, eo quòd in depositio fides exuberare debeat.

5 Tertiò, non habet locum in causa appellationis, *l.* 1. *ff. eum, qui appellauit, in Provincia defendi* : quia appellatio communiter necessitate impellente interponitur, nempe propter iniuriam, quam appellans putat sibi illatam esse, Maranta latè *dict. dist.* 6. *num.* 24. proinde cesset ibi ratio *dict. l. cum Papinianus.* Quod intellige de appellatione iudiciali.

6 Denique non habet locum in iis causis, quarum qualitas & natura reconuentioni repugnat, & de quibus iudex conuentionis cognoscere nequit, vti laicus de spiritualibus. *In cap.* 2. *in fin. hoc tit. & ibid.* Abbas *num.* 28. *& seq.* Bald. *in dict. Auth. Et consequenter num.* 5. *&* 6. Videatur Gisebert. *tract. de reconuentione cap.* 14. *num.* 14.

Non permittitur etiam actori reconuento reum iterùm reconuenire, ex communi sententia, ne nimia petitionum coacernatio iudicem plus satis grauet, sibique mutuò actor & reus officiant.

§. III.

Quando proponi reconuentio debeat.

1 *Ante vel post litem contestatam proponendam esse.*
2 *Etiam ad sententiam vsque.*
3 *Causa conuentionis & reconuentionis pari passu expedienda.*

1 PRoponi reconuentio debet ante litem contestatam, Clem. *sæpe vers. verùm de verb. signif.* vel saltem statim post litem contestatam, priusquam scilicet iuretur de calumnia, dummodò reus velit causam reconuentionis cum causa conuentionis simul eodem iudicio terminari, ne aliàs cum graui dispendio actoris
2 differri conuentionis causam contingat.* Alioquin locum esse reconuentioni vsque ad sententiam, vel saltem conclusionem in causa, durante iudicio conuentionis, verius est, *arg. c. dispend. 3. vers. Reus est quoque de rescriptis in 6.* vbi dicitur, reum, eodem durante iudicio, actorem sibi obnoxium dicere posse, & experiri apud eumdem iudicem, conuentionis vel reconuentionis beneficio : quia iudicium dicitur, dum negotium discutitur, *cap. Forus in princip. inf. de verb. signif.* duratque vsque ad sententiam seu conclusionem in causa. Deinde in Nouella 96. §. *Illud vers. sanciemus*, dicitur, non priùs causam reconuentionis proponi posse apud alium iudicem, quàm prior lis conuentionis finem acceperit; quod fit per sententiam, *l.* 1. *ff. de re iudicata.* Vnde quòd in quibusdam textibus dicitur, reconuentionem statim esse mouendam, vt *in d. Auth. & consequenter*; vel in continenti, vt *cap.* 1. *hoc tit.* ita intelligendum est, durante scilicet adhuc eodem iudicio, si reus conuentus velit coram eodem iudice actorem reconuenire : quia coram alio audiri non debet, nisi terminata lite conuentionis, *d. vers. sanciemus in fine.* Vel quòd statim & incontinenti proponi debeat, id est vel ante litem contestatam, vel statim post, vt simul terminetur cum causa conuentionis. Alioquin pari passu non ambulabit cum conuentione, nec per eam causa conuentionis retardabitur *secundum* Marantam 4. *part. dist.* 6. *num.* 5. *vbi alios citat* : vt neque quando alterutra causa celeritatem postulat, & periculum imminet animarum; nam priùs decidi ea causa debet, de qua liquebit priùs, *cap. Ex conquæstione inf. de restit. spoliat.* Sicut, & quando petitio actoris altiorem exigit indaginem & dilationes plures, differri debet conuentio, atque expediri reconuentio, & contrà: qua de re fusè Marian. Socin. *in cap. prudentiam* 2. *hoc tit. num.* 17. Quamvis & hoc casu, quo, inquam, non ambulat pari passu reconuentio cum conuentione, non minùs priuilegio prorogatiuo iurisdictionis, subiiciatque actorem alienæ iurisdictionis, quàm priori casu isque coram eodem iudice, nulla obstante fori præscriptione, ad causam reconuentionis respondere cogatur, *d. l. cum Papinianus*, adeò vt, si respondere nolit iudex eum in causa conuentionis audire non debeat, *arg. l. Mutuus* 43. §. *pœna ff. de procur. l.* 5. *C. eod. l. sed etsi* 26. §. *& adiicitur ff. ex quibus causis maiores, &c.*

3 Iam verò, quod ad formam & ordinem iudicij huius attinet, iudex porrecto ex parte actoris libello conuentionis, & ex parte rei libello reconuentionis, idque vel ante vel statim contestatam, de vtraque causa, conuentionis & reconuentionis, simul cognoscet : ita tamen, vt priùs ad libellum actoris respondeat, deinde

deinde actor ad libellum rei : & tunc super vtraque petitione lite contestatâ vtriusque causæ singulos, vel etiam plures, actus iudiciales, viciſſim, eodémque die, ſi fieri poſſit, expediat, *cap. 1. & 2. verſic. cum ea inf. de ord. cognit. iuncta clement. Sape, verſic. nos vſum de verb. ſignif.* datâ ſuper prærogatiuâ actori, vt primò expediantur actus in cauſa conuentionis, *arg. l. Qui prior appellat. 29. ff. iudic.* Abbas *in cap. 1. num 7. h.t.* Atque ita, ſi de vtraque cauſa pariter liqueat, vtramque vna ſententia terminabit, *d. cap. 1. h.t.* Vna ſententia, inquam, quia eodem die & eodem contextu, ac denique vna ſcriptura proferenda eſt; ita tamen, vt primò ſcribatur caput conuentionis, tum reconuentionis, & vnum poſt aliud immediatè legatur & proferatur. Atque ita ſecundùm iuris diſpoſitionem, & inſpecta rei veritate, tot erunt ſententiæ, quot cauſæ & litis ſpecies, *l. etiam §. 1. ff. de minoribus, l. Quædam mulier 41. ff. fam. erciſcunda*, Abbas, *in d. c. 1. n. 9 h.t.* ac proinde reuera duæ hic erunt ſententiæ, ſicut ſunt duæ cauſæ, in diem iudicium, partim rei reconuenientis, partim dirimendarum litium fauore deductæ. Si tamen iudex, propoſita cauſa reconuentionis, ſuper conuentione ſola ſententiam proferat, ea ipſo iure valebit, *iuxta communem in d. cap. 1. & d. Auth. Et conſequenter.* Eóque nomine appellationem interponendam cenſet iuriſc. *in l. in fin. ff. de ſent. quæ ſine appellat. reſcind.*

Illud denique hic ſubiiciendum eſt, actorem reconuentum, ſi detrectet reſpondere ad libellum reconuentionis, hanc pati pœnam, vt non teneatur reus ad eius libellum reſpondere, niſi viciſſim offerat reſpondere libello ipſius rei, *d. c. 1. & 2. h.t.* & facit *c. fin. in fine inf. de iuram. calumniæ.*

TITVLVS V.

De litis conteſtatione.

§. I.

Quid ſit, & quo pacto inducatur.

1 *Iudiciorum tres partes.*
2 *Iudicium impropriè ſumptum à citatione incipit.*
3 *Propriè verò ſumptum à litis conteſtatione.*
4 *Effectus huius.*
5 *Quid ſit litis conteſtatio, & quo modo inducatur. 6. 7.*
8 *Quomodo impediatur per proteſtationem. 9.*
10 *Per exceptionem peremptoriam.*

TRes vulgò faciunt partes iudicij, latiùs & impropriè ſumpti : primam à citatione ſeu in ius vocatione, vſque ad litis conteſtationem : ſecundam à litis conteſtatione vſque ad concluſionem in cauſa ſiue ad ſententiam definitiuam excluſivè, in qua parte negotium principale tractatur ac diſcutitur : & tertiam à ſententia definitiua vſque ad executionem illius. Expeditâ igitur prima parte, de ſecunda porrò videamus : & quidem primò de litis conteſtatione, quia hæc inter ea, quæ ad iudicium ordinarium ſeu plenarium neceſſariò requiruntur, principale fundamentum & veluti baſis eſt. Nam quæ præcedunt, vt iudicis competentis aditio, citatio, libelli oblatio, & reconuentio : non acta iudiciorum, propriè dictorum, ſed eorum præparatoria dicuntur & ſunt. 1

Etenim licèt iudicium, latiùs ſumptum, à citatione, legitimè factâ, incipiat, quoad quoſdam iuris effectus, ad quos ſola citatio ſufficit; veluti quoad reddendam rem litigioſam, ita vt eius rei ſit prohibita alienatio, *Auth. litigioſa C. de litigioſis*; quoad inducendam litiſpendentiam, vt nihil innouari poſſit, *clement. 1. iuncta Gloſſ. in V. ad hoc. Vt lite pendente, &c.* ad inducendam præuentionem ſeu præoccupationem, vbi pluribus iudicibus in ſolidum competit iuriſdictio, *l. Si quis poſteaquam 7. ff. de iudiciis* (nam ab vno decretâ citatione, ſi hæc eidem inſinuata fuerit, dicitur is præuentus citatione, adeò vt citatus deinde ab alio iudice, concurrentem iuriſdictionem habente, comparere coram eo non teneatur, *d. l. 9. & l. Voi acceptum 30. iuncta gloſſ. ibid. ff. de iudiciu. l. pen. ff. de iuriſdict. om. iud. c. propoſuiſti ſup. de foro compet. iunctâ Gloſ. ibid. in V. præuentus*; (item quoad perpetuandam iuriſdictionem iudicis delegati, ita vt morte delegantis, vbi ſemel emanauit citatio, non exſpiret, *c. ſuper quæſtionum & c. Gratum ſup. de off. iud. delegati*; ad interrumpendam præſcriptionem longiſſimi temporis, 30. ſcilicet vel 40. annorum, prout hæc omnia latiùs deducta videre eſt apud Gaill. *lib. 1. obſerv. 74. à num. 16.* licèt, inquam, iudicium latiùs ſumptum quoad huiuſmodi & ſimiles effectus, à citatione incipiat: * tamen propriè loquendo, ex communi DD. opinione, à litis demùm conteſtatione incipere dicitur, *d. c. ſuper quæſtionum. vbi Gloſ. in V. litis exordium*, latè Gaill. *dict. obſerv. 74. num. 1.* 2

Ideóque ante litem contestatam actor non dicitur agere vel petere in iudicio, sed tantùm agere vel petere velle, *l. Amplius 13. ff. Rem ratam haberi*, Gaill. *d. loco num.* 2. Idque procedit non solùm in causa principali, hoc est in prima instantia verùm etiam in causa appellationis, *l. fin. §. illud C. de temporibus appellationum, iunctâ Glos. ibidem in V. exordium*, Gaill. *dict. loco num.* 3.

3 Hinc ante litis contestationem mutari libellus potest, tam in civilibus quàm criminalibus causis; quia necdum propriè potest dici cœptum esse iudicium; non item post, *l. Non potest 13. ff. de iudiciis*: etiam partium accedente consensu, quia actus substantiales iudicij, qualis est litis contestatio, cùm sit basis & fundamentum iudicij, *§ fin. inst. t. de pœna temerè litig. cap. Quoniam contra inf. de probat. l. de uno quoque ff. de re iudicata*, Gaill. *dict. loco num.* 1. nequeunt consensu partium tolli. Glossa *in cap. de causis V. consensu sup. de off. iud. delegati*, Gaill. *dict. loco num.* 9. Similiter ante litis contestationem potest adhuc recusari iudex, *l. fin. Cod. de recept.* Glossa *in l. Et quia ff. de iurisdict. omn. iud. in V. antequam*; non etiam potest, *l. nemo 4. Cod. de iurisd. omn. iud. l. l. sed etsi suscepit 52. ff. de iudiciis.* Similiter contra actorem, sine quo tamen iudicium esse nequit, *cap. Forum inf. de verb. signif.* opponi potest, quòd non habeat personam standi in iudicio: vt & aliæ exceptiones fori declinatoriæ, *l. inter litigantes 60. ff. de iudic.* Glossa *in cap. gratum in V. quasi sup. de offic. deleg.* non item post litem contestatam, quia iis censetur renuntiatum per litis contestationem, quippe cœpto iam iudicio.

4 Item ante litis contestationem Procurator, quasi re integra adhuc, etiam sine causa, revocari potest: quia propterea alium sibi substituere nequit, cùm nondum sit factus litis dominus, *l. si procuratorem, §. si quis mandauerit ff. mandati*: nisi in rem suam sit constitutus, vel potestatem substituendi à domino habeat. Non autem post litem contestatam, *cap. 2. de procurat. in 6. l. procurat. C. eod. l. Filius famil. 8. l. ante litem 16. cum sequent. ff. eod.* quia iam factus est litis dominus, ac proinde substituere sibi alium potest. Et quia per litis contestationem incipit iudicium, ideò quoque post litem contestatam non potest ampliùs recusari iudex, *l. nemo 4. C. de iurisdict. omn. iud.* Hinc etiam exceptiones peremptoriæ, si altiorem requirant indaginem, post litem contestatam proponendæ sunt, quia respiciunt merita causæ principalis, quæ ante litis contestationem disputari non possunt, *cap. 1. hoc tit. in 6.* Exceptis casibus, relatis à Philippo Franco, *in dict. cap. 1. num. 18. & sequent.* Videantur hæc latiùs deducta apud Gaill. *dict. loco.*

Litis autem contestatio est rei ad actoris, vel contra, actoris ad rei petitionem principalem, negando vel affirmando, coram iudice purè facta responsio, animo contestandi litem, *cap. vnico h. t.* 5

Debet pura esse responsio, non conditionalis, quia litis contestatio actus est legitimus, qui neque diem neque conditionem recipit, *l. Actus legitimi 77. ff. de R. I.* Mynsing. *Cent. 3. obs. 74.* 6

Debet coram iudice fieri; nam si reus extra iudicium, id est ante petitionem actoris, in iudicio factam, debitum v.g. confiteatur, non inducitur per hoc litis contestatio: ac proinde nec sententia iudicis definitiua, sed soluendi dumtaxat præceptum, subsequi debet, *l. si debitoris 21. ff. de iudiciis.* Similiter nec per responsionem rei ad positiones actoris fit litis contestatio, *dict. cap. vnico, cap. dudum 54. §. partibus sup. de elect.* Bart. *in l. vnicum, 13. C. hoc tit.* nam qui ponit, per hoc non ostendit, se agere velle, vt latè ostendit Glossa *in dict. cap. vnico.* Nec etiam quæ ponit actor, semper petit: aliud enim est ponere, aliud petere. Imò multa sæpè ponit, quæ tamen postea non petit per sententiam iudicis sibi adiudicari.

Eodem modo non inducitur litis contestatio per nudam narrationem facti, & secutam responsionem: quia, vt antè dixi, litis contestatio fit solùm per petitionem in iure propositam, & responsionem, siue statim, sive ex interuallo secutam, *arg. Auth. offeratur C. hoc tit.* verbis sive affirmativis, sive negativis, Glossa *in dict. cap. vnico*; sive veritatis, sive credulitatis (vt si dicat reus, *non credo narrata esse vera*) conceptam Bart. *in l. vnica, C. hoc tit.* & animo, contestandi litem: non quasi necesse sit ad hoc vt lis dicatur contestata, reum expressè dicere, se respondere ad petitionem actoris animo litem contestandi, quia semper ita respondere creditur & præsumitur, nisi expressè contrarium protestetur. Rota *decis. 11. incip. si quis, in antiquis.* 7

Quin etiam, licet protestetur reus, quòd litem super libello exhibito contestari nolit, & postea simpliciter respondeat ad libellum negativè, nihilominus per hoc censebitur contestata lis, *d. c. vnico hoc tit.* Farrarien. *in forma declinatoria iudicij, n.* 4. Ratio est, quia protestatio actui contraria non producit effectum aliquem, *cap. cum M. Ferrar. sup. de constitut. & ibidem* Felin. *& communiter canonistæ*, Gaill. 1. *obser.* 75. *num.* 6. 8

Cæteroquin

Cæteroquin litis conteſtationem impedit
9 proteſtatio de non conteſtando, per reum reſponſioni ſuæ ſubiecta, vt tradunt DD. *in l. vnica C. & in c. vnico h.t.* Si tamen in hac proteſtatione fallaciter perſeueret reus & tergiverſetur proteſtando, vt differat hoc modo iudicium, poterit contumacia eius per remedia iuris coërceri, & ad conteſtandam litem cogi: veluti actori petenti miſſionem in bonorum poſſeſſionem decernendo ex primo vel ſecundo decreto: nam ex primo decreto nudam rei detentionem cuſtodiæ cauſa & pignoris vice actor conſequitur, nec fructus lucratur; ex ſecundo verò, verus poſſeſſor efficitur, vt poſtea dicemus. Quamquam ſi per huiuſmodi compulſionem reus ſeſe grauatum ſenſerit, appellare poſſit, Panormit. *in d.c. vnico*, quia iure Pontificio à quolibet grauamine per iudicem illato appellare licet, *c. 1. de appellat. in 6.*

10 Sed nec litis ſit conteſtatio, ſi peremptoria exceptio contra intentionem actoris à reo obiiciatur, Maranta *6. part hoc tit. num. 6. vbi alios citat*: quia non negat debitum, v.g. qui ſe tutum exceptione aſſerit: nec talis exceptio impedit, quo minus litis conteſtatio induci debeat; niſi ſit exceptio litis finitæ veluti rei iudicatæ, tranſactionis, iuriſiurandi, quæ ante litis conteſtationem cognoſci debet, *cap. 1. hoc tit. in 6.*

§ 1 Porrò ex iam dictis colligitur, litis conteſtationem induci non ſolùm per ſimplicem negationem, vt quando reus in iudicio negat ſimpliciter narrata per actorem, *l. vnica, & ibi* Gloſſ. *C. hoc tit.* ſed & per confeſſionem, Felin. *in d. cap. vnico*; & per verbum dubitativum credulitatis: vt ſi dicat reus, *non credo narrata eſſe vera*, aut *vera eſſe ignoro*: vti communiter fieri ſolet, quando fit per Procuratores vel hæredes, aut alios, qui iuſtam ignorantiam prætendere poſſunt in facto alieno, *l. Quamquam 7. ff. ad Velleianum.* Sic etiam inducitur, ſi dicat reus, *tu mentiris*, vti ex Baldo tradit Maranta *6. part. hoc tit. num. 4.* Alex. *l. Turpia 54. col. 2. de leg. 1.* niſi eiuſmodi verba prolata fuerint calore iracundiæ. Abbas *in d. cap. vnico num. 28. hoc tit.* Caluol. *in praxi §. litis conteſtatio concluſ. 1. num. 9.* Et rurſus fit non ſolùm per partes principales, verùm etiam per earumdem Procuratores, vel Aduocatos, modò reſponſio eorum ad petitiones actorum non fuerit ab ipſis principalibus partibus reuocata, *cum cauſam inf. de appellat.*

§ II.

De effectibus litis conteſtationis.

1 *Rem reddit litigioſam.*
2 *Excludit reum ab exceptionibus dilatoriis.*
3 *Inducit quaſi contractum.*
4 *Interrumpit præſcriptionem.*
5 *Actiones & iuriſdictionem iudicis perpetuat. 6.*
7 *Actiones pœnales facit deſcendere ad hæredes, &c.*

EFfectus porrò, litis conteſtationis ſunt 1
varij. Nam primò rem deductam in iudicium, tam reali, quàm perſonali actione, reddit litigioſam, ita ea vt ampliùs alienari non poſſit, *Auth. litigioſa C. de iudiciis.*

Secundò, excludit reum ab omni exceptione 2
dilatoria, quia per litis conteſtationem fingitur reus exceptionibus huiuſmodi renuntiare, *l. Pomponius 40. §. ratihabitionis ff. de procurat. l. Exceptionem, C de probat. cap. inter monaſterium 20. inf. de ſent. & re iud.* niſi de iis antè fuerit interiecta proteſtatio, aut iudicio accepto ex noua cauſa emerſerint, vel nouiſſimè ad notitiam rei peruenerint, de quibus poſtea dicendum erit ad tit. de exceptionibus.

Tertiò, à die litis conteſtatæ currit inſtantia, 3
déque inſiſtendo eidem inter litigatores inducit quaſi contractum, *l. 3. §. idem ſcribit ff. de peculio*, Gloſſ. *in l. 2. §. fin. ff. de Prætor. ſtipul.* ita vt actor poſt litem conteſtatam recedere à lite non poſſit, *l. ſi ſeruus communis*, ubi Bald. *ff. de noxalib. act.* Gloſ. *in l. penult. ff. de tranſact.*

Quartò, interrumpit præſcriptionem à reo 4
inchoatam, DD. *in l. contractib. §. 1. & fin. C. de non numerata pecunia.*

Quinto, actiones, morte perituras, perpe- 5
tuat, ad quadraginta annos extendit, *l. 1. §. 1. in fin. C. de annali except. l. fin. C. de præſcript. 30. vel. 40. annorum*, modò ſcilicet lis fuerit conteſtata coram iudice competente, Guido Papa *Sing. 578. item. 2.*

Sextò, facit, vt actiones pœnales, ex delictis, 6
vel quaſi delictis deſcendentes, ad reorum hæredes in ſolidum tranſeant, *§. 1. in fine inſtitut. de perpet. & tempor. act.* quæ alioquin, ex iuris ciuilis diſpoſitione, non niſi quatenus ad eos peruenerit, competunt, *l. vnica, C. Ex delictis defunctorum, &c. in fine.* Licet de iure Pontificio, etiam lite non conteſtata, hæredes inſolidum conueniri poſſint, vt animæ defuncti conſulatur, *cap. fin. inf. de ſepult. cap. Tua nos inf. de vſuris.*

Atque ita litis contestatio circa id, quod interest, damna, sumptus, fructus, reliquasque accessiones lite pendente emergentes, Iudicis officium parit, *l. Ædiles §. cæterum ff. de Ædilitio edicto*, & ab eius tempore in actionibus stricti iuris veniunt fructus, *l. Videamus 38. §. Si actionem ff. de vsuris*, *l. Si filiusfam. 78. §. vlt. ff. de verb. oblig.*

7 Septimò, ex bonæ fidei possessore efficit possessorem malæ fidei, *l. Certum 22.* & *l. Morem 26. Cod. de rei vindicat.* Menoch. *lib. 2. præsumpt. 31.*

8 Octavò, facit, quòd tutor possit constituere Procuratorem, *l. Neque Cod. de Procurat.* & Procuratoris mandatum confirmat, Procuratorémque facit litis dominum; adeò vt revocari à principali nequeat, & alium constituere ipse sibi possit, *l. Quod quis 8.* & *l. Neque 11. C. de Procurat.* Oldrad. *cons. 317. num. 2.* Mynsi. *Cent. 1. Obser. 42.*

9 Nonò iurisdictionem Iudicis perpetuat, & quandoque ampliat ac prorogat, adeò vt Iudicem, aliàs incompetentem, faciat competentem: quod tamen in Clerico non obtinet, nequidem in actione reali, respectu Iudicis sæcularis.

10 Decimò, facit, vt ad sententiam definitivam procedi possit de iure communi, ad quam sine ea procedi non potest, vt *in c. Si vero etiam, in Novel. de exhibendis reis 53. cap. 3.* Maranta *d. loco num. 15. DD. in c. Quoniam frequenter inf. t. prox. Vt lite non contestatâ, &c.* Denique alios multos operatur effectus, de quibus videatur Specul. *de lite contestat. §. penultim. & fine.*

TITVLVS VI.

Vt lite non contestatâ non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Testes ante litis contestationem recipi regulariter non possunt.*
3 *Casus speciales, quibus recipi possunt.*

1 DIximvs præcedenti Tit. Litis contestationem esse fundamentum ac principium, & velut angularem lapidem, vt Bald. ait *in c. vnico hoc tit.* iudicij ordinarij, seu plenarij, *l. 1. cum Auth. Offeratur Cod. de iudic. l. 2. Cod. de iureiur. Propter calum. c. Ex parte inf. de verb. significat.* atque etiam iuris publici: ita vt neque auctoritate Iudicis neque consensu partium intermitti possit, Rota *decis. 4. de lit. contestat. in nov.*; neque ante litis contestationem causa principalis dicatur in iudicium deducta, *c. Accedens §. cum igitur hoc tit.* Vt vel hinc quoque appareat, recto ordine subiungi hunc Tit. *Vt lite non contestatâ non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*: præsertim cùm ex eo, quòd ante litis contestationem causa nondum dicatur in iudicium deducta nihilque petitum; nihil etiam sit, super quo testes recipi possint, aut super quo Iudex sententiam ferre queat; & ideò si eam tulerit, sit ipso iure nulla, *d. c. Accedens §. cum igitur & c. vnico tit. præced. c. de causis iuncta* Glossi. *in V. consensu sup. de offic. deleg.*

2 Quid si ergo, inquies, reus, ter legitimis intervallis, vel semel peremptoriè citatus, comparere nolit in iudicio, sicque litis contestationem protérve impediat? Nihilominus testes recipi non poterunt ad probandam actoris intentionem, *c. 1. 2. 3. & 4. h. t.* Verùm eo casu reus habebitur pro contumace (quippe qui, vt Iurisc. ait *in l. Contumacia 53. §. contumax ff. de re iudicata*, tribus edictis propositis, vel vno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, literis evocatus, sui præsentiam facere contempserit) & propter hanc eius contumaciam actor mittitur in possessionem bonorum; vt hoc pacto reus, videns adversarium suum in possessione rerum suarum, tandem tædio affectus veniat responsurus, *c. Quoniam 5. §. in aliis hoc tit.* Quid verò actor consequatur ex hac missione in bonorum possessionem, postea dicetur. Quòd si reus nulla bona habeat, aut mobilia, aut immobilia, in quorum possessionem actor mitti possit, vel causa sit talis, in qua hæc missio locum non habeat, poterit reus contumax excommunicari veluti si inter coniuges propter adulterium agatur ad separationem thori, *c. 1. in fine, & c. Tuæ fraternitatis hoc tit.*

Dicitur in Tit. *vel ad sententiam definitivam*; quia ad interlocutoriam rectè procedi tur, etiam lite non contestatâ, Abbas *in Rubr. huius tit.*

Sunt tamen speciales aliquot casus, quibus 3 absque litis contestatione possunt recipi testes, qui notantur à Glossa *in c. Quoniam frequenter §. porrò in V. regulariter h. t.* veluti si moveatur quæstio,

quæstio ; an matrimonium sive spirituale (quale est inter Prælatum & Ecclesiam) sive carnale, subsistat, & reus per contumaciam absit, possunt recipi testes, & ad sententiam definitivam procedi potest : idque ne aliàs propter longiorem moram Ecclesia detrimentum patiatur, vel in matrimonio carnali viro, aut mulieri fornicationis occasio præbeatur, *dict.* §. *porrò*. Quòd si reus aliter quam per contumaciam fuerit absens, vel ignoretur, vbi sit, tunc in spirituali coniugio iam contracto servantur Canones antiqui, *d.* §. *porrò verſ. Si verò aliter* : innovati per Conc. Trid. *ſeſſ. 6. c. 1. §. Si quis & ſeſſ. 23. c. 1.* in contrahendo verò exspectatur absens per sex menses, *d. verſ. Si verò aliter*. In carnali autem tamdiu exspectandum est, donec de absentis coniugis obitu verisimiliter præsumatur, *d.* §. *porrò verſ. Si autem.*

4 Secundò, possunt testes recipi ante litem contestatam, quando agitur per viam inquisitionis, *d. c. Quoniam* §. *ſunt & alij*.

5 Tertiò, si actor timeat, ne fortè inter litis contestandæ moras moriantur testes, quibus causa probari possit vt quia senes sint (in quo iudicando licet DD. varient, tamen communiter iudicium illud Iudicis arbitrio relinqui placuit) aut valetudinarij, vel diu sint abfuturi (mors enim & longa absentia æquiparantur, *per text. in c. Præſentata, & ibid.* Felin. *num. 2. inf. de teſtibus text. &* DD. *in c. 2. de Procurat. in 6. & in d. c. Quoniam & ibid. latè* Socin. *num. 9.*) vel ad bellum profecturi, aut mare transfretaturi ; vel si timeat actor, ne testes propter moram varient fidem, quia labilis sit hominum memoria ; potest hanc receptionem testium ante litem contestatam obtinere, vbi scilicet civiliter agitur : idque ad perpetuam rei memoriam, ne veritas occultetur, & probationis copia ob fortuitos, casus subtrahatur ; & quidem sive reus sit contumax, sive absens absque malitia, vel etiam malitiosè latitet, vt conveniri non possit. Sed observandum hîc est, vt actor, testibus eo modo receptis, ab initio intra annum vtilem (id est ab eo tempore, quo potuit agere vel denuntiare, Gloss. *in d. c. Quoniam in V. intra annum* & Abbas *ibid.* Socin. *ibid. num.* 11.) actionem instituat, aut saltem receptionem huiusmodi reo denuntiet, vt is videat testes produci, & si quid obiectum iis velit, quò minùs illis fides haberi debeat, hoc obiiciat : aliàs attestationes eiusmodi nullius erunt momenti, *c. fin. in princ. & d. c. Quoniam §. ſed et ſi actor, iunctâ Gloſſ. ibid.* & Panormit. *num. 6.* Socin. *d. n. 11.* quia præsumetur actor præsumptionis iuris & de iure hoc in fraudem procurasse, *d. c. Quoniam, & Gloſſ. ibid. in V. in fraudem*, Alciat. *tract. de præſumpt. in princ. §. 2. n. 15.* vt hac prorogatione temporis auferret reo legitimas exceptiones, quas habere potest contra testes.

Deinde observandum est, vt actor causas, ob quas hanc testium receptionem ante litem contestatam obtinere velit, in supplicatione pro commissione impetranda, coniunctim, aut sigillatim exprimat, vnâ cum articulis super quibus vult recipi testes, cum eorundem designatione, vt cognoscat Iudex, an ob aliquam earum periculum sit in mora, & an articuli sint tales, qui ad probandum admitti debeant, Gaill. 1. *Obſer. 92. n. 3.*

Quòd verò ad reum attinet, cùm in eius potestate non sit, sicut actoris, quando conveniatur, meritò permittitur illi testes suos quandocumque voluerit producere, & petere eorum receptionem sine discrimine ætatis, valetudinis, aut absentiæ, *c. Significavit inf. de teſtib. l. fin. C. de vſuris pupillar. l. 3. §. duæ ff de Carboniano edicto*, Gaill. *d. Obſer. 92. n. 8.*

Dixi ante, admitti hanc receptionem testium, vbi scilicet civiliter agitur ; quia secus obtinet in causis criminalibus criminaliter intentatis, ex parte accusatoris, & parte alterâ absente, licèt de morte vel diuturna absentia testium timeatur, vt tenent communiter DD. *in l. Abſente, Cod. de accuſ.* Gaill. *de Obſer. 92. num. 13. & alij, quos citat* : quia in causis eiusmodi probationis debent esse liquidæ & strictissimæ, atque indicia luce clariora, *l. vltim. C. de probat. can. Epiphanium 5. q. 6.* & in executionibus pœnarum cessat favor, *l. Auxilium 37. in princ. ff. de minoribus, & Gloſſ. ibid. in V. pœnarum* ; cùm agatur de gravissimo præiudicio, & satiùs sit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare, *l. Abſentem 5. de pœnis*. Secus dicendum ; quando civiliter agitur : tunc enim non vertitur tantum præiudicium, & communiter procedunt à pari merè civiliter agere, & de crimine agere civiliter, vt *in l. fin ff. de privatis delictis & in c. Tuæ ſup. de Procurat.* vbi late Abbas *& DD.* Socin. *in d. c. Quoniam, num. 9. ſub finem.*

Dixi in criminalibus causis ex parte accusatoris non esse locum receptioni & examini testium ad perpetuam rei memoriam ; quia id reo permittitur favore innocentiæ, nempe quòd tempore delicti fuerit absens vel minor, vel delictum sit tale, quod pœnam non mereatur

reatur Gaill. *d. obſer. 92. num. 15.* ſubiungens *obſeru. ſeq.* quòd ad hoc, vt obtineat commiſſionem ad perpetuam rei memoriam, Iudex cauſæ principalis adiri debeat; ſive petatur ab actore, ſive reo; & *obſeru. 94.* quòd pars adverſa, adverſus quam teſtes producuntur, regulariter citari debeat, ad videndum iurare teſtes, & dandum interrogatoria, ſi periculum non ſit in mora. Quod addo, quia vbicumque periculum eſt in mora, receditur à iuris communis regulis, *l. de pupillo §. ſi quis rivos ff. de noui operis nuntiat.* Gaill. *de obſer. 93. num. 3. vbi alios citat:* adeo vt receptio teſtium, coram incompetente Iudice facta, etiam parte non citatâ, valeat, ſi hoc præſens neceſſitas, v.g. periculum mortis exigat, vt docet Gaill. *ibid. num. 4. per text. in l. fin. Cod. de teſtibus, citans* Bart. *& alios.* Idem dicendum, ſi periculum quidem non ſit in mora; verum aliud ſubſit; vt ſi citandus ſit tyrannus: quem pars non audeat convenire, aut eidem teſtium receptionem denuntiare, Socin. *d. loco num. 11.* Et quamvis ceſſante periculo, videatur ſufficere, quod illi fiat denuntiatio, *arg. d. c. Quoniam §. ſed etſi actor:* tamen expedit citationem fieri ex parte actoris, ad hoc, vt non teneatur eo caſu intra annum agere. Vide Innoc. *in c. Significaverit inf. de teſtibus.*

Cæterùm plures ſunt caſus, in quibus abſque litis conteſtatione ad teſtium receptionem & ſententiam definitivam deveniri poteſt. Et quidem Marianus Socin. *in d. c. Quoniam* 82. numerat: & videre eos licet apud Calvolum *in Praxi §. Litis conteſtatio, concl. 2.*

TITVLVS VII.

De iuramento calumniæ.

§ I.

Quodnam ſit hoc iuramentum, & quid continere debeat.

1 *Neceſſitas huius iuramenti.*
2 *Calumniari, Calumnia & Calumniator quid ſit.*
3 *Capita iuramenti de calumnia.*

1 ITE conteſtatâ, aut etiam non conſtatâ, iis ſcilicet caſibus, quibus litis conteſtatio non eſt neceſſaria, aliter actori ac reo ſuis allegationibus vti non permittitur, quàm ſuo ordine, priùs quidem actor, deinde reus, iuramentum calumniæ tactis ſacro-ſanctis Evangeliis, præſtiterit, *c. penult. h. t. cap. 2. §. 1. eod. in 6. l. 2. C. eod.* Abbas *in cap. Cum cauſam num. 5. h. t.* Specul. *tit. de iuram. calum. §. 1. in princ. & n. 3.* Alex. *in l. Cum Iudices num. 1. Cod. de iure iurando propter calumniam dando.*

2 Eſtque adeò neceſſarium hoc iuramentum, vt ſi ab alterutra parte exactum & omiſſum fuerit, omiſſio eius vitiet proceſſum, & ſententiam reddat nullam, *l. 2. §. ſed quia Cod. eod.* Bart. *in d. l. cum Iudices §. ſed quia veremur n. 3.* Alexand. *in l. Qui bona §. ſi alieno num. 14. ff. de damno infecto.* Idque de iure obtinet licet à fiſco exigatur: cùm iuramentum hoc nuſquam à lege fiſco nominatim remiſſum reperiatur, & fiſcus non niſi in caſibus à iure expreſſis privilegium habeat, id non expreſſis verò iuris communis diſpoſitioni ſubiaceat, *l. fin. C. de vſuris fiſcalib. lib. 10.* Dico, de iure: quia de conſuetudine id non ſervari in fiſco refert Gaill. 1. *Obſeru. 90.* nec talibus iuramentis gravandum eſſe fiſcum, tum propter maieſtatem mandantis, tum quia calumniari non præſumatur, quem neceſſitas officij excuſat, & quia perſonæ qualitas præſumptionem calumniæ excludat. Tametſi autem expreſſo partium conſenſu iuramentum calumniæ remitti nequeat, tanquam introductum in bonum publicum, ne veritas occultetur, *l. 2. §. ſed quia veremur C. eod.* & ad coërcendos litigatores à malitioſa litium intentatione, *arg. cap. Si diligenti ſup. de foro compet. l. ſi vnus §. illud nulla ff. de pactis,* latè Calvolus *in Praxi §. Iuramentum calumniæ, concl. 1. n. 14.* tacitè tamen omitti poteſt *c. 1. h. t. in 6.* Gaill. 1. *obſeru. 84. n. 2.*

3 Calumniari in criminalibus eſt falſa crimina intentare, *l. 1. in princ. ff. ad Turpil.* in civilibus verò eſt per meras fruſtrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare. Vnde Calumnia propriè eſt alicuius in litibus per fraudem & fruſtrationem vexatio: & fruſtrationes alios litibus vexant, *l. Si calumnietur ff. de verb. ſignificat.* Aliàs Calumniator dicitur, qui vt calumniæ causâ negotium alicui faceret, vel non faceret, pecuniam accepit, vt *in tit. ff. de calumniatoribus.*

Inſcribitur autem hic tit. *de iuramento calumniæ*, ſcilicet vitandæ, vt explicat Abbas *in Rub. h. t.* ſicut & explicatur illud, quod ex Paulo habetur *in can. Nerui diſtinct. 13.* Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat; propter fornicationem ſcilicet vitandam

Cæterùm

propter fornicationem scilicet vitandam.

Cæterùm hoc iuramentum vtrimque mox à lite contestata regularitate præstandum, plura capita continet. Nam primò iurat actor, se non calumniandi animo litem mouere, sed quòd existimet se iustam habere causam, cur litiget; reus verò iurat, quòd, putans bona instantia vti, ad reluctandum & contradicendum venerit, *l. 2. iunctâ Auth. in isto Sacramento Cod. eod.* Nec enim hoc iuramentum est scientiæ, sed credulitatis; & ideo nullus conqueri potest, quòd ad illud compellatur. Secundò, vterque debet, ex consuetudine magis, quàm iuris communis dispositione, quod interrogatus a iudice dicturus sit veritatem; quodque sciens & prudens falsâ probatione non vtetur. Tertio, quòd nullam in tota lite superfluam, & quam non existimauerit necessariam, probationem ab aduersario suo exiget, *d. Auth. in isto Cod. eod.* Quartò, quòd dilationem non petet in fraudem, ad protelationem causæ *leg.* 1. ibi, *nec causa differendi Cod. hoc tit.* Quintò, quod nihil penitùs patrocinij causa iudicibus, vel aliis quibuscumque personis dederit promisse itve, aut daturus sit, per se vel per alios, præterquam aduocatis honorarium, cæterisque personis, quibus à iure permittitur, *nouel. 124. in princ. ex qua desumpta est Auth. Principales Cod. h. t. iunctâ l. Plebiscito ff. de off. Præsidis.* Hinc illi versus vulgares, relati à Glossa *in c. 1. hor. tit.*

Illud iuretur quòd lis sibi iusta videtur:
Et si quæretur verum, non inficietur:
Nil promittetur, nec falsa probatio detur:
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

§. II.

A quibus præstari debeat, vel non.

1 *Præstari debet à principalibus personis etiam Ecclesiasticis.*
2 *Nisi per procuratorem malint agere.*
3 *Item à tutoribus, curatoribus & similibus.*
4 *Item ab aduocatis de iure communi.*

1 REgulariter præstari debet per ipsas principales personas, *Auth. Princip. personæ C. hoc tit.* etiam Ecclesiasticas, & in principali dignitate constitutas, si ipsæ personaliter suam propriam causam agere velint; non quidem tactis, vt alij, sacro sanctis Euangeliis, sed propositis dumtaxat, *c. fin. in princ. h. t.* Alioquin si causam Ecclesiæ suæ agant, non possunt compelli ad iusiurandum, sed aliis idoneis defensoribus hoc munus delegare debent, *d. c. 1. h. t.*

2 Quòd si personæ Ecclesiasticæ non per se, sed per procuratorem malint causam agere, tunc possunt non minùs quam laici hoc iuramentum per procuratorem præstare, dummodò id ei specialiter demandent; *dict. c. penult. h. t. c. fin. eod. in 5.* nisi iudex, inspecta controuersiæ qualitate, & personarum principalium conditione, ipsius potiùs, quàm earum procuratoribus, etiam speciale mandatum habentibus, iuramentum deferre maluerit: nam eo casu ipsæ principales personæ illud subire cogentur, *cap. in pertractandu hoc tit.* Quin etiam, licèt personæ principales iuramentum præstiterint, nihilominus & earum procuratores requisiti, illud quoque suo nomine & in animam suam postquam susceperint, præstare debebunt, *cap. 2. §. procuratores eod. in 6.* Castren. *in dict. cap. cum iudices §. fin. autem.* Sin recusent, submouendi sunt à prosecutione causæ. Eodem modo licèt procuratores illud nomine dominorum suorum præstiterint, tamen etiam suo nomine, & animam suam, iurare tenebuntur, si speciale ad hoc habeant mandatum. Quod addo, quia procurator datus à iudice cogi quidem potest ad præstandum iuramentum calumniæ, quoad ea, quæ ad officium procuratoris pertinent non tamen quoad merita causæ seu iustitiam vel iniustitiam eius, prout latiùs deducit Gaill. 1. *obseru.* 88.

3 Tutores quoque, curatores, & aliæ similes personæ, quæ alienarum rerum generalem administrationem legitimâ auctoritate habent & gerunt, vt Xenodochiorum, ciuitatúmque rectores, & Ecclesiarum Prælati, etiamsi ad hoc speciale mandatum non receperint, in propriam animam de calumnia iurare debent, *dict. Auth. Principales in fine & dict. l. 2. §. quod obseruari oportet.* Idèmque de Collegiorum, Vniuersitatúmque Syndicis & Monasteriorum Oeconomis, generalem administrationem habentibus, statutum est, *in d. c. in pertractandu & c. seq. h. t.* vt scilicet Ecclesiarum & vniuersitatum nomine iurent in animas suas, & non in animas singulorum, qui sunt de Ecclesia vel vniuersitate, quia Syndici & Occonomi melius sciunt aut scire debent, quid iuris habeat vel non habeat Ecclesia aut Vniuersitas, cui inseruiunt, quàm ipsa Vniuersitas, quæ sensu caret, & quàm singuli, qui sunt de Ecclesia aut Vniuersitate.

4 Tametsi verò etiam aduocati ex iuris dispositione de calumnia iurare teneantur, *d. l. 2. in princ. l. Rem non nouam Cod. de iudiciis*: quia

meliùs norunt calumniari, quàm partes, Roman. *Singul.* 428. tamen consuetudo passim ea in parte iuri derogavit. Nam in Curiis omnibus, cùm ad munus postulandi admittuntur, illud generaliter in omne vitæ suæ tempus & ad omnes causas præstant, vt proinde in singulis causis ab eis repeti supervacaneum vsum sit: & Iustinianus *in d. l. Rem non novam in princ.* sufficere putavit, si Iudices, cùm ad iudicandi munus assumuntur, hoc iuramentum generaliter præstent. Et talem consuetudinem, ob perversitatem hominum, magis hodie de calumnia committenda, quàm evitanda, iurantium, maximè excedat hominum memoriam, valere posse existimat Gaill. *cum aliis, quos citat. 1. obseru. 85.* Aliàs consuetudinem disponentem, quòd possit procedi in causa absque iuramento calumniæ, non valere, tenet Matthesil. *Sing. 75. num. 1.* Menoch. *de arbitrariis lib. 1. quæst. 20. num. 4.*

§. III.

In quibus causis præstandum sit.

1 *Præstari debet in omnibus causis, etiam appellationis.*
2 *Et in qualibet parte litis exigi potest.*

1 PRæstandum autem est hoc iuramentum indifferenter in omnibus causis, sive sint civiles, sive criminales, sive mixtæ, *argument. l. 1. in princip. Cod. eodem leg. fin. Cod. de fide instrument.* Abbas *in cap. 1. numer. 12. & sequentibus hoc titulo*, Menoch. *dict. loco numer. 3.* sive de iis summariè seu de plano, absque figura & strepitu iudicij, sive plenariè & servato ordine iudicij agatur, *Clement. Sæpe de verb. signif.* Menoch. *d. loco num. 1.* sive sint profanæ, sive spirituales, vt cum agitur de decimis, de iure patronatus, & id genus aliis, *c. Caterum hoc titulo, c. 1. in fine eodem in 6.* licèt olim in causis spiritualibus non nisi de veritate dicenda iuraretur, *cap. Literas hoc titul.* quia, inquit Pontifex tales causæ non ex legum districtione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur. Et præsumit Canon, actorem vel reum in causis eiusmodi calumniari non velle, cùm agatur de rebus, quæ Dei sunt, quem nihil latere potest, & qui inter iuramentum & simplicem loquelam nullam vult esse distantiam, *can. Iuramenti 22. quæst. 5.*

Licèt autem in principali causa & prima instantia semel iuratum sit de calumnia, nihilominus adhuc in causa appellationis iurandum est: sicut & de veritate dicenda, *d. c. 1. in princ. eod. in 6.* quia causa appellationis alia est à prima, Bart. *in l. Cum Iudices n. 7. C. eod.*

Præterea licèt regulariter statim à lite contestata præstetur: tamen, quia est de ordinis iudiciarij substantia, potest à Iudice in qualibet parte litis exigi, *cap. 1. & 2. eod. in 6.* etiam post conclusionem in causa, Glossa, *in c. Ex literis in V. occulta inf. ff. iureiurando*, Gaill. 1. *obser. 74. num. 6.* Sed & in iis, quæ emergunt ante litem contestatam, & in qualibet exceptione iuratur de calumnia *secundum* Bartol. *in Auth. Hoc sacramentum Cod. eodem*, Abbas *in c. Cum causam 17. h. t.* Sufficit tamen semel præstare, sive ante sive post litem contestatam, quia cùm sit generale, ad totum negotium se extendit, *d. Auth. Hoc Sacramentum*, Abbas *d. loco.* 2

§. IV.

De pœna iurare subterfugientis.

1 *Actor ab actione sua cadit; & reus pro confesso habetur.*
2 *Ante sententiam tamen iudicis declaratoriam purgationi locus est.*
3 *In spiritualibus dicta pœna locum non habet.*
4 *In procuratore an habeat, quæritur & affirmatur.*
5 *Quadruplex est iuramentum.*

POrrò pœna recusantis hoc iuramentum, cùm præstandum fuerit, est, vt quidem actor quasi improbus litigator ab instituta actione & causa cadat, *c. fin. hoc tit. l. 2. §. quod actor Cod. eod.* accedente tamen sententiâ Iudicis absolutoria rei, vt constat ex locis allegatis, in quibus verbum *cadat* est futuri temporis, nec inducit canonem latæ sententiæ, Glossa *ibid.* Gaill. 1. *obser. 86. n. 1.* at verò reus, habeatur pro confesso; *d. l. 1. §. fin autem reus, & d. c. fin.* & per sententiam Iudicis definitivam actori, iuxta libelli petitionem, condemnetur: cum in confessum non sint aliæ partes Iudicis, quàm in condemnando, *l. vnica C. de confessis, & ibi* Gloss. *in V. soluere.* 1

Ex eo autem, quod vtroque casu requiratur sententia Iudicis, sequitur, quod actor vel reus, ante huiusmodi sententiam à Iudice latam, possit contumaciam suam purgare, & 2

& pœnam hanc evitare, præstando iuramentum calumniæ; quòd ideque, si ante eiusmodi sententiæ prolationem moriatur actor vel reus pœna illa, tanquam nondum commissa (cùm non incurratur ipso iure) non transeat ad hæredes eius, *l. Eos in princ. ff. de iure fisci*, Gaill. *d. obser.* 86.

3 Insuper pœna ista non habet locum in causis spiritualibus & beneficialibus: veluti cùm agitur de decimis, de iure patronatus, vel aliquo beneficio, ne inde detur vitiosus ad talia ingressus. Similiter nec in criminalibus, in quibus non fictæ, sed liquidissimæ & luce meridiana clariores probationes requiruntur, Costal. *ad d. l.* 2. § *quod si actor n.* 5.

4 Cùm verò procurator, speciale habens mandatum, non solùm in Domini constituentis, sed etiam in animam propriam iurare debeat, *cap.* 2. §. *procuratores eod. in* 6. *& d. l.* 2. *in princ.* eo quòd proinde atque ipse Dominus, extrahendo pro cessum, vel iniustam causam scienter prudenterque defendendo, calumniari posset, quæritur, an, si iurare nolit in animam suam, contumacia ipsius nocitura sit Domino, vt supradicta pœna locum adversus eum habeat? Et licèt benignior sit sententia, non habere (quia contumacia procuratoris nocet quidem Domino in his, quæ sunt parvi momenti, non verò in iis, quæ magni sunt præiudicij, qualis est pœna non iurantis de calumnia:) tamen habere locum de rigore iuris veriùs esse existimat Gaill. *lib.* 1. *obser.* 89. quia cùm lex velit, vt procurator iuret de calumnia, etiam in animam suam, consequenter quoque velle videtur, vt, si non iuret, incidat in pœnam: alioqui iuramentum calumniæ nullum produceret effectum, & lex non rebus, sed verbis posita esset, *contra l. fin. C. de vsuris.* Deinde quia notum est, contumaciam procuratoris nocere Domino maxime in iis, quæ pertinent ad iudicij processum, *iuxta l. Si procurator C. de procuratoribus & l. Si remunerandi* §. 1. *ff. mandati.*

5 Denique pro complemento huius materiæ sciendum, quadruplex esse iuramentum. Primum est decisorium, de quo *in cap. fin. inf. de iureiurando*: secundum est de veritate dicenda: tertium est de malitia, de quo fit mentio *in cap. eod. in* 6. & præstatur vel ante vel post litem contestatam, *c. in causis inf. de testib.* sive iuramentum calumniæ antea præstitum sit, sive non: & non semel dumtaxat, sed toties, quoties est præsumptio contra aliquem, quòd malitiosè aliquid proponat, *cap.* 2. *in fine eod. in* 6. in causis seu civilibus, seu criminalibus, *leg. Thesaurus D. Ad exhibendum*, sive spiritualibus; veluti si quis post publicationem testium excipiat contra eorum personas, cum antea non fit protestatus, quod suo loco & tempore excipere vellet, *per text. in c. Præsentium inf. de testibus.* De pœna nolentis iurare de malitia, vide Gaill. 1. *Obseru.* 87. Postremò quartum est iuramentum de calumnia: quod quo modò differat à iuramento de malitia, patet ex iam dictis. Quamvis autem iuramentum calumniæ operetur, vt quis excusetur à tacita & præsumpta calumnia, non tamen ab evidenti & expressa. Et ideò committens calumniam, etiam in causa civili, potest criminaliter accusari, finitâ causâ, Maranta *6. p. tit. de iuramento.*

TITVLVS VIII.

De Dilationibus.

§. I.

Dilatio quid sit, & quotuplex.

1 *Dilatio quid sit.*
2 *Divisio in Legalem, Iudicialem, Conventionalem.*
3 *Iudicialium alia sunt Citatoria, alia Probatoria, alia Executoria.*
4 *Citatoria dantur reo ad comparendum in iudicio.*
5 *Iusto intervallo & tertiò fieri debent.*
6 *Hodie dilationes omnes sunt arbitrariæ.*
7 *Potest Iudex vnâ citatione peremptoriâ vti pro tribus.*
8 *Deliberatoriæ dilationes dantur reo, non actori.* 9.
10 *Probatoriæ & actori & reo.*
11 *Sùntque peremptoriæ omnes.*
12 *Iudex tamen ex causa plures dilationes concedere potest.*
13 *In concessione earum seruanda æqualitas inter actorem & reum.*
14 *Executoriæ dilationes quæ dicantur, & quando dentur.*

ITE contestatâ, ac præstito vtrinque calumniæ iuramento, solent litigatores petere inducias & dilationes: actor quidem ad intentionem suam probandam, reus verò ad actoris petitioni respondendum, & exceptionem, si quam habeat, probandam.

1 Est autem Dilatio Iudicialis, de qua hîc agimus (nam datur etiam extraiudicialis, Speculat. *h.t.* §. 1.) in genere iustum temporis intervallum, quod ad aliquem actum iudicialem commodiùs perficiendum conceditur actori vel reo, à lege, vel à Iudice, vel ex conventione partium. Vnde secundùm Abbatem *in c. 1. n. 15. h.t.* dividi potest in Legalem, Iudicialem (sumendo Iudicialem, vt distinguitur à Legali, & ea, quæ ex conventione partium competit) & Conventionalem.

2 Legalis est, à lege (subintellige, vel statuto vel stylo Curiæ vel consuetudine) conceditur, absque ministerio Iudicis vel litigantium, *l. 1. & 4. ff. de re iudicata.*

Iudicialis modo prædicto est, quam Iudex ipse dat vel ex præcepto vel ex permissione legis, *c. Cum sit Romana inf. de appellationib.*

Conventionalis est, quæ ex conventione partium competit, *cap. Pastoralis §. cum autem sup. de officio iud. delegati, l. de die ff. Qui satisdare cogantur.*

3 Vt verò tres sunt iudicij latè sumpti partes, prima à iudicij præparatione vsque ad litis contestationem exclusivè, quæ potiùs præparatoria est, quàm essentia litis, secundum antè dicta; secunda à litis contestatione vsque ad sententiam definitivam exclusivè, tertia à sententia vsque ad eius executionem inclusivè: ita Dilationum Iudicialium tres præcipuè sunt species. Nam aliæ in prima iudicij parte dantur, & dicuntur Citatoriæ & deliberatoriæ: aliæ in secunda parte conceduntur, & vocantur. Probatoriæ: aliæ denique in tertia parte, & sunt Executoriæ.

4 Citatoriæ dicuntur quæ citatis seu in ius vocatis dantur, ad comparendum in iudicio: neque enim citari quis regulariter ita potest, vt statim, relictis omnibus, comparere debeat.

5 * Et ideò si primò sive ad primam vocatus non veniat, vocandus est secundò & tertiò, iusto tamen temporis, vt minimùm decem dierum, intervallo inter singulas citationes, *l. Ad peremptorium 68. & duabus sequentib. ff. de iudiciis, leg. Properandum §. 2. Cod. eod. tit.* Quamquam sint, qui existiment decem illos dies inter singulas citationes iure novissimo esse auctos ad triginta, *Auth. Qui semel Cod. Quomodo & quando Iudex, &c.* Verùm, hodiè passim in hoc intervallo vtimur stilo cuiusque Curiæ, qui est alius atque alius, Potestque Iudex hanc dilationem, pro rei seu causæ & personarum qualitate, & temporis locorúmque distantia, augere vel minuere seu moderari, *c. Constituit 24. sup. de officio delegati, l. 1. Cod. h.t. l. In oratione ff. de Feriis.* * Et ob hanc causam iure Canonico ac moribus huius sæculi omnes dilationes à iure statutæ dicuntur arbitrariæ, Busius *ad d. l. 68. num. 8. ff. de iudic.* Non quia Iudex eas denegare possit (nam si denegaret sine iusta causa, locus esset appellationi: sed quia, vt dictum est, pro varietate circunstantiarum moderari eas potest vel prorogare, *d. cap. Cum sit Romana & ibi DD.* & sic termini earum potiùs sunt arbitrarij, quam ipsæ dilationes. 6

Quinimò, si vtique iusta & necessaria subsit causa, veluti propter viarum periculum, vel si celeritatem res desideret, potest pro ternis citationibus vti vnicâ peremptoriâ, *cap. Cum ex literis in fine sup. de restit. in integrum, cap. cum dilecti & cap. vlt. inf. de dolo & contumacia, l. 2. l. Contumacia ff. de re iudicata, l. Nonnunquam ff. de iudiciis*: quæ ideò peremptoria dicitur, quia perimit omnes alias, vt si non veniat peremptoriè citatus, habeatur & puniatur vt contumax, perinde ac si ter fuisset citatus, *l. Et tertiam 70. ff. de iudic. & l. Tres denuntiationes 9. C. Quo modo & quando Iudex, &c.* & tunc in citatione addendum est verbum, *peremptoriè*, vt *in d. l. Ad peremptorium & duabus seqq.* Dixi, si iusta & necessaria subsit causa; quia etiam absque causa potest Iudex, si omninò velit, vnâ pro tribus vti, Abbas *in d. cap. 1. & cap. vlt. & ibid. Glossa hoc titul.* Quod intellige, quando citatio fit ad eum finem dumtaxat, vt inducatur contumacia iudicialis, vt *in c. Quoniam frequenter sup. Vt lite non contestatâ, &c. & d. c. vlt. h.t.* nam secus est in causis gravioribus, ad privationem alicuius officij vel beneficij tendentibus: quia in talibus non sufficit vna citatio pro tribus, sed distinctis citationibus & distinctis edictis opus est, si de iure trina citatio requiratur, Abbas & Ioan. And. *in c. Ex tua inf. de Cler. non resident.* Cavendum tamen iudici, ne dum aliquem peremptoriè citari iubet, nimis breve tempus ad comparendum definiat; maximè, si de rebus Ecclesiasticis agatur, nisi vrgeat necessitas; alioquin appellationi locus erit *d. c. 1. h.t.* Sola verò peremptorij edicti seu citationis peremptoriæ adsignatio non est causa sufficiens ad appellandum, Innoc. *in d. cap. 1.*

Quando autem quis vno edicto seu vna citatione peremptoriâ pro omnibus citandus sit, relinquitur Iudicis arbitrio. Vide plenius Gaill. 1. *observ. 53.* Butr. *in d. c. vlt. h.t. DD. in d. c. 1. h.t.*

Deliberatoria dilatio est, quæ datur reo, vt 8 viso libello actoris secum deliberare possit, an litigare

litigare velit, vel non. Et ideò, si reus ex literis citatorialibus plenè instrui possit, vt si libellus fuerit citationi insertus, non conceditur ei dilatio deliberatoria, *c.2. h.t.* Nec est ratio cur concedi debeat, cùm dilationem petere videatur, tantùm differendi iudicij causâ. Dantur verò de iure Novellarum viginti dies à die proiecti reo, libelli, *Auth. offeratur, Cod. de litis contestat.* & aliquando plures, pro distantia locorum, *c. vlt. h.t. c. Dilecti sup. de procurat.* Quinimò, etiam iis exactis pro varietate eorum, quæ vtrimque intra iudicij præparatoria agitanda occurrunt, variis aliis dilationibus locus esse potest: veluti si reus velit Iudicem, vt suspectum, recusare, & probare esse talem, *l. Apertissimi 16. Cod. de iudiciis*; vel impugnare rescriptum, quo ad Iudicem incompetentem vocatus est *l.2. Cod.h.t.* vel si velit actorem suum laudare, quod vulgò dicunt ad guarandiam vocare, *l.2. Cod. Vbi in rem actio, &c.* vel petat demonstrationem & ostensionem rei petitæ sibi fieri, vel quid aliud simile: nam dilatio ad vnumquemque actum iudicialem debitè peragendum, & ne quid præproperè fiat, dari potest maior vel minor, pro arbitrio Iudicis: in quo spectanda cuiusque Curiæ consuetudo.

9 Dixi, deliberatorias dari reo, non etiam actori; quia actor instructus venire potest & debet, *d.l.2. Cod. h.t.l. Qui in alterius ff. de reg. iur.* quippe qui tantum temporis habuerit, quantum voluit, ad deliberandum secum, quo modo & quando actionem suam institueret. Nunquam verò datur dilatio ad id, ad quod quis instructus esse debet, *c. Litera h.t.l. Si quando eod h.t.c. Littera inf. de præsumpt.*

10 Probatoria dilatio est, quæ litè contestatâ præstitóque calumniæ iuramento, datur actori ad suam intentionem, & reo ad exceptionem probandam, consideratâ locorum intercapedine, vbi probatio facienda est, *d.c.1.*

11 *h.t.* * Et hæc in causis civilibus regulariter est peremptoria, Mynsi. *Cent.1. obseru.71.* Gaill. *l. obser.91.* ac proinde non nisi semel dari debet in singulis iudicij actibus, singulísque negotiis emergentibus, *l.1. in fine Cod. eod. l. In oratione & l. fin. in princ. ff. de feriis.* Et licèt non apponatur in eius concessione verbum, *peremptoriè*; tamen ex iuris dispositione illud subintelligitur, Maranta *6. p. in tit. de dilationib.* Nec vlla hac in parte est differentia inter actorem & reum, nisi quòd iudex dare possit longiorem dilationem reo, quàm actori, eo quòd non perinde reus paratus possit venire ad iudicium, sicut actor. Vtilitatis tamen litigantium causâ receptum est, vt iustis de causis Iudex ad eundem actum, veluti ad convincendam contumaciam, secundam; imò tertiam & quartam dilationem impertiri possit, aut si inopinatum impedimentum emerserit, ob quod non potuerit ante res perfici: *dict. leg. In oratione*; vel si, lapsâ primâ dilatione, superveniant litiganti novæ probationes: in quo probando statur iuramento petentis secundam vel vlteriorem dilationem, *cap. Pastoralis inf. de exceptionib.* vel si alia similis subsit causa. Non tamen aliter Iudici permittitur plurium dilationum concessio, quàm si illæ necessariæ sint, & non supervacuæ, *l.2. Cod. Vt intra certa tempora, &c.* & rursus non aliter, quàm causâ cognitâ, *l.4. Cod.eod.* Si verò dilatio data sit absenti, ea eidem currit, nisi à die intimationis; nec dies, quo fit intimatio, imputatur, Maranta *6. p. n.14.*

Tametsi autem dilationes omnes, vt dixi 12
ante, sint Iudici arbitrariæ, etiam legales, *d. loc.num.* 15. & 16. Gaill. *Obser.89. num.13.* tamen semper inter actorem & reum seruanda est æqualitas, vt quantum temporis actori datur, tantum detur etiam reo, si petat, cùm eius partes sint fauorabiles, *l. Fauorabiles 125. ff. de reg. Iuris, cap. Non licet eod. tit. in 6.* & iudicium claudicare non debeat, *c.1. de sent. & re iud. in 6. cap. Nouit. § cæterum sup. de iudiciis, c. Cum inter, & ibi Glossa in V. iudicare inf. de exceptionib.* Gaill. *dict. Obser.* 89. Hinc dilatio probatoria, quæ datur in iudicio, semper est communis: vt si detur vni parti, prosit etiam alteri, *l. Petenda 6. Cod. de temporib. in integ. restitut.* Maranta *d. loco.* In capitalibus tamen controversiis reo tres dilationes, accusatori duæ, etiam causâ non cognitâ; dari possunt, *l.fin. in fine ff. de Feriis*; quia in iis causis maius vertitur præiudicium litigatorum. Excipitur causa criminalis adulterij, in qua nulla dilatio danda, nisi vt personæ exhibeantur; aut Iudex, negotij quantitate motus, & causa cognitâ eam concesserit, *l. In crimine 41. ff. de adulteriis.*

Cùm verò dilatio omnis probatoria sit per- 13
emptoria, vt dictum est, quæritur an infra terminum datum ad probandum debeat probatio absolui, an verò facta, postquam dilatio probatoria expiravit, valeat? Responsio pendet ex forma concessionis dilationis; qua de re videatur Pelsius *in Processu iudiciario tit.41. à n.65.*

Executoriæ dilationes sunt, quæ dantur 14
condemnato ad satisfaciendum: & sunt quatuor mensium, *cap. Quarenti sup. de officio de*

legati, l. 2. & 3. Cod. de vsuris rei iudic. l. si debitori ff. de iudiciis. Hæ dilationes non habent locum in realibus, neque in criminalibus: nam in his executio non differtur, nisi certis casibus, notatis per Hostien. *in summa tit. de officio delegati, §. Quæ iurisdictio vers. quamvis*: veluti cùm Principis iubet aliquem acriùs solito puniri; cùm mulier prægnans damnatur ad mortem; cùm damnatur servus ratiociniis obligatus; cùm relegato adsignanda est insula.

Denique quia dilationes omnes hodiè & de iure canonico dicimur esse arbitrarias, ideò & Tridentina Synodus *sess. 25. cap. 10. in fine*, admonet tam ordinarios, quàm alios quoscumque iudices, vt terminandis causis, quantũ fieri potest, breuitati studeant, ac litigatorum artibus, seu *in* litis contestatione seu in alia parte iudicij decernenda, modis omnibus, aut termini præfixione aut competenti alia ratione, occurrant.

§. II.

An & quatenus dilationes prorogari possint.

1 *Primam dilationem prorogari non posse.*
2 *Quartam ex legitima causa posse.*
3 *Dilationes à iudice dari solitæ prorogari possunt.*
4 *Prorogatio dilatione minor esse non debet.*
5 *Tempora dilationum sunt continua.*

1 PRimam dilationem probatoriam prorogari non posse docet Gaill. 1. *obseru.* 91. quia superfit secunda & tertia; imò & quarta, quando de iusto constat impedimento, & quia dilationes sint amputandæ, *l. 2. Cod. de tempor. appellat.* neque ad extraordinarium prorogationis remedium deueniri debeat, quando supereſt ordinarium, *iuxta l. in causa cognitione ff. de minoribus.* Imò si in prima dilatione multi fuerint reſtes producti & examinati, non esse dandam secundam & tertiam dilationem docet Glossa *in cap. in causis in V. productionem h. t.* quia multitudo testium refrænanda, *cap. Significauerunt inf. de testib.* Gaill. *dict. loco num. 2.*

2 Quartam verò dilationem posse ex legitima causa prorogari, cum eadem solemnitate, quâ data fuit, licèt non facilè prorogari debeat, docet ibidem Gaill. *d. loco n. 2.*

3 Similiter prorogari possunt dilationes, quæ à iudice dantur, veluti ad contestandam litem, ad respondendum libello actoris. Imò facilius prorogari potest huiusmodi dilatio, quàm noua dari, *iuxta* Glos. *in leg. fin. Cod. de feriis*, dummodò intrà terminum prorogatio petatur: alioquin eo lapso prorogari nequit, * cùm prorogatio nihil aliud sit, quàm dilationis, labentis nondum lapsæ, extensio, *l. sed si manente ff. de precario, l. bonorum ff. Rem ratam haberi.* Et ideò lapso termino non prorogatio, sed novus terminus seu noua dilatio petenda est, eáque ex causa dumtaxat concedenda. Dicitur autem noua dilatio, cùm finito termino prioris alia datur.

Non debet autem prorogatio esse minor dilatione, Rudger. Rudlandus *part. 1. de commissar. lib. 2. cap. 10.* apud quem *cap. 6.* vide, quomodo dilationes prorogari possint; quæ solemnitates in prorogatione quartæ dilationis requirantur quomodo contra prorogationem petitam aduersarius protestari debeat. Vide & Menoch. *de arbit. lib. 2. casu 25.* 4

Cæterùm tempore dilationum omnium sunt continua, Glossa *in l. 2. ff. de diuersis & temporal. præscript.* ita vt comprehendantur tam dies feriati & solemnes, quàm non feriati. Adeò vt ne quidem repentinis feriis interpolentur: nisi quòd, his superuenientibus, subductisque iisdem beneficio restitutionis, alij totidem dies subrogentur, *l. sed etsi 26. §. si feria 7. ff. Ex quibus causis maiores, &c.*

§. IV.

De effectu dilationum.

1 *Excusat dilatio à pœna ac mora.*
2 *Adueniente die habet vim sententiæ interlocutoriæ.*
3 *An dilatio tolli possit.*

EFfectus dilationis est, quòd excusat à pœna ac mora, & eâ durante, officium conquiescat iudicis, nihilque fit agendum, aut innouandum quoad articulum seu capitulum, super quo data est, *cap. 2. & 6. Præterea hoc tit. l. 3. C. eod.* adeò vt, si quid innouatum fuerit, ipso iure sit nullum, nec queat validari de consensu partium, Caluol. *in praxi, §. dilatio concl. 6. num. 2.* Alioquin quoad alium articulum non conquiescit officium iudicis, pendente dilatione: sicut nec finita causa dilationis, quia ea finita immediatè finitur & dilatio: vt si fuerit alicui data dilatio decem dierum ad comparendum, 1

dum,

zum, & citatus comparuerit in primo die, dilatio illa est perempta, & nullatenus conquiescit officium iudicis, Caluol. *dict. loco num. 3. & 4.* vbi subiungit, posse etiam iudicem, pendente dilatione, se intromittere ad fauorem eius, cui data fuit dilatio; parique modo suspectum de fuga posse pendente appellatione capi.

10 Secundò, is effectus est dilationis, quod, vbi dies seu terminus eius venit, regulariter habeat vim sententiæ interlocutoriæ. *l. Qualem ff. de receptu arbitrii*; & perimat actum, qui in assignato dilationis termino fieri debuit: ita vt pars postmodum comparens amplius super eadem re, nisi ex magna causa, audiri non debeat, *l. 1. & vlt. ff. de feriis.*

Quâ formâ autem, & ob quas causas dentur dilationes, vide pleniùs apud P. Tholos. *in Syntag. iuris vniuersi lib. 48. cap. 8. num. 17. & sequent.*

6 Si verò quæratur; an dilatio tolli possit, dicendum; legalem nunquam tolli posse, nequidem in causis summariis, in quibus procedi potest sine strepitu & figura iudicij: nec etiam in causa dotis, Caluol. *dict. loco conclus. 7. n. 1. 2. & 3.*

8

TITVLVS IX.

De Feriis.

1 *Feria à dilationibus in quo distinguantur.*
2 *Feriarum nomine quid intelligatur: & origo nominis. 3.*
4 *Alia sunt Solemnes, alia Repentina seu Extraordinaria.*
5 *Solemnium alia ad cultum diuinum instituta, alia ob necessitates, &c.*
6 *Illa renuntiari non potest, hic potest.*
7 *Quenam tempore feriarum expediri possint.*
8 *Alia differentia prædictarum feriarum.*
9 *Prohibentur feriis ad cultum diuinum institutis opera seruilia.*
10 *Prohibentur item mercatus, placitum, iudicium ad mortem, &c.*
11 *Quid nomine Mercatus & Placiti intelligatur. 12.*
13 *Quæritur, an citatio die festo vel ad diem festum fieri possit.*
14 *Item an testes die festo examinari possint.*
15 *Die festo appellationem permissam esse.*
16 *Quis locus attendi debeat in feriis obseruandis.*
17 *An exempti dies festos, ab Episc. statutos seruare teneantur.*

QVEMADMODVM, dilationibus durantibus, officium iudicis in foro contentioso conquiescit, ita & durantibus feriis; ideóque rectè titulo de dilationibus subiicitur hic tit. *de Feriis*, præsertim cùm feriæ sint quædam dilationes, quæ à iure dantur.

* Licet à dilationibus in eo distinguantur, 1
quòd intra dilationum tempora ea peragi possint, immò debeant, ad quæ peragenda, dilationes conceduntur: tempore verò feriarum nullus contentiosæ iurisdictionis actus regulariter exerceri queat.

Etenim Feriæ hic generatim dicuntur dies 2
seu tempora, quibus forensis strepitus & contentiosæ iurisdictionis exercitium planè conquiescere iubetur, vt constat ex *l. 5. ff. eod.* Et ideò olim dictæ sunt iustitium, quòd iustum staret nec progrederetur, Gellius *lib. 20. cap. 1. Noct. Attic.* Nec, durantibus illis, vlla committitur contumacia; & aliàs dies Nefasti appellabantur, iuxta illud Ouidij:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem, lege licebit, agi.

Quia non licebat lege agere, & Prætor illa 3
tria verba, *do, dico, addico*, efficaciter effari non poterat, Varro *5. de linga Lat.*

Origo nominis est vel à Feriendis hostiis seu victimis, quia diebus feriarum mactabatur seu offerebatur hostia, Festus *lib. 6.* vnde & ipsæ hostiæ dicuntur Feriæ, Gell. *lib. 4. cap. 6.* vel à Ferendis epulis, quia in illis epulæ ferebantur ex pecorum frugúmque prouentibus.

Omissis autem aliis diuisionibus Feriarum de 4
quibus Tholos. *Paratit iuris canon. lib. 1. tit. 2. cap. 19. & 2. Syntag. iuris vniuers. cap. 16.* aliæ hoc loco sunt Solemnes seu Ordinariæ, aliæ Repentinæ seu Extraordinariæ, *l. 3. C. eodem l. 26. §. 7. ff. Ex quibus causis maiores, &c.* Solemnes sunt, quæ statutis diebus & anni temporibus recurrere solent: nam Solemne etiam latinè dicitur, quod quotannis fieri seu præstari solet. Extraordinariæ, quæ non certa & stabili lege, sed pro re nata & pro rebus occurrentibus vel ob imperatore (vnde quidam imperiales eas vocant, *l. A nullo C. eod.*) vel a Rege, vel Consulibus, Dictatoribus, Prætoribus aut Populo,

vno vel altero die tantùm, indicuntur, vt *in lege. sed etsi §. si ferit ff. Ex quibus causis maiores, &c.* veluti ob rem benè gestam, ob partam à Principe victoriam; quales fuerunt, quas ob bellum cum Carthaginensibus prosperè gestum inducit Scipio apud Livium *lib.* 38. item ob nativitatem filij imperatoris, Regis aut alterius Principis: ad quod alludit Martialis:

Natalem colimus, silete leges: vel ob aliam similem causam. Et hæ, quæ in principis honorem sunt institutæ, Honorariæ vocantur, *l. 6. C. eod.*

4 Rursus solemnium aliæ sunt ad divinum cultum institutæ, quas Dies Festos appellamus, *cap. 1. & vlt. h. t. l. 2. 3. 6. 7. 8 C. eod.* aliæ verò institutæ sunt ob necessitates & vtilitates humanas: vt sunt feriæ, quæ necessitas & fatalis calamitas pestis publicè grassantis, feruores æstiui, belli vel quæuis alia causa necessaria constituit, *l. 6. & 7. Cod. eod.* quæque messium & vindemiarum, aliorúmque fructuum colligendorum, iuxta cuiusque regionis consuetudinem, causa indicuntur, *l. 2. & 5. C. eod.* & hæc feriæ Profanæ dicuntur.

6 Tametsi verò omnibus his Feriarum generibus illud commune sit, quòd earum tempore nullus in ius vocari possit, Iason *in l. 1. num. 1. ff. eod.* Caluolus *d. loco concluf. 2. num. 1.* nec lis expediri, quotiescumque requirit causæ cognitionem, Caluolus *dict. loco num. 8.* ex Menochio, *quem citat*; imò actus contentiosæ iurisdictionis gestus sit regulariter ipso iure nullus, *cap. vlt. hoc tit. 2. C eod. l. 1. & vlt ff. eod.* vbi expressè dicitur, nec processum tenere nec sententiam: tamen in eo differunt, quòd feriis, ad Dei honorem institutis, & repentinis, quia cultum divinum & publicum magis, quàm priuatum honorem, concernunt, renuntiari non possit; cùm pactis priuatorum derogari iuri publico nequeat, *cap. si diligenti sup. de foro compet. l. ius publicum ff. de pactis*; nisi repentinis renuntiatum sit communi consensu atque vsu populi, Caluolus *d. loco concluf. 3. num. 2.* feriis verò messium, vindemiarum, & similibus, in gratiam priuatorum principaliter constitutis, renuntiari possit, *l. penult. C. de pactis*: non solùm in iudicio, sed & extra iudicium; & non solùm per dominos, verùm etiam per Procuratores, modò renuntiatio non tendat in præiudicium dominorum: præsertim cùm verba edicti de his feriis habeant, quòd nemo feriatis diebus inuitus in ius vocari debeat; nam inde sequitur à contrario sensu, posse vocari, si partes consentiant, *l. 1. ff. eod.* Gaill. 1. *obser. 53. n. 10.* quódque de mutuo litigantium consensu, tempore feriarum, ob messem & vindemiam indictarum, ad quoslibet actus iudiciales procedi possit, *l. 1. & 6. ff. eod.* non etiam tempore feriarum repentinarum, vel ob cultum divinum institutarum, *cap. vlt. hoc tit.* Menoch. *lib. 1. arbitr. quæst. 30.* * Quamvis tunc expediri illa possint, 7
quæ causæ cognitionem non desiderant, aut voluntariæ sunt iurisdictiones: cuiusmodi sunt manumissio, *l. 8. C eod.* dispensationes, indulgentiæ, privilegia, & similia: vel quæ differri non possunt, sed expediri quàm citissimè debent, velati fractio vel res tempore, præsertim vindemiarum ac messium, vel morte peritura sit, *l. 1. & 2. D. eod.* Piasec *part. 2. cap. 3 art. 3. num. 23.* Zerola *in praxi part. 1. in V. Festa; ad tertium*: si contrà latrones sit procedendum, *l. Prouinciarum, Cod. eod.* si causæ fiscales & publicæ agendæ, *l. publicas Cod. eod.* si alimenta petantur: si atrox delictum cum publico scandalo sit commissum; nam statim iudicari & puniri potest, si ad publicum exemplum ita expediat. Solent quippe propterea hæretici diebus festis iudicari & puniri, vt tanto maior sit populi concursus ad aliorum terrorem. Sic & in paruis oppidis solent similia iudicia permitti festis diebus, quia in profestis non adsunt rustici & agrorum cultores. Similiter & ea diebus festis expediri possunt, quæ vel pietas, v.g. absolutio ab excommunicatione, causæ miserabilium personarum, tutoris & curatoris datio, alimentorum constitutio, vel publica vtilitas, aut priuata necessitas expediri postulat, *cap. 4. & vlt. hoc tit. lib. 3 & penult. Cod. eod.* nam vbi periculum est in mora, receditur à regulis iuris communis, *l. de pupillo §. si quis riuos D. de noui operis nuntiat.* Gaill. 1. *obser. 53.* quòd lege licitum non est, necessitas facit licitum, *cap. Quod non est de R. I. in 6.* & hinc Prosper:

Non rectè seruat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his esse vetitum.

Similiter nec feriarum extraordinariarum, aut ordinariarum profanarum habetur ratio in supplicationibus, citationibus, & processibus decernendis, exequendis, committendis, sententiis concipiendis, & relatione, Menoch. *d. lib. 1. arbitr. quæst. 30.* Permissúmque diebus feriatis iudicare in causis summariis, *l. miles. §. 6. D. de adulteriis*: item causas publicas atque fiscales agitare, *l. 5. Cod. eod.* Sic causa intra certum tempus terminari debeat, quamvis tempus præfixum incidat in diem feriatam, potest nihilominus per iudicem expediri, Caluolus *§. Feria concluf. 2. num. 19.* atque ita de similibus.

Cur

8 Cur autem tempore potiùs feriarum prohibeatur ſtrepitus iudiciorum, quàm alia opera, vt patet *ex d.c.vlt. hoc tit.* ratio eſt, quia iudicialia *non* ſunt ita neceſſaria ad hominum vitam & ſuſtentationem, ſicut alia opera.

9 Inſuper in eo differunt prædictæ feriæ, quòd feriis, ad cultum divinum inſtitutis, non forenſia ſolùm negotia prohibeantur, ſed & multa aliâ opera corporalia, & ſervilia, quæ ſcilicet commoditatibus corporis ſerviunt; & ideò per ſervos, id eſt ſervientes fieri ſolent. Sumitur enim ſervitus hic latè, pro famulatu & miniſterio corporali, quo quis alteri inſervit & famulatur: cuiuſmodi ſunt arare, fodere, artificia facere, & ſimilia, quæ diebus feſtis fieri prohibentur, niſi iuré vel conſuetu-
10 dine ſint exempta, *c. Licet 3. hoc tit.* * Libera verò, id eſt, quibus animus excolitur, vt loqui, docere, ſcribere, & ſimilia, non prohibentur, niſi ſpeciali iure à permiſſione exempta ſint & prohibita. Et ideò licet die feſto cuilibet ſcientiæ operam navare, quamlibet ſcientiam & artem, provt ad mentem pertinet; tam verbo quàm ſcripto docere: item ſcribere, tranſcribere, iter agere, vt ſic; quia hæc non ſunt opera ſervilia, & lex ipſa expreſsè limitat prohibitionem ad opera ſervilia. Vocantur autem opera quædam ſervilia, quædam verò libera, quia humana ſervitus ſecundum corpus attenditur, at animus liber eſt, Suarez *de diebus feſtis lib.2. cap.17.n.10.* Prohibentur opera potiùs ſervilia, quàm liberalia, tum quia ſunt inferioris ordinis; tum quia magis communia, & potiſſimùm occupare ſolent homines, eóſque diſtrahere à rebus divinis.

Sunt tamen nonnulla etiam opera, quæ licèt ſervilia non ſint, tamen ſpeciali iure prohibentur, vti mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel pœnam, & iuramenti præſtatio, *c.1. h.t.* (hæc enim non eſſe ex ſe ſervilia, conſtat ex eo, quòd non ſint propria ſervorum, nec ſint mechanica, ſed ad cognitionem & convictum humanum ordinentur, Suar. *d.loco c.29. n.1.*) ob ſæcularem diſtractionem, quam ſecum adferunt. Vnde vacationem & quietem, in die feſto requiſitam, & ab Eccleſia intentam, impedire poſſunt & ſolent.

11 Nomine Mercatus veniunt contractus emptionum, venditionum, locationum, conductionum, & ſimilium, præſertim ſi publicè & publicâ ſolemnitate fiant: item publicæ nundinæ, licèt variis in locis conſuetudine receptum ſit, vt nundinæ diebus feſtis, ob maiorem populi commoditatem fiant, provt recipi & induci potuit, cùm obſervatio Feſtorum ſit legis humanæ (provt latè tradit Suarez *de relig.lib.2.cap.1.*) cui per conſuetudinem derogari poteſt.

Nomine Placiti in iure Canonico toto cauſa 12
iudicialis & forenſis tractatio ſignificari videtur, *can.1.15. quæſt.4.* ita vt prohiberi in feſto placitum, ſit idem, quòd prohiberi ſtrepitum iudicialem, vt *in d.c. vlt. h.t.* dicitur. Nihilominus tamen probabile eſt, ſecundum Abbatem *in d.c.1. h.t.* ſignificari cauſam dumtaxat civilem, quia placitum ſignificare ſolet decretum, ſpectans ad civilem potius gubernationem, quàm ad punitionem. Et ideò *in d.c.1.* ad placitum adiiciuntur cætera: iudicium quidem ad mortem vel pœnam, vt per illa cenſeantur prohibitæ etiam omnes cauſæ criminales: iuramentum verò additur, vt iudicetur non ſolùm iudicium ibi prohiberi) nam illud iam ante in prioribus verbis ſeu ex vi prohibitionis totius iudicij forenſis prohibitum cenſeri debet) ſed etiam alia quædam iuramenta, nempe ea, quibus pacta & conventiones inter aliquos firmantur, præſertim illa, quibus contractus ibi comprehenſi ſub nomine mercatus conferri ſolent, vt docet Suarez *de diebus feſtis lib.2.cap.30. num.17.* præcipuè ob exceptionem ſubiunctam, *niſi pro pace, &c.* Nam iuramentum pacis non eſt iudiciale: & tamen, ne comprehenſum videatur, excipitur; ac proindè ſignum eſt non prohiberi ſolum iuramentum iudiciale.

Sed cùm ſtrepitus iudicialis conſiſtat in in- 13
choatione cauſæ, quæ à citatione incipit, formatione proceſſus & cauſæ cognitione, ac denique in ſententiæ prolatione; circa inchoationem dubitatur, an citatio die feſto, vel ad diem feſtum, fieri poſſit? Reſpondeo ad primum, magis receptum eſſe, citationem decerni poſſe die feriatâ ad diem non feriatam, quia actus citationis non eſt iudicialis, ſed extraiudicialis, & ſic ceſſat ratio *c.1. & vlt.h.t.* Ob eandemque cauſam executio citationis die feriatâ fieri poteſt, quia eſt facti; nec fit per Iudicem, ſed per nuntium vel Notarium, vel per literas, nullámque cauſæ cognitionem requirit, *cap. Prudentiam, cap. Cum contingat ſup. de officio delegati, c. Cum parati inf. de appellat.* Gaill.1. *Obſer.53.n.5. & duobus ſeqq.*

Ad ſecundum reſpondeo, citationem factam ad diem feriatam de iure civili, ex ſententia Interpretum, non valere, *per l.2. ff. Si quis in ius Voc. non ierit l.fin. Cod. h.t.* ſecundum Canoniſtas verò valere, quia proceditur die ſequenti non feriatâ, *c.Cum dilecti inf. de dolo & contumacia,* Gaill. *d. loco n.2.* Satiùs tamen fo-

ret, apponere hanc clausulam. Vt citatus compareat tali die, si iuridica fuerit; si autem non fuerit iuridica, vt compareat die iuridica sequenti, quia cùm terminus comparendi in citatione præfixus demùm currere incipiat à tempore executionis, *cap. super eo 2. §. fin. inf. de appellat. l. 1. ff. Si quis caution. &c.* iudex illud tempus scire non potest, ob locorum distantiam & nuntiorum in exequendo tarditatem, Gaill. *dict. loco n. 2. & 3.* in iis tamen causis, quæ diebus feritatis expediri possunt, vt sunt causæ alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, miserabilium personarum, & quæ moram non patiuntur, valet citatio ad diem feriatam.

14 Quoad processum, seu progressum litis, etiam quæritur, an testes in die festo examinari possint? De qua quæstione fusiùs videre licet Suarez *dict. lib. 2. cap. 3.* vbi docet, quòd licèt multi canonistæ velint examinationem testium, factam die festo, validam esse, modò iuramentum, quod generaliter & in qualibet causa sive temporali, sive spirituali, prohibetur exigi die festo, *in dict. cap. 1.* (verba enim textus generalia sunt, & solùm duplex exceptio ibi ponitur, quæ non minùs habet locum in temporalibus, quàm in spiritualibus) præcesserit in die professo; quasi tunc examinatio ipsa retrotrahatur ad diem præstiti iuramenti: tamen sit nulla; subiunges non solùm prolationem sententiæ iudicialis esse prohibitam & nullam in festo, sed etiam eius executionem, *per l. Actus, l. Vt in die & l. vlt. Cod. eod.* in qua *l. vlt.* expressè dicitur, vt à cunctis executionibus excusetur, nulla quemquam vrgeat admonitio, taceat apparitio præconis, horrida vox filescat: vt merito sub strepitu iudicij comprehendi videatur.

15 Appellationem verò esse permissam die festo, tanquam iuris naturalis & rem fauorabilem, & quæ sine magno strepitu fieri potest, tradit Glossa & Panormitan. *in dict. cap. vltim.* Vbi insuper donec Panormit. non posse coram vero arbitro iudicium festo agitari, vt expressè habetur *in l. Omnes dies Cod. eod.* quia ille procedit iudiciali modo & ad instar iudicis. Aliud dicendum de arbitratore, cùm sit amicabilis compositor & conciliator pacis; & fœdera ac similia pacta non sint in die festo prohibita.

16 Quæritur insuper, an in feriis obseruandis sit attendendus locus rei, an iudicis, an actoris, dum contingit ferias esse in loco vno, & non in alio. Respondet Abbas *in dict. cap. vlt. num. 23.* communem conclusionem esse, quòd attendi debeat locus iudicis, quia vbi agitur de ordinatione iudicij, attenditur consuetudo fori, seu loci, in quo exercetur, non autem consuetudo loci litigantium: & aliàs fieri posset, quòd reus vel actor haberet duplicatas ferias, nempe regionis suæ, & loci iudicis.

Quæritur denique, an exempti, dies festos 17
quos Episcopus in sua Diœcesi obseruari præcipit, seruare teneantur? Ita decernit Concili. Tridentin. *sess. 25. cap. 12. de reformat.* Nauarrus *in Manuali, cap. 13. num. 5. vers. octauo in fine,* Choquier. *de iurisdict. ordinar. in exemptos part. secunda, quæst. 45. num. 55.* (qua in quæstione recensèt 116. casus, quibus exempti Ordinariis subiiciuntur) & ea de re exstat declaratio Cardinalium, quam refert Piasec. *in praxi secunda parte, cap. 3. articulo sexto, de visitat. regularium, n. 34. quam vide.*

TITVLVS X.

De ordine cognitionum.

1 *Pluribus causis concurrentibus, quarum vna ab alia dependeat, de hac primo pronuntiandum.*

2 *Petenti hæreditatem obstat exceptio natalium primò terminanda.*

3 *Muliere vindicante maritum, exceptio consanguinitatis priùs discutienda.*

4 *Actione criminali & ciuili concurrente, qua præcedere debeat.*

5 *Agenti spolij nomine quatenus obstet exceptio spolij.*

INTER contestata, iuramento calumniæ 1
præstito, dilationibus datis vel ab homine vel à iure, iisque lapsis, recto ordine vel actor ob contumaciam rei in possessionem mittendus esset, vel vtrumque ad probationem procedendum; sed quia sæpè plures, quæstiones in iudicium incidunt vel à litigatoribus proponuntur, de quibus priùs cognoscendum, quàm in principali causa procedatur: ideò dispiciendum antè est, quo ordine de iis cognoscendum & pronuntiandum sit, ne præpostera cognitio vel earum confusio iudicium impediat.

Vbi notanda est Regula, per minorem causam maiori cognitioni præiudicium fieri non oportere: maior enim quæstio, inquit iurisc. minorem causam ad se trahit, *l. Per minorem 54. ff. de iudic.* Itaque concurrentibus pluribus

bus cauſis, quarum vna pendeat ex alia, primò cognoſci debet de ea, à qua altera dependet, ſive ab eodem ſive à diverſis, ſive agendo ſive excipiendo proponatur, *l.* 5. §. 8.9.10.*ff.de agnoſc. & alend. lib.l.*16. 17. *&* 18. *ff de except. l.* 1. §. 1.*ff. de rei vindic.* Farinac. *de variis criminibus quæſt.* 100. *num.* 137. *& ſequent.* Hinc reſcindens iudicium antecedit reſciſſorium. Vide Fabr. *Decad. 7. Errore* 1. *&* 2.

2 Hinc etiam cauſæ præiudiciales, in quibus de ſtatu perſonæ quæritur, ſemper præmitti debent, quia cæteris præiudicant, id eſt ſententia ſuper iis lata oſtendit, qui in principali pronuntiari debeat, ſeu parit exceptionem rei iudicatæ in principali, & ius actoris tollit vel actorem ab agendo repellit, Farinac. *d. quæſt.* 100. *num.* 78. *& ſequent. Theſaurus deciſ.* 11. *num.* 18. Ideóque ſi quis apud iudicem laicum petat hæreditatem ab inteſtato, tanquam filius, vel proximus agnatus defuncti, & reus, à quo petitur hæreditas, obiiciat, actorem non eſſe filium legitimum aut proximum agnatum defuncti, priùs de hac exceptione per iudicem Eccleſiaſticum cognoſcendum & pronuntiandum erit, quàm de hæreditate actori reſtituenda per iudicem laicum, *cap.* 3. *hoc tit.* quia deciſio quæſtionis, an hæreditas actori ſit reſtituanda, pendet ab iſta exceptione natalium: nam ſi probetur, non eſſe filium legitimum, aut proximum agnatum, fruſtra agitur de hæreditate ei reſtituenda.

Dixi, de iſta exceptione prius eſſe cognoſcendum per iudicem Eccleſiaſticum: quia licèt de cauſa ſtatus, quando incidenter venit in iudicium, cum cauſa principali poſſit & debeat idem iudex cognoſcere *l. Quoties l. nulli Cod. de iudiciis, l.* 1. *Cod. de ord. iudic.* tamen quia cauſa natalium & legitimationis, pendens ex validitate matrimonij, eſt Eccleſiaſtica, iudex laicus ne quidem incidenter de ea cognoſcere poteſt, *cap. lator. inf. Qui filij ſint legit.* cum non deceat laicos Eccleſiaſtica vllo modo tractare negotia,*cap. Decernimus ſup.de iudiciis.*

Similiter ſi mulieri vindicanti aliquem, tan- 3
quam maritum ſuum obiiciatur exceptio conſanguinitatis, ſeu quòd nequeat eſſe eius maritus, quia ſit illi conſanguineus in gradu prohibito, *iuxta cap. Non debet inf. de conſanguinitate*; priùs de hac exceptione cognoſcendum erit, quàm de cauſa principali, quia probata exceptione principalis cauſa perimitur. Non eſt tamen neceſſe ſuper hac exceptione pronuntiari, ſed ſufficit, quòd pronuntietur ſuper principali, quòd ſcilicet iudex declaret, reum non eſſe maritum, eúmque abſoluat, *cap.* 1. *hoc tit.* Facit. *lib.* 1. *Cod. de iudic.* vbi dicitur, ad officium eius, qui de hæreditate cognoſcit, pertinere cognitionem incidentis quæſtionis, etiam talis, de qua aliàs principaliter non poſſet cognoſcere (vti eſt quæſtio de ſtatu & ingenuitate, quæ tantùm coram Præſide ſive rectore Prouinciæ agitari debet,*l.Iam dudum C.Vbi cauſ.ſtatus agi debeat*:) & hoc ideò, quia non de ea, ſed de hæreditate pronuntiat. Ratio eſt, quia in effectu hoc ipſo, quo ſententia fertur ſuper principali, tacitè fertur ſuper hac exceptione; quãdoquidem propter exceptionem probatam reus abſoluatur. Deinde exceptio iſta concernit ipſum factum principale, & ad ipſum factum principale, de quo quæritur, perimendum proponitur; ideóque ſufficit, ſi ſuper ipſo pronuntietur, quia tum tacitè etiam pronuntiatur ſuper exceptione: ſuperflua autem ſunt relecanda, *cap.* 2. *inf. de probat. can. Cœpiſcopi diſt.* 68. Aliud dicendum eſt de exceptione, quæ concernit & impedit ipſum proceſſum: nam ſuper ea priùs eſt pronuntiandum, vel tacitè procedendo ad actum contrarium, idque vt appareat, an ſit procedendum, an non, Abbas *in diſt.cap.*1.*num.* 11.*verſic.ſubiicio rationem vtriuſque.*

Non obſtat prædictis *cap. cauſam ſup. de officio delegati, cap. Accedens* §. *mandans ſup. Vt lite non conteſtata & cap. Ex conqueſtione, cap. Litteras inf. de reſtitut. ſpoliatorum*; in quibus, non obſtante conſanguinitatis exceptione, proceditur in cauſa principali: quia illa capitula obtinent in poſſeſſorio, id eſt, vbi mulier fuit in quaſi poſſeſſione matrimonij, & per maritum ſpoliata: cui propterea agenti ad reſtitutionem mariti, non obſtante exceptione conſanguinitatis, reſtitui maritus debet. Niſi fortè conſanguinitas in gradu lege divina prohibito, ſtatim probari poſſit: nam tum reſtitutio denegaretur, *diſt. cap. litteras* §. *propterea.* Cæterùm *in diſt. cap.* 1. mulier agebat non poſſeſſorio iudicio, ſed petitorio: non enim petebat ſibi reſtitui maritum, ſed vindicabat ſeu petebat ſibi adiudicari. Nam licèt aliàs libera perſona vindicari non poſſit,*l.*1.*ff.de rei vindicat.*poteſt tamen adiecta cauſâ,v.g. quia eſt meus maritus.Abbas in *d.cap.*1.*num.*2.

Hinc quoque concurrente actione criminali 4
& civili, licèt arbitrio iudicis relinquatur, quænam præcedere, quænam ſequi debeat.

l.penult.& vlt.Cod.de ordine iudic.l.26.Cod. ad legem iul.de adult. Clarus *in Pract. criminali quæst.2.§.vlt.*& criminalis principaliter intentata excludat ciuilem, Farinac. *dict. quæst.* 100. *num.* 59. Clarus *quæst.*92.§. *fin.* Fachin. *lib.* 6. *cap.* 2. tamen, vbi ciuilis præiudicat criminali, vel contra, præiudicialis præcedere debet, & altera sequi, Farinac. *dict. loco num.* 61. *& sequent.* Quando autem altera alteri non est præiudicialis, tum criminalis & ciuilis coniungi possunt. Vide Farinac. *dict. loco num.* 75. *& sequent.*

5 Quòd si agenti spolij nomine obiiciatur vicissim spolium, multùm refert, an per modum exceptionis, an per modum actionis, obiicitur, de quo est *text.in cap. cum dilectus, & ibi* Abbas *& rursus* Gloss. & Abbas *in cap. fin. hoc tit.* vbi traditur, quid sit vtilius intentare. Nam si per modum exceptionis, seu ad actionem actoris elidendam obiiciatur, verbi gratia, si obiiciatur de spolio alterius rei, peraturque, vt non audiatur actor in petitione sua, nisi antè rem restituat, tunc priùs de exceptione spolij cognoscendum est, quàm de actione spolij, *dict.cap.cum dilectus, versic. sed quoniam*; quá suspensa dabitur terminus ad probandam exceptionem, qui est quindecim dierum, vt *in cap.1. de restitut.spoliat.in 6. & notat.* Abbas *in dict. cap. cum dilectus in 6. Notab.* Et probata exceptione, non priùs cogendus est reus actori respondere, quam restitutione sibi facta, *dict. cap. cum dilectus §. sed quoniam*: quia quando actor & reus hærent in eadem causa & delicto seu luto, vt dici solet, fauorabilior est reus, quàm actor, *l. Fauorabiliores ff. de reg. iuris.* Si verò per modum actionis obiiciatur, hoc est si reus non excipiat, sed vicissim contra actorem agat de spolio, tum non repelletur actor ab agendo, nec priùs cognoscetur de causa rei, quam actoris; quia hic cessat ratio *dict. l. Fauorabiliores*, cùm vterque sit actor, sintque duæ quæstiones seu actiones principales, nempe conuentio & reconuentio seu mutuæ petitiones, de quibus, cùm in idem iudicium deducantur, simul etiam debent cognosci, priùs quidem de causa actoris, tum de causa rei: sic tamen, vt vtraque causa simul finiatur, secundum ea, quæ suprà de mutuis petitionibus diximus.

6 Rursus spoliatione per modum exceptionis contra agentem de spolio, velut vicissim spoliatorem, proposita & probata, repellitur quidem actor seu decernitur, eum esse audiendum, donec restituerit rem: non tamen condemnatur ad restituendum, quia finis exceptionis est reppellere, non autem consequi, exceptio enim est actionis exclusio, ideóque non operatur restitutionem. Dixi, contra agentem, velut vicissim &c. quia secus est, si proponatur contra tertium aliquem possessorem, qui non spoliauit Maranta 4. *part. distinct. 6. num.* 51. Contra verò per viam actionis spoliatione proposita & probata, consequitur restitutio, non tamen repellit agentem, quia finis actionis est consequi, non autem repellere, ita *in dict. cap. cum dilectus num.7.* Ideóque dispicere potest, vtro modo proponere sibi magis expediat: nam si ei melius sit incumbere actioni aduersarij, opponat per modum exceptionis, quia interim non procedetur actione, sed suspendetur & detinebit rem petitam: si verò magis expediat, habere restitutionem spolij, tum proponat per viam reconuentionis, quia per eam obtinebit restitutionem rei, prout declarat Glossa *in cap.fin.h.t.*

TITVLVS XI.

De plus petitionibus.

1 *Plus petitur quatuor modis Re, Tempore, loco, & causa.*
8 *Pœna plus petentis tempore.*
3 *An per exceptionem, tu petis plus tempore, suspendatur iudicium.*
4 *Pœna plus petentis re, loco, vel causa.*
5 *Pœnam tripli canonico non obtinere.*
6 *Quousque actor plus petens euitare pœnas possit.*

QVIA inter incidentes quæstiones subinde proponit vel excipit reus, quòd actor plus petat, quàm sibi debeatur, & dubitari poterat de ordine ac modo procedendi, ideò titulo de ordine cognitionum in genere subiicit Pont. hunc titulum.

Petitur autem plus quatuor modis, Re, Tem- 1
pore, Loco & causa, *cap. vnico h.t.§. plus autem instit. de actionib.* Re plus petitur, si cùm creditori debeantur tantùm quinque, petat decem, vel cùm res sit eius dumtaxat pro dimidia parte, petat totam vel pro maiori parte. Tempore plus petit, qui petit ante diem, vel conditionem, pactioni seu obligationi adiectam. Loco plus petit, qui id, quod certo loco, verbi gratia. Louanij sibi dari stipulatus est,

est, alio in loco, veluti Antuerpiæ, dari petit, sine commemoratione loci, in quo sibi dari stipulatus est. Causa plus petitur cùm aliquid in genere vel alternativè debetur, & res in specie, vel vnum præcisè, petitur: vt si is, cui alternativè debetur equus vel duodecim aurei, equum tantùm, vel duodecim aureos tantùm, & præcisè petat. Idque obtinet, etiamsi id, quod petit, vilius sit altero, quia sæpè facilius est promissori soluere, quod est maioris pretij, quàm quod est minoris, & contrà: atque ita adimit promissori facultatem eligendi, quam habet, §. *Praterea institut. de actionibus.*

1 Olim qui vno horum modorum plus petebat, causâ cadebat, id est rem amittebat, vt explicat Iustinianus *in §. si quis agens instit. dict. tit.* & constat ex Paulo 1. *sentent. cap.* 10. vbi ait, causa cadimus vel loco, vel summa, vel tempore; vel qualitate. Eaque pœna vsque ad Zenonem retenta fuisse videtur: nam constat ex Hermogeniano Cod. qui passim nunc exstat, *tit. de calumnia & de plus petendo*, hac de re fuisse duas constitutiones, iuri veteri conformes, Diocletiani & Maximini. Postmodùm verò hæc pœna mutata fuit: nam qui plus tempore petit, ex Zenonis constitutione sumptus litis restituit, & dilatio temporis non quidem totius, sed eius, quod debitori supererat ad soluendum, sive ex conuentione sive ex natura actionis, duplicatur, §. *vlt. versic. hodie autem instit. de exceptionib.* vt sic pœna delicto commensuretur. Exemplo relegati ad opus publicum, aufugientis ante tempus, cui duplicatur pro pœna residuum temporis, ante quod aufugit, non verò totum tempus relegationis ei statutum, *leg. aut. damnum §. quisquis ff. de pœnis.* Et in hac pœna paris videtur esse conditionis fiscus cum priuato, tanquam qui non minùs quàm priuatus, tempora agendi seruare debeat, *l. iustas 6. Cod. de iure fisci lib.* 10. Imò non desunt, qui hac in parte existiment duriorem esse causam fisci, quàm priuati, *arg. d. l. iustas*, qua iubentur concremari etiam iustæ fisci actiones, ob hoc solùm, quod suis temporibus prolatæ non sint: quasi in fisco iuris veteris pœnæ adhuc locus sit.

3 Sed cùm *in cap. vnico hoc tit.* dicatur, quòd actore plus tempore petente duplicentur reo induciæ, nec cogatur postea litem excipere nisi ei soluantur expensæ: quæri potest, an per hanc exceptionem, *Tu petis plus tempore*, suspendatur iudicium in toto, an verò debeat ferri sententia definitiva, cum pœnis appositis? Et respondet Panormit. *ibid.* quòd, si ista exceptio proponatur dilatoriè, v.g. ante litem contestatam, tum impediatur iudicium super principali: si verò opponatur peremptoriè, veluti post litem contestatam; tum non impediatur, sed debeat ferri sententia de soluendo debito, finitis scilicet induciis duplicatis: ita vt illorum verborum, *nec litem excipiat, nisi ei soluantur expensa*, sensus sit, quod non cogatur suscipere iudicium, non quidem illud, quod iam per litis contestationem suscepit, sed aliud, quod ex re in hoc iudicio iudicata, vel per actionem in factum, vel per implorationem officij iudicis super executionem instituetur, lapso duplicato, & solutis expensis. Vt hæc exceptio, licet vocetur dilatoria exceptio solutionis, tamen hoc casu non retineat naturam suam, id est, non maneat dilatoria. Potest tamen subinde etiam suspendere iudicium, iam per litis contestationem susceptum, veluti si pendente iudicio demum superueniat; vt si pactum de non petendo ad tempus pendente iudicio interuenerit; vel si reus eam sibi competere ignorauerit, vt si non ipse contraxerit, sed hæres sit debitoris, vel si ex alterius contractu conueniatur, *c. Pastoralis inf. de exceptionibus.*

4 Qui verò plus re vel loco aut causa petit, ex iustiniani constitutione comdemnatur in omne damnum, quod sua petitione reo intulit, & insuper pendere debet triplum eius, quod ob maiorem quantitatem, libello conuentionis comprehensam, viatoribus, id est, executoribus litium, sportularum nomine, præstandum fuit §. *triplici instit. de actionibus.* Vno tamen casu ex eiusdem imper. constitutione plus repetens causa cadit & toto debito fraudatur, scilicet cùm creditor, exacta per dolum malum maioris summæ quàm sibi reuera debeatur cautione, plus petit, & super huiusmodi petitione litem contestatur: nisi actor conuictus super maiori quantitate cum reo transigat super pœna, vel reus in iudicio confessus sit se totum debere *l. vlt. Cod. hoc tit.* Cui casui postea *in nouella 15. de defensoribus ciuitatum c. 4.* addidit alium casum, scilicet cùm quis transferendi iudicij causa apud Præsidem prouinciæ maiorem summam petit, quàm ei verè debeatur, ne cogatur debitorem pro minori summa intra trecentos aureos coram defensore ciuitatis conuenire.

5 Quæritur autem hic, An pœna tripli, de qua antè, etiam iure canonico obtineat. Verius est, non obtinere, vt docet Panormit. *in cap. vnico h. t. n. 9.* tum, quia summus Pont. tantùm

dicit condemnandum plus petentem in expensas: tum quia *d. §. tripli* loquitur de expensis factis nomine sportularum; & ideò, cùm sportulæ in foro Ecclesiastico non præstentur, *cap. Cum ab omni inf. de vita & honest. Cleric.* non possunt eo iure triplicari. Et hoc intellige, quando plus re vel causâ petitur: nam si petatur plus tempore vel loco, habent locum aliæ pœnæ, de quibus *d. c. vnico*: vt scilicet plus loco petens teneatur ad interesse: vbi verò plus tempore petit, duplicentur inducíæ, & expensas soluat plus petens.

Neque tamen supervacanea est *dicti cap.* dispositio, quasi per antiqua iura provisum sit de expensarum condemnatione, respectu temerè & calumniosè litigantium, *cap. Calumniam inf. de pœnis, c. Finem inf. de dolo & contumacia, & aliis*: quia per antiqua iura condemnatio expensarum venit tantùm accessoriè; & ideò Iudex, latâ semel sententiâ super principali, non potest amplius condemnare in expensas, *l. Terminato Cod. de fructibus & lit. expens.* per dispositionem verò *dicti c.* Potest ea condemnatio fieri principali etiam iudicato, exhibito ad hoc novo libello, vel etiam pendente iudicio, implorato officio Iudicis.

6 Quæritur etiam, quousque has pœnas actor plus petens evitare possit? Et licèt Glossa velit posse eas evitari, si ante litis contestationem desistat actor à plus petendo; vt etiam ante litem contestatam desistens meritò teneatur seu teneri debeat adversario ad interesse, si quod, sit: tamen verius est evitari posse, etiam post litem contestatam desistente actore, dummodò ante sententiam: quia *in d. c.* punitur importunitas plus petentium demùm, si super petitione sua duxerint in iudicio persistendum; iam autem iudicium non dicitur, nisi à litis contestatione vsque ad sententiam: & ideò non potest dici super petitione sua in iudicio persistere, qui ante sententiam desistit.

Nec obstat, quòd talis videatur temerè litem movisse, *arg. l. Eum quem 79. ff. de iudiciis*, & errore suo, quem iam fatetur, item retardasse; qui error adversario nocere non debet, *arg. l. Nemo 75. ff. de reg. iuris, & l. 2. Cod. de fructibus & lit. expensis*: quia potest dici temerè litem movisse, qui iusto errore ductus id fecit; nec talis error ei nocere debet, *l. In seruitutem 16. §. si petierit ff. de bonis libert.* & litis expensæ regulariter non debentur, nisi quis sine iusta causa litem moverit, *l. Qui solidum 78. ff. delegatis 2. l. Omnes §. præterea Cod. de Episc. & Clericis.*

TITVLVS XII.

De causa proprietatis & possessionis.

§. I.

Possessio quid sit, & quotuplex? & de iudiciis possessoriis.

1 *Quæ dicatur causa possessionis.*
2 *Quæ proprietatis.*
3 *Possessio significat hîc actum & ius possidendi.*
4 *Vnde possessio; alia facti est.*
5 *Alia iuris.*
6 *Dividitur in Iustam & Iniustam.*
7 *In ciuilem & Naturalem, item Ciuilem & Naturalem simul.*
8 *Ciuilis quæ, & cur ita dicatur. 9.*
10 *Naturalis quæ sit*
11 *Possessorium iudicium triplex adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis.*
12 *Exempla cuiusque. 13. 14.*
15 *Possessorium retinendæ aliud Ordinarium, aliud Summarium.*
16 *Summarium quid sit, & cur ita dicatur. 17.*
18 *Possessio quibus modis probetur.*

CVM omnium frequentissime in iure & iudiciis occurrant causæ possessionis & proprietatis, deque is etiam dubitari contingat, quo ordine proponendæ & cognoscendæ, & an cumulari possint, an verò singulæ singulis iudiciis tractandæ sint, rectè subiungitur hic tit. in quem concurrunt ferè omnia, quæ in Pand. & Cod. plurimis Titulis de interdictis & eorum vsu proponuntur.

Causa possessionis vocatur, in qua principaliter agitur de possessione, vel quasi possessione, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda: veluti quando actor principaliter contendit possessionem rei sibi esse restituendam, & reus negat; atque hoc appellatur Iudicium possessorium, *cap. Cum super 4. h.t.* & causa momenti, *cap. 1. hoc tit.* non quia semper momento absoluatur; nec enim id interdum patitur improbitas invasoris: sed quia ex natura sua apta est momento peragi, si de

de vi litigator ſtatim docuerit: & quia à ſententia momentaneæ poſſeſſionis non appellatur, *l. vnica Cod. de momentanea poſſeſſ. Gloſſa in d.c.* 1.

2 Cauſa proprietatis appellatur, in qua principaliter agitur de rei controverſæ proprietate ſeu dominio, vel alio iure, extra poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem: vt ſi actor intendat ſe eſſe & declarari dominum rei, reus verò neget; & hoc appellatur Iudicium petitorium, *d.c. cum ſuper h.t.* Tale iudicium eſt, cùm res vindicatur, *leg. Qui petitorio* 36. *ff. de re vindicat. l. Cum fundum* 18. § *fin. & ibi* Gloſſ. *ff. de vi & vi armata, cap. Paſtoralis hoc titul.* cùm hæreditas petitur, *hoc tit. ff. de petit. hæredit. Gloſſ. penultim. leg.* 2. *Cod. de edicto ff. Adriani tollen.* cùm quis contendit ius eligendi, præſentandi vel conferendi ſibi competere, *cap.* 3. *&* 4. *hoc titul.* vel agit ad vſumfructum, vſum, aut aliam ſervitutem, quia agens ad iſta iura incorporalia, cenſetur dominus iurium, Maranta 4. *part. diſtinct.* 7. *numer.* 1. Cùm quis agi actione perſonali, ad rem, dicitur etiam petitorium iudicium, Maranta *d. loco.*

Vtro autem iudicio, an poſſeſſorio, an verò petitorio agatur, ex concluſione libelli potiſſimum intelligitur: nam ſi actor concludat adverſarium ſuum ſibi condemnari ad reſtitutionem rei, agit iudicio poſſeſſorio; ſi verò ſe dominum rei controverſæ pronuntiari petat, agit petitorio.

3 Cæterùm poſſeſſio licèt interdum etiam proprietatem ſignificet, vt ſi quis legaverit poſſeſſiones ſuas, *leg. Interdum* 78. *ff. de verb. ſignificat. & Plurimis aliis*; per tranſlationem ſcilicet, quia ſæpè dat effectum & commoda dominij, *cap. Sape inf. de reſtit. ſpoliat.* & ad dominij proprietatiſque acquiſitionem perducit, §. *Ex his Inſtit. Per quas perſonas, &c.* & contra licèt dominium ſubinde ſignificet poſſeſſionem, *l.* 15. *Cod. de rei vindicat.* tamen etiam ſumitur poſſeſſio, vt quid ſeparatum à proprietate, *l. Quæſtio* 115. *ff. de verb. ſignificat.* Et ita hic accipimus: non quidem in ea ſignificatione, quâ ſumitur *in d. l. Quæſtio*, in qua tribuitur rebus ipſis poſſeſſis, ſed capimus hic poſſeſſionem pro actu vel iure poſſidendi, à quo denominatur quis poſſeſſor. Actus poſſidendi dici ſolet poſſeſſio facti; ius verò poſſidendi dici ſolet poſſeſſio iuris. Verùm vt plenius intelligatur, quòd hic de concurſu & cumulatione iudicij petitorij ac poſſeſſorij dicitur, paucis explicanda eſt definitio & natura vtriuſque cauſæ, & poſſeſſionis & proprietatis, quot modis & coram quo Iudice de poſſeſſione agatur.

Poſſeſſio igitur facti nihil aliud eſt, quàm detentio rei corporalis ſive mobilis ſive immobilis, corporis & animi ac iuris adminiculo, 4

Dicitur, rei corporalis; quia incorporalia cùm tangi non poſſint, propriè non poſſidentur, ſed quaſi poſſidentur, *l. Seruus* 43. §. 1. *ff. de acquir. rer. dominio, cap. Cum Eccleſia* 3. *h. t.* vbi qui habet ius eligendi dicitur illud quaſi poſſidere.

Detentio ponitur loco generis: nam omnis poſſeſſio eſt detentio, non è diverſo, quia detentio ſeu detineri convenit etiam iis, qui poſſidere nequeunt, & ad eum quoque detinendi actum refertur, qui iure deſtituitur, ſine quo ne quidem poſſeſſio facti, de qua agimus ſubſiſtere poteſt: eoque nomine intelligitur etiam apprehenſio prima, quæ ordinariè requiritur eſtque poſſeſſionis inceptio & acquiſitio.

Additur, corporis adminiculo; quia vt res aliqua incipiat poſſideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi, manibus, pedibus, oculis, vel alio ſimili modo. Vnde & poſſeſſio dicitur à pedum poſitione, *in l.* 1. *ff. de acquir. vel amit. poſſ. ff.* nam per pedum poſitionem ſuper bona potiſſimum immobilia, vt v. g. ſuper fundum, agrum, prædium, ſolet acquiri poſſeſſio.

Adiicitur etiam, animi adminiculo; quia debet apprehendi animo poſſidendi, *l. Si quis ante* 10. *ff. de acquir. poſſeſſ.* animo enim & corpore poſſeſſionem acquirimus, *l.* 3. §. 1. *& legi Quemadmodum* 8. *ff. d. t.* Hinc depoſitarius & commodatarius non dicuntur poſſidere, quia non detinent rem depoſitam vel commodatam animo poſſidendi.

Additur denique, iuris adminiculo, non quaſi omnis poſſeſſio facti iuſta ſit, cùm fur verè poſſideat rem furtivam, & tamen iniuſtè: ſed quia ius facit, vt talis detentio ſufficiens cenſeatur ad conſtituendam poſſeſſionem, nec eam impediat: ſicuti impedit, ne detentio rei ſacræ vel loci religioſi à laico, vel liberi hominis cenſeatur poſſeſſio, vt patet *ex l. Qui vniverſas* 30. *ff. eod.*

Poſſeſſio iuris eſt ius reale inſiſtendi & incumbendi alicui rei, tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri. Per particulam, ius reale, excluditur poſſeſſio facti, quæ formaliter eſt ipſa occupatio & detentio actualis. Similiter excluditur detentio, quam habent inquilinus, depoſitarius, commodatarius, colonus, quia illi non habent ius reale inſiſtendi in re, ſed 5

tantùm

tantùm ius personale, nempe ex contractu comparens.

Dicitur, insistendi vel incumbendi rei; vt excludatur dominium, quod per se & formaliter est tantùm ius disponendi de re. Cum interim hoc ius in eo consistat, quòd possessor possit rem pacifice tenere, & iuris remediis, subinde etiam armis, se tueri adversus turbantes.

Additum fuit, tanquam suæ; quia si quis insistat rei, nomine alterius, non erit vera possessio. Et hinc rursus colonus, inquilinus, depositarius, commodatarius, non dicuntur possidere, sed ipse dominus per eos, §. *Possidere Instit. de interdictu.* Possumus enim per alium possidere, modò is habeat animum detinendi rem nostro nomine: nisi sit seruus noster, aut filius nondum emancipatus, nam hi eius conditionis sunt, vt non sibi, sed nobis acquirant, etiamsi eum animum non habeant, §. *Item placet in fine Instit. Per quas personas, &c.*

Additur, non prohibitæ possideri; quia nulli potest competere ius possidendi contra iuris dispositionem seu iure resistente, sed tantùm potest detinere rem, puta rem sacram, religiosam, locum publicum, *d. l. Qui vniversas*, §. 1.

6 Dividitur possessio in Iustam & iniustam. Rursus ex parte causarum seu titulorum (qui vt varij & pœnè infiniti sunt, etiam varias & pœnè infinitas seu potiùs modos possessionis constituunt) alia dicitur pro emptore, alia pro donato, alia pro legato, pro dote, pro hærede, & sic de cæteris.

7 Tertiò dividi solet in Civilem & Naturalem, *l.* 2. §. 1. *ff. pro hærede*: addunt alij Naturalem & Civilem simul, Civilem vocant, quæ in Iure consistit, *l.* 10. *Cod. de acquir. possess.* & solo animo retinetur. Nam licet ad acquirendam possessionem requiratur adminiculum corporis & animi, nempe vt quis rem apprehendat & occupet, animumque & affectum sibi possidendi habeat, *d.* §. *Possidere Institut. de interdictis*: tamen vt postea retineatur, & continuetur eius possessio, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi à possessione ipsius *d.* §. *Possidere*; idque ne per singula horarum momenta rebus nostris insistere necesse sit. Hoc modo possidet & retinet animo possessionem, qui à re, quam possideret, corpore discedit, nullo in possessione relicto, *leg. Clam possidere* 6. §. *qui ad nundinas ff. de acquir. possess.* * In amittenda quippe possessione
8 affectio eius, qui possidet, intuenda est: ...m vti corpore & animo acquiritur possessio, ita etiam corpore & animo amittitur; imò amitti & solo animo potest, *l.* 3. §. *in amittenda* 6. *D. D. tit.*

Non obstat, quòd solo animo non acquiratur, quia facilùs amittitur, quàm acquiritur. Non tamen solo corpore amittitur nisi etiam adsit animus non possidendi. Et ita intelligitur, *l. Quemadmodum* 8. *ff. eod. & l. Ferè* 153. *ff. de R. I.* vbi dicitur, quòd, vt nulla possessio acquiri potest nisi animo & corpore, ita nulla amittatur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est: quando scilicet incipitur à corpore; secus, quando incipitur ab animo, qui in amittenda possessione attendendus est, *l.* §. *in amittenda.*

Dicitur verò civilis hæc possessio, quia iure civili fulcitur, seu iure civili magis constat, 9
quàm Naturali, cùm naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiam. Et ideò possessio civilis Iusta appellatur, & Corporali opponitur, *l.* 24. *ff. de acquir. possess.* Deinde quia parit effectus civiles, scilicet vsucapionem & dominium.

Naturalis possessio est, quæ corpore & animo simul retinetur: vt quando quis occupat rem, vt suam. Potest autem hæc coniungi Civili: vti quando quis est præsens, per se vel per alium, rebus, quas civiliter possidet; & tum dicitur naturaliter & civiliter possidere. Potest etiam separari à Civili: vt si quis me ex fundo meo deiiciat, vt fundum meum possideat, ego civiliter, ille naturaliter eum possidet: non etiam civiliter, quia cùm ius civile eiusmodi vim improbet, & iubeat auferri possessionem violento invasori & spoliato restitui, Iuris interpretatione non videtur possidere, *leg. Si quis vi* 17. *l. Non videtur* 22. *ff. dict. titul.* Aliquando tamen aliter accipitur Civilis & Naturalis possessio: vt scilicet Civilis dicatur, quâ res possidetur quoad dominium directum; Naturalis autem, quâ possidetur secundum vsumfructum vel vsum, vel habitationem, vel pignus, vel alia iura diversa à dominio, vt constat *ex l. Naturaliter* 12. *ff. eod. leg.* 2. *ff. pro hærede*, nam natura non aliud requirit ad constitutionem possessionis, quàm occupationem & fruitionem.

De possessione verò agitur tribus modis, & 11
sic triplex est iudicium possessorium, scilicet adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis: nam omnis controversia de possessione instituitur, vel ad adipiscendam possessionem quam actor nunquam habuit, vel ad retinendam,

retinendam, quam habet; vel denique ad recuperandam, quam amisit.

2 Exemplum possessorij adispiscendæ est in interdicto quorum bonorum, quod competit ei, cui delata est hæreditas ex testamento vel ab intestato, ea adita de iure civili, vel bonorum possessione agnita de iure Prætorio, *l. 1. & l. 2. Cod. Quorum bonorum*; ad auocandam actualem & effectualem possessionem (quam nunquam habuit, & quam ipso iure non acquirit, sicut dominium, *l. cum hæredes 23. in princ. ff. de acquir. possess.*) ab eo, qui pro hærede eius, de cuius hæreditate agitur, vel pro possessore possidet, vel ab eo, qui dolo culpáve desiit possidere. Vide Vvesemb. *ad tit. ff. Quorum bonorum.* Dixi, quam nunquam habuit; quia si quando habuit, non competit possessorium adipiscendæ possessionis, *§. Pro hærede instit. de interdictis*; sed recurrere debuit ad possessorium recuperandæ. Idque est generale in omnibus iudiciis possessoriis adipiscendæ, Glossa *in cap. 1. in fine de confessis in 6.* Maranta *4. part. speculi dist. 7. n. 5.* & ideò abusivè restitutorium vocatur.

Secundò, exemplum possessorij adipiscendæ est in interdicto, *Quod legatorum*, quo restitui iubetur hæredi, quod legatorum nomine, non voluntate eius sed propria auctoritate à legatariis occupatum fuerit, idque propter Falcidiam, quam ex ea re detrahere hæres potest. Etenim æquissimum Prætori visum fuit, vt legatarij non sibi ius dicerent, occupatis legatis propria auctoritate, sed ea ab hærede peterent, *l. 1. in princ. ff. Quod legatorum*: vbi vide Vvesemb.

Tertiò, exemplum est in interdicto Saluiano, quod competit adversus conductorem prædij alicuius, si inuecta & illata (quæ pensionis nomine obligata tenentur) è prædio abduxerit & abstulerit, vt possessionem eorum restituat ei, a quo conduxit. Et datur etiam adversus tertium possessorem, *l. 1. ff. de Saluiano interdicto, & notat* Abbas *in cap. Pastoralis num. 14. hoc tit.*

Quartò, exemplum est in remedio, *l. fin. Cod. de edict. diu. Hadriani tollendo*, quod competit hæredi scripto in testamento, cuius vigore potest petere se mitti in possessionem: de quo, & qualiter procedat, vide Bart. *& DD. ibid.*

Quintò, locus est huic iudicio in officio iudicij, quod per eum implorari solet, cui collatum est beneficium aliquod, vel cui alio modo prouisum est, vt mittatur in possessionem, quam nunquam habuit: idque procedit & seruatur generaliter de iure canonico, Abbas *in d. cap. Pastoralis n. 14. in fine* & habetur *in c. accedens 23. & ibi per* Abbat. *& DD. inf. de accusat.*

Possessorij verò retinendæ possessionis exemplum est in interdicto, Vti possidetis & Vtrobi. 13
Illud datur pro rebus immobilibus, hoc pro mobilibus: quarum in possessione quis turbatur, vt declarat Glossa & Abbas. *in d. cap. Pastoralis num. 16.* Et datur possessori, qui iniustè & extraiudicialiter turbatur in sua possessione, adversus turbantem, vt is turbare & molestare desinat, teneaturque ad interesse turbationis factæ. Dico extraiudicialiter; quia si turbetur iudicialiter, vt si moneatur lis super re aliqua, quam possidet, non datur ei hoc interdictum: quia qui vtitur iure suo per viam iudiciariam, alteri non facit iniuriam, Abbas *in cap. Audita 4. num. 8. inf. de restitut. spoliat.* Sicut nec datur adversus turbantem, deiectum à sua possessione: quia licèt is non possit deiectorem statim deiicere ex interuallo, sed incontinenti ei imtaxat, tamen potest impunè ex interuallo & quandocunque turbare deiectorem suum in sua possessione, Maranta *4. distinct. 7. num. 18.* Quòd si verò duo litigent & agant hoc possessorio iudicio & quilibet prætendat se possidere, is obtinebit, qui de antiquiori possessione probabit: quia iunior possessio præsumitur iniusta & clandestina, *text. & ibi* Abbas *n. 9. in cap. licet 9. inf. de probat.* Maranta *dict. loco num. 19. & 25.* vbi consequenter in additionibus vide varias quæstiones circa hanc materiam remissivè decisas.

Tertium, vt dixi, possessorium iudicium est recuperandæ possessionis: & in hoc fuerunt plura remedia à iure introducta, prout ea recenset Maranta, *dict. distinct. 7. num. 28.* Et in primis est interdictum vnde vi, de quo ad *tit. de restit. spoliat.* agemus: secundum est condictio incerti 4. condictio indebiti. 5. actio in factum. 6. officium iudicis. 7. est ex æquitate *l. Si & me & Titium ff. Si certum petatur* 8. est condictio ex *l. Si coloni 14. Cod. de agric. & censitu lib. 11.* & sic de similibus aliis: de quibus, & quæ ad singula requirantur, vide apud Marantam *distinct. 7 à n. 28.* 14

Possessorium retinendæ possessionis communiter duplex statuunt: alterum Ordinarium, quod & plenarium dicitur: alterum Summarium, siue Extraordinarium seu Momentaneum. Plenarium siue Ordinarium vocant, quando plena causæ cognitio adhibetur, & seruato ordine iuris, plenè discutitur atque examinatur, vtrùm actor ab aduersario suo possideat 15

rem, de qua agitur, non vi, non clam, non precario *l. 1. ff. vti possidetis.* Et in hoc iudicio plenæ requiruntur probationes, quia magni est momenti & præiudicij propter commodum possessionis: licèt ea in petitorio recuperari possit, latè Gail l. 1 *obser. 7.*

16 Summarium illud dicitur, in quo, nullo iuris ordine seruato, summatim iudex cognoscit, vter ex litigantibus possideat tempore litis motæ; ad eum finem, vt ille tanquam possessor constituatur, & alter sit petitor, ita vt saluum ei maneat ius suum, tam quoad plenarium possessorium, quàm quoad petitorium. Huic autem possessorio Summario nunquam locus esse solet, quando vterque ex litigatoribus ita contendit se possidere, vt libellum offerre nolit, & periculum est, re ne veniatur ad arma: tunc enim iudex, re summatim cognita, solet sine præiudicio partium declarare, interim alterum ex litigatoribus possessorem esse, donec de possessione plenius cognoscatur, *text. in l. Æquissimum* aliàs *l. Si cuius* 13. §. 3. *ff. de vsufructu*, ibi, *Cur enim*, inquit Iulianus, *ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest iurisdictione sua componere?*

17 Dicitur autem Summarium vel etiam Summariissimum, *secundum Interp.* quia in eo absque tela iudicij, & sine longa protelatione litis, sola facti veritate probabiliter inspecta, celeriter & velo leuato, vt aiunt, procedendum est, *l. Si coloni Cod. De agric. & censit. libro* 11. ibi, *celeri reformatione clement. sape de verb. significat. clement. dispendiosam de iudicij.* Momentaneum verò dicitur, quia sententia in eo lata non perpetuum sed Momentaneum & reparabile præiudicium adfert, quod inordinarie & pleno possessorio reparari potest, cùm sit mera puraque interlocutio neutri parti, siue in possessorio ordinario siue in petitorio, præiudicialis. Vnde interim aut Fiduciaria aut depositaria possessio aut prouisionale remedium vel decretum appellatur: in eóque imperfectæ & semiplenæ, quia modici est præiudicij, probationes admittuntur, Gaill. *d. obser. n. 6.*

18 Denique probatur possessio variis modis, veluti ex perceptione, fructuum, censuum & collectarum solutione, cæterisque actibus iuris possessorij in re factis, demonstratione viciniæ, scientia, locatione, plantatione, fatione, & sic de aliis, quos refert Vvesemb. *ad tit. ff. de acquir. vel amit. possess.*

§ II.

De Proprietate, quid sit, & in quo differat à Possessione.

1 *Definitio Proprietatis. Inter eam & dominium non esse discrimen.*

2 *Differentia inter Proprietatem & possessionem.*

QVod ad Proprietatem attinet, ea definitur Ius plenè & perfectè disponendi de re pro libitu & arbitratu, nisi lege vel conuentione quis prohibeatur. Et hinc quisque dicitur rei suæ moderator & arbiter. Verius autem est, quidquid alij sentiant, inter Proprietatem & Dominium hoc loco non esse discrimen, sed promiscuum eorum vsum. Nam quod de proprietate scribit Calistratus, *in leg. Si vi 37. ff. de iudicijs*, idem de dominio in eadem quæstione scribit Martinus, *in l. Qui cœtu* 5. §. 1. *ff. ad leg. iuliam de vi publica*, Id ipsum patet etiam ex *l. Exitus* 35. *ff. de acquir. possess. l. Ordinarij* 13. *C. de rei vindicat.* 1

Possessio verò & proprietas licèt versentur circa idem corpus seu eandem rem; & vtrumque sit ius incorporale, atque à possessione dominium incipere dicatur, *l.* 1. §. 1. *ff. de acquir. possess.* & per easdem personas acquirantur, *institut. per quas personas nobis oblig. acquir.* tamen adeò diversæ ac separatæ sunt naturæ, vt dicat iurisconsultus *in l. naturaliter* 12. *ff. de acquir. possess.* proprietatem nihil habere commune cum possessione.

Et, vt ex multis differentiis paucas delibemus, nihil vetat eum esse possessorem, qui Dominus non sit; & contrà, eum Dominum esse, qui non possideat, *dict. l. Exitus.* Rursus dominium sine titulo non acquiritur, *l. Numquam nuda* 31. *de acquir. rer. dominio*; possessio verò in profanis tituli adminiculum non desiderat, nisi aduersus eum, à quo possidetur, *l. Clam possidere 6. §. qui ad nundinas ff. de acquir. possess.* Nudo etiam animo interdum acquiritur proprietas, *l. cum heredes* 23. *ff. dict. t.* possessio numquam, *l. 3. in princ. ff. eod.* Et contra solo animo amittitur possessio, *d. l. 3. §. in amittenda*; non etiam dominium, *l. Si quis vi* 17. §. 1. *ff. eod.* Præterea possessio ex pluribus causis haberi potest, *d. l. 3. §. ex pluribus causis*; at verò dominium non nisi ex vna causa acquiritur, *l. Et an eadem* 14. §. *actiones D. de except. rei iudicatæ.* Rursus in vitium litigiosi res cadit, si de proprietate, 2

controuersia

controuersia in iudicio moueatur, *l. 1. iuncta Authent. Litigiosa Cod. de litigiosis*; non item si de sola possessione. Insuper possessor actoris seu petitoris partes non sustinet, nec cogitur possessionem cedere, nisi probanti se esse Dominum, *l. vltim. Cod. de rei vindicat.* Et vbique in pari causa, etiam turpitudinis & delicti, potior est conditio possidentis, *cap. cum partium de R. I. in 6.* & præsumptionem pro se habet. Item re pluribus vendita, is dominus efficitur, cui priùs traditur res, etiamsi in contractu sit posterior, *l. Quoties 15. C. de rei vindicat.*

Præterea causa possessoria dicitur momentanea & summaria, nec à sententia super ea lata admittitur appellatio, saltem ad impediendum effectum executionis, *l. 1. C. de momentanea poss. &c.* Nec publicatio testium productorum in causa possessoria impedit eorumdem productionem in petitoria, etiam super iisdem vel directè contrariis articulis, *DD. in cap. veniens inf. de testibus.* Denique, vt alias differentias omittam, exceptio rei iudicatæ ex alterutra causa alteri non obest, quò minùs qui de vna egit, altera experietur, *dict. l. Et an eandem.*

§. III.

Quis in causa possessionis sit Iudex competens.

1 *Iudicium hoc, etiam in spiritualibus, spectare ad iudicem laicum.*
2 *Sententia contraria.*
3 *Ea de iure verior.*
4 *Prior tamen recepta in praxi.*
5 *Causa possessionis & proprietatis coram eodem iudice tractanda.*

1 VIdendum nunc, quis in causa possessionis & proprietatis iudex sit competens in primis, loquendo possessorio per se & seorsim à proprietate, sunt qui velint, possessorium retinendæ & recuperandæ spectare ad iudicem laicum, qui est Ordinarius loci, in quo res, de qua agitur, sita est; etiam tunc, cùm de possessorio beneficiorum decimarum, iurispatronatus agitur Glossa *in cap. litteras sup. de iuramento calumniæ*, Guidæ Papæ *decis. 71. & 85.* Gaill. 1. *obser. 37. num. 5. & multi alij.* Probatur per *cap. 7. inf. Qui filij sint legitimi*, in verbis, *Nos attendentes, quòd ad regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare.* Item per *can. Perimus 11. quæst. 1.* vbi Pont. indicare videtur, adeundum esse Rectorem provinciæ in causa possessionis rei Ecclesiasticæ, quam aliquis invaserit. Per *cap. vlt. sup. de iudiciis*, vbi iudex sæcularis de possessione inter quendam Abbatem & Monachos, ex vna, & communitatem cuiusdam castri, ex altera, cognoscit: nec tamen improbat Pontifex, sed potiùs confirmat; ea scilicet ratione, quòd possessorium rei spiritualis non sit quid spirituale, sed temporale, & potiùs in facto quàm in iure consistat. Ideóque, licèt in causis spiritualibus non iuretur de calumnia, *cap. 2. sup. de iuramento calum.* tamen si pro re spirituali possessorio agatur iudicio, necesse est iurare de calumnia, *c. litteras §. præterea inf. de restitut. spoliat.* Glos. *ibid. in V. iuramento, & in d. c. 2. in V. rebus spiritualibus.*

Contrà contendunt alij, in possessorio rei 2
spiritualis iudicio iudicem Ecclesiasticum esse competentem, Anton. Butrius *in dict. cap. vltim. sup. de iudiciis*, Augustin. Bellous *ad Rubr. dict. num. 55.* Couar. *pract. quæst. cap. 35. num. 1. vers. 2. concluf.*

* Quæ sententia de iure verior apparet, 3
præsertim quando de possessorio rei spiritualis inter personas agitur Ecclesiasticas, vel à laico persona conuenitur Ecclesiastica. Probatur ex *cap. cum sit generale 8. sup. de foro compet.* vbi dicitur in fauorem Ecclesiæ esse introductum, vt locorum venerabilium rectores malefactores suos possint sub quo maluerint iudice conuenire; eò quòd sæculares iudices in exhibenda iustitia personis Ecclesiasticis sæpè in iudicio sint remissi. Probatur sæcundò ex Clement. *1. de causa possess. & propriet.* Clement. 1. *de sequestrat. possess.* vbi habetur; tam possessorium quàm petitorium causæ Ecclesiasticæ tractandam esse apud Sedem Apostolicam. Et denique ex *cap. sup. de iudiciis*; vbi dicitur negotia Ecclesiastica, & maximè spiritualia, à laicis tractanda non esse. Ratio est, quia iudex laicus nullam in clericos iurisdictionem habet, *cap. 1. & 1. sup. de foro compet.* Et ideò licèt de re temporali agatur & non de persona Ecclesiastica est agendum, illa non ad laicum, sed ad Ecclesiasticum trahi debet, cùm is solus in eam imperium & iurisdictionem (quæ sine modica coërcitione nulla est, *lib. 1. ff. de iurisdict. om. iud.*) habeat, & solus compellere possit ad comparendum in iudicio.

Non obstat, *d. c. 7. Qui filij sint legitimi*: quia loquitur de rebus temporalibus & possessionibus laicorum.

Ex *dict. can. Perimus*, illud solùm colligi- 4

mus, personam Ecclesiasticam posse subsidium & opem Iudicis implorare sæcularis pro recuperatione vel defensione rei suæ. At verò *in d.c.vlt.* causa agebatur inter Ecclesiasticam personam & sæcularem, & Ecclesiastica ad iudicium trahebat sæcularem; ideóque eius forum sequi oportuit.

Cæterùm, his non obstantibus, priorem sententiam testatur esse communem Boëtius *dec. 60. num 23.* eámque communis iudiciorum vsus approbat & amplectitur. Adeóque, & cum Iudicis Ecclesiasti exclusione, de istis possessoriis, etiam rerum spiritualium, cognoscit Brabantiæ Concilium, & quæstio impossessorio suspendit petitorium, nisi in petitorio fuerit contestata lis coram Iudice Ecclesiastico, Quinimò, teste Zypeo *lib.2. de iure Pont.novo h. tit.* etiam quæstiones adipiscendæ possessionis recipit & decidit, cum tamen per Concordata Brabantiæ interdictum adipiscendæ Iudici spirituali relinquatur. Et meritò, cùm iudicium possessorium retinendæ ac recuperandæ possessionis sit temporale, & in facto potiùs, quàm in iure consistat: at verò in adipiscenda possessione nihil est facti, sed solùm disquisitio iuris, cùm sine iure & titulo possessio beneficij acquiri non possit, de quo iure, cum sit spirituale, laicus cognoscere nequit, Ant. Faber. *in Cod. suo lib.3. t.7. definit.1.* post Guidonem Papæ *q.1.*

5 Porrò quamvis ita distinctæ sint possessionis proprietatis causæ, provt ante diximus: tamen vtraque coram vno eodemque Iudice proponi, cognosci & ab eodem terminari debet, *cap. 1. h.t.* & Iudex simpliciter ad causam delegatus, de vtraque cognoscere & iudicare: idque ne connexitas, quam ad se mutuò habent (tum ratione subiecti, quia circa eandem rem versantur, tum ratione facilioris cognitionis & decisionis, quia qui cognovit de possessione, faciliùs cognoscet & decidet de proprietate) dividatur *contra l. Nulli Cod. de iudiciis, cap.1. inf. de sequestratione.* Quod tamen ita intelligendum, nisi litigantes sint diversi fori (ne obstet, *c.vlt. sup. de iudiciis*, vbi dicitur, quòd actor, qui obtinuit in possessorio coram Iudice rei, non teneatur coram eodem respondere in petitorio:) & modò Iudex vtriusque causæ cognitionem habeat, quia, exempli gratiâ, in causa beneficiali possessorium coram Iudice laico institutum non trahit ad eandem, causam beneficij petitoriam, cùm Iudex laicus de ea cognoscere nequeat.

§. IV.

An causa possessionis & Proprietatis possit cumulari.

1 *Videtur cumulari non posse.*
2 *Sententia contraria probatur.*
3 *Quæritur de cumulando possessorio retinendæ cum petitorio.*
4 *Probatur etiam illius cumulatio.*
5 *Respondetur contrariis.*
6 *Quo modo de vtroque pronuntiare debeat iudex.*
7 *Actorem, suspenso petitorio, posse experiri possessorio.* 8.

ILlud verò quæsitum in hoc tit. fuit, an causa possessionis & proprietatis possit coincidere & simul tractari, nimirum an vnus & idem actor adversus eundem possit agere possessorio & petitorio simul, eiusdem rei nomine? Videri poterat, quòd non, sed priùs experiendum possessorio, cóque absoluto demùm agendum esse petitorio, sive agatur, possessorio adipiscendæ, sive retinendæ, *per l. incerti 3. C. de interdictis*, vbi dicitur, ortâ proprietatis & possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quæstionem; vt ex hoc, ordine facto, de dominij disceptatione probationes ab eo, qui de possessione victus est, exigantur. Secundo, per *leg. Ordinarij 13. Cod. de rei vindicat.* vbi dicitur, ordinarij iuris esse, vt de possessione iudicetur, & tunc demùm proprietatis causa ab eodem Iudice decidatur. Cum enim hæ leges non distinguant, quo possessorio agatur, videntur intelligendæ de omni possessorio, iuxta illud vulgatum, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et quòd in possessorio recuperandæ possessionis priùs agendum sit de possessione, quàm de proprietate, probari videtur per *leg. Si de vi 37. ff. de iudiciis*, *leg. Qui cœtu 5. §. si de vi ff. Ad leg. Iuliam de vi publica*, iuncta *leg.1. Cod. de appell.* & per *§. retinendæ possessionis Institut. de interdictis*; vbi dicitur, non posse petitoriam actionem, id est actionem de proprietate institui, nisi ante exploratum sit, vtrius eorum sit possessio. Accedit regula Iuris, quæ habet, quòd, cùm alicui competunt plures actiones, eiusdem rei nomine, vnam aliquam actionem eligere oporteat & vnâ tantummodo experiri, *leg. Nemo 43. §. quoties ff. de R.I.* 1

Nihilomi

Nihilominus tamen rectè cumulari vtramquam hanc causam, possessionis & proprietis, ab eodem adversus eundem, in eodem iudicio sive coram eodem iudice, probatur *ex cap. Cum Ecclesia 3. cap. Cum super 4. cap. Cum dilectum 6. hoc titul. leg. Cum fundum 18. ff. de vi & vi armata*; vbi pendente rei vindicatione seu petitorio iudicio, respondet Iurisconsl. nihilominus rectè agi interdicto. Et *in leg. Naturaliter 12. ff. de acquir. vel amit. poss.* ait non denegari interdictum vti possidetis ei, qui cœpit vindicare.

2 Ratio huius est, quia hoc pacto minuuntur lites, & ex duabus fit vna: ad quod Iurisconsulto omninò adlaborandum est, *l. Properandum 13. C. de iudiciis, & Instit. de pœna temerè litigant. in princ.*

Et hoc quidem communiter receptum est, quando actor vltrò & sponte suâ suscipit in se onus probandi simul & possessionem & dominium; idque non modò, quando agitur possessorio adipiscendæ vel recuperandæ, sed etiam quando agitur possessorio retinendæ, respectu diversarum possessionum: veluti si agam rei vindicatione adversus possessorem, ratione naturalis possessionis, quæ penes eum est, & simul interdicto retinendæ agam adversus eundem, ratione civilis possessionis, quam penes me esse contendo: tum quia id valet ad expediendas lites, tum quia nulla hìc est contrarietas.

3 Verùm admodum controvertitur inter Interpretes an etiam possessorium retinendæ possessionis cumulari possit cum petitorio, respectu eiusdem possessionis, v. g. naturalis? Non posse, ex eo probari videtur, quòd inter se pugnare hæc videtur: nam qui agit possessorio retinendæ, contendit se possidere, & retinere velle possessionem, quam habet, ac proinde adversarium non possidere: qui verò agit petitorio, tacitè saltem videtur fateri, se non possidere, sed adversarium, quia ei, qui possidet, non datur actio in rem, sed ei, qui non possidet, §. *quod genus Actionis Instit. de actionibus.* Et ideò, qui petitorio iudicio vtitur, inquit Caius Iurisc. *in l. Qui petitorio 36. ff. de rei vindicat.* ne frustrà experiatur, inquirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, nec ne. Atque ita possessorium retinendæ cum petitorio accumulans videtur contraria seu contradictoria allegare, nempe se possidere, & non possidere; ideoque non est audiendus, *leg. Vbi pugnantia 188. ff. de reg. Iur. & similibus*: ita Bart. *& alij ad dict. leg. Naturaliter.*

Contrarium tamen apparet verius, *ex dict. leg. Naturaliter*; vbi dicitur, non denegari interdictum. Vti possidetis ei, qui cœpit rem vindicare, quia non videatur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit, vbi quia non distinguitur, indicatur eum, qui rei vindicatione agit, neque civili neque naturali possessioni renuntiare. Nec verum est, agentem possessorio retinendæ & simul petitorio contraria allegare, nempe se naturaliter possidere, & non possidere naturaliter: nam agens possessorio retinendæ contendit quidem se possidere, & per consequens adversarium suum non possidere. Deum verò simul agit petitorio, seu simul rem vindicat, tunc ne tacitè quidem fatetur adversarium suum possidere, quia rei vindicatio datur eam adversùs eum, qui neque naturaliter neque civiliter possidet, sed detinet tantùm: veluti adversus depositarium & commodatarium, vtpote qui habent facultatem rei restituendæ, *l. Officium 9. in fine ff. de rei vindicat.* 4

Non obstant in contrarium allegata, quia obtinent illa, quando vterque litigantium & de possessione & proprietate contendit, ita vt neuter eorum onus probandi dominium velit suscipere in se, sed in alterum reiicere (provt actor prudens non facilè suscipiet, quia difficilis probatio est dominij, *leg. Ad probationem 21. Cod. de probat.*) nam tunc, quia sciri non potest vter litigantium probare debeat, priusquam exploratum sit, vtrius sit possessio, eo quòd is demum in petitorio, si obtinere eo iudicio velit, teneatur probare dominium, qui causâ cecidit in possessorio, *leg. Exitus 35. de acquir. possess.* ideò eo casu priùs debet decidi possessorium, quàm petitorium. At verò cùm quis ab initio suscipit in se probationem possessionis & dominij, cessat illa incertitudo seu ratio: & proinde æquitas postulat, vt vtrumque simul eodem iudicio expediatur, vt tanto citiùs lites dirimantur & diminuantur, præsertim cùm petitorium & possessorium tendant ad diversa, nempe possessorium ad possessionem & petitorium ad proprietatem, 5

Susceptâ igitur per actorem possessionis & proprietatis probatione, si vtrumque probet, potest Iudex vel de vtroque simul sententiam ferre; ita tamen, vt in pronuntiatione præmittat possessionem, in executione verò proprietatem, *cap. 1. c. Cum dilectus hoc tit.* vel priùs, probationibus de possessione examinatis, 6

de possessione tantùm pronuntiare, *cap. 2. hoc tit.* Alioquin, quando agitur petitorio simul & possessorio, non posse iudicem à principio admittere probationes super possessorio dumtaxat tradit Abbas *in dict. cap. 2. num. 2.* Sin autem actor, vtriusque probatione suscepta, possessionem quidem probauerit, sed non dominium, iudex ei adiudicabit possessionem, non verò dominium, *cum Ecclesia hoc tit.*

7 Sed quid, si ab initio tantùm actum sit de proprietate, ac desuper contestata lis, & producta aliquousque, fortè vsque ad probationes, licebitne actori (si forè videat se non facilè posse probare dominium, confidat verò se facile probaturum possessionem) intentare possessorium, suspenso petitorio? Videri poterat, non licere: tum quia post litem contestatam non potest mutari libellus, *l. Edita 3. Cod. de edendo*: tum quia petitorium ab initio propositum videtur priùs ad finem deducendum, quàm possit ad aliud procedi; quia qui semel aliquam actionem proposuit, necesse habet vsque ad finem, litem exercere, *Auth. Qui semel Cod. Quomodo & quando iudex, &c.* Nihilominus respondet Pontif. *in cap. Pastoralis, hoc tit.* eum, qui ab initio egit de proprietate, posse vsque ad conclusionem in causa, suspenso iudicio petitorio, intentare & accumulare possessorium adipiscendæ vel recuperandæ (idem esto iudicium de possessorio retinendæ, licèt aliqui aliter sentiant;) quia, vt antè diximus agendo petitorio non censetur renuntiasse possessorio, quandoquidem nihil commune habeat proprietas cum possessione. Nec hic mutatur libellus, sed ei aliquid superadditur, nempe possessorium.

8 Non obstat *dict. Auth. Qui semel*; quia hic petitorium non suspenditur, tergiversandi causa, quòd *dict. Auth.* veratur; sed ex iusta causa, ne scilicet actor, deficiens in probatione dominij, omninò cadat causa, sed probans possessionem saltem obtineat in possessorio: post conclusionem autem in causa non potest, nisi subsistente causa.

TITVLVS XIII.

De restitutione spoliatorum.

§. I.

Remedium hoc quando & cui competat.

1 *Competit remedium ob ereptionem rerum immobilium.*

2 *Cui & aduersus quem competat.*

3 *In quo differat ab interdicto retinendæ possessionis.*

TAMETSI in præcedentem titulum incurrant ferè omnia, quæ in Pandectis & Cod. de variis interdictorum generibus & eorum vsu proponuntur: tamen ei rectè subiicitur specialiter hic tit. *de restitutione spoliatorum*, seu de interdicto recuperandæ possessionis, tanquam qui specialem requirat tractatum, eò quòd plurima ab aliis diversa contineat, & ex atrocitate facinoris descendat, *l. 1. §. hoc interdictum ff. de vi & vi armatâ.* Vnde in institutionibus & Cod. vocatur interdictum *vnde vi*, à primis edicti verbis, *vnde tu illum vi deiecisti*: in Pandectis verò inscribitur Tit. de vi & vi armata, veluti à causa efficiente: quia nonnisi ei competit, qui vel vi simpliciter, vel vi armata deiectus est de possessione * rerum scilicet immobilium, vt fundi, vel ædium. 1

Subaudiendum verò est, vel quasi possessione; quia iura incorporalia, veluti seruitutes, reditus, beneficia, pensiones, iurisdictiones, & similia, rebus immobilibus comparantur, & tamen non propriè possidentur, sed quasi possidentur, & ideò, si quis vi prohibeatur vti seruitute aut iurisdictione sua, dabitur ei hoc interdictum. Vnde vi, *cap. olim inter 17. cap. Pisanis 19. hoc tit.* & similiter si beneficio suo Ecclesiastico vi priuetur, *c. 2. 5. 7. h. t.* Baldus *cons. 425. vol. 3.*

Dixi rerum immobilium, *l. Prætor ait*, §. *& generaliter & §. illud ff. de vi & vi armata*; quia ei, cui res mobilis erepta est, non competit aliquod interdictum possessorium recuperandæ possessionis, sed actio vi bonorum raptorum, vel furti, vel ad exhibendum, *d. l. 1. §. illud.* Quamvis, si res eiusmodi fuerit in fundo vel ædibus, vnde quis deiectus est, atque ita eam amiserit, etiam eius nomine, saltem accessoriè, licèt non principaliter, hoc interdictum competat, *d. l. 1. in princ. & §. illud 6. versic. planè, l. si quando 9. C. vnde vi.* Alex. *in l. vindicatio 56. ff. de rei vindicat.* 2

Datur autem hoc interdictum ei, qui vi deiectus est, sive fuerit dominus rei, sive non; veluti si vsufructuarius, *l. 3. §. fin. ff. de vi & vi armata*: modò tamen rem verè possederit, cùm fuit deiectus, *d. l. 1. §. interdictum autem hoc 23. cap. Consultationibus 10. sup. de officio delegati*; siue naturaliter siue civiliter, *dict. leg. 1. §. deiicitur 9.* sive iustè sive iniustè possideret. Item 3

hæredi

hæredi ac cæteris eius successoribus competit, *dict. l. 1. §. hoc interdictum* 44. non quidem aduersus quemlibet possessorem aut tertium aliquem, qui non spoliauerit & eandem rem possidere cœperit, *l. cum à te 7. ff. dict. tit.* sed aduersus eum, qui per se vel per alium deiecit, vel deiici mandauit (modò factum fuerit subsecutum, quia, vt dixi, ex facti atrocitate descendit) vel etiam deiectionem ratam habuit, *d. l. 1. §. deiecisse 12. iuncto §. sed etsi 14.* aut accedere prohibuit.

4 Differt verò hoc interdictum ab interdicto retinendæ possessionis, quod detur deiecto per vim aduersus deiectorem, licèt deiectus vitiosè, vi vel clam vel precariò, ab ipsomet deiectore, aduersario suo, possederit, *l. sed si vi 14. ff. eod.* Idque in odium eius, qui posteriùs vi deiecit: & proinde non habet hic locum regula iuris, quòd rei sint fauorabiliores, quàm actores, quódque in pari causa potior sit conditio possidentis. Hoc limitandum est, nisi vi deiectus incontinenti deiicientem iterum deiiciat, *cap. olim causam 12. hoc tit.* quia vim vi repellere licet, modò non fiat ex interuallo, hoc modò fiat, priusquam ad alios actus extraneos progressum sit, etiamsi aliquid temporis intercesserit.

§. II.

De alio remedio recuperandæ possessionis.

1 *Interdictum vnde vi aduersus quem competat.*
2 *Remedium ex* cap. Sæpè 18. hoc titulo *competit aduersus quemlibet possessorem.*
3 *Modo sciens possideat iniustè.*
4 *Licet scientia superueniat demum acceptâ re.*

1 QVia per interdictum vnde vi, de quo iam dictum, non satis consulitur spoliatis, ex quo illud datur dumtaxat aduersus eum, qui per se vel per alium deiecit, vel deiici mandauit, vel deiectionem ratam habuit, aut accedere prohibuit non autem aduersus alium nequidem hæredem aut successorem vniuersalem (nisi quòd in hos, quatenus ad eos peruenit, competat actio in factum, *dict. l. 1. §. vlt.* Abbas & DD. plenè *in cap. Quia col. 5. de iudiciis*) nec in singularem successorem, Maranta 4. *part. distinct. 7. num. 26.* ne quidem quatenus ad eum peruenit, siue iusto titulo & bona fide, siue absque titulo & malâ fide possideat rem, cuius possessione deiectus est; & durum admodum esset, aduersus huiusmodi possessorem non competere rei vindicationem, ad quam instituendam actori incumbit probare dominium, quòd sæpè probatu est difficile: ideò Innoc. *in cap. Sæpè contingit 18. hoc tit.* introduxit aliud remedium recuperandæ possessionis, simile interdicto vnde vi: quo actor agere potest ad recuperandam possessionem; aduersus quemlibet possessorem, spoliationis conscium, siue is rem 2
immediatè à spoliatore acceperit, siue mediatè, etiam à possessore bonæ fidei intermedio: ea ratione, quòd non multùm interfit quoad periculum animæ, an quis iustè inuaserit alienum, an sciens iniustè possideat: quandoquidem vitium deiectionis seu spoliationis non purgetur, nisi res reuersa sit in potestatem possessoris, qui deiectus est, vel Domini, si is Dominus sit: adeò vt si verus Dominus possessorem deiiciat, non purget hoc vitium: imò interdicto *vnde vi* directò teneatur, *l. Sequitur 4. §. si tu me vi cum §. sequent. ff. de vsucaptionibus.*

Dixi, non interesse multùm, an sciens 3
iniustè possideat; quod hoc remedium non competit aduersus eum, qui rem possidet, ignorans eam vi innasam; hoc enim casu cessat periculum animæ seu peccati, quod sine scientia non committitur. Et ideò actori incumbit probatio clara & specifica scientiæ huiusmodi, nam aliàs generaliter ignorantia præsumitur & obiecta scientia probari debet, *l. verius ff. de probat.* Quamquam stante ignorantia spoliationis huic medio possessorio locus esse possit, eo casu, quo quis vacuam seu vacantem possessionem ingreditur, maximè ex qua alius deiectus est: nam vti ad eum casum iustinianus, *in l. vltim. cod. vnde vi*, extendit vsum interdicti Vnde vi, etiamsi illi verba edicti non quadrent; ita verius est & hunc casum hoc remedio, quòd ad exemplum interdicti Vnde vi introductum est, comprehendi.

Cæterùm à plerisque dubitatur, an hoc re- 4
medium competat aduersus eum, qui bona fide rem à spoliatore accepit, & demùm, ea acceptâ, vitio violentiæ laborare cognoscit? Et communius obtinuit, superuenientem scientiam perinde atque eam, quæ ab initio fert, singulari successori nocere, cùm verùm sit, eam rem scienter detineri iniustè, & iniustam detentionem inuasioni æquiparet Pontifex: nec minùs subsit hic periculum animæ, quàm cùm ab initio nouit vi ablatam. Idque obtinet, siue titulo lucrativo siue oneroso successerit, siue soluendo

soluendo sit, sive non, primus spoliator: quia hic Pont. non tam spectat causam acquisitionis, quàm modum, hoc est scientiam acquirentis & recipientis ac detinentis iniustè seu periculum animæ.

§. III.

De tertio remedio recuperandæ possessionis.

1 *Remedium redintegrandæ possessionis cui detur & aduersus quem.*
2 *Simile actioni quod metus causa.*

EST & tertium remedium recuperandæ possessionis, quod à Pragmaticis appellatur remedium redintegrandæ; *ex can. Redintegrandâ 3. quæst. 1.* quod quia latissimè patet & plenissimum est atque vtilis inter omnia aliis remediis concurrit, Maranta *4. part. distinct. 7.* 1 *num. 58.* hodiè in frequentissimo est vsu. * Datur enim ei, sive is clericus fuerit sive Ecclesia, sive laicus, qui de re aliqua, etiam mobili, vi deiectus est, vel cui alias quovis modo sine iusta causa ablata res est, Maranta *dict. num. 58.* absque vlla temporis præfinitione, adversus quemlibet possessorem, quamvis ipse non spoliauerit, nec etiam spoliationis sit conscius, sed bonæ fidei possessor, *dict. can. Redintegranda, & ibi Glossa*; & sive cum vitio seu absque vitio, sive cum titulo seu absque titulo ad eum res pervenerit, Maranta *dict.* 2 *loco*: * Quia hoc remedium est in rem scriptum, sicut & actio quod metus causâ, quæ coërcet non tantùm personam vim facientis, sed datur etiam adversus omnes eos, ad quos res peruenit, *l. Metus §. vlt. ff. de eo quod metus causa.* Eóque vti potest etiam colonus & inquilinus, si de detentione sua fuerit per vim deiectus, etiam adversus quemlibet possessorem.

§. VI.

Quo pacto facienda sit restitutio spoliato.

1 *Spoliatus ante omnia restituendus.*
2 *Exceptio ab hac restituendus.*
3 *Restitui debet res cum sua causa.*
4 *Quid probare debeat actor in hoc iudicio.*

TRaditur quoque in hoc tit. hæc regula, 1 quòd in iudicio spoliationis seu possessorio recuperandæ possessionis spoliatus, licèt prædo sit, ante omnia sit restituendus, *cap. in litteris hoc tit.* adeò, vt, quamvis aliàs regulariter reus non condemnetur, nisi priùs auditus in suis exceptionibus, *l. 1. Cod. de probat.* tamen spoliator, conuentus à deiecto seu spoliato, ne in suis quidem exceptionibus (veluti si actori obiiciat aliquod crimen, vel quòd vi aut clam possederit, *cap. cum quis hoc tit.* aut si agatur de beneficio, quòd non sit canonicè institutus, *dict. cap in litteris*) audiatur, nec cogatur respondere reus ad obiecta, priusquam aduersarius restituerit, quod vi ablatum est, *conquerente in fine hoc tit. leg. 1. Cod. Si per vim vel alio modo &c.* ibi, *sine vlla cunctatione restituatur, leg. Si quis 7.* ibi *eademque protinus restituta Cod. Ad leg. iuliam de vi publ. vel priuata*: licet de domino excipiat, id est dicat se esse Dominum rei, de cuius possessione actorem deiecit, *cap. 1. hoc tit. cap. Frequens eod. in 6.* imò licèt incontinenti illud probare velit, nisi spoliatus consenserit, Panorm. *in dict. cap. 1.* Secus atque in interdicto adipiscendæ & retinendæ, vbi exceptio dominij, maximè si incontinenti probari possit: obstat agenti: Idque singulare est in hoc iudicio spoliationis, in odium violenti spoliatoris, *l. Si quis in tantum Cod. Vnde vi, cap. Eum qui de prabendis in 6.* Menoch. *de recuperanda possess. remed. 1. quæst. 1. num. 38.* qui licèt fortè ius aliquod vel etiam dominium in re habuerit, non tamen debuit rem propria auctoritate auferre; sed iudicio experiri oportuit, non vim facere, nec ex delicto suo commodum reportare, *contra l. Auxilium 38. ff. de Minoribus*: & ideò nec temporis momento res penes spoliantem esse debet, *l. vnica Cod. Si de momen. possess. &c.* Nec habet hic locum regula iuris, quòd dolo faciat, qui petit, quod est restituturus, *l. dolo ff. de dolis mali except.* prout habet in interdicto adipiscendæ & retinendæ possessionis.

Sunt tamen casus aliqui, quibus spolia- 2 tus non est ante omnia restituendus: veluti si spoliatus beneficio Ecclesiastico, antè spoliationem beneficio suo sponte renuntiauerit, *cap. accepta 3. hoc tit.* Alioqui si post spoliationem renuntiauerit, restituendus erit, quia præsumitur vi renuntiasse nisi actor contrarium probet, *cap. Sollicitè 2. hoc tit.* Similiter si agenti possessorio recuperandæ vxoris, vel recuperandi mariti, obiiciatur consanguinitas vel affinitas in gradu, iure diuino aut canonico prohibito ad contrahendum matrimonium, si promptè

&

& incontinenti probari potest, recepto ab opponente iuramento de malitia, negabitur restitutio quoad thorum, & priùs cognoscetur de consanguinitate vel affinitate, *cap. litteras hoc tit.* idque ob animæ periculum. Pari modò, si maritо, agenti possessorio recuperandæ vxoris, obiiciatur magna in vxorem sæuitia, priùs cognoscendum erit de mariti sæuitia, quam vxor restituatur, *cap. Ex transmissa* 8. *hoc tit.* Et sic de aliis quibusdam casibus.

3 Restituere autem debet spoliator rem cum omni causa, id est cum omnibus fructibus, quos percepit aut percipere potuit, à die, quo vi actorem deiecit, cæteráque vtilitates, *cap. grauis* 11. *hoc tit. l.* 1. *§. eum qui §. non solùm ff. de vi & vi armata, l. Qui restituere ff. de rei vindicat.* nam æquum est, vt spoliatus tantùm consequatur, quanti eius interest. Et ideò quæcumque habiturus vel assecuturus erat, non fuisset spoliatus, ei restitui debent, vel illa ipsa, vel saltem eorum æstimatio, *d. l.* 1. *§. quod autem & l. penult. ff. de vi & vi armata.*

4 Vt tamen actor hanc restitutionem obtineat, si agat interdicto *vnde vi*, probare debet; primò se possedisse tempore spoliationis, secundò se de possessione fuisse deiectum, & quidem ab aduersario, in quem agit, vel ab alio, eius nomine, vel saltem eum spoliationem, ab alio factam, ratam habuisse. Si verò agere velit remedio recuperandæ possessionis, per *c. Sapè* introducto, sufficit probare, possedisse, ac spoliatum fuisse, & possessorem rei conscium esse spoliationis, quia Pont. *per d. cap. Sapè* constituit, vt non tantùm spoliator, eiúsve hæres, sed etiam singularis successor, non tantùm primus, sed quilibet, etiam centesimus, *ex* Abb. *& aliorum sententia*, qui scienter receperit rem, virtute *d. c. Sapè* conueniri possit.

5 Quòd si verò alterum prædictorum probare nequeat, cadit causâ. Hinc qui mulierem aliquam absque sponsalibus vel inualidis domum suam traduxerat, quam suam vxorem, agens tanquam spoliatus, quia ea ab eo discessisset, cecidit causa, *cap. Ex parte* 14. *hoc tit.* nam per solam traductionem, absque sponsalibus validis præcedentibus vel subsequentibus, non potuit cum ea contrahere aliquod vinculum obligatorium, nec accipere possessionem mulieris, tanquam vxoris suæ, *dict. cap. Ex parte.* Ideóque vt mulier viro restituatur, probare debet, sibi desponsatam, & à se cognitam fuisse, *cap. Ex transmissa* 8. *hoc. tit.* & insuper cauere debet de impunitate: nisi tanto odio mulierem prosequatur, vt meritò de ipso diffidat, nam tunc alicui probæ & honestæ mulieri vsque ad decisionem causæ vxor custodienda committi debet, in loco, vbi vir parentes eius mulieri nullam possint vim inferre, *dict. cap. Ex transmissa.* Si denique spoliatus agere velit ex *dict. can. Redintegranda*, tantùm probare debet, se possedisse spoliatum fuisse.

§. V.

Quis dicatur his spoliatus.

1 *Spoliatus etiam à iudice extraiudicialiter quis dicitur.*

2 *Requisita hæc, vt quis priuetur beneficio.*

ILlud postremò notandum, spoliatum dici 1
hoc loco, qui è cuiuscumque rei, sive mobilis sive immobilis, corporalis sive incorporalis, possessione vel quasi possessione, iniustè vel indebitè, eiectus aut ea priuatus est.* Idcóque si iudex, prætermisso iuris ordine, id est extraiudicialiter vel aliàs absque causæ cognitione, aliquem possessione rei suæ, veluti beneficij aut alterius, spoliauerit aut priuauerit, is ante omnia, perinde atque si à priuato spoliatus esset, plenè restitui debet, *cap. conquerente hoc tit.* Neque enim iudici, sub fiducia Magistratus, id est vt est iudex, magis quàm vt ius facere permittitur, *l. nec magistratibus ff. de iudiciis*, ne inde nascatur occasio iniuriarum, vnde iura descendunt, *l. Minuerunt Cod. vnde vi*: vsque adeò, vt iudici, sic de facto iniuriosè procedenti, de facto quoque resistere liceat, *l. Prohibuit Cod. de iure Fisci lib.* 10. etiamsi rescripto delegatorio inserta esset clausula, Contradictores compescendo, Lud. Rom. *consil.* 482.

Et propterea vt quis iure priuetur beneficio 2
suo, tria concurrere debent; primò grauis & rationabilis causa, quæ per se mereatur priuationem, *can. Inuentum* 16. *quæst.* 1. *cap.* 1. *& ibi Glossa de capellis Monachorum in* 6. Secundò, causa hæc debet esse manifesta seu notoria, *can. Nos in quemquam* 2. *quæst.* 1. Neque enim creditur iudici, etiam Episcopo, asserenti aliquem criminiosum esse, sed oportet quòd manifestè constet, *can. Si tantum & can. Placuit* 6. *quæst.* 2.

Tertiò, quod priuetur in iudicio seu iuris ordine seruato, *dict. c. conquerente* 7. *hoc tit.*

***

TITVLVS XIV.

De Dolo & Contumacia.

1 *Dolus duplex bonus & malus.*
2 *Contumacia quæ sit.*
3 *Qui contumax.*
4 *Pœna contumacium.*

TITVLVS hîc præcedenti ideò subiungitur, quia spoliatus quandoque dolo vel contumaciâ rei restitutionem consequi non potest.

1 Est autem dolus duplex, scilicet bonus & malus. Bonus, veluti hostibus parare insidias, *l.1. ff. de dolo.* Dolus malus definitur omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, *d. leg.* 1. §. 2. vbi exempla ponuntur. Agitur hîc de dolo malo, non simpliciter, sed quatenus contumaciæ adhæret.

2 Contumacia verò est inobedientia erga Iudicem, Prælatum vel alium superiorem, *secundum* Hostiens. *in summa h. t.* Significat enim Contumacia inobedientiam, & propriè contemptum potiorum; licèt aliquando accipiatur in bonam partem, vt apud Cicer. 1. *Tuscul. Adhibuit que litteram contumaciam, à magnitudine animi inductam, non à superbia.*

3 Itaque contumax litigator hîc censetur, qui tribus edictis, vel vno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, evocatus, & nullâ iustâ causâ impeditus, præsentiam sui facere contemnit, *leg. Contumacia* 53. *ff. de re iudicata*; vel si compareat, Iudicis dicto obtemperare recusat, *leg. vnica ff. Si quis ius dicenti, &c.* vel absque Iudicis licentia recedit, *c. causam h. t.*

Dixi, nullâ iustâ causâ impeditus; quia si ob adversam valetudinem vel aliam iustam causam non compareat, vel non obsequatur, pœnam contumacis non patitur, *d. l. Contumacia versic. pœnam cum seq.*

4 Contumacia autem litigatorum variè coërcetur; nunc litis damno, *d. l. Contumacia*; nunc mulctâ, à Iudice iustâ, *l. 2. ff. Si quis in ius vocatus, &c. DD. in l. Omnibus ff. Si quis ius dicenti, &c.* (quæ duæ pœnæ tantùm locum habent in vero contumace, *iuxta DD. in d. l. Omnibus §. finali*, Maranta *d. titul. de contumacia n. 9.*) nunc condemnatione in expensas, *c. cum dilecti h. t.* vel aliter, secundum Iudicis arbitrium, si non sit solvendo, *cap. Finem litibus h. t.* Interdum ad iudicium invitus ducitur, *leg. Consentaneum Cod. quomodo & quando Iudex, &c.* Subinde rei sequestratione punitur, *c. Ex literis h. t.* Interdum excommunicatione afficitur, *cap. Tua fraternitatis sup. vt lite non contestata, &c. Glossa in c. Actor h. t. in 6. & in c. Constitutionem 9. de sententia excommunicat. in 6.* nisi quod hodiè ad pœnam excommunicationis non deveniatur, quando potest adversus eum fieri realis aut personalis executio. Vide Conc. Trid. *Sess. 24. c. 3. de reformat.* Aliquando etiam missionem in bonorum possessionem patitur iis scilicet casibus, in quibus ea locum habere potest, vt latiùs ad tit. seq. explicabitur.

TITVLVS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem, rei servandæ causâ.

1 *Ob contumaciam rei ex primo decreto mittitur actor in possessionem bonorum custodiæ causâ.*
2 *Post annum constituitur verus rei possessor, etiam citra decretum in actione reali.*
3 *In actione personali non nisi ex secundo decreto.*
4 *Reo contumace, postquam contestata lis est, iudex procedet ad sententiam definitivam, si constet de causæ veritate.*
5 *Sin minùs, adiudicabit actori possessionem.*
6 *Missio in possessionem locum non habet in beneficialibus.*
7 *De actore contumace.*

DIximvs tit. præcedenti, actorem aliquando ob contumaciam rei mitti in possessionem bonorum seu rei petitæ: hîc docetur, quid iuris actor ex hac missione consequatur.

Quod vt meliùs intelligatur, diligenter attendendum est, vtrum reus, ante litem contestatam contumax, reali an personali actione conveniatur, & an suo an alieno nomine possideat rem. Nam si in rectione conveniatur, & rem petitam suo nomine possideat, sitque contumax ante litem contestatam, actor custodiæ causâ mittitur ex primo decreto in possessio

possessionem rei, iuxta eodem & mensuram petiti & in libello declarati debiti, *cap. Quoniam § aliis sup. Vt lite non contestata, &c.* vt hac ratione tædio affectus veniat responsurus reus. Quòd si intra annum venerit, præstitâ cautione iudicio sisti, & exhibitâ satisfactione congruâ pro refusione expensarum, possessionem recuperabit. * Alioquin si intra 2
annum à die missionis, cautionem huiusmodi dare neglexerit (nisi per reum non steterit, quo minùs data sit, sed per ipsum fortè iudicem; tunc enim non labitur reo anni spatium, intra quod eum cavere oportet, *cap 2. h. t.*) actor statim, id est absque alio Iudicis decreto verus constituitur rei possessor, & fructus facit suos, parti adversæ super proprietate dumtaxat defensione legitimâ reservatâ, *d. t. Quoniam §. in aliis, & c. 1. & 2. h. t.* Imò etiam, petente actore, potest procedi ad rei petitæ venditionem, si constet summariè de debito, potest ea adiudicari actori in solutum, pro modò petiti debiti, *leg. Cum proponas Cod. de bonis auctorit. Iudicis possid.* Sin actione reali conveniatur quis, alieno nomine possidens, provt conveniri potest, *leg. Officium 9. ff. de rei vind. c.* tum actor nominabit Dominum in iudicio, &, si post insinuationem, eidem Domino in præscriptum à Iudice terminum factam, ipse Dominus per se vel per procuratorem non compareat, ac tribus edictis legitimè evocatus in eadem contumaciâ persistat, actor post summariam cognitionem mittetur in rei possessionem, absenti proprietatis quæstione reservatâ, *d. c. Quoniam §. in aliis.*

3 In actione verò personali, si intra annum non compareat contumax reus, mittetur actor in bonorum possessionem, primò mobilium, deinde immobilium, si mobilia non habeat, & postremò iurium, pro modò declarati debiti, *Auth. Et qui iurat Cod. de bonis auctorit. Iudicis possid.* (licèt olim ex actione personali missio fieret in omnia bona, exceptâ causâ damni infecti, *leg. 1. ff. ex quib. causis in possessionem eatur:*) aut excommunicabitur reus, si hoc meruerit proteruitas eius, id quod Iudex arbitrabitur *d. c. Quoniam §. fin. & ibi* Panormit. Intra annum vel etiam post annum veniens audietur, & possessionem recuperabit, iuxta distinctionem antea allatam, nempe si promittat iudicio sisti, & offerat satisfactionem expensarum. Alioquin, lapso anno, actor non quidem statim, id est absque decreto, sed decernente iudice; atque ita ex secundo decreto efficitur verus possessor, salvâ reo proprietatis causâ *d. cap. Quoniam.*

Decreto iudicis hîc propterea opus est, ad hoc, vt actor veram rei possessionem consequatur, quia mittitur in possessionem rei, quam contendit esse suam, & quæ propter contumaciam rei præsumitur esse actoris, ideóque ibi secundo decreto opus non est. Vide VVesemb. *ad tit. ff. de damno infecto.*

Quòd si reus, actione in rem conventus, post litem contestatam contumax fuerit, tum 4
si diligenti adhibito examine, de controversiæ motæ veritate constet aut constare possit ex actis, puta quia testes recepti sint aut recipi possint, vel instrumenta exhibita, confessiones factæ, potest Iudex, reo absente, ad sententiam definitam procedere, vel reum absoluendo, si iustam causam habuerit, vel condemnando, si noxius inventus fuerit, eámque executioni mandare, *l. Properandum 13. §. fin autem reus 3. Cod. de iudiciis, cap. Prou. 4. sup. de dolo & contumacia.*

Nec obstat, quòd sententia contra absentem & indefensum lata, sit nulla, *leg. de vnoquoque 47. de re iudic. leg. 1. Cod. de sententiis & interlocut. om. Iud.* quia id quidem verum est regulariter, sed excipitur hîc casus, propter contumaciam rei absentis; & litigatoris absentia, inquit Imp. Dei præsentiâ repletur, *dict. lect. Properandum, §. cum autem 4.* vsque adeò, vt ne quidem reus ob contumaciam absens condemnatus, postea veniens ac fideiussores offerens audiatur, *dict. §. fin autem:* nisi fortè confestim, & Iudice adhuc pro tribunali sedente, venerit *leg. Diuus 7. in princ. ff. de restitut. in integrum.* Sicut etiam non est audiendus, si à sententia condemnatoria appellare voluerit, quia de se queri debet, qui propter contumaciam suam condemnari meruerit, non debet de Iudice: nisi fortè in exhibendo instrumento, quod exhibere iussus erat, contumax exstiterit, *l. Creditor vlt. §. iussus ff. de appellat.*

Si verò reo post litem contestatam contuma- 5
ce, non possit iudici constare ex actis de veritate causæ, vt quia actor nullos testes aut instrumenta produxerit, nec vlla confessio facta sit, tum non procederet ad sententiam definitivam, sed actori adiudicabit veram rei possessionem, salvâ absenti proprietatis quæstione, *d. c. Provt in fine & d. l. Properandum, §. fin autem.* Quod si adiudicationi possessionis locus non fuerit, tum reus, etiam invitus cogendus est, vt compareat, *l. Consentaneum circa finem, C. Quomodo & quando Iudex, &c.* Sin actor, ob potentiam aut dolum rei contumacis, non possit possessionem sibi adiudicatam

intra annum ingredi, vel acquisitam amiserit, nihilominus, ne contumax sit melioris conditionis, quàm obediens, anno elapso efficietur verus possessor, *cap. Contingit 9. sup. de dolo & contumacia*: nisi cautionem præstiterit reus de stando iuri, *cap. 1. sup. eod. tit.*

6 Cæterùm missio hæc in possessionem bonorum locum habet, cùm de rebus profanis disceptatur, non etiam cùm de beneficialibus, vt dignitatibus, personatibus, vel beneficiis Ecclesiasticis: vt evitetur ingressus vitiosus ad beneficia, quæ obtineri sine canonica institutione non possint. Ideóque in ills ob contumaciam rei causa diriimitur etiam lite non contestatâ, *cap. vnico eod. in 6.* Idémque obtinet in causa matrimoniali, vbi alter coniugum ita abest, quòd peremptoriè citatus venire contemnat, aut malitiosè se occultet, vel impediat, ne ad se perveniat citatio, *c. fin. §. porro sup. Vt lite non contestatâ, &c.* Quibus autem casibus locus non est missioni in possessionem, reus ante litis contestationem contumax, vt iuri pareat, per Ecclesiasticam censuram compellendus est, *cap. Tua fraternitatis sup. Vt lite non contestatâ, &c.* Et hactenus de reo contumace.

7 Quod ad actorem attinet, si is constituto sibi tempore in iudicio non comparaverit, potest reus instare, vt in expensas condemnetur, *cap. 1. de dolo & contumacia in 6.* imò in omnia damna, *leg. Sancimus Cod. de iudiciis.* Nec citabitur vlteriùs reus ad eius petitionem, nisi caverit de veniendo & comparendo, *dict. cap. 1. in 6.* Vel petere potest, vt, actore legitimè citato & non comparente, ad probationem admittatur, & cognitâ negotij qualitate sententia feratur, etiam lite nondum contestatâ, *cap. Causam sup. de dolo & contumacia.* Secus atque in reo contumace, in quo ad sententiam non devenitur, nisi lite contestatâ: idque propter contumaciam actoris, quæ maior est, quàm rei, receptum est, *Glossa in dict. cap. Causam*: nam actor agere non tenetur, *toto tit. Cod. Vt nemo invitus agere vel accusare cogatur* reus verò citatus necessariò comparere debet, *cap. Venient inf. de accusat.* Quòd si de negotij qualitate commodè constare non possit, reus à iudicij instâtia & observatione relaxabitur, eique actor absens in expensas frustrà factas condemnabitur, *dict. c. 1. de dolo & contumacia in 6.*

***

TITVLVS XVI.

Vt lite pendente nihil novetur.

1 *Regula, lite pendente nihil innovandum esse.*

2 *Lis pendere quomodo dicatur.*

QUIS existimet, regulariter pendente lite posse aliquid innovari, quo status causæ pendentis immutetur in alterius præiudicium, ex eo, quia suprà dictum est, actorem ob rei absentis contumaciam posse mitti in possessionem bonorum, ideo hic subiicitur regula generalis in contrarium, nempe quòd lite pendente nihil sit innovandum, quo vel actoris vel rei persona, aut conditio, vel litis pendentis qualitas statúsve aliquo modo immutetur in præiudicium alterutrius: adeò vt lite pendente ne quidem Principi vel Summo Pontifici supplicare liceat, sed rescripta, lite pendente impetrata, non faciendo litis mentionem, tanquam subreptitia, viribus destituantur, *c. 1. & fin. h. t.* quia præsumitur Princeps aut Summus Pontif. non fuisse concessurus, si intellexisset litè super ea re pendere, *c. Super literis 20. supr. de rescriptis.* Hinc etiam actionum & rerum litigiosarum alienatio, pendente lite quovis titulo facta, est prohibita, & ipso iure irrita, *cap. 3. 4. hoc titul.* Imò is, qui recepit, non tantùm cogitur eam rem confestim alienanti reddere, & amisso pretio tantundem fisco præstare cogitur, si sciens rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus receperit: aliàs si nescierit rem litigiosam esse, pretium illius vel veram æstimationem, vbi pretij datio non intervenit, vna cum alia tertia parte eiusdem ab alienante recuperabit. Et, si res, lite pendente alienata, non possit recuperari, debet is, qui eam alienavit, aliam æquivalentem in locum illius subrogare, *d. c. 3. & 4. h. t.* 1

Pendere autem lis dicitur hoc loco, non tantùm, quando lis est contestata, sed simulátque reus ab actore in ius vocatus est, additâ & clarè expressâ causâ, ob quam vocetur, *Clement. 2. h. t.* Litigiosa verò res dicitur, de cuius dominio causa movetur inter actorem & reum sive possessorem & petitorem iudiciariâ conventione, *l. 1. iuncta Auth. Litigiosa, Cod. de litigiosis.* Et Ideò controversia super possessione 2

sione non facit rem litigiosam, Glossa *in c.1. inf. de Confirmat. vtili vel inut.* Accusatus igitur adulterij, propter quod agitur ad divortium, id est ad separationem thori, non debet pendente lite ab vxore separari, seu privari possessione coniugali, *cap.2.h.t.* quia litis pendentia non suspendit exercitium matrimonij, Panorm. *in cap.2.n.4. infr. Qui filij sint legitimi.*

Similiter si ex duobus litigantibus super electione, de se in discordia facta; alter decedat, vel renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur; ad novam electionem, ante litem super electione alterius finitam, procedi non potest, *cap.1. eod. in 6.* Pari modo, altero ex litigantibus super beneficio Ecclesiastico cedente, vel decedente, non potest, ante finitam litem cum superstite, beneficium alteri conferri, vel ad illud alius eligi aut præsentari. Irritúmque ipso iure habetur, si quid secus factum fuerit, *cap. 2. eod. in 6. Clem.1. versic. si vero eod. tit.*

TITVLVS XVII.

De Sequestrationibus possessionum & fructuum.

1 *Sequester quis & vnde dicatur.*
2 *Sequestrum à Deposito in quibus differat.*
3 *Sequestratio duplex, Voluntaria & Necessaria.*
4 *Et hæc fit dupliciter: vel ex officio Iudicis.*
5 *Vel ad petitionem partis; quæ regulariter prohibita.*
6 *Certis tamen casibus permissa.*
7 *Potissimum vbi subest periculum dilapidationis vel interitus rei.*
8 *Eam evitari per idoneam vel etiam iuratoriam cautionem.*
9 *Adversus sequestrum datur actio depositi sequestraria.*

ADEO lite pendente nihil est innovandum, vt etiam sequestratio rei, de qua inter aliquos contenditur, prohibita sit lite pendente, *l. vnica Cod. de sequestrat. pecunia prohibita, c.1. versic. Cælestinus Papa h.t. cap.1. sup. Vt lite pendente, &c.* Franc. Curtius *in tract. de Sequestru n.6.*

1 Sequester, auctore Modestino I. C. dicitur, apud quem plures, nempe actor & reus, eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, *leg. Sequester ff. de verb. signif.* Ab eo dictus, quòd occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, res committatur. Itaque *sequestrare possessionem & fructus* nihil aliud est, quàm possessionem & fructus ex manibus & potestate rei & actoris deponere in manus ac custodiam tertij alicuius.

2 Differt verò inter cætera, Sequestrum à deposito, quod & plures, & vnus dumtaxat apud depositarium deponere possint: apud sequestrum non nisi plures, *l. Licet deponere 17. ff. depositi.* Secundò, res, de quibus nulla est controversia, custodiæ tantùm causâ deponuntur: sequestrantur autem res, de quibus est controversia, *d. l. Licet deponere.* Tertiò, qui rem communem deponunt, singuli pro parte sua deponere censentur: qui verò apud sequestrum rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt. Quartò, qui deponit simpliciter, proprietatem & possessionem retinet: qui apud sequestrum communi consensu deponunt, possessionem admittunt, nisi auctoritate Iudicis res sequestretur, invito possessore, *leg. 3 ff. de acquir. possess.* aut inter eos expressè actum probetur quòd tantum custodiæ causâ res apud sequestrum depositæ fit, *d.l. Licet, l. Interesse 39. ff. de acquir. possess.*

3 Sequestratio est duplex, Voluntaria & Necessaria. Voluntaria est, quæ fit consensu vtriusque partis: & hæc semper permissa, *l. Si soluturus 39. ff. de solutionibus*: in eáque transfertur possessio in sequestrum, *d.l. Interesse, ff. acquir. possess.*

4 Necessaria fit per Iudicem, partibus etiam invitis: idque dupliciter; primò ex officio, vt quando vterque litigantium contendit se rem possidere, & periculum est, ne ad manus veniatur: nam tum Iudex ex officio rem litigiosam sequestrare potest. Et hæc quoque sequestratio est permissa. * Secundò, fit ad

5 petitionem vnius partis, alterâ contradicente: vt si actor petat sequestrari rem litigiosam, contradicente reo. Et hæc regulariter pendente lite ante sententiam est prohibita: quia non oportet iudicium ab executione inchoare, nec possessorem, durante lite, privare commodo suæ possessionis, *c.2. iuncta.* Gloss. *in V. sequestrari hoc tit. & ibid. latissimè.* Panormit. ne ex rescripto quidem Imperiali, *dict. cap. 2. & ibi* Panormit. *n.5.*

6 Dixi, regulariter prohibitam esse; quia in multis casibus est licita sequestratio quorum quatuor enumerat Glossa *in dict. leg. Cod. de*

prohibita pecunia sequestrat. vndecim verò *in d. cap. 2. in V. sequestrari* sexdecim autem Abbas *ibid. num. 7.* viginti octo Iacobus Sahagun. *in Repetit dict. cap. 2.* Idque in controuersiis rerum non solùm profanarum, sed etiam spiritualium seu beneficiorum Ecclesiasticorum Ita enim, si super beneficio contra possessorem, qui triennio non possedit, in petitorio vel possessorio lata & promulgata in Curia Romana sit sententia definitiva, debet Ordinarius loci beneficium vna cum fructibus sequestrare, *clem. vnica, hoc tit.* vbi statuuntur pœnæ in eos, qui sequestrationem huiusmodi impediunt, vel fructus sequestratos occupant. Dixi, contra possessorem; quia si lata sit pro possessore, deneganda esset sequestratio, Glossa *in d. clem. in V. contra possessorem*, Vestrius *lib. 7. cap. 2. num. 6.* Si verò prævenerit iudex Romanæ Curiæ seu superior in decernendo sequestro, inferior amplius decernere non poterit, Piasec. *2. part. cap 4. art. 15. de appellat. in fine.* Similiter fructus rei, in cuius possessionem actor in primo decreto missus est, sequestrari possunt, si eos distrahat & dissipet pro arbitrio suo, *dict. cap. 2. hoc. tit.* Eodèmque modo si reus possessor à sententia contra se lata appellauerit, possunt sequestrari res & fructus, ob metum & periculum dissipationis, donec causa appellationis, sit terminata, *l. Imperatores 11. §. fin. ff. de appellationib. cap. vlt. hoc tit.* Maranta 6 *part. tit. de appellat. num* 88. Et quidem, si hæc sequestratio petatur, antequam appellatio sit præsentata iudici ad quem, & per eum recepta, debet fieri per iudicem à quo, aliàs per iudicem ad quem, Maranta *dict. loco.*

Cæterùm tametsi generaliter iudex ex quælibet causa, quæ sibi iusta videbitur, possit ex officio apponere sequestrum in omnibus, quibus ad instantiam partis fieri sequestratio non posset, vt ex Bartol. & aliis tradit Gonzales *in §. 7. proœmiali ad Reg. 8 Cancell. n. 27.* tamen potissimùm permittitur, quando subest timor dilapidationis aut interitus rei, quæ sequestrari petitur: nam eo casu litependente res immobilis, vel alia, quæ seruando seruari potest, rectè sequestratur, ne iudicium reddatur eluforium, *contra l. Si Prætor 75. ff. de iudiciis*; & ne executio reddatur inanis, *l. Ab executione 5. Cod. Quorum appellat. non recip.* Mobilis verò, quæ ætatem & moram litis non fert, sed tempore sit deterior, aut omninò perire posset, lite pendente, iudicis implorato officio, vendi & pretium loco rei sequestrari potest, Gaill. 1. *obser. 148. num. 3.* vbi *num. 4* subiungit, eas res propriè dici seruando seruari non posse; quæ vltra triennium in sua naturali bonitate conseruari nequeunt, *per Glossam singularem in l. vnica in V. vsucapione Cod. Si aduersus vsucapionem.* * & 2 regulariter sequestrationem in calibus permissis cuitari posse, si idonea satisdatio præstetur de rebus conseruandis: imò etiam iuratoria cautione sequestrum tolli, si modò persona, illam offerens, sit integræ vitæ & probatæ existimationis; secus, si sit suspecta & leuitatis opinionem apud omnes habeat. Suspectum autem quem reddunt tria potissimùm, paupertas, mali mores, & improbitas anteactæ vitæ, *d. loco n 7.*

Finitio autem sequestrationis tempore, vel conditione, sub qua facta est, adueniente, sequester depositi sequestrariâ actione conueniri potest, vt rem sequestratam exhibeat & restituat, *l. Ei apud quem §. 1. ff. depositi.* Quamquam possit etiam sequester, iusta causa interueniente, iudicis auctoritate officium deponere. Quod dum fit, non ei, qui præsens est, res restituenda est, sed iudicis arbitratu apud ædem aliquam sacram deponi debet, *dict. l. Ei apud quem §. fin.* 9

TITVLVS XVIII.

De Confessis.

1 *Legitima probatio quotuplex.*
2 *Positionibus hinc inde exhibitis quomodo respondendum.*
3 *Respondere recusans obstinatè, pro confesso habetur.*
4 *Ex causa tamen quis respondere non tenetur.*
5 *Confessio simplex in iudicio, & per verbum Credo in quo differat.*
6 *Confessio extra iudicium non probat, nisi semiplenè.7.*
8 *Confessio de alio facta alteri non nocet.*
9 *Confessio ab ignorante facta non nocet, si in facto erret.*
10 *Hodiè confessio vim probationis potiùs habet, quàm sententia.*

IACTENVS à tit. de ordine cognitionum actum est de iis, quæ præter principalem causam in iudicium incidunt. In ipsa verò causa principali potest litem contestatam, ad probationes hinc inde procedendum

dum est. Et quidem act[or] prius suam intentionem probare debet, *l. Qui accusare 4. Cod. de edendo*; eáque legitimè probata, reus suam exceptionem probabit, si condemnationem euitare velit, *l. Exceptionem 19. Cod. de probat.*

1 Legitima probatio fit vel per aduersarij confessionem, vel per iuramenti præstationem. Facillima est, quæ fit per partis aduersæ confessionem, atque ad litium expeditionem promptissima.

2 In primis verò obseruandum hic est, quòd longæuus vsus in causis admiserit, vt, lite contestata, priusquam deueniatur ad aliquod genus probationis (loco interrogationum, quæ olim de iure veteri digest. in iure fieri solebant, de quibus *in tit. ff. de interrogat. in iure faciendis*, v.g. an aduersarius possideret, an pro hærede, an ex testamento, an ab intestato esset hæres, & pro qua parte) tam actor ex suo libello semel exhibito, quàm reus ex sua exceptione, eliceret quasdam positiones, eásque, præstito priùs calumniæ iuramento, quod iuramentum dandorum practici appellant, suo ad eas aduersarius, præstito pariter calumniæ iuramento, quo iuramentum Respondendorum vocanti practici, teneretur respondere, *clement. Sæpe §. quia positiones de verb. signif. iuncto cap. dudum sup. de elect. cap. vnico sup. de litis contestat. cap præsentium 31. inf. de testib. & cap. 2. de confessis in 6.* Idque vt plurimùm per verbum Credit vel non credit, vel quibusvis aliis, absente aduocato, nisi sit idiota & rusticus, Caluolus *in praxi §. positiones concluf. 2.* vt quas aduersarius veras esse fateretur, non teneretur, *cap. 1. & 2. eod. in 6.*

3 Dixi, per verbum credit vel non credit; quia responsio per verbum dubitat, seu dubito, non admittitur, nisi fortè positio consistat in facto alieno, ad causam tamen controversam faciente: aliàs enim negari responsio posset, *l. fin. in fine ff. pro suo.*

Quòd si alter litigatorum, postquam semel comparuit, & litem contestatus est, positionibus aduersarij sui respondere iussus, obstinatè & absque causa respondere recuset, ea, quæ in positionibus continentur, ipso iure confessus vel inficiatus esse censebitur, prout ei magis damnosum fuerit, *cap. 2. eod. in 6* Gaill. *1. obser. 30. num. 2.* modò tamen id pronuntiet Caluolus *d. loco concluf. 3. num. 4.* Et in pœnam pertinaciæ aduersus eundem tanquam verè confessum vel verè negantem, procedatur, *dict. cap. 2.*

4 Dixi, obstinatè & absque causa; quia ex causa responsionem denegare potest: veluti si positio sit incerta vel dubia (vt enim responsio certa esse debet, ita & positio, cùm vtraque probandi causa fiat:) vel si sit manifestè & ex omni parte impertinens, id est non tangens aliquo modo causam, in libello expressam; aut superflua; idque iisdem vel æquipollentibus verbis repetita; vel captiosa, cauillosa, seu talis, vt ad eam respondens induci possit in perplexitatem, & in quamcumque partem respondeat, contra se dicat: si item sit calumniosa, impossibilis, obscura, vel alteri positioni contraria, Glossa *in dict. cap. 2. eod. in 6.* si denique negatiua, scilicet respectu sensus, non autem verborum.

5 Differt verò confessio ea, quæ fit per verbum credo seu credit, ab ea, quæ fit simpliciter in iudicio, quòd illa tantùm ad probationem faciat, & aduersarium releuet ab onere probandi, *dict. cap. 2.* hæc verò aduersarium non modò releuet ab onere probandi, sed faciat etiam, vt confessus pro iudicato habeatur, *l. vnica C. eod.* quippe qui quodammodò propria sententia condemnetur, *l. 1. ff. eod.* Idque obtinet, siue ipse Dominus confiteatur, siue alius eius nomine, qui speciale ad hoc mandatum habeat, *cap. 3. h. t.* Nam & procuratoris & syndici & œconomi confessionem Domino nocere, constat *ex dict. cap. 3.*

6 Sed hoc locum habet, quando quis in iudicio coram iudice confitetur aliquid contra seipsum, sciens quid agat: nam confessio extra iudicium facta, etiam coram duobus testibus, aduersarium non releuat ab onere probandi, nisi adiecta sit specialiter causa, cur id, quod confessus fuerit, ita se habeat, *l. cum de indebito 25. in fin. ff. de probat.* quia huiusmodi confessio pro indiscreta habetur: atqui in iudicio nemo quid indiscretè & sine magna deliberatione confiteri creditur, vt tradunt DD. *in dict. l. vnica C. eod.*

7 Sin autem confessio facta fuerit extra iudicium, absente aduersario, & adiectâ causa; si etiam duobus testibus probari legitimè possit, semiplenam tantùm probationem efficit, vt communiter receptum est *in cap. Si cautio inf. de fide instr.* Præsente verò aduersario licèt extra iudicium facta, modò duobus testibus probari possit, verius videtur, plenam probationem facere, *arg. l. in exercendis 15. C. de fid. instrument.* & argumento confessionis in scriptis ritè emissæ, quæ tam plenam & efficacem probationem facit, vt non nisi euidentissimis probationibus, habitis similiter in scriptis, reprobari possit, *d. l. cum de indebito in fine.*

Dixi,

8 Dixi, confessioni esse locum, quando ea in iudicio fit contra ipsum confitentem; quia si quis de alio confiteatur, alij non præiudicat, *cap. 1. hoc tit.* Et ideò si quis confiteatur in iudicio, se crimen aliquod perpetrasse cum aliis sociis, quos fortè nominat, ex confessione socij non possunt condemnari, *dict. cap. 2.* Imò vetat lex, ne iudex de proprio crimine confitentem interroget super aliena conscientia, *l. vlt. in fine C. de accusat. canon. nemini 15. quæst. 3.* ita scilicet, vt ex alterius confessione alteri pœnam infligat: nam ex socij confessione suspicio quædam oritur adversus socium, *dict. cap. 1. in fine.*

9 Dixi etiam, modò sciens quid agat; nam si ignorans aliquid confiteatur, si quidem in facto esset, illud vsque ad sententiam reuocare potest, & de contrario docere, *cap. vlt. hoc. tit.* quia qui errat, non fatetur: nisi ius ignoret, *leg. 2. ff. eod.* cùm enim omnes scire debeant leges, *l. leges sacratissimæ Cod. de LL.* qui errat in iure communi est in lata culpa, sive error iuris latam culpam continet, quæ excusationem non meretur, sed pœnam.

Vt autem confessio in iudicio facta confitenti præiudicet, plura alia requiruntur, de quibus in eorum explicatione videatur Glossa *in d. c. vlt. hoc tit.*

10 Porrò licèt ex eo, quòd confessus in iudicio habeatur pro iudicato, *leg. vnica Cod. eod.* in eumque, tamquam propria sententia damnatum, nullæ ampliùs videantur esse partes iudicis in cognoscendo vel iudicando *l. Post rem 56. ff. de re iudicata*, sed duntaxat in exequendo & præcipiendo, vt quod in iudicio confessus est, intra legitima temoora sibi præscripta, præstet; *l. Si debitori 21. ff. de iudiciis* (quod communiter admittitur, quando iudex de plano & sine forma iudicij cognoscit, non etiam quando ordine iudiciario procedituir, & potissimùm in criminalibus, in quibus quia ordo iudiciarius exactè seruandus est, ob rei magnitudinem & vitæ hominis periculum, opus est sententia, *l. si confessus 5. ff. de custodia reorum*:) nihilominus hodiè receptius est, vt talis confessio vim probationis potiùs habeat, quàm sententiæ, ac proinde semper sententia opus sit, Vvesemb. *ff. ad hoc tit. n. 8.*

Denique statuit Paulus IV. & Pius V. vt carcerati, crimen confessi, non relaxentur, nisi parito iudicato, nec sufficiat cautio, etiamsi pecuniaria tantùm pœna damnentur, possitque iudex exequi pœnam, non obstante appellatione aut inhibitione, prout refert Zyp. *de iure Pont. nouo lib. 4. hoc tit.*

TITVLVS XIX.

De Probationibus.

§ I.

Quid sit probatio.

1 *Probare & Probatio quid.*
2 *Quæ iuris sunt, probari non debent.*
3 *Notoria non indigent quoque probatione.*

NON semper reus admittit positiones actoris, tamquam veras, sed ad quasdam respondet negativè & per verbum non credo, ideóque has actorem probare oportet, *l. Acto. Cod. hoc tit.* aliàs enim, actore non probante, reus absoluitur, *d. l. Actor. l. Qui accusare C. de edendo, & ibi DD. præsertim* Alciat ac proinde post tit. de confessis rectè subiicitur hic Tit. in quo agatur de probationibus in genere, priusquam de singulis probationum modis, qui varij sunt, agatur.

Omissis autem variis acceptionibus verbi 1
Probare, hic idem significat, quòd iudici fidem facere de facto aliquo dubio, de quo in iudicio est disceptatio, quæ finis est probationis, *l. Quingenta 21. in fine ff. h. t.* Et Probatio non est aliud, quàm iudici rei dubiæ, apud eum controversæ, per legitimos modos facta, ostensio. Dico, iudici; quia probatio fit non ad instruendum aduersarium, sed ipsum iudicem, *cap. Ex litteris* in verbis, *ad cognitionem iudicis instruendam hoc tit.*

Dixi, de facto aliquo; quia ea, quæ sunt 2
iuris non sunt iudici probanda, quandoquidem ea iudici nota sint vel esse debeant, & secundum leges, ex quibus causæ decisio pendet, iudicare eum oporteat, licet eæ à litigatoribus non fuerint allegatæ, *l. vnica C. Vt quæ desunt aduocatis partium iudex suppleat*: nisi ius ipsum negetur, *l. 5. ff. hoc tit.* At verò ea, quæ sunt facti, iudici sunt incognita, nisi probentur, *arg. c. 1. de constitut. in 6.*

Sed & factum oportet esse dubium; quia no- 3
toria non indigent probatione, *cap. Euidentia inf. de accusationibus canon de manifesta 2. quæstione 1. vbi videatur quædam distinctio*: & notorium non probari sed potiùs allegari debet, *secundum DD. in Rubr. hoc tit.* Item allegatio notorij probata dici solet: Illudque attendere potest iudex, etiamsi non allegetur à parte; nec illud

illud inficit partis negatio, nec etiam reddit dubium, *c. Super eo inf. de testib. cogendis.*

§. II.

De Divisione Probationis.

1 *Probatio alia est Artificialis, alia Inartificialis.*
2 *Item alia Plena, alia Semiplena.*
3 *Exempla utriusque.* 4.
5 *Item alia Iudicialis, alia Extraiudicialis.*

1 PRobatio autem, secundum Aristotelem & Ciceronem, dividitur in Artificialem & inartificialem. Artificialis est, quæ ex ipsa causa argumentis & indiciis trahitur. Inartificialis est, quæ extra causam accipitur, vel à legibus, vel à testibus, vel tabulis, vel confessione, vel iuramento, vel aliis similibus, *DD. in lege Admonendi ff. de iureiurando.*

2 Secundum Iurisconsultos verò, spectantes in primis effectum & vim, quam probatio habet in iudiciis, dividitur in Plenam & Semiplenam. Plena dicitur, quæ plenam fidem facit Iudici de re, de qua agitur: ita vt secundum eam Iudex sententiam ferre & controversiam definire possit, nullo alio vlterius requisito, *cap. 2. hoc titulo.* Et pro hac specie plerumque in iure nostro sumitur nomen Probationis, Glossa *in Clement. Constitutionem de elect.* Alioquin suâ generali significatione etiam præsumptionem denotat.

3 Huiusmodi est probatio, quæ fit per duos vel plures testes, omni exceptione maiores, id est quorum fides nulla ex legitima causa elevari & labefactari possit, quique communi hominum opinione reputentur boni viri, *cap. 2. & 3. hoc titulo.* Et regulariter ad plenam fidem faciendam in qualibet causa duo tales sufficiunt, *lege. Vbi numerus* 12. *Digestis de testibus, capite. In omni* 4. *capite Licet* 23. *inf. de testibus.* Dico, regulariter; nam pluribus in casibus requiritur maior numerus testium: vt de iure civili ad testamentum septem, ad codicillos & donationem causa mortis, & quamlibet vltimam voluntatem, à testamento distinctam, quinque, & sic de similibus. Sic de iure Canonico testes contra Episcopum requiruntur Septuaginta duo, contra Presbyterum 44. contra Diaconum 27. contra Subdiaconum, Acolytum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium septem; contra Clericum tres; non notati aliquâ infamia, *canone Præsul. & canone Placuit* 2, *quæstione* 4.

Similiter plena probatio est, quæ fit per instrumenta publica. Nam & instrumenta incorruptæ fidei probationes appellantur, *lege Emancip.* testes *ratione* 11. *Codice de fide instrument. & DD. in lege finali Codice de probationibus.* Interdum etiam, quæ fit per privata: nam privata scriptura, signa & sigilla, adversus eum, qui scripsit, signavit, vel sigillavit plenam fidem faciunt, *l. Publica* 26. *§. vlt. ff. depositi*; licèt pro eo nullam fidem habeant, *l. Exemplo, l. Non Epistolis Cod. hoc titul.* Insuper illa, quæ fit per confessionem partis in iure, id est in loco iudicij, seu vbi ius dicitur *l. 1. ff. de confessis* (quamquam confessio non tam sit probatio, quàm relevamen ab onere probandi, *DD. in c. 1. sup. eodem*) vel per iuramentum, quod ab altero litigatorum alteri defertur, *l. 1. & 2. ff. de iureiurando*: quamquam iuramentum quoque potiùs relevet ab onere probandi, quàm probet, & sic de similibus.

4 Semiplena probatio, quæ etiam imperfecta dici potest, est, quæ Iudici facit quidem fidem aliquam, non tamen plenam, id est non tantam, vt ex ea iure moveri possit ad ferendam pro hac vel illa parte sententiam, sed opinionem tantùm ingerit. Talis est probatio, quæ fit per vnicum testem, omni exceptione maiorem, *l. iurisiurandi 9. Cod. de testib.* Item talis est in causis civilibus, quæ ex fama constanti producitur, vnius tamen testis, de veritate deponentis, testimonio confirmata, Glossa & DD. *in c. Veniens inf. de testibus.* Alias fama inconstans non probat, sed tantùm coniecturam facit: sæpè enim fallax est rumor *l. vltim. ff. de hæred. instituen.* Item si probetur contractus aliquis per privatam scripturam rei, quam tamen reus non fit confessus, sed per comparationem literarum satis appareat ea illius esse manus; talis quoque probatio, quæ ex comparatione literarum elicitur, plenam fidem aut firmam probationem non facit, eo quòd scripturâ, ætatis, valetudinis, calami, atramenti, vel chartæ vitio mutetur, nec eandem semper retineat similitudinem, *leg. Comparat. 20. C. de fide instrum.*

§ Hinc patet, probationum semiplenarum quasdam esse maiores, quasdam minores: nam probatio, quæ fit per vnum testem, omni exceptione maiorem, & per aliqua indicia, quæ tamen ad plenam fidem faciendam non sufficiunt, maior est, quàm quæ fit per vnicum testem tantùm.

Aliter dividi potest probatio in Iudicialem, quæ scilicet fit in iudicio, post litem contesta-

tam, & in Extraiudicialem, quæ fit extra litem: qualis est, quæ fit ad perpetuam rei memoriam, *cap. fin. §. 1. sup. vt lite non contestatâ, &c.*

§. III.

Onus probandi cui incumbat.

1 *Quisque fundamentum intentionis suæ probare debet.*
2 *Etiam negatiuum certis casibus.3.*
4 *In duplicibus vterque, actor & reus, probare debet.*
5 *Reus actori propria instrumenta edere non tenetur.*
6 *Probato delicto, rei probatio contraria admittitur.*

1 CÆterùm probandi onus plerúmque graue esse solet, idque ex mutuis cauſis, atque in primis ex conflictu teſtimoniorum, sæpéque incidit altercatio, vter litigantium probare debeat. Qua de re duæ traduntur regulæ. Prima, quod vnuſquiſque probare teneatur fundamentum ſuæ intentionis, ſive ſit affirmativum, ſive negativum: ideóque actor probare debet ſuam petitionem ac libellum, atque omne id, per quod petitionem ac libellum ſuſtinet defendit, & viciſſim reus probare debet ſuam exceptionem, *cap. 1. 2. cap. in præsentia 8. cap. Ad nostram 12. hoc tit.* quia excipiendo fit actor, *l. 1. ff. de except* & agendo ipſo facto ſuſcepit in ſe onus probandi, *l. fin. Cod. eod.* Pacianus *de probat. 1. cap. 7.* ſive neget ſive affirmet, de quo idem auctor *lib. 1. cap. 57.*

2 Dixi, ſive ſit affirmativum ſive negativum, id eſt ſive verbis negantibus concipiatur: quia licèt regulariter neganti non incumbat probatio, *leg. Ei incumbit 2. ff. hoc tit. Actor Cod. eod.* id fallit quibuſdam caſibus. Primò, quando quis fundat intentionem ſuam in negatiua, ſive excipiendo, ſive ſit negatiua iuris, ſive facti, aut qualitatis, *iuxta Gloſſ. in l. 2. ff. eod.* Latè Maſcar. *de probat. concl. 1091. n. 1.*

Nec obſtat, quòd dicitur, per rerum naturam factum negantis nullam eſſe probationem, *dict. leg. Actor*; ea ratione, quòd negationis nullæ ſint differentiæ, nullæ qualitates; quemadmodum eius, quod non eſt, nulla eſt natura, nulla qualitas: quia id obtinet in negatiua vaga, putà indeterminata, indefinita, abſoluta & ſimplici, quæ ſine determinatione ſeu coarctatione loci, temporis, vel alterius circumſtantiæ proponitur; talis enim negativa nec directè nec indirectè probari poteſt (vt ſi quis neget, ſe in ius vocatum, ſe contraxiſſe, adverſarij procuratorem non habere mandatum:) adeò vt teſtis deponens ſuper negativa ſit ſuſpectus de falſo, *DD. in cap. cum Ecclesia 3. sup. de causa possess. &c.* Gaill. 1. *obseru.* 64. magiſque credatur duobus affirmantibus, quàm mille negantibus, Maſcar. *dict. loco num. 7.* Non autem obtinet, quando quis in negativa ſe fundat, vel allegat eam, tacitè vel expreſsè aliquid afferendo, quia tum eam probare debet, *leg. optimam 14. Cod. de contrah. & commit. stipulat: in illa 50. vbi* Bart. *& DD. ff. de verb. obligat.* Surd. *decis. 316. num. 14.* Hinc petens contractum declarari nullum, tamquam à minore celebratum, tenetur probare ætatem minorem: vt & qui inſtitutionem afferit non eſſe legitimam ob vitium vel defectum, vel obiicit electo defectum aliquem, Surdus *decis. 104. n. 21.* Similiter ſi reus, conuentus de indebito ſibi ſoluto, neget ſe quidquam recepiſſe indebitum, & actor teſtibus vel inſtrumentis (non tamen iuſiurandi delatione, iuxta *l. Eum qui ff. de iureiurando*) probauerit ſolutionem, reo incumbit probare, quòd pecuniam debitam acceperit, *l. cum de indebito 25. & ibi Gloſſ. & DD. ff. h. t.*

3 Secundò, negativam probare debet, qui ſponte probationem eius in ſe ſuſcepit, *cap. 1. sup. de restitut. spoliat. l. Circa 14. ff. hoc tit.* Pacian. *dict. lib. 1. cap. 7. num. 45. & seqq. cap. 69.* Hoc tamen caſu, ſi in probatione defecerit, nihilominus venit abſoluendus, actore non probante, ex communi regula, Actore non probante reus abſoluitur, Bart. *& alij in d. l. Circa ff. hoc tit.*

4 Altera regula eſt quòd in iudicio communi diuidundo, familiæ erciſcundæ & finium regundorum, atque in interdicto retinendæ poſſeſſionis vterque litigantium ſimul ad probandum admitti debeat, quia in his iudiciis vterque velut actor eſt, vterque reus, *cap. 3. & cap. licet hoc tit.* Et ideò iuſtinianus prædicta iudicia vocat duplicia, *§. duplicia Institut. de interdict.* V. G. in iudiciis finium regundorum vterque contendit ſe fines ſuos tantùm occupare: in interdicto retinendæ poſſeſſionis vterque contendit ſe poſſidere. Itaque in his iudiciis is obtinebit, qui probauerit ſuam intentionem, altero non probante. Quid ſi vterque probet? Tunc iudicis erit, videre, vter melius probauerit, vtri teſtes ſint magis idonei; vel, ſi

si agatur de possessione, vter probauerit antiquiorem possessionem, vel iustiorem tit. *dict. cap. licet hoc tit.* Quid si æquè probauerit vterque? Tunc pro possessore iudicandum erit, *cap. Ex litteris 3. hoc tit.* tum quia in pari causa potior sit conditio possidentis, *l. in pari ff. de R.I.* tum quia iura promptiora esse debeant ad absoluendum, quàm ad condemnandum, *d. cap. ex litteris, §. quod si ambarum.*

5 Quæsitum etiam fuit, An, si actor laboret in probatione suæ intentionis reus compelli possit ad exhibenda propria instrumenta, si fortè ex illis putet actor posse se probare intentionem suam? Respondet Pont. *in cap. 1. hoc tit.* quòd non: quia, vt dicitur *in l. Nimis graue Cod. de testib.* actor intentionis suæ proprias adferre debet probationes, non eas ab aduersario petere, qui, actore non probante, absoluendus est, licet ex parte sua nihil præstiterit, id est nullo argumento probauerit se esse innocentem, *l. Qui accusare. 4. C. de edendo.*

Dixi, propria; quia aliud dicendum, si instrumenta actori & reo sint communia: cuiusmodi est testamentum, quo vtrique aliud est legatum vel aliter relictum: instrumentum contractus, qui concernit vtrumque: item publica instrumenta; quæ si habeat reus, cogi potest ad exhibendum, *l. Is apud quem 2. C. de edendo.*

6 Quæritur denique, si probetur plenè, reum deliquisse, reus autem probare velit, se non deliquisse, & persistat in sua negatione, an audiri debeat? Respondet Pont. *in cap. Ad nostram 12. hoc. tit.* audiendum non esse. Quòd videtur intelligendum, quando vult probare talem negativam, séque purgare per suum iramentum, & aliorum compurgatorum, iurantium solùm de credulitate, *iuxta cap. Quoties §. porro inf. de purgat. can.* vel per testes, de credulitate deponentes. Alioquin si vellet probare talem negativam indirectè per testes, de veritate deponentes, audiendus esset, iuxta Abbatem *in dict. num. 3. per cap. Ex tenore inf. de testib.* vt si quis probet aliquem homicidium tali die commisisse, potest contrarium probare indirectè, probando se toto eo die fuisse alió in loco.

§. IV.

Quando facienda sit probatio.

1 *Iudicialis facienda post litem contestatam.*
2 *Atque absoluenda intra certa dilationum tempora.*
3 *Post quartam productionem non admittitur vlterior.*
4 *Fieri potest tam extra, quàm in iudicio.*
5 *Extraiudicialis fit etiam ante litem contestatam*

1 Diximus ante probationem aliam esse iudicialem, aliam extraiudicialem. Quæres igitur nunc, quando & qualiter facienda sit probatio, & quis effectus illius? Ad primum illud dico, probationem iudicialem, de qua hic agimus, faciendam esse post litem contestatam quia tum demum dicitur cœptum iudicium, nec scitur antè, an reus sit negaturus, vel confessurus id, quod intenditur, quia id fit per litis contestationem, *leg. 1. Cod. de litis contestat.* & per consequens scire nequit, quid probandum sit, vel non. Post litem verò contestatam facienda est, iudice, cui ea fieri debet, per sententiam interlocutoriam decernente, exceptâ probatione exceptionum dilatoriarum, quæ vt regulariter ante litem contestatam, tanquam litis ingressum impedientes, proponuntur, ita etiam regulariter statim in initio probari debent.

2 Solétque iudex sub certis dilationibus probationem decernere, intra quas facienda atque absoluenda est, secundum ea, quæ de dilationibus diximus. Quamquam hoc non vsque adeò obseruetur; sufficiátque hodie litigatorem exhibuisse articulos suos probatorios, & nominasse testes ad iuramentum & examen, cum reliqua non sint in eius potestate: ac proinde nec illi imputandum est, sed iudici potiùs, si intra præstitutum terminum non absoluatur. Panormit. teste: secundum quem potest etiam absque termino in iudiciis probatio fieri & recipi, quando nullus præscribitur, intra quem fiat.

3 Post quartam tamen productionem testium aut publicata testimonia non est admittenda vlterior probatio. *Auth. Qui semel Cod. hoc tit.* vt nec post conclusionem in causa: * nisi in criminalibus, ad innocentiam rei probandam; quo casu etiam post sententiam & rem iudicatam recipi debet.

4 Cæterùm probatio fieri potest tam in loco iudicij, quàm extra, vbicumque iudex, qui examinationi præest, fuerit, debet tamen iudex ad egregias personas & fœminas mittere notarium, qui inibi eas examinet, *l. Ad personas, vbi DD. de iure iurando.*

Extraiudicialis verò probatio, vt illa, quæ fit ad perpetuam rei memoriam, vel per modum

simplicis inquisitionis, aut vbi ex conuentione partium citra solemnem ordinem litigatores procedunt, fieri potest, nulla exspectatâ litis contestatione; imò ante libellum exhibitum. Videatur Vvesemb. *ad tit. ff. de probat. num. 9.*

§. V.

Qualis debeat esse probatio, & quis eius effectus.

1 *Debet esse clara & certa.*
2 *Effectus est secundum probationem ferre sententiam.*
3 *Et quidem in pari pro reo vel qui melius probauerit.*
4 *Actor ex nouis probationibus redintegrare instantiam potest.*

1 AD alterum quæsitum de qualitate & effectu probationis, dico requiri in primis, vt clara & certa sit probatio, *cap. in præsentia 8. & ibi DD. hoc tit.* & quidem in causis criminalibus, præsertim capitalibus, propter maximum præiudicium, luce meridianâ clarior, *l. vlt. Cod. eod. can. Sciat 2. quæst. 8.* satius enim est nocentis facinus impunitum relinquere, quàm innocentem condemnare, *l. 5. in princ. ff. de pœnis.* Sed nec probatio generis in quæstione speciei, nisi etiam in specie fiat, sufficit. *cap. constitutus 6. inf. de religiosis domibus.* Et ideo probatio soluti tributi non sufficit ad probandum quem esse suum subditum, quia tributi præstatio aliud designare potest, quàm subiectionem, *cap. Recepimus 8. inf. de priuilegiis, c. Præterea 8. & c. Quanto 16. inf. de censibus;* quia non probat hoc esse, quod ad hoc contingit abesse, *cap. Tua inf. de sponsalibus, l. Neque natalis 10. C. de prob.* Neque enim omnes, qui subsunt Romanæ Ecclesiæ, ei annuatim aliquem censum soluunt: nec omnes, qui censum annuatim soluunt, ideo à iurisdictione Ordinarij exempti sunt, *d. cap. recepimus inf. de priuil.* quia possunt eum soluere ratione protectionis, *vt ibidem dicitur, & in cap. Ex part. 18. eod. tit.*

2 Denique effectus probationis est, quòd secundum eam, si sufficiens fuerit, iudex pronuntiare & ferre sententiam debeat, *l. Argentarius 10. §. fin. & ibi DD. ff. de edendo, l. 2. 5. 9. Cod. de rei vindicat.* Alioquin, tanquam litem faciens suam, in id, quod litigatoris interest, condemnabitur, *d. l. 10. in fine.*

* Quod si pares fuerint probationes actoris & rei, pro reo, tamquam fauorabiliori, pronuntiabitur, *c. Ex litteris 3. hoc tit. l. 125. ff. de pœnis.* Aliàs pro eo, qui intentionem suam melius & magis sufficienter probauerit, *cap. licet §. ex præmissis hoc tit.* 3

Nec obstat, quòd probationes dicantur esse arbitrariæ, & ab arbitrio iudicis pendere, *leg. 3. §. sed magis scire ff. de testib.* quia nihilominus eas probationes, quas leges pro integris & plenis habent, sequi & pro integris habere debet, ne eius commune partibus inuertat, *per dict. l. 10. §. fin.* in verbo. *de iudice queri, & ibi DD.* Nam secundum allegata & probata iudicem iudicare oportet, non secundum scientiam suam, *l. Illicitas, §. veritas ff. de officio Præsidis, & ibi DD.*

Sed cùm actore non probante reus sit absoluendus ab instantia, *l. 4. Cod. de edendo l. 2. & 23. Cod. hoc tit. & l. 9. Cod. de except.* quæritur, an actor ex novis probationibus eam redintegrare valeat? dicendum posse, dummodò reus ob defectum probationum, non etiam ex contraria probatione, aut purgatione, ab instantia sit absolutus. *d. l. 10. §. 3. ff. de edendo.* 4

Quin & probatio plena releuat actorem ab onere iuramenti suppletorij præstandi, *cap. 2. hoc tit.*

TITVLVS XX.

De testibus & attestationibus.

§. I.

Quis dicatur testis, & qualis esse debeat.

1 *Modus hic probandi in omnibus iudiciis locum habet.*
2 *Testis quis dicatur.*
3 *Testes debent esse idonei.*

INTER modos negata ab aduersario probandi, frequentissimus est, qui fit per testes, multóque efficacior ac dignior, quàm qui fit per instrumenta, cùm etiam falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, per testes probari possit, *cap. cum Ioannes inf. de fine instrument.* Innoc. & alij *in cap. cum P. tabellio eodem tit.* * Habeátque in omnibus omninò 1

iudiciis

iudiciis locum, tam criminalibus, quàm civilibus, *cap. In omni 4. cap. super eo* 13. *& alia hoc cap.* tam Ecclesiastistis & spiritualibus, quàm profanis, *cap. cum mutuis* 12. *cap. in causis* 15. *hoc tit.* tam in prima, quàm in secunda instantia, *cap Fraternitatis* 17. *eod.* Et ideò non mirum, post probationes in genere agi hic primo loco de testibus & attestationibus.

2 Dicitur autem testis, is qui ad fidem alicuius rei faciendam accersitur. Et testes antiquitùs appellabantur superstites, quia super causæ statu proferebantur. Vnde Plautus: *mihi licet quidvis loqui, nemo adest superstes.* Nunc verò, ablata priori parte nominis, testes vocantur: & horum assertio dicitur testimonium.

3 Vt verò probent testes, debent esse idonei & fide digni, seu, vt dicitur, omni exceptione maiores, *cap. 1. hoc tit. can. Placuit 4. quæst. 2. l. optimam Cod. de contrah. & commit. stipulat.* quales olim antiquo verbo Legis 12. Tabb. Assidui vel Classei vocabantur, Vvesemb. *ad ff. hoc tit. n.* 2. Omnes autem habentur idonei & fide digni, quicumque à testimonio dicendo non arcentur, *l. 1. ff eod.*

§. II.

Qui à testimonio arceantur.

1 *Quidam prohibentur generaliter ob ætatem & infirmitatem iudicij.*
2 *Pubes de iis, quæ impubes vidit, testificari potest.* 3.
4 *Prohibentur & generaliter damnati iudicio publico.*
5 *Surdus de auditu, cæcus de visu, testificari nequit.*
6 *Quidam prohibentur in certis causis, pro vel contra certas personas.*
7 *Nemo idoneus testis in propria est causa.*
8 *Idonei non sunt domestici, familiares, consanguinei, &c.*
9 *Exceptâ causâ matrimoniali.*
10 *Qui dicantur testes domestici.*
11 *Qui inter domesticos numerentur.* 12. 13. 14.
15 *Idonei testes non sunt infames, hæretici, iudæi & pagani.* 16. 17.
18 *Non inimici capitales,*
19 *Non iudex, aduocatus &c. in causa, cui patrocinatus est.*
20 *Non mulier in testamento.*
21 *Etiam ad piam causam.*
22 *In codicillis potest esse testis.*
23 *Vt & in aliis causis.*
24 *Laicus contra clericum quatenus testificari possit.*
25 *Monachi & Religiosi non remouentur à testimonio.*
26 *Minor* 20. *annis in criminalibus remouetur.*
27 *Qui circa qualitatem testium moribus obtineat.*

EDictum enim de testibus est prohibitorium, id est quicumque à canonibus vel legibus expressè non prohibentur, ad testimonium dicendum admitti debent, *leg.* 1. *ff. eod.* Ideóque dispiciendum nunc est, quinam prohibeantur, vt, iis cognitis, appareat, qui admittantur.

Eorum, qui prohibentur, alij generaliter 1
testimonium ferre vetantur. Et in primis, ob defectum vel infirmitatem iudicij, in causis tam criminalibus quàm civilibus, prohibentur furiosi, non habentes lucida intervalla, mente capti, & pupilli, *cap. 1. hoc tit. leg. 2. & 3. §. leg. Iulia ff. cod.* quia tales nequeunt præstare iuramentum, sine quo testi non creditur, *l. 4. ff. de in litem iurando.* Excipitur tamen pupillus respectu crimen læsæ Maiestatis, quippe qui in eo crimine, quod grauius est, torqueri etiam possit: & in ea causa omnium par conditio est, *l. Nullus 4. C. ad leg. Iul. Maiestatis.*

Verius etiam est, pupillum, maiorem factum, 2
rectè testimonium perhibere de iis, quæ in pupillari ætate viderit, dummodò fuerit pubertati proximus, quando res, de qua perhibet testimonium, gesta fuit. Quomodo & servus factus liber, de eo dicere testimonium potest, quod in seruitute existens vidit, *l. notionem 99. in fine ff. de verb. signif.*

Nec obstat, quòd pupillus nihil scire aut vide- 3
re sed omnia ignorare dicatur, *l. vlt ff. de iuru & facti ignorantia, & similibus*; quia hoc intelligitur quoad sui præiudicium, vt scilicet nihil scire videatur, quando ex scientia sua sentiret damnum.

Secundò, generaliter prohibentur damnati 4
iudicio publico, & à Principe non restituti: item qui rei iudicij publici in vinculis custodiave publica fuerunt: item qui cum bestiis vt depugnarent, se locauerunt: & alij, de quibus *in d. l. 3. §. lege iulia.* Præterea serui, quia pro nullis habentur, *l. Quod attinet* 32. *ff. de reg. iuris.*

Surdus quoque de auditu, cæcus de visu 5
testimonium dicere nequit. Cæcitas tamen superueniens non impedit, quo minùs testificetur de iis, quæ gesta sunt, antequam fieret cæ-

cus : quandoquidem etiam iudicantis officio rectè fungatur, si illud susceperit videns, *leg. Cæcus 6. ff. de iudiciis*, de eo quoque, quod gestum est, postquam cœcitas supervenit, si vocem eorum, qui quid feciſſe contraxiſſéve dicuntur, noverit, perhibere testimonium potest.

6 Alij prohibentur ferre testimonium pro certis vel contra certas personas, vel in certis causis dumtaxat. * Et in primis nullus idoneus testis in re sua id est propria causa intelligitur, *leg. Nullus 10. ff. eod.* Propria autem causa dicitur, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, *leg. 1. §. in propria ff. quando appellandum sit.* Hinc hæres institutus in testamento testis esse non potest, §. *Neque hæres Instit. de testamentis.* Contra verò legatarius & fideicommissarius particularis in testamento, in quo sibi legatum vel fideicommissum aliquod relictum est, rectè testis adhibetur de iure communi, *leg. Qui testamento 20. in princip. ff. de testament.* quia non tam sibi, quàm hæredi, eiusque institutioni & testamento, sicque in causâ hæredis, ad quem principaliter testamentum pertinet, & non in propria causa, nisi ex consequenti & secundariò, testimonium dicit. At qui multa ex consequenti tolerantur, quæ principaliter prohibentur, *l. 1. ff. de auctoritate tutorum.*

8 Secundò, domestici testes & familiares, *cap. in literis 24. hoc tit. l. 2. Cod. eod.* Item consanguinei & affines eius, à quo producuntur, & pro quo testimonium dicunt, tanquam non idonei repelluntur. 9 * Exceptâ causâ matrimoniali, & religionis : nam ex prærogativa coniugij, & quia favorabilis res est, sicut & religio, parentes, fratres, & cognati vtriusque sexus, in testificationem suorum, ad matrimonium coniungendum vel dirimendum, rectè admittuntur *cap. Videtur nobis 3. inf. Qui matrim. accusare possint.* Vt si quæratur, an matrimonium ob affinitatem vel consanguinitatem contrahi possit, an non, *can. 1. 35. quæst. 6.* Si tamen quæratur, an matrimonium sit contractum, & sponsa asserat, sponsus verò neget, & hic sit ditior, aut nobilior, pater & mater sponsæ non admittuntur; *cap. Super eo 22. hoc tit.* Similiter si dubitetur, an filius intret religionem, animo profitendi, rectè admittuntur, *can. Præsens 20. quæst. 3.*

Dicitur autem testis domesticus propriè, 10 qui ex eadem domo est, & nobis cohabitat, *iuxta l. Perspiciendum 11. §. furta domestica ff. de pœnis.*

Ad hoc tamen, vt quis talis domesticus, qui testificari prohibeatur, non videtur sufficere communis habitatio, sed debet concurrere alia etiam causa, nempe vel potestas vel obedientia vel obsequium, aut nimia affectio, vel alia similis : nam dominus mercenario, qui secum habitat, & patronus liberto, iure communis domicilij & habitationis iunctus est, & tamen pro eo, vel contra, testimonium dicere non prohibetur : quamquam si pro eo dixerit, videri possit suspectum ; graviſſimum verò, si contra, nec videatur cogendus si nolit, *leg. 4. in fine, ff. eod.* E diverso, quia mercenarius domino, libertus patrono alio iure, quam domicilij, obligatus est, nempe obedientiæ & obsequij, ideo pro eo dicere testimonium prohibetur.

Inter domesticos primum locum obtinet 11 vxor, quæ meritò à testimonio in causa mariti repellitur, *l. penult. ff. eod.* sive pro marito, ob nimiam affectionem, sive adversus maritum, ob reverentiam, quam eidem debet & communiter exhibet, aut exhibere debet. Excipitur tamen crimen læsæ Maiestatis, in quo, vt ante diximus, omnium æqualis est conditio. * Secundum locum obtinent liberi, si mo- 12 dò vnà habitent, *d. §. furta domestica.* Et hi quidem regulariter, sive sint domestici, sive non, neque pro parentibus, neque contra parentes in iudicio admittuntur ; propter reverentiam, quam eis debent. Idémque dicendum de parentibus, respectu liberorum, *d. c. Super eo 22. hoc tit. & l. Parentes, Cod. eod. l. Idonei 6. & leg. Testis idoneus 9. ff. eod.* propter nimiam affectionem parentum in liberos. Idque verum est in infinitum, *arg. l. Quisque litigandi 4. ff. de in ius vocando.* Et hoc ad naturales quoque extenditur, *Glossa in d. leg. Parentes.* Dixi, in iudicio, quia in extraiudicialibus, modò emancipatione vel alio modo diffoluta sit patria potestas, filius patri & pater filio recte testimonium perhibet in iis, in quibus nulla vertitur filij vel patris testantis vtilitas. * Tertiò, inter 13 domesticos testes referuntur fratres, & ex his descendentes, qui simul adhuc in sacris sunt paternis, & vnà habitant. Quamquam tales, licèt simul non habitent, neque pro se invicem, neque contra se invicem idonei sint testes ; quia, vt dixi, inter domesticos non tam propter communem habitationem, quàm propter alias concurrentes causas introducta est hæc, testimonij ferendi prohibitio. Et ideò, etiam semotâ cohabitatione, manet prohibitio, remanente causa prohibitionis, qualis hîc est patria potestas. * Quartò, liberti, qui cum 14 patrono

patrono morantur, in causa patroni. Et hi non solùm à testimonio repelluntur, quamdiu domestici sunt, *iuxta l. penult. ff. eod. l. etiam Cod. eod.* sed etiam postquam desierunt esse domestici, tanquam adhuc liberti; ne ob memoriam beneficij inæstimabilis, nempe libertatis, *leg. Libertas* 106. *ff. de reg. iuris*, quod à patrono acceperunt, facilè pro patrono à religione iuramenti præstiti recedant. Quintò, servi adscriptitij, ab hostibus redempti, & addicti, itémque mercenarij, qui mercede constitutâ nobis serviunt, si modò vna nobiscum habitent, *iuxta d. l. Perspiciendum* §. 1. *ff. de pœnis.*

15 Tertiò, à testimonio repelluntur infames, infamiâ iuris, *c. Ex part.* 7. *c. Testimonium* 54. *hoc tit.* tam in civilibus, quàm criminalibus causis; adeò vt nec contra alium itidem infamem admittantur, Farinac, *quæst.* 56. *num.* 98. *&* 99. in quo tamen dissentit Mascard. *conclus.* 462. *&* 1356. Excipiuntur casus quidam, veluti crimen læsæ Maiestatis, *dict. leg. Nullus* item crimen hæresis, *c. Tanta inf. de simonia*, *can. Nos sequentes* §. *sed licet* 6. *quæst.* 1. Nec iuvat, si tempore dispositionis fuerint emendati, nisi etiam sint restituti famæ. Quamquam probent, si tempore depositionis non fuerint habiti & reputati infames, cùm revera essent tales, Sicut, & quando aliter veritas haberi non potest, testi infami cum tortura, plena fides adhibetur, Caluol. *in Praxi* §. *Exceptio contra testes*, *concl.* 8. *num.* 5. vbi *num.* 7. tradit, quòd quando principalis excipiens est infamis, non possit contra testes opponere exceptionem infamiæ.

16 Quoad infames infamiâ facti distinguere solent: vt tales in causis criminalibus arceantur à testimonio, *Glossa & DD. in leg.* 2. *in V. turpitudinem ff. de Senatoribus* Farinac. *quæst.* 56. *num.* 115. *& seqq.* Clarus *quæst.* 24. §. *fin.* in civilibus verò admittuntur, *leg.* 1. *& ibi* Bart. *& alij C. de summa Trinit. leg.* 2. *ff. de obseq. præstandis*; idque pro Iudicis arbitrio. De iure tamen Canonico ne quidem in civili causa infames ciusmodi admittendos esse colligunt quidam *ex d. cap. Testimonium*, in verbis, *aut grauata sit eius opinio.* Nam licèt quidam eum locum intelligant de causa criminali: idem tamen videtur statuendum esse in civili, *vt ibidem notant DD.* Vide *can. Infames* 6. *quæst.* 1. Restitutus autem ad famam & honores admittitur, Farinac. *quæst.* 5. *n.* 79. Vti & vitam emendatam ac probatam post pœnitentiam agens, Farinac. *d. l. n.* 134. *& seqq.* Mascard. *concl.* 1356. *vbi limitat. n.* 16.

17 Quartò, Hæretici, Iudæi & Pagani non possunt esse testes contra Christianum & Catholicum, *can. Non potest*, *& can. Pagani* 11. *quæst.* 7. *leg. Quoniam* 21. *Cod. de hæreticis*; tum ratione odij, quo illum prosequuntur, *can. Nonne* 1. *quæst.* 1. tum quia non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis: atqui testem oportet esse fidelem, *cap. Licet* 51. *hoc tit.* Valeret tamen testificatio Iudæi pro Christiano contra Christianum, quia sicut par affectio omnem tollit suspicionem, ita & par causa odij; cùm contrariorum eadem sit ratio. Adversus Iudæum verò rectè testificatur Christianus.

Quintò, à testimonio repelluntur inimici capitales, *Novella* 90. *de testibus cap.* 7. qui locus non solùm de servis, vt Authenticarum in Codicem relator voluisse videtur, sed generaliter de omnibus intelligendus est. Idque obtinet, etiamsi inimicus fuerit reconciliatus: quia nisi amicitia longo tempore confirmata fuerit, adhuc præsumitur durare inimicitia: licèt etiam agatur de crimine læsæ maiestatis, simoniæ, hæresis, & aliis enormissimis criminibus, Calvolus *dict.* §. *Exceptio contra testes concl.* 4. *num.* 2. *&* 3. Capitalis autem inimicus dicitur, cum quo est controversia, seu lis capitalis, vel quæstio de libertate, cùm servitus morti comparetur, *leg. Seruitutem* 209. *ff. de reg. iuris*; vel etiam de existimatione, seu fama, *leg. Licet* 103. *ff. de verb. signif.* quandoquidem existimationis & sanguinis eadem sit ratio: imò illius maior viris bonis, quàm vitæ, esse debeat, *arg. leg. Isti* 8. §. 2. *ff. Quod metus causâ*, *&c.* Inimicitia autem non capitalis neutiquam repelli à testimonio, Abbas *in cap. Inquisitionis* 21. §. *tertia inf. de accusat.* Caluol. *d. loco n.* 4. 18

Sextò, Iudex, assessor, executor, Advocatus & Procurator, non possunt produci testes in causa, de qua cognoverunt, vel in qua patrocinium præstiterunt, *l. vlt. ff. h. t.* etiam in causa appellationis, pro ea parte, pro qua in prima instantia lata fuit sententia, *cap. fin. eod. in* 6. Vt neque administrator neque negotiorum gestor pro suo principali, in negotio gesto vel gerendo, Farinac. *quæst.* 60. *num.* 261. *& seqq.* Mascard. *concl.* 1232. *num.* 29. *&* 30. *& concl.* 1357. Spec. *in t. de teste*, §. 1. Verumtamen si is, contra quem quis fuit Advocatus, Procurator, assessor, vel executor, petat eundem in testem, rectè admittetur. Specul. *d. loc.* 19

Septimò, mulier testimonium dicere in testamento non potest, *l. Qui testamento* 20. §. *mulier ff. testam.* ne quidem confecto à rustico; quia licet in eo imminutus sit numerus testium, tamen 20

tamen quoad idoneitatem nihil reperitur immutatum. Potest verò adhiberi testis ad testamentum militis, stantis & testantis in acie, in quo testes non oportet esse rogatos, & in quo remissa est solemnitas iuris civilis, solúmque ius gentium spectatur. Quemadmodum & in testamento patris inter liberos, Glossa *in leg. Hæc consultissima, §. ex imperfecto Cod. de testamentis.*

21 An autem mulier possit esse testis in testamento ad pias causas, quæritur. Et communis opinio eo videtur inclinare, quia & in illo remissa sit solemnitas iuris civilis, spectetúrque ius gentium, *cap. Relatum, c. Cum esset inf. de testamentis.* Attamen contra vrget, quòd *in d. c. Relatum* exigantur duo testes legitimi, qualis non est mulier; quódque, licet *in d. c. Relatum* derogetur solemnitati iuris quoad numerum testium, non tamen reperiatur ius civile correctum quoad habilitatem, vt proinde servandum sit, *arg. l. Præcipimus ff. de appellat.* vt taceam alias rationes, quibus id ipsum probari potest.

22 Quæritur etiam, an in codicillis mulier possit esse testis. Et posse verius est, ex quo non reperiatur prohibita, *secundum Gloss. in fin. in V. quinque Cod. de codicillis.* Nec obstat, quòd codicilli largo modo veniant appellatione testamenti, *Gloss. vlt. in l. 1. ff. de testam.* videantúrque esse pars testamenti, ab eóque pendere, *Gloss. in d. §. mulier:* quia non sunt verè testamentum.

23 In aliis verò causis mulier admittitur ad testimonium dicendum, non tantùm in civilibus, *l. Ex eo 18. ff. hoc tit.* verum etiam in criminalibus de iure civili: eo argumento, quòd lex Iulia à testimonio vis publicæ removeat eam dumtaxat, quæ palam corpore quæstum fecerit *l. 3. §. pen. C. eod.* & in iudicio adulterij repellat damnatam eiusdem criminis, *d. l. Ex eo.* Nam inde à contrario facilè colligitur, mulierem, ab his criminibus alienam, etiam in criminalibus idoneè testificari, VVesemb. *ff. hoc tit. sub num. 3.* Multò magis admitti debet, si de crimine civiliter agatur, etiam contra Clericos, sive per viam inquisitionis, sive per viam denuntiationis vel exceptionis, *cap. Quoniam 5. hoc tit.* Ratio autem, cur de iure civili in testamento non admittatur, & tamen admittatur in causa criminali, quæ est maioris præiudicij, est hæc, quia testamenta olim fiebant calatis comitiis, in quibus mulieres ius suffragij non habebant.

24 Alioqui laicum ad testimonium ferendum contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendum, rescripsit Pont. *in cap. de cætero 14. hoc tit.* quoad plenam scilicet probationem. Nam admittitur ad iudicium faciendum, sufficiens ad torturam, *secundum* Panormit. *ibid. num. 5.* Excipit tamen Lopez *ad cap. 4. Pract. crimin. Bern. Dias*, decem casus, quibus laico permittitur accusare Clericum, nempe hæresis, læsæ Maiestatis, dilapidationis bonorum Ecclesiæ, simoniæ, sacrilegij notorij criminis: item dum semel admissus est laicus, dum suam vel suorum iniuriam prosequitur, vel parochianus suum pastorem denuntiat, quia illius interest habere bonum: licèt *Canon 8 11. q. 7.* non permittat laico accusare suum superiorem, nisi in fide erraverit; & denique dum patronus accusat Presbyterum, malè curantem, aut dilapidantem bona Ecclesiæ.

25 De Monachis, Canonicis regularibus & aliis Religiosis quæritur, an possint esse testes? Et verius est, posse: quia licèt arceantur à negotiis sæcularibus, veluti iudicandi munere, tutela, procuratione, & similibus aliis actibus atque officiis civilibus, ac forensibus, *can. Monachi 16. q. 1. c. 2. sup. de postulando & toto t. Ne Clerici vel Monachi sæcul. negot. &c.* non tamen inveniuntur removeri à testimonio ferendo, cùm non sit contra eorum professionem prodere veritatem, ac proinde admitti debent, *arg. d. l. 1. ff. hoc tit.* Aliàs neque in causa Ecclesiæ vel Monasterij testificari possent: quod falsum esse patet *ex can. Super 14. q. 2. c. Cum Nuntius 12. & c. Nuper 51. hoc tit. c. Etsi Christus 26. inf. de iureiurando.* Requiritur tamen licentia superioris, cùm ipsi velle, aut nolle non habeant sitque eorum voluntas in arbitrio superioris *c. Si Religiosus, c. Si Abbatem de elect. in 6. c. fin. de sepulturis in 6.*

26 Denique, vt alios omittam, minor 20. annis in criminalibus nequit esse testis, quia habetur iudicij imbecillioris, lubrici & temerarij, *c. In testimonium 20. d. hoc tit.* Farin. *q. 58. n. 10. & seq.* Mascard. *concl. 1246. n. 5. 6. & seq.* In civilibus verò, præsertim exiguis, testificari non prohibetur. Farin. & Mascar. *d. loco.*

27 Illud quoque postremo loco hic observandum est ex Zypæo *lib. 2. de Iure Pontif. nove tit. de testibus*, moribus passim obtinuisse, vt testem Iudex non repellat, nisi quid iei pars opponat, aliàs suspectum haberi. Insuperque Principem nostrum anno 1611. statuisse, ne probationes per testes recipiantur in negotiis excedentibus 300. florenos.

***

§. III.

§. III.

De modo producendi teſtes.

1 *Primò] actor vel reus petit admitti ad probandum.*
2 *Et dari terminum probandi ac producendi teſtes.*
3 *Dein adverſario, citato, & comparenti ac iudici exhibet articulos.*
4 *Adverſario licet obiicere in perſonas teſtium & repellere.*
5 *Idque ante eorum receptionem & examen regulariter.*
6 *Aliàs ſtatim ad dicendum teſtimonium admittendi ſunt.*
7 *Examinabit eos iudex vel commiſſarius illius.*
8 *Debent in primis iuratus eſſe teſtis.*
9 *Quod tamen iuramentum ex cauſa remitti poteſt.*
10 *Modus & forma examinandi.*
11 *Teſtis debet reddere rationem dicti ſui, 12.*
13 *Dummodò interrogetur expreſsè vel implicitè.*
14 *Præterquam in certis cauſis, vt in criminalibus, &c. 15.*
16 *Examine facto tunc reus admittitur ad probationem obiectorum.*
17 *Et ad reprobationem actor.*
18 *Quarta productio teſtium, non admittitur regulariter.*
19 *Hinc publicantur atteſtationes, & fit copia partibus.*
20 *Vt contradicant depoſitionibus teſtium.*
21 *Poſt publicationem non admittuntur teſtes.*
22 *Publicatio tamen non eſt de ſubſtantia proceſſus.*

1 DEinceps videndum de modo producendi & recipiendi teſtes.

In primis ſi actor per teſtes velit probare ſuam intentionem, vel reus ſuam exceptionem, petere debet in iudicio ab ipſo iudice admitti ad probandum, & dari ſibi terminum probandi, id eſt, ſtatui ſibi diem intra quem teſtes
2 ſuos producat, Gaill. 1. *obſerv.* 96.* Eóque facto, inter ſtatutum terminum teſtes producendi ſunt: citato tamen antè adverſario ſuo, vt videat teſtes produci & iurare, *cap. 2. hoc tit.* vt, ſi quid fortè habetur, quod contra perſonas eorum obiiciat, quò minùs idonei ſint ad teſtimonium ferendum, id ante eorum receptionem vel examen vel ſaltem publicationem depoſitionum proferat. Aliqui productio & receptio teſtium facta, non euocato, aut citato adverſario, eſt nulla, vtpote contra ordinem iudiciorum facta, *d. c. 2. in fin.*

Quòd ſi adverſarius citatus compareat, tunc 3
qui produxit teſtes exhibet ei ac iudici articulos, ſuper quibus eos recipi atque examinari poſtulat, & præterea nomina teſtium. * Si quid 4
deinde adverſarius obiiciat in perſonas teſtium, quod probatum eos à teſtimonio repellat, in arbitrio erit iudicis, prout ei æquum videbitur, vel admittere priùs adverſarium ad probandum obiecta, ſuſpenſo interim examine, vel contra, dilata probatione obiectorum, examinare teſtes, *cap. Ex part. 7. hoc tit.* Niſi forte obiiciens obiecta incontinenti probare offerat. *dict. cap. Ex parte verſic. Tandem*; vel in dilatione examinationis, obiectorum periculum eſſet interitus teſtium, Specul. *tit. de teſte* §. 1. *verſ. quia ergo.*

Sin autem citatus adverſarius & præſens nihil 5
obiiciat in perſona teſtium ante eorũ receptionem vel examen, vel ſaltem ante publicationem depoſitionum, regulariter non auditur poſt illarum publicationem obiicere quid volens, quia tacendo vſque ad publicationem cenſetur exceptionibus adverſus teſtes renuntiare & conſentire in eoſdem, *cap. Qui tacet de R. I. in 6.* niſi vel iureiurando affirmet, quòd malitiosè ad hoc non procedat, *cap. Præſentium 31. h. tit.* vel antè publicationem proteſtatus fuerit, quòd ſibi reſervet ius obiiciendi, quod videbitur, *dict. cap. præſentium verſ. Niſi*; vel docuerit exceptiones, quas publicatione facta obiicere vult, de novo tunc ad ſuam notitiam peruenisſe, *dict. cap. præſentium*; vel niſi prouiderit legitimè, quòd volens eas ante publicationem obiicere, impeditus à iudice fuerit (quo caſu etiam poſt ſententiam obiicere eas poterit, Gloſſa *in cap. cum 1. & A canonici in v. iuramenta in fine inf. de ſententia & re iudicata*;) vel denique niſi ſint tales exceptiones, quæ poſt atteſtationum publicationem ipſos teſtes inhabilitent, veluti quòd teſtis ſit excommunicatus, iudæus, hæreticus, & ſimiles, quibus renuntiare non intelligitur, Felinus *in d. c. præſentium col. 2.*

Si verò teſtibus productis nihil obiiciatur, 6
quo eorum teſtimonia eneruentur, ſtatim ad teſtimonium dicendum admittendi ſunt. Item adverſarius, ſi velit, poteſt exhibere iudici interrogatoria ſua, vt vocant, ſuper articulis ſibi priùs exhibitis, ſecundum quæ petat à iudice teſtes interrogari & examinari, *cap.*

præsentium §. testes eod. in 6. Quæ idcirco fiunt, vt, si fortè testes à producente sint subornati, id iudex, insequendo interrogatoria aduersæ partis, faciliùs deprehendat. Et propterea cauere iudex debet, ne istorum interrogatoriorum aduersarius consequatur copiam, eaque occasione testes suos ad falsitatem instruat & per subornationem fraus committatur, Gloss. *in d. § testes*, Caluol. *in praxi §. interrogatoria concl. 1.*

Testibus itaque ad testimonium dicendum admissis, & tã partis producentis articulis, quàm partis aduersæ interrogatoriis iudici exhibitis, iudex ipse testes receptos diligenter examinabit, vel, si grauioribus detineatur negotiis, aut aliàs commodè eos examinare non possit, examen alteri, cui volet, idoneo tamen & discreto, vel etiam iudici territorij, in quo testes degunt, committet, *cap. Si qui testium 8. hoc tit. l. iudices Cod. de fide instrument.* si scilicet ciuiliter agatur: nam in criminalibus hæc commissio non est permissa, *Auth. apud eloquentissimum C. de fide instrument.*

8 In ipso verò examinis limine iubebit iudex, vel is, cui examen testium demandatum est, præsente aduersario, vel etiam eo absente, si citatus comparere noluerit; *dict. cap. 2. versic. si verò noluerit*, testes iurare, quòd neque odio, neque amicitia, neque fauore, neque aliquo commodo, quod habuerint, vel habituri sint, inducti, sed solius veritatis amore moti, ad ferendum testimonium venerint, quódque super omnibus, de quibus interrogabuntur, rei veritatem, prout secundum conscientiam nouerint, dicturi sint, *c. Quoniam 5. §. 2. cap. Tuis quæstionibus 39. cap. nuper 51. hoc tit. l. iurisiurandi Cod. eod.* quodque depositiones suas ante legitimam earum publicationem neutri parti manifestabunt, seu aperient. Nam testi non iurato, licèt is religiosus esset, non creditur in præiudicium alterius, *d. cap. Tuis quæstionibus & dict. cap. nuper.* Idque maximè obtinet in criminalibus.

9 Cùm autem hoc iuramentum non sit de calumnia, sed de veritate dicenda, respiciatque fauorem partis, pro qua testis producitur, & non publicam vtilitatem, remitti partium consensu potest, prout plerumque remittitur personis illustribus, aut in aliqua dignitate vel officio publico constitutis, *per text. in dict. cap Tuis quæstionib. & ibi Gloss. in v. remittatur*: nisi ageretur de præiudicio publico, aut animarum, vt in causa matrimoniali. Vide Gaill. 1. *obser.* 101.

10 Examinabit autem iudex singulos testes separatim, remotis litigantibus, *cap. Venerabili 52. hoc tit.* & assumptis tam producentis articulis quàm aduersæ partis interrogatoriis, vnumquemque interrogabit, cuius sit ætatis & conditionis; an litigatores noverit, & quâ notitia, vulgari an alia; an vni parti magis faueat, quàm alteri; an sit vnius, aut alterius consanguineus vel affinis; an, ex testimonio suo commodum speret, vel incommodum timeat. Item interrogabit de loco, tempore, visu, auditu, credulitate, scientia, fama, certitudine, & aliis similibus causæ circumstantiis, *cap. cum causam 37. hoc tit.* * & potissimùm de ratione sui dicti, 11
seu depositionis sive scientiæ: adeò vt, si producentis aduersarius in suis interrogatoriis id fieri iusserit, & examinator omiserit dolo vel negligentia, parti aduersæ ad omne interesse teneatur, Panormit. *in dict. c. cum causam*: vt etiam, si testis, interrogatus rationem sui dicti, eam non reddiderit per aliquem ex quinque sensibus, qui negotio & facto de quo interrogatur congruit, Farinac. *quæst. 70. num. 128.* Menoch. *de arbitr. quæst. 25. num. 3.* depositio eius, præsertim in criminalibus, sit nulla, *l. Solam Cod. eod.* Si verò reddiderit rationem aliquam, sed non probabilem, testimonio eius non creditur, *cap. præterea 25. h.t.*

Nam ratio in teste; dat esse eius testimo- 12
nio, & illud saluat vel destruit. Et ideò licèt dictum eius per se non probet, tamen ratio dicti reddita sufficiens probat: vt si dicat, nihil scio, nisi quòd viderim contenta in articulo fieri. Contrà verò, si dicat, Scio, quia audiui ab alio, iam deficit ratio & fundamentum sui dicti, nec probat: nam testimonium de auditu alieno regulariter est nullum, *cap. licet 47. hoc tit.* & dici solet, plus valere oculatum testem vnum, quàm auritos decem. Dico, de auditu alieno; quia si res sit percaptibilis auditu, & testis de proprio auditu deponat (vt si dicat, Sempronium esse obligatum Seio, quia audiuerit promitentem, *cap. 2. sup. de consuetudine*) probat, *cap. Tam 33. h.t.* Debet etiam ratio dici esse separata ab ipso dicto. Et ideò, si deponat Titium mutuasse Seio centum, pro causa scientiæ dicere debet, quia vidi centum numerare ex causa mutui; non autem dicere, quia scio: nam tunc ratio esset eadem cum dicto, atque ita non probaret.

Notandum tamen testem non teneri redde- 13
re præcisè causam suæ scientiæ, nisi interrogetur expressè vel implicitè, *dict. l. Solam & ibi* Bald. & colligitur *ex dict. cap. cum causam, vbi communiter omnes*: quia testis verbosus esse non debet, nec respondere ad ea, de quibus

non

non rogatur Felinus *in dict. cap. cum cauſam*
14 *num.2.** Præterquam in cauſis criminalibus,& vbi agitur de factis, quæ ſolo iudicio intellectus percipiuntur: veluti ſi deponat aliquem eſſe ſanæ mentis, eſſe divitem, eſſe dominum alicuius rei, habere ius decimandi, vel aliquid aliud ſimile; quòd potiùs iudicio intellectus, quàm aliquo ſenſu corporeo percipitur, de quibus latè Farinac. *quæſt.*70.Marcardus *de probat.concluſ.*1376. Nam in iis etiam non interrogatus debet reddere rationem ſuæ ſcientiæ, Abbas *in dict. cap. cum cauſam col.*3. & de ſupradictis nudè aſſerere, eſſet potiùs iudicare, quàm teſtificari, quod ad teſtem non pertinet.

15 Similiter ad hoc, vt probatione facta per vnum teſtem, deferatur iuramentum ſuppletorium probationis, neceſſe eſt, quòd teſtis ille, etiam non rogatus, reddat cauſam dicti ſui, ſeu ſcientiæ: aliàs non facit ſemiplenam probationem.

16 Examine teſtium ex parte actoris producentis in facto, admittitur viciſſim adverſarius ad probationem eorum, quæ in perſonas teſtium, ab actore productorum, obiecerit, ſi ante receptionem ad hoc non fuerit admiſſus. Et ſi ad hæc obiecta probanda aliquos produxerit
17 teſtes, * permittitur rurſus actori, ad fidem eorum eneruandam vel minuendam, alios teſtes producere. Vlteriùs verò teſtium productio & probatio non eſt permiſſa.Et hoc eſt, quòd dici ſolet, teſtes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licere, non item reprobatorios reprobatoriorum, *dict.cap. licet dilectus* 49. *hoc tit.* ne ita litigatores viciſſitudine probationum & reprobationum in infinitum progrediantur, ac lites protrahant.

18 His ita peractis, iudex partes litigantes, in ſua præſentia conſtitutas, interrogabit, an plures, teſtes producere velint: & ſi dixerint, ſe velle, audiendi erunt *cap. cum veniſſet* 25. *hoc tit.* vt ſi fortè timeat quis, ne auditi ſuper articulis, ſuper quibus eos produxit, non ſatis pro ſe depoſuerint. Admitti autem tunc poterit ſuper iiſdem articulis ſecunda & tertia productio,non verò quarta,*c. in cauſis* 15. *h.tit.* niſi quartò producere perens affirmet iureiurando, ſe illud non petere dolo malo, neque ſe aliquo modo teſtificata ſubtraxiſſe, aut didiciſſe, ſed quia eorum, quos nunc producere intendit, copiam antè habere nequiverit, *cap.vltra penult.hoc tit.* effrænata enim & nimia multitudo teſtium à iudice refrænanda & inhibenda eſt, *cap. ſignificauerunt* 36.*hoc. tit.* Quæ multitudo quadragenarium numerum ſuper iiſdem articulis excedere non poteſt, *dict.c.cum cauſam* 37.§. *volentes h.t.*

Sin autem negauerint ſe velle plures producere, & vlteriori productioni renuntiauerint, petentibus vtrimque litigantibus, non verò tertio aliquo vel altero tantùm id petente, *cap. conſtitutus* 30. *hoc tit.*niſi altero abſente, citato tamen & contumace; iudex teſtium dicta & atteſtationes publicabit, interloquendo hoc vel ſimili modo, *dicta teſtium in hac cauſa publicamus, eaque pro publicatis & apertis habere volumus.* Faciétque litigantibus poteſtatem habenti eorum copiam, & examinandi, intra compatentem terminum, quatenus pro ſe vel contra faciant, *d.c.in cauſis* 15.*in fine*, *c.ſignificauit.*41.*& cap. Albericus* 43 *hoc tit.** & diſpiciant, quid adverſus teſtes, contra ſe productos, ſcripto poſtmodum obiicere poſſint: veluti quòd obſcurè & confusè depoſuerint, vt ex eorum dictis elici & declarari veritas non poſſit, *cap.cum clamor* 53.*hoc tit.*adeóque obſcure dictum pro non dicto habetur, *l.de ætate*, §. *nihil intereſt*, *ff. de interrogat. action.* quòd item in depoſitionibus ſibi contrarientur & contradicant: teſtis enim contrarium ſuæ priori atteſtationi poſtea deponentis, ſine vlla vel erroris vel iuſtæ cauſæ allegatione, teſtimonium nullum eſt, *l.* 2. *ff. hoc tit.cap.cum Eccleſia verſic. nos igitur ſup. de cauſa poſſeſſ. & proprietat.* vel quòd ſint ſingulares, qui regulariter non probant,*can.nihilominus & ibi Gloſſ.*3.*quæſtion.* 9.*cap.tam litteris* 33.*& ibi Gloſſ.in v.ſoli hoc tit.* vide plenè Gabriel. *com.concluſ. lib.*1. *tit.de teſtibus concluſ.*2.vbi tradit, quando probent,vel falſum depoſuerint, vel quòd teſtimonium in aliqua ſui parte falſitatis vitio laborans in totum reprobari debet, *Gloſſ. in can.Si ad Scripturas diſtinct.*9. & ſic de ſimilibus.

19 Denique publicatione atteſtationum factâ, ſuper iiſdem, vel directè contrariis articulis, 20
in eadem vel alia inſtantia iidem vel alij teſtes produci nequeunt, *cap. Fraternitatis* 17.*& ibi communiter Interpp. hoc tit.* Couar.*quæſt.cap.*18. *num.* 6.Sicut nec quando vlteriori teſtium productioni renunciatum eſt, *cap. intimauit* 18.*& cap.cum veniſſet.*25. *verſicul. Quæſtiones hoc tit.* Idque ob metum ſubornationis novorum teſtium. Hoc tamen fallit pluribus caſibus: vt ſi is, qui alios teſtes producere cupit, non potuerit inſtrui ante publicationem, *l. Ex tenore* 36. *hoc tit.* Item publicatione teſtimonjorum factâ in iudicio ſummario, poterunt

super iisdem articulis, vel contrariis, alij etiam testes produci in iudicio ordinario, *cap. Veniens* 38. *& cap. Cum tua* 44. *hoc tit.* & aliis de quibus videre licet Gaill. *lib.* 1. *observatione* 105.

22 Observandum etiam est, hanc publicationem attestationum non esse de substantia processus, secundum communem sententiam: ac proinde processum ad sententiam, eâ omissâ vel denegatâ latam, si appellatum non sit, valere, ac transire in rem iudicatam, Gaill. *d. loco num.* 1. quia eius omissio ius litigatoris lædit, non autem ordinem iudiciorum pervertit.

TITVLVS XXI.

De Testibus cogendis.

1 *Testes cogi possunt ad dicendum testimonium.*
2 *Idque vel captis pignoribus, vel multâ, vel per censuras.*
3 *In causis cum civilibus tum criminalibus.*
4 *Satisfit obiectionibus, quoad criminales.* 5.
6 *Quidam tamen cogi non possunt.*
7 *Nisi defecta testium aliunde veritas haberi non possit.*

1 TESTES auctoritate publica, id est Iudicis & per personam publicam ad ferendum testimonium citari debent, *c.* 2. *sup. de testibus.* Qui si moniti & citati legitimè comparere refugiant, & vel odio, vel timore, vel alia simili de causa sese subtrahant, aut, licèt compareant, testificari nolint, per Iudicem vel eius commissarium ad hoc compelli possunt, idque obtinet vtroque iure, *toto hoc tit. leg. Si quando, cum Auth. sequentib. Cod. de testibus*: tum ob publicam vtilitatem, ne veritas occultetur, in alicuius præiudicium *can. Quamquam* 14. *quæstion.* 2. tum quia testimonium perhibere est muneris publici, ad quod etiam invitus quis compellitur *leg. Cum ab initio, & ibi Gloss. in V. cogat, & leg. Sed si quis ff. Quemadmodum testam. aperiantur.* Imò adeò necessarium, vt quis repellatur à munere iudicandi propter actum testificandi *cap. Dilecto* 40. *supr. de testibus*, quia faciliùs reperiuntur centum Iudices, quàm vnus testis, Abbas *in dict. cap. Dilecto, numer.* 3. vbi *numer.* 10. tradit praxim, quâ quis possit in testem producere ordinarium causæ Iudicem, quando ille sibi pro teste est necessarius, Videatur Gratianus *in can. si testes*, §. *si exigat*, 5. *quæst.* 3.

Compelluntur autem testes, secundum fo- 2
ri qualitatem, vel captis pignoribus, vel multâ inflicta, *argument. leg.* 1. §. 3. *in fin. ff. inspiciendo ventre:* vel per censuras Ecclesiasticas, videlicet suspensionem, interdictum, excommunicationem, aut dispositionem, vel denegationem *cap.* 1. 2. *& 5. hoc tit.*

Et hoc quidem in causis civilibus iudubi- 3
tatum est, *cap.* 1. 2. 6. *& 7. hoc titul.* An verò etiam in criminalibus cogi possint non immeritò quis dubitet; propter *cap.* 3. *&* 10. *hoc titul.* Eóque magis, quòd nemo debeat alterius secreta propalare, vel ei detrahere, deferendo alicui eius delicta, *can. Ex merito* 6. *quæst.* 1. Adeò vt tale quid faciens, actione in factum ad interesse, vel actione iniuriarum conveniri possit, *leg. Si quis testamentum*, §. *sed etsi quis ff. Ad legem Aquil.* & quandoque etiam falsi teneatur, *leg.* 1. §. *is qui ff. Ad Corn. de falsis.* Verius tamen est, & communius obtinuit, etiam in criminalibus posse testes cogi dicere testimonium. Idque probatur per *capit. Pervenit* 4. *&* 5. *capit. Super his, capit. Cum contra hoc titulo,* quia hoc non est alteri detrahere, sed veritatem dicere, non animo detrahendi, sed veritatem detegendi: quam interrogatum à Iudice celare, esset grave, imò mortale peccatum, *can. Quisquis* 11. *quæstione* 3. *Gloss. in capit.* 1. *V. occultent hoc titul.* Expedit enim Reipublic. ne crimina maneant impunita, *cap. Vt fama* 33. *infrà de sentent. excommunicat.* Et ideò licèt quis iuraverit se non testificaturum, nihilominus ad id compelli poterit iuramento non obstante, *dict. capit. Pervenit* 4. *hoc titul. & ibi Gloss. cap. intimavit* 18. *supr. de testibus.* quia tale iuramentum non est obligatorium, quippe temerarium & contra bonos mores præstitum, *cap. Non est obligatorium de R. Iuris in* 6. Potestque vocatus in testem & iurans, etiam propriâ auctoritate, & nulla prævia absolutione petitâ, iuramento contravenire, absque vllo periurij periculo, provt communis habet opinio, *in cap. Constitutus* 45. *& ibi* Gloss. *in V. tenere supr. de testibus* latè Gaill. *lib.* 1. *observat.* 100.

Dixi

Dixi vocatus in teſtem ; quia extra eum caſum iurans non revelare ſecreta, ſi contra faciat, periurus efficitur. Quinimò licèt non iuraverit, nefariè & improbè facit, ſecreta alterius propalando : adeóque actione in factum ad intereſſe vel iniuriarum conveniri poteſt ; & quandoque falſi tenetur, vt ante diximus, & tradit Gaill. *dict. loco.*

4 Non obſtat *dict. cap.* 3. quia cùm dicitur ibi, teſtem monendum eſſe, & non cogendum ferre teſtimonium veritati, ita intelligi debet, non eſſe cogendum à principio, ſed priùs monendum ; quia monitio præcedere debet coactionem *c.* 1. *h.t.* Non autem prohibet, quò minùs cogi poſſit, ſi non pareat monitioni. Ita Gloſſa *ibid.*

5 Non obſtat quoque *dict. cap.* 10. quia ibi agitur de criminibus, quæ ipſis teſtibus obiiciuntur, non quidem criminaliter, vt patet ex eo, quòd ibi quæſtio erat ſuper conventione & reconventione, quæ in criminalibus locum non habet ; quia non criminis relatione, ſed innocentiâ reus purgatur, *leg. Si quis, ff. de publ. iudiciis.* Item agebatur per procuratorem, qui in criminalibus non admittitur : ſed agitur de iſtis criminibus, ad eum finem dumtaxat, vt à teſtimonio repellantur. Ad huiuſmodi autem probationem non coguntur teſtes, quia nemo cogitur ad denudandam famam alterius. Vide Hoſtienſ. *hoc tit. n.* 2.

6 Sunt tamen nonnulli, qui ad teſtimonium ferendum cogi non poſſunt : vt in primis Sacerdos ne quidem à ſummo Pontifice compelli poteſt, vt ſecreta confeſſionis revelet, quia illa non vt homo, ſed vt Dei vicarius ſcire intelligitur, vt poſtea dicemus. Secundò excipiuntur multæ perſonæ, quæ enumerantur, partim *in leg. Inviti* 19. *ff. de teſtibus*, vt ſenes, valetudinarij milites, qui cum magiſtratu Reipubl. causâ adſunt, vel quibus venire non licet partim *in can. Si teſtes*, §. *item in Lege Iulia 6. quæſtione* 3. partim iterùm *in leg.* 4. *ff. de teſtibus.* Inter quos ſunt cognati & agnati, non quidem omnes, ſed qui à latere ſe contingunt, & nullo communi patriæ poteſtatis vinculo tenentur : hi enim licèt poſſint eſſe teſtes, non tamen ad hoc cogi poſſunt, vſque ad ſeptimum gradum, vt colligitur *ex dict. leg.* 4. At verò qui ſibi parentum & liberorum loco ſunt, quique in alterius ſunt poteſtate, tantùm abeſt, vt ad teſtimonium dicendum poſſint cogi, vt ne volentes quidem admittantur. Tertio, affines, non quidem omnes, ſed qui inter ſe parentum liberorumve locum obtinent, vt ſocer, ſocrus, gener, nurus, vitricus, noverca, & ſimiles, durante nimirum affinitate. Quartò, liberti contra patronos, *dict. leg.* 4. & ſimiles.

Quamquam & hi certo caſu rectè compellantur ad dicendum teſtimonium, nempe ſi ob defectum aliorum teſtium veritas aliter indagari & haberi nequeat ; nam eo caſu ceſſare meritò debent eorum privilegia, favore eruendæ veritatis, quam erui publica vtilitas expoſcit, Panormit. *in dict. cap.* 1. *hoc tit.* Adeò vt in Clericis quoque receptum ſit, vt, licèt ad teſtificandum in cauſis laicorum compelli nequeant, tamen deficientibus aliunde probationibus, ceſſante eorum prærogativâ, coram ſuo Iudice Eccleſiaſtico teſtificari debeant, *can. Quamquam, & ibi Gloſſ.* 14. *quæſt.* 2. vel etiam coram ſeculari, cum ſuperioris tamen licentia. Videatur Gaill. *dict. obſervation.* 100 *num.* 15. 7

TITVLVS XXII.

De fide inſtrumentorum.

§. I.

Inſtrumentum quid, & quotuplex.

1 *Inſtrumentum vnde dicatur, & quid ſit.*
2 *Inſtrumenta alia Publica ; alia Privata ; & forma publicorum.*
3 *Quædam etiam quoad effectum Publica ſunt.*
4 *Item Publica alia ſunt Iudicialia, alia Extraiudicialia.*
5 *Inſtrumentum Privatum quod dicatur.*
6 *Eius varia ſpecies ; Apocha, Antapocha, &c.*

PRobationis in genere diximus frequentiſſimam eſſe ſpeciem, quæ fit per vivam vocem ſive per teſtes, de quibus egimus : ſequitur de ea, quæ fit per vocem mortuam ſive per inſtrumenta.

Dicitur autem inſtrumentum ab Inſtruendo, *leg.* 1. *ff. hoc titul.* Et ideò in hac probationum materia inſtrumentum generaliter ſignificat omne id, quo cauſa inſtrui & 1

fides iudici fieri potest, sive sint testes, sive scripturæ, sive confessio, sive quævis alia probatio, *dict. l. 1. & l. notionem, §. instrumentorum, ff. de verborum significat.* Specialiter verò & propriè instrumentum capitur pro qualibet scriptura, quæ fidem rei, quam continet, iudici facit, & causam instruit, Felin. *& alij in rubr. hoc tit.*

2 Sunt autem instrumenta in significatione duplicia, nempe alia publica, alia priuata *l. 5. Cod. de probat. leg. scripturas, Cod. qui potior. in pign. hab. nouell. 73. de instrumentorum cautela & fide.* Instrumentum publicum propriè dicitur ea scriptura, quæ à publica persona, veluti Tabellione vel notario publico, debita forma confecta est, *dict. novel. de instrum. cautela & novel. 44. de tabellionibus, cap. 1.* Debita forma consistit in hoc, quòd fiat à notario ex mandato iudicis; aut à partibus ad hoc rogato, rei, de qua agitur, gnaro, cum expressione anni, indictionis, mensis, diei, loci, in quo fit contractus vel actus, qui instrumento continetur: quòd præterea inscribantur nomine testium, cum ipsius notarij seu tabellionis subscriptione *cap. 2. can. inter dilectos & ibi. DD. hoc tit.* Couar. *pract. quæst. cap. 20. num. 2.* De iure communi requiritur quoque expressio nominis aut imperatoris aut principis, in cuius ditione conscribitur; sed id vsus non obseruat. Couar. *d. loco num. 1.*

3 Dixi, instrumentum publicum propriè dici, quod à publica persona confectum est, quia sunt quædam instrumenta, quæ licèt non sint à persona publica confecta, tamen quoad effectum probandi dicuntur etiam publica, quia scilicet perinde plenam fidem faciunt, ac si à publica persona confecta essent, Huiusmodi est scriptura alicuius priuati, sigillo aliquo publico & authentico signata, *dict. cap. 2. h. t.* quale est sigillum Episcopi, cui statur donec contrarium ostendatur, *cap. Post cessionem 7. sup. de probationibus can. cura 11. quæst. 3.* Item Principis secularis, consuetudinem, per quam ei creditur, *cap. cum dilectus hoc tit.* similiter capituli, *cap. 3. sup de probat.* insuper ciuitatis, Vniuersitatis, & alterius communitatis, ius sigilli habentis, *dict. cap. inter dilectos hoc tit.* Secundò, scripturæ qualescumque, quæ ex archiuio publico extrahuntur, *cap. Ad audientiam 13.* vbi Felin. *inf. de præscript. l. in fraudem 45. §. quoties 7. ff. de iure Fisci.* Tertiò, quæ fiunt apud acta publica, *l. 1. & 2. Cod. Qui in Eccles. manumittuntur.* Quartò, scriptura, habens subscriptionem scribentis & testium, *leg. scripturas 11. Cod. Qui potiores in pig. habeantur & dict. cap. 2 hoc tit.* Subscriptio enim vel suprascriptio, in scriptura vel instrumento facta, continet & arguit subscribentis approbationem, perinde ac si totam scripturam manu propria scripsisset, Mascar. *concluf. 1341. num. 14. 15.* Gabriel. *lib. 1. concl. 3.* nisi scripturâ non lecta, sit facta subscriptio, nomine vel testis vel alieno, Mascar. *d. loc. n. 16. 17. 18. & seq.* Sigilli verò appositio vim subscriptionis & confessionis obtinet, Gabriel. *tit. de probat. concl. 4.* Mascar. *concluf. 1302. per tot.* Et à Domino sigilli facta præsumitur, quando est sigillum eius, qui sigillauit, aut subscriptione hoc testatus est, Menoch. *2. præsumpt. quæst. 58.* Mascar. *d. concl. 1302.* Gabriel. *d. concl. 4. num. 20.*

4 Dividi possunt publica instrumenta in iudicialia, quæ scilicet fiunt apud acta & in Extraiudicialia, quæ fiunt in contractibus à notario, extra iudicium, ad id rogato. Alioqui si ad hoc rogatus non fuerit, censebitur illud confeciſſe tanquam priuatus; sicque erit priuatum, non publicum instrumentum.

§ Priuatum instrumentum generaliter est omnis scriptura, à priuata persona, non autem à Notario, confecta, sive sit authentica, sive non: quod alio nomine vocatur instrumentum domesticum, *leg. instrumentum. Cod. de probat.* Et hac ratione scriptura iudicis, etiamsi habeat testes scriptos, censetur priuata, quia scribere non est Officium iudicis, sed tabellionis. Similiter litteræ propria manu regis, vel Principis, vel Parochi, scriptæ, censentur scripturæ priuatæ: nec enim inconueniens est, scripturam priuatam à publica persona, qualis est Rex, Princeps, Parochus, emanare, quia quoad scribendum non est publica, sed priuata persona. Aliàs sumitur instrumentum priuatum pro instrumento non publico, nec authentico.

6 Instrumenti Priuati seu scripturæ priuatæ, variæ sunt species: hæ tamen principales communiter constituuntur, Apocha, Antapocha, Syngrapha, liber rationum & Epistola, Rebuff. *in tract. de chirographi & scedulæ recognitione, num. 13.*

Apocha Græcè, Latinis idem est quod receptio, estque scriptura, à creditore debitori dari solita, quâ creditor fatetur se recepisse pecuniam, sibi ab eo debitam, de qua *in l. Acceptilatum ff. de acceptil.* Differt autem ab Acceptilatione, quòd per acceptilationem omnimoda liberatio contingat, licèt pecunia soluta non sit: quia licèt soluta non sit, tamen creditor eam tanquam receptam & solutam habet. Apocha verò non aliter contingit liberatio,

liberatio, quàm si pecunia soluta sit.

Antapocha vice versâ dicitur privata scriptura, quam debitor creditori de solutis facit & tradit; vulgò *contresedule* vocatur. Estque necessaria in pensionibus & præstationibus annuis, ad impediendam præscriptionem exemptionis à solutione; solétque ita fieri: *Fateor me tantùm pensiones aut vsurarum nomine solvisse.*

Syngrapha dicitur scriptura sive scedula, quæ fit propriâ manu eorum, qui paciscuntur, in alicuius rei fidem.

Libellus rationum est ille, quem quilibet sibi sponte facit, de quo in *l. Rationes & in d.l. instrumenta C. de probat.*

Epistola est scriptura privata, quam aliquis alicui vel socius socio mittit.

§. II.

Differentia publicorum & privatorum instrumentorum.

1 *Instrumenta publica plenam fidem faciunt.*
2 *Donec contrarium probetur: & quando instrumentur.*
3 *Instrumentum non probat pro scribente.*
4 *Exceptio.*
5 *Contra scribentem probat, etiam plenè.*

1 IAm quòd ad fidem instrumentorum attinet, multùm sanè ea in parte interest inter publica & privata, quia publica instrumenta plenam fidem faciunt de eo, quod dispositivè continent, sive pro proferente, sive contra proferentem, non tantùm ipsa originalia sive authentica, vt nostri vocant, id est prima & principalia instrumenta & publica per se; absque alio adminiculo, *cap. 2. hoc tit.* Verùm etiam eorum exempla seu exemplaria, idest ex ipso originali desumpta, dummodò iussu iudicis desumpta seu exemplata fuerint, quo verbo vtitur Pont. *in cap. vlt. h. tit.* Aliàs sine originalibus nullam fidem faciunt, *cap. 1. hoc tit. iunct. leg. 2. ff. eod.* sed tantùm coniecturam & suspicionem inducunt, vix delationi iurisiurandi sufficientem. Quinimò etiam illud, quod ex abbreuiatura seu protocollo (de nominis ratione, vide Couar. *pract. q. 19. n. 2.*) tabellionis mortui auctoritate iudicis in publicam formam redactum est ab alio, similem fidem facit, *c. penultim. hoc tit.* Couar. *ibid. c. 11. n. 3.*

Dixi plenam fidem facere de eo quod dispositivè continent: quia quoad ea quæ in illis enuntiativè & incidenter taxantur, non probant, in præiudicium tertij, *leg. Ex hac 16. ff. de donationib.* nisi in antiquis, quorum scilicet origo & initium centesimum annum excedit, *c. cum causam sup. de probat.*

Denique quòd dictum est, publicum instrumentum plenam fidem facere, intelligendum 2
est, donec contrarium probetur, *leg. cum precibus 18. Cod. de probat. & ibi DD.* sive per testes contrarios, ad minimùm tres, vel duos omni exceptione maiores, *cap. cum Ioannes 10. hoc tit.* Covar. *lib. 2. var. resol. cap. 13. num. 11.* sive per aliud instrumentum alterius contrarium: modò etiam adversarius nihil obiiciat; veluti quòd non sit confectum à notario, qui eidem subscripsit; quòd rasuram seu cancellationem habeat circa substantiale instrumenti, vel etiam rasuram dictionis vel syllabæ aut litteræ, quæ immutet sensum instrumenti, vel aliud, quod circa instrumentum vel eius sensum dubitationem inducat, quia inde reddi potest aut falsum aut saltem suspectum, *cap. inter dilectos, §. Instrumentum hoc tit. cap. licèt inf. de crimine falsi.*

Instrumenta autem privata regulariter non 3
faciunt fidem pro scribente, *leg. instrumenta 5. cum l. seq. C. de probat.* etiam confectâ manu notarij, si desint solemnia, ad scripturam publicam requisita, aut conscripta manu Episcopi; quia nullo iure cavetur, quod eiusmodi privata testatio seu annotatio habeat vim publicæ scripturæ, *cap. cum à nobis in fin. sup. de testibus* etiamsi agatur de fauore piæ causæ, quia, vt dicitur *in l. Exemplo 7. C. de probationib.* exemplo pernicioſum est, vt ei scripturæ credatur, qua vnusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit: adeò vt ex scriptura merè privata, iuxta communem sententiam, ne quidem semiplena probatio inducatur.

Facit tamen instrumentum privatum fidem 4
pro scribente. Primò, si trium testium subscriptione fuerit munitum, *dict. cap. 2. hoc tit.* quia tum quasi publicè cõfectum creditur, *l. scripturas C. Qui potiores in pig. habeantur;* Covar. *pract. quæst. cap. 22. num. 3.* Secundò, si instrumentum eiusmodi longo tempore inter partes fuerit obseruatum, & in iudicio pro tali sæpiùs habitum atque exhibitum. Tertiò, si agatur de modica summa 4. si recipiat aliquod fomentum vel supplementum, vnde haberi debeat quasi authenticum, vt quia habet alia adminicula, veluti quòd scribens sit vir bonæ opinionis & famæ, & solitus semper scribere veritatem, quòd vir sit legalis, summa præditus integritate, & scriptura contineat verisimilia,

missa, 5. si sit iuramento confirmatum. 6. si inter partes conuenerit, vt instrumentum priuatum plenè probet; prout conuenire potest, cùm quod scriptura priuata non probet, introductum sit fauore partium, cui renuntiare possunt. Denique si ab aduersario scribentis approbatum sit, etiam plenam fidem facit, licèt non sit testium subscriptione munitum, *leg. publica 26. §. fin. in fin. depositi.*

5 At verò contra scribentem, si causam expressam habeat, ex qua debitum petitur, veluti ex mutuo, exempto, locato, &c. plenam fidem facit, etiam nullo teste adscripto: modò tamen is, qui scripsit, fateatur se scripsisse, quia quisque debet suæ confessioni contra se stare, *generaliter, C. de non num. pecun.* Sin autem causam expressam non habeat, tum licet is, qui scripsit, fateatur se scripsisse, tamen non probat aduersus scribentem, nisi semiplenè, *cap. Si cautio 14. hoc. tit. l. cum indebito ff. de probat.* quia censetur indiscretè scripsisse: & propterea aduersario incumbit probare causam, ex qua debeat is, qui scripsit, *dict. cap. Si cautio.*

§. III.

Quomodo & vbi instrumenta edi debeant.

1 *Edi debent in iudicio parte citatâ vsque ad conclusionem in causa.*
2 *Non verò post conclusionem.*
3 *Exceptio.*
4 *Interdum partis citatio necessaria non est.*
5 *Interdum etiam ante litem contestatam producti debent.*

1 AD hoc verò vt probent instrumenta, edi sive produci in iudicio debent, instar aliarum probationum: & quidem parte citata, ac post litem contestatam; aliàs non probant. Quamquam in eo differant à reliquis probationibus, quoad productionem, quòd produci possint non solùm in termino probatorio, seu intra terminum, intra quem examinari testes oportet, sed vsque ad conclusionem in causa, *cap. cum dilect. 9. & ibi DD. hoc tit.* quia in hac productione non subest metus subordinationis, qui subest in testibus: nisi fortè iudex præscripserit certum tempus, intra quod instrumenta omnia edi debeant.

2 Post conclusionem verò in causa produci amplius non possunt, quia is est terminus exclusivus omnium probationum, cùm facta conclusio de causa liquere dicatur, *iuxta Glos. sam, in cap. significauerunt v. liquere & ibi* Felin. *sup. de testibus.* Hic etiam produci nequeunt, quando expressè renuntiatum est omnibus probationibus.

Hoc tamen fallit, Primò, Si est iusta aliqua 3
causa iudex, postquam conclusum est in causa, admittere ea velit, quia quoad iudicem nunquam in causa concluditur; ideóque conclusionem rescindere & vlteriorem probationem partibus iniungere potest, *cap. cum Ioannes 10. & ibi Glos.* & Felin. *num. 2. hoc tit.* partemque interrogare non solùm ad declarationem retroactorum, verùm etiam ad fundandam de novo intentionem partis, in vim novæ probationis, *arg. dict. cap. cum Ioannes.* Secundò, Si producens instrumenta fidem faciat iuramento, ea demùm post conclusionem in causa venisse ad suam notitiam, facta prius diligenti inquisitione, *cap. Pastoralis infr. de exceptionib.* Ad hoc autem iuramentum præstandum opus est speciali mandato in procuratore, vt illud præstet nomine domini, & in animam eius. Tertiò, in causa matrimonij in qua sententia, maximè contra matrimonium lata nunquam transit in rem iudicatam, *cap. Iator 7. & ibi Glos. inf. de re iudic. 4.* Quando instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes declarandas, profertur: quia aliàs prohibitus probare, non vetatur probationem à se factam declarare. 5. In criminalibus, in quibus non concluditur in causa quoad reum, quin semper ad sententiam vsque possit eius innocentia detegi; idque fauore defensionis receptum est. 6. Si ex beneficio restitutionis in integrum subueniatur minori, vel Ecclesiæ, aut etiam maiori, ex clausula generali, *Si qua mihi iusta &c. 7.* instrumenta produci, quibus in priori instantia, obstabat conclusio, iuxta *l. Per hanc, vbi communiter DD. C. de temporibus appellat. 8.* dicta regula procedit in probationibus facti, non etiam in probationibus iuris, quibus per conclusionem non censetur præclusa via; sed leges semper allegari possunt, modò ad hoc non petatur noua dilatio, quæ esset deneganda. 9. in causa beneficiali, secundum aliquos 10. Fallit quoad recognitionem sigillorum, nam fieri potest tunc probatio post conclusionem in causa. Denique si facta sit conclusio cum clausula, *Salua reproductione scripturarum*, & aliis casibus.

Subinde etiam non requiritur citatio partis: 4
veluti quando instrumentum producitur ad solam instructionem iudicis, vel sit productio

in

in fine termini, aut intra terminum, datum ad producendum scripturas seu instrumenta, vel ad probandum per omne genus probationis.

5 Similiter interdum produci debent ante litem contestatam: vt si in libello facta sit mentio instrumentorum: nam tum illa vna cum actione, adversario petenti edenda sunt, *l.1.§.1. & fin.ff. de edendo.* Quamquam instrumentum cum libello productum non probet, nisi post litis contestationem in vim probationis repetatur seu producatur.

§. IV.

Qualiter & cui edi debeant.

1 *Edi debet ipsum originale instrumentum.*
2 *Aut exemplar, iussu iudicis inde desumptum.*
3 *Et quidem iudici totum, parti solum capitulum, de quo agitur.*
4 *Quæstio, an reus actori teneatur edere instrumenta. 5.*
6 *Quatenus tertio alicui edendum sit instrumentum.*

1 PRoduci etiam debent ipsa instrumenta originalia, quia exemplis seu exemplaribus eorum regulariter non creditur, *cap. 1. hoc tit.*
2 *lib.2.ff. eod.* * nisi auctoritate iudicis exemplata sint, concurrentibus iis, quæ suprà §.2. *num.* 1. ad exemplationem requiri diximus. Potest tamen producens, originali semel exhibito, eóque recepto relinquere in actis copiam authenticam, ne fortè ipsum originale aliquo casu perdatur vel subripiatur. Nisi instrumentum sit originale mandati procuratorij, nam hoc, si sit simplex, relinqui in actis debet, neque aliàs probat. Sin plura contineat capita & mandata ad plures causas, debet originale restitui producenti, & registrari in actis ea pars mandati, quæ ad causam facit.

3 Edi autem instrumentum oportet ipsi iudici, & quidem totum: parti verò eius tantùm capituli copia danda est, de quo mouetur quæstio, *cap. Contingit 5. hoc tit.* restituto originali instrumento.

4 Cæterùm an reus actori sua instrumenta edere teneatur, ad fundandam eius intentionem, quæri potest. Et dicendum, prout superiùs insinuaui *ad tit. de probationib. §.3. num.6.* non teneri edere ea, quæ sibi propria sunt, seu quæ suis sumptibus redemit, *arg. cap.1. in fine sup. de probat.* quia neque iuris neque æquitatis ratio permittit, vt quis invitus arma & tela, quibus confodiatur, & conficiatur, adversario suo tradere cogatur, *l. Qui accusare 4. Cod. de edendo, l. nimis graue 7. Cod. de testib.* Secus si sint communia, verbi gratia, communibus sumptibus confecta, vel testamenta inter hæredes ac legatarios: quorum nomine comparata sunt duo edicta. Primum, de tabulis exhibendis, adversus eum, qui negat, se testamentum habere, vel asserit se exhibere non posse: Alterum, Quemadmodum testamenta aperiantur, adversus eum, qui non diffitetur testamentum apud se esse; quo casu compelli potest, vt aperiat, *tot. tit. ff. & C. Quemadmodum testamenta aperiantur.*

Sed cur, inquies, minùs reus tenetur edere 5
instrumenta sua actori; ad fundandam eius intentionem, quàm actor sua reo ad fundandam eius exceptionem *iuxta l. non est nouum 5. Cod. de edendo;* præsertim cum reus in suis exceptionibus sit actor, *l. in exceptionib. 19. ff. de probat.* Respondeo, quia licèt reus in sua exceptione sit actor, tamen est actor necessarius, & vt ita dicam, inuitus, cùm non sit in eius potestate, & an quando conueniatur, *l. Pure §. vlt. ff. de doli mali except.* vti est in potestate actoris, an & quando velit conuenire reum, séque præmunire probationibus sufficientibus: ac proinde hac in parte fauorabilior est reus. Et hinc quoque fit, quòd cùm & actor in sua replicatione sit reus, *l.1. ff. de except.* ei ad fundandam replicationem vicissim reus teneatur sua exhibere instrumenta, *l. penult. §. fin. ff. ad leg. Falcid.*

Vt verò intelligatur plenius, quando instru- 6
mentum edi alicui tertio debeat, vel non, sciendum est, communem conclusionem esse, quòd editio iustrumentum ei non sit decernenda, qui non mandauit vel per se vel per alium illud confici, nec successit in locum mandantis, *per l. Si quis ex argentariis 6.§. vnde apparet, & l. Quædam §. fin. ff. de edendo.*

Fallit autem conclusio ista; Primò, si interest eius, qui petit sibi edi instrumentum: tunc enim potest vel per edictum de edendo, vel actione in factum subsidiaria edictionem illius petere, licet mandato eius non sit confectum, *d.l. Quædam §. fin. & l. 2. Cod. de edendo.* Ratio est, quia instrumentum est pars probationis: & ideò, sicut testis cogitur testimonium dicere pro tertio, ita & instrumentum edi tertio debet, quando edi ipsius tertij interest: modò tamen iudici de tali interesse constet summariè; neque enim creditur soli assertioni petentis editionem

instrumenti, ob rationem ante allatam, *ex l. Qui accusare Cod. de edendo.*

Secundò fallit, si à Magistratu petatur editio alicuius statuti, & ab vna parte in iudicio allegati, & ab altera negati: nam cùm tale statutum sit in publicum, & proprium loci, vbi illud servatur, & per consequens omnibus commune, nemini denegandum est, sed edi debet, vtique capitulum allegatum non verò totus statutorum liber.

Tertiò, in procuratore Fisci, quoad causas civiles exemptionum & contributionum: nam hic potest petere sibi edi instrumenta, non modò à tertiis, sed & ab ipsis reis conventis, ad probandam suam intentionem, sive contra alios, sive contra reos conventos, idque favore speciali Fisci & Reipublicæ, *l. 2. §. item divi fratres ff. de iure fisci.*

Quartò in vsurariis, qui tenentur codicem rationum edere, *Clement. 1. §. cæterùm de vsuris.* Idem dicendum de publicanis, cauponibus, stabulariis, & similibus, fraudem in contractibus committere solitis. Videatur de his plenius Gaill *1. obser. 106.*

§. V.

De interpretatione & improbatione Instrumentorum.

1 *Instrumentum est stricti iuris.*
2 *Prodest & obest tantùm in eo nominatis.*
3 *Improbantur instrumenta per testes contrarios.*
4 *Sibi item contraria, & aliis modis.*

1 INstrumenti, cùm sit stricti iuris, interpretatio sumi debet ex verbis: ita vt, quòd non dicit instrumentum, nec nos dicere debeamus, neque extendi possit extra ea, de quibus fuit rogatus Notarius, & quibus ipse interfuit.

2 Et quemadmodum instrumenta iis tantùm prosunt, qui nominantur, non aliis: ita etiam non aliis obsunt, quàm qui in iis sunt nominati, neque contra alios probant, nec in præiudicium tertij iniquâ interpretatione extendi debent. Licèt ad successores vel iuris vel rei, etiam singulares extendantur, & contra hos & pro his peræque fidem faciant atque contra auctorem, cuius iure vtuntur, provt hæc latiùs deducit VVesemb. *ad ff. hoc tit.*

3 Porrò excipi quoque adversus instrumentum potest, idque ex variis causis, quæ hic etiam breviter attingendæ sunt; eique improbatio opponi quandoque testes contrarios, qui deponant rem non ita contigisse, vt tabellio sive Notarius confitetur, dixi suprà §. 2. *n. 2. h. t. per text. in c. Cùm Ioannes 10. h. t.* Quo casu vel producuntur testes contra instrumentum, in eo non descripti, mortuis nimirum testibus, instrumento inscriptis, & tunc requiri ad minimum tres testes contrarios, vt directè publici quidem instrumenti fidem destruant, opinio est Gloss. *in l. Optimam 11. C. de contrah. & commit. stipul.* Quamvis communius receptum sit, ad enervandam fidem cùm publici, etiam omni ex parte perfecti, tum etiam privati, trium testium subscriptione firmati, sufficere indistinctè duos testes, idoneos sive fide dignos & omni exceptione maiores, *per d. l. Optimam & c. Tertio loco 5. sup. de probat.* sive ea probatio fiat directè, sive indirectè: quòd omnes fatentur, inquit Covar. *Pract. quæst. c. 20. num. 6.* post Innoc. *in d. c. Cum Ioannes, & ibid.* Felin. *n. 3.* Abb. *num. 13. vers. 7.* Rationem assignant hanc, quòd instrumenti fides à Notario pendeat, eámque vnicum esse, qui duobus testibus præferri non debeat, quamvis auctoritas eius sit publica. Vel testes instrumento inscripti, adhuc superstites contradicunt instrumento: quo casu licet variæ quoque sint opiniones, teste Abbate *dict. loco n. 14.* placuit tamen communiùs, tolli omninò fidem per duos testes, eidem instrumento inscriptos, *per text. in cap. Tam literis h. t.* Felin. *in d. cap. Cum Ioannes n. 46.* Con. *d. loco, vers. Secunda concl.*

4 Secundò improbari possunt instrumenta, si ab eodem contraria fuerint producta: tunc enim vtrumque reiicitur. Et imputare sibi debet, qui contrarias inter se scripturas protulerit, fidem sibi invicem derogantes, *cap. Imputare 13. h. t.* Verùm si à diversis diversa & contraria instrumenta producantur tum Iudicis erit æstimare vtri standum putet, pro rerum, testium & Notarij qualitate. Sin discernere non possit, vtrumque æquè probabile videatur, neutri credi debet, *dict. cap. Imputare & Interp. ad dict. leg. Optimam Cod. de contrah. & commit. stipul.*

Tertiò, improbatur instrumentum cancellatum, vel si rasuram habeat dictionis vel syllabæ, quæ sententiam & substantiam rei alterare possit, & instrumentum reddat aut falsum aut saltem suspectum, *cap. Inter dilectus 6. vers. Instrumentum quoque h. t.* Nisi rasura sit in loco non suspecto, aut talis, quæ instrumentum arguere non possit falsitatis, *c. 3. h. t. Cùm olim inf. de privil.* Denique improbatur, si probetur confectum ab alio Notario, quàm qui subscri

subscripsit, *d.c. Inter dilectos vers. Instrumentum.* Vide plura de hac re apud Ferrarien. *in Forma opponendi contra instrum.*

TITVLVS XXIII.

De Præsumptionibus.

§ I.

Quid sit Præsumptio.

1 *Præsumptio quid sit.*
2 *Semper circa rem dubiam versatur,*
3 *Fictio quid sit, & in quo differat à Præsumptione.* 4.5.

1 LOco probationum sunt etiam Præsumptiones, quæ quandoque plenè, quandoque semiplenè probant, interdum alias præsumptiones adiuvant.

Præsumptio autem nihil est aliud, quàm coniectura probabilis, ex certo aliquo signo proveniens, ad adstruendam rei dubiæ fidem, seu quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Vel est anticipata de re dubia opinio ex argumentis indiciis, & coniecturis, per rerum circumstantias plerumque evenientibus, sumpta, Menoch. *de Præsumpt. lib.* 1. *q.* 7. *n* 4.

2 Dicitur, rei dubiæ; quia præsumptio semper versatur circa rem dubiam, quæ scilicet potest esse vel non esse. Et ideo sæpè convenit cum
3 ipsa veritate: in eoque differt à fictione,* quæ est falsitatis indubiæ pro veritate ex iusta aliqua causa assumptio; fitque semper super aliquo certo contra veritatem.

4 Præterea fictio non inducitur ab homine, sed à lege dumtaxat, & est quædam legis dispositio; ideóque non admittit directè probationem in contrarium. At indirectè admittitur probatio adversus fictionem, nempe demonstrando, cessare æquitatem, super qua illa fictio fundatur. At verò præsumptio de sui natura semper admittit probationem in contrarium: vt de præsumptione hominis & iuris clarum est; & de præsumptione iuris & de iure patet ex eo, quòd, licèt regulariter excludat omnem probationem in contrarium, tamen admittat confessionem partis in contrarium, atque etiam indirectam.

5 Insuper præsumptio vna alteri adversari potest: atque inde potentior tollit minùs potentem. Potest etiam concurrere cum alia vel aliis: versatur circa ea, quæ sunt facti: extenditur de persona ad personam, & allegari debet, Atqui fictio vna alteri contraria non potest, *leg.* 3. §. *è contrario ff. de acquir. possess.* nec cum alia vel aliis concurrere, quia duo specialia, cuiusmodi sunt duæ fictiones, simul esse non possunt: versatur circa ea, quæ sunt facti & iuris simul: nec extenditur de persona ad personam: neque est necesse eam allegare cùm sit dispositio quædam iuris.

§. II.

De Divisione Præsumptionum.

1 *Præsumptio alia est Hominis, alia Iuris.*
2 *Præsumptio Hominis alia est Levis, alia Probabilis.*
3 *Præsumptio Iuris alia est Iuris tantùm, alia Iuris & de Iure.*

PRæsumptionum alia est Hominis, alia Iu- II
ris vel Legis. Præsumptio Hominis est quidam conceptus in mente hominis, causatus ab aliqua coniectura. Et dicitur hominis, quia nullo iure comprehensa aut confirmata reperitur.

Dividi ea potest in Levem seu Temerariam & Probabilem seu discretam. Temeraria est 1
conceptus in mente hominis, causatus ex aliqua coniectura non probabili. Et hæc nihil probat, *cap. Inquisitioni* 44. *inf. de sent. excommunicat. can. Oues pastorem,* in verbis: *Omnis suspicio est potiùs repellenda, quàm approbanda vel recipienda* 6. *q.* 1. & ideo Pont. ait, nullum suspicionis arbitrio iudicandum, *cap.* 1. *semper* 2. *quæst.* 1. Probabilis præsumptio est conceptus, causatus in mente hominis ab aliqua coniectura probabili. Estque nunc maior, nunc minor. Vnde eandem quidam dividunt in Vehementem seu Violentam, quæ facit plenam probationem, & in non Vehementem seu Minorem, quæ probat semiplenè, *d. cap. Inquisitioni vers. fin.* Et si famâ publicâ vel aliis adminiculis adiuta fuerit, etiam plenam fidem facit, *cap. tertio loco* 31. *h. t.* Sed non sunt hæ diversæ species, *arg. l. vlt. ff. de instructo vel instrum. legato.* Cúmque variæ atque multiplices sint huiusmodi præsumptiones, & ex variis causis oriri possint, non potest de his certa tradi doctrina, verùm relinquitur ex arbitrio Iudicis.

3 Præsumptio Iuris dicitur, quæ in ipso iure est scripta, vel à lege approbata. Et hæc dividitur in præsumptionem Iuris tantùm & præsumptionem Iuris & de iure.

4 Præsumptio Iuris tantùm est, quando Ius in dubio aliquid præsumit, nihil desuper constituendo, quod pro iure habeatur; & ideò admittit probationem in contrarium. Talis est præsumptio solutionis, quæ oritur ex cancellato chirographo, *leg. Si chirographum 42. de probat.* Item ea, quâ præsumitur, patrem ante filium puberem decessisse, cùm ascendens priùs intelligatur mortuus, quàm descendens, aut filium impuberem priùs decessisse, vbi vterque vno casu, verbi gratia, naufragio, extinctus est, cùm ætas impuberis videatur magis obnoxia repentino casui, *leg. Qui duos 9. §. cum bello & §. fin. ff. de rebus dubiis*: Talis quoque est, quâ præsumitur is, qui in adolescentia probis fuit moribus etiam in senectute probus, & contrà, *cap. Ex studiis 3. c. Mandata 6. c. Cum in iuventute 15. h. t.* quâque præsumitur nocens, qui protelando & differendo subterfugit iudicium, *c. Nullus 4. h. t.* Item qui ex duobus sibi propositis vnum negat, alterum tacendo concedere præsumitur, *c. Nonne 5. h. t.* Similiter si Pont. per rescriptum mandaverit provideri alicui beneficio Ecclesiastico, adiectâ hac conditione, si fuerit idoneus, non est necesse, vt is, pro quo rescripsit, probet se idoneum esse, quia præsumitur esse talis iuris præsumptione: sed si quis contrà contendat, eum non esse idoneum, id probare debet, *cap. vlt. hoc tit.* & sic de similibus aliis.

Præsumptio Iuris & de Iure est, cùm Lex, aut Canon ita aliquid præsumit, vt super tali præsumptione ius firmum statuat, & eam pro veritate habeat. Dicitur, præsumptio Iuris, quia à iure introducta; & de iure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum ius, & eam pro veritate habet: ita vt non admittat probationem in contrarium, vti admittit præsumptio iuris tantùm. Talis est præsumptio matrimonij, quæ oritur ex concubitu sponsi cum sponsa, *c. Qui fidem inf. de sponsalibus.* Vbi tamen advertendum, tale matrimonium præsumptum inter sponsum, & sponsam, propter carnalem copulam subsecutam, esse abrogatum per Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1.* vt postea dicemus. Talis item est præsumptio, quâ qui semel convictus est peieraſſe, præsumitur semper in posterum peieraturus, secundum Reg. Qui semel malus semper præsumitur malus, *cap. 8. de R. I. in 6.* Tales quoque sunt, quæ extant *in l. antiqua Cod. ad Senatusc. Velleianum, in l. fin. Cod. Ad Macedonianum, in l. fin. circa princ. Cod. Arbitrium tutelæ.*

§. III.

Ex quibus oriantur Præsumptiones.

1 *Oritur præsumptio vel ex naturali causa.*
2 *Vel ex principiis humanis aliisve circumstantiis.*
3 *Præsumptio iuris & de iure ex actis præteriti temporis.*

ORiuntur autem præsumptiones ex variis 1
causis; nempe vel ex naturali causa, & naturalibus principiis: vt præsumptio, quâ præsumitur, non esse virginem, quæ peperit, & corruptam fuisse ac concepisse mulierem, quæ lac habet in mammis, eo quòd natura, non ars efficiat, vt mulier lac habeat in mammis propter generationem. Non est tamen certum hoc iudicium corruptionis & conceptionis, quia potest fieri, vt lac habeat, nec tamen corrupta sit: vt si illi menstrua non fluant. Sic præsumitur esse ignis, vnde fumus exire conspicitur; & sic de similibus. Et huiusmodi præsumptio merito dicitur necessaria, seu violenta, imò violentissima, nec admittere contrariam probationem. * Vel oritur præ- 2
sumptio ex principiis, seu indiciis & coniecturis vel exemplis humanis, & lege humanâ approbatis. Vel denique ex aliis negotiis ac personarum circumstantiis, ex quibus, tanquam signis & argumentis, inducitur lex, aut Canon vel homo ad aliquid de re proposita credendum, pro ratione argumenti, ex quo credulitas inducitur.

Præsumptio tamen iuris & de iure semper 3
desumitur ex actis præteriti temporis, non autem futuri. Everard. *in loco à tempore ad tempus.*

§. IV.

De effectu Præsumptionis.

1 *Præsumptio temeraria non probat.*
2 *Probabilis, adiuta adminiculo, etiam plenè.*
3 *Vt & violenta & vehemens, regulariter.*
4 *Præsumptio iuris est liquidissima.*
5 *Nisi per contrariam probationem elidatur.*
6 *Præsumptio iuris & de iure probationem in contrarium non admittit.*

7 Nisi

7 *Niſi certis caſibus.* 8. 9. 10.
11 *Et reiicit onus probandi in adverſarium.*

1 AMpliùs verò videamus de effectu præſumptionum. Et quidem præſumptio levis ſive temeraria, vt ante dixi, nullam omninò fidem facit, & reiicitur à iure. Probabilis ſemiplenè probat *cap. Inquiſitionis verſic. fin. inf. de ſent. excommunicat.* Eámque ſolam ad torturam ſufficere vult. Bartol. *in leg. 1. in*
2 *princip. ff. de quæſtionib.* * Famâ verò publica, vel aliis adminiculis adiuta, plenam quoque probationem facit, *cap. tertio loco 13. hoc*
3 *titul.* * Sin autem violenta, vehemens, aut vehementiſſima fuerit, plenam fidem facit, non ſecus, ac teſtes & inſtrumenta; & ad condemnationem ſola ſufficit, tam in civilibus, quàm in criminalibus, *c. Adferte 2. hoc tit.* Exceptis tamen gravioribus criminibus, quale eſt crimen hæreſis, & ſimilia, in quibus tales præſumptiones non ſufficiunt, *c. Literas 14. h. t.* quia in illis requiruntur probationes luce clariores, *l. fin. Cod. de probat.*

4 Præſumptio verò iuris dicitur liquidiſſima probatio, *l. Licet Imperator 74. ff. de legat. 1. cap. Cum dilecti, & ibi Abbas & alij inf. de donat.* & pro veritate habetur: eíque ſtatur, donec contrarium probetur, *l. fin. in princ. ff. Quod metus cauſa, &c. & ibi Gloſſ. & DD. c. 1. hoc tit.*

5 Dixi, donec contrarium probetur; quia cùm præſumptio habeat locum dumtaxat in caſu dubio, probationem admittit in contrarium, *l. Cum de indebito 25. in fine, ff. de probat. l. fin. ff. Quod metus cauſa, &c.* Et quando conſtat de veritate, ceſſat præſumptio, *d. l. fin.* nam veritas ſemper prævalet, eíque omnia cedunt, *l. penult. §. mulier, ff. de probat.* ac fides, quæ à probatione provenit, magis certa eſt, quàm quæ à præſumptione hominis vel iuris. A fortiori autem tollitur contraria probatione præſumptio hominis, quæ eſt debilior præſumptione iuris.

6 Aliud dicendum eſt de præſumptione iuris & de iure, quæ regulariter non admittit probationem in contrarium, *cap. Is qui fidem 30. inf. de ſponſalib.*

7 Dico, regulariter, quia certis caſibus admittit. Vt imprimis per confeſſionem eius, pro quo ſtat præſumptio, ſive ea confeſſio ſit iudicialis, ſive extraiudicialis, vt verius eſt, modo hæc teſtibus rectè probetur, vel iam ſit probata, vt quia de ea per ſcripturam conſtat: & modò confeſſio ſit de his, quæ pendent à voluntate confitentis: verbi gratia, Præſumſumptio iuris & de iure eſt adverſus eum, qui faſſus eſt, ſe recepiſſe pecuniam, & intra biennium non obiicit exceptionem non numeratæ pecuniæ, *leg. In contractibus Cod. de non num. pecunia*; & tamen contra admittitur probatio ex confeſſione creditoris. Similiter præſumptio iuris & de iure eſt pro ſententia, quæ tranſivit in rem iudicatam: & tamen admittitur adverſus eam probatio, ex confeſſione eius, qui pro ſe ſententiam obtinuit. Licèt enim præſumptio iuris & de iure habeatur à lege pro veritate: tamen verè propriè non eſt ipſa veritas, cùm verſetur circa dubium, & in claris non ſit locus coniecturis vel præſumptioni; ideóque poteſt in contrarium detegi veritas per confeſſionem eius, pro quo ſtat præſumptio: cùm nulla melior nulláque efficacior ſit probatio, quàm proprij oris confeſſio, niſi ſtatuto, vltra ius commune, caveretur, ne contra præſumptionem iuris & de iure admittatur probatio.

Dixi, modò confeſſio ſit de his quæ pendent à voluntate confitentis; quia in non dependentibus à confitentis poteſtate confeſſio non diluit præſumptionem iuris & de iure, v.g. Præſumptio iuris & de iure eſt, quòd qui contraxit ſponſalia, & cognovit ſponſam carnaliter, contraxit matrimonium, & tamen adverſus hanc præſumptionem non admittitur probatio per confeſſionem vtriuſque contrahentium, ſi dicant, ſe non contraxiſſe: quia ab eorum voluntate & poteſtate non pendet matrimonij contractus & diſtractus. Licet autem in dependentibus à poteſtate confitentis contra præſumptionem iuris & de iure admittatur probatio per confeſſionem eius, pro quo ſtat præſumptio: tamen cogi ad eam non poteſt; niſi fortè magna ſuadente æquitate eam exigat.

Secundò, admittit probationem in contra- 8
rium non ſolùm per quinque teſtes, ſed etiam per duos vel tres multum legales.

Tertiò, & quidem indiſtinctè per indirectum: 9
quia cùm lex ad hanc præſumptionem requirat certas qualitates & circumſtantias, ſemper admittitur probatio, quòd non ſimus in tali caſu, vel quòd non concurrat aliqua ex requiſitis qualitatibus, etiam per duos teſtes, v.g. Præſumptio iuris & de iure eſt, quòd mulier, ſi contracto matrimonio per metũ, diu cum viro moram traxerit, in virum conſenſerit, & metum purgaverit, *c. Ad id 21. inf. de ſponſal.* & tamen adverſus eam admittitur probatio indirecta, nempe quòd illa cohabitatio fuerit quoque violenta: nam violenta cohabitatione probata, tollitur præſumptio purgati metus.

[10] Quartò, per notorium: quia probatio, quæ fit per facti euidentiam, nunquam censetur excluſa, licèt cæteræ omnes ſint excluſæ; modò notorium ſit permanens, & allegetur. Nam cùm allegatur notorium facti tranſeuntis, illud per teſtes probari debet: licèt notorium non indigeat probatione, indiget tamen allegatione.

[11] Alius effectus præſumptionis iuris, quam lex pro veritate habet, donec contrarium non probatur, eſt, quòd probandi onus reiciat in adverſarium *cap. Ex inſinuatione 3. ſup. de procurat. c. vnico inf. Eccleſiaſtica benef. ſine diminut. confer.* & grauet eundem durioribus probationibus. Nam qui habet præſumptionem iuris contra ſe, debet iſtam fortioribus & apertiſſimis probationibus diluere, *l. vlt. & ibi Gloſſ. ff. quod metus cauſa, &c.* Abbas *in cap. Quia veriſimile in 2. Notab. hoc tit.* Et ita potentior eſt hæc præſumptio, quam ſemiplena probatio, quæ non reiicit onus probandi in adverſarium. Cùmque à iure pro veritate habeatur, donec contrarium probetur, neceſſarium non eſt deferre iuramentum ſuppletivum probationis: quamquam qui eam pro ſe habet, poſſit illud deferre ad maiorem cautelam & firmitatem.

Dixi, quam lex pro veritate habet; quia ſi talis ſit iuris præſumptio quam lex non habeat pro veritate, ſed levem tantùm iudicet, habéatque ſolùm pro auxilio probationis, non transfert onus probandi in adverſarium. Sicut nec præſumptio, quæ oritur ex ſententia, pendente appellatione: nec præſumptio hominis, niſi ſit violenta, Menoch. *lib. 1. de præſumpt. quæſt. 82.*

§. V.

De ſi Præſumptionum in concurſu.

1 *Præſumptio potentior tollit debiliorem.*
2 *Quænam cenſeatur potentior.*

[1] CÆterùm quando plures concurrunt præſumptiones, tunc potentior perimit debiliorem, *l. Diuus ff. de in integrum reſtitut. & ibi Gloſſ. in v. exiſtimari*: ſicut & coniectura potentior debiliorem, ſi modò diſtet coniectura à præſumptione; & veriſimilitudo potentior tollit minùs potentem. Idque obtinet, licèt præſumptio hominis concurrat cum præſumptione legis, modò appareat validior & firmior, *arg. leg. Lucius 93. §. quæſitum 3. ff. de legat. 3* vbi maſculinum ex legis diſpoſitione concipit fœmininum: & tamen ab ea diſpoſitione receditur, quando conſtat de contraria voluntate teſtatoris. A fortiori præſumptio tollit ſuſpicionem, quæ videtur eſſe quid minus præſumptione. Sic etiam vna præſumptio cedit pluribus, niſi ſit talis, quæ pluribus ſit potentior & efficacior: & ſpecialis vincit generalem. Et ſicut vna præſumptio tollit aliam, ita etiam vna aliam elidit, ſicut vna probatio aliam.

Dum autem agitur de duabus præſumptionibus, iuris vel hominis; iudicis arbitrio relinquendum eſt, quæ potentior. Interim ab interpretibus ſolet cenſeri potentior & firmior, quæ facit ſubſiſtere & valere actum. Item quæ benignior: quæ magis veroſimilis: quæ pro reo eſt: quâ abſurdum & iniquum euitatur. Similiter præſumptio proveniens à ſubſtãtia, potẽtior eſt eâ quæ provenit à ſolemnitate: quæ iuri cõmuni inhæret, potentior eâ re, quæ iure ſpeciali nititur: ſpecialis item firmior eſt generali; & inter duas ſpeciales illa, quæ ſpecialior: naturalis ité accidẽtali: & quæ deſcendit à quaſi poſſeſſione potẽtior eſt eá quâ quæque res præſumitur libera: item fundata in ratione naturali potentior eſt fundata in ratione civili: & denique quæ favet animæ, potentior eſt ea, quæ dicimus delictum non præſumi.

§. VI.

An Præſumptio allegari debeat, vt proſit ei, pro quo ſtat?

1 *Præſumptio iuris & de iure allegari non debet.*
2 *Præſumptio iuris alleganda, quando oritur ex facto proprio.*
3 *Iudex quatenus ſupplere eam poſſit.*
4 *Non verò alleganda, quando ex facto adverſarij oritur?*
5 *Præſumptio hominis ſemper alleganda.*
6 *Quo tempore præſumptio in iudicio allegari debeat.*

HAnc quæſtionem latè tractat Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q. 48.* vbi in primis tradit, non eſſe neceſſe, allegari præſumptionem iuris & de iure, quia illam lex habeat pro veritate, quam iudex velit nolit ſequi debet: * præſumptionem verò iuris, allegari tunc debere, quando oritur ex facto proprio, vel circa factum proprium verſatur. Idque variis demonſtrat exemplis. Vt v.g. licèt is, qui olim fuit dominus alicuius

alicuius rei, etiam hodie præsumatur dominus, & sic de aliis : tamen huiusmodi præsumptio, etiam notoria, allegari debet, cùm ex parte agentis tum ex parte excipientis, sive in criminalibus sive in civilibus (nisi fortè colligi possit ex actis probatoriis, aut versemur in causis summariis, quibus casibus necesse non est eam allegare :) quia alioquin posset iudex existimare, non allegantem ea nolle vti. Et licèt iudex possit talem præsumptionem, si non allegetur, supplere & sequi, tamen supplere non tenetur, imò non, quando pars nullum factum in iudicium deduxit, ex quo colligi possit, sed tunc solùm, quando factum aliquod tale in iudicium deducit, ex quo resultet huiusmodi præsumptio ; quia ea, quæ sunt iuris, cuiusmodi est præsumptio iuris, iudex supplere tenetur, *l. vnica. Cod. vt quæ desunt Aduocatis partium, &c.* Hinc cùm ex possessione de præterito præsumatur possessionem præteritam : & cùm ex diutina præstatione resultet præsumptio causæ subsistentis, sufficit allegare ipsam diutinam præstationem, & illam probare, quia iudex supplere debet præsumptionem
3 inde resultantem.

Secundò tradit, non videri necessariam allegationem, quando oritur ex facto aduersarij, vel circa eius factum versatur quia nihil imputari possit ei, pro quo est talis præsumptio, si eam non allegat, cùm pendeat ex facto alterius, cuius mentem & animum non novit. Quòd si præsumptio iuris resultet ex facto vtriusque, non esse allegandam, censet Abbas & Felin. *in cap. afferte 2. hoc tit.* vbi præsumptio oriens ex facto vtriusque non fuit allegata: qua de re videndus est Covar. *in cap. Rainutius §. 11. n. 1. versic. sed quoties, de testamentis.*

4 Tertiò docet, quòd, quando hæc præsumptio ex nullius oritur facto, vti est illa, quâ homo præsumitur viuere vsque ad centum annos, non satis constet inter DD. an allegari debeat, nec ne.

5 Quartò docet, præsumptionem hominis solius omninò allegandam esse, cùm hæc sit prorsus ignota iudici.

6 Denique si quæratur, quo tempore præsumptio in iudicio allegâda sit. Respondet Menoch. *lib. 1. quæst. 50. cum aliis quos citat.* quovis tempore allegari posse, sive quando offertur libellus, modò tamen repetatur in termino probatorio aliàs enim non probaret ; sive quando dantur positiones, sive tempore aliarum allegationum & probationum; sive post conclusionem in causa.

TITVLVS XXIV.

De Iureiurando.

§. I.

Quid sit iuramentum.

1 *Iuramentum vnde dicatur, & quid sit.*
2 *Præstari debet per verum Deum.*
4 *Etiam cum per creaturas fit.*

PER iusiurandum, delatum ac relatum sive à parte parti, sive à iudice nonnunquam etiam rei dubiæ fides inducitur nempe aliis legitimis probationibus deficientibus, *c. fin. h. t.* Estque maximum litium expediendarum remedium, *l. 1. ff. eod.* & omnis controuersiæ finis, *cap. Etsi Christus 26. versic. homines hoc tit.*

Dicitur autem iuramentum à iure, quia quod 1
iuratur, instar iuris habendum est, & veluti ius sanctè seruandum, *arg. l. 5. §. dato ff. eod.* Et nihil est aliud, quàm attestatio seu inuocatio divini numinis in testimonium, ad fidem faciendam promissionem firmandam. Nam qui aliquid affirmat vel negat esse verum cum iuramento, vel se aliquid facturum cum iuramento promittit, Deum in testem illius veritatis aut promissionis appellat. Et ideò ; qui falsum iurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum : sicut qui dicit. Deus sit mihi socius, adiutor, fautor huius furti, homicidij, affectus & quantum in se est, facit ipsum auctorem & fautorem furti, homicidij.

Dicitur, inuocatio divini numinis ; quia cùm 2
iuramentum fiat ad confirmandam veritatem infallibili testimonio, quantum ab homine fieri potest, præstari nisi per verùm Deum, nequit, quia is mentem & intentionem hominum, à qua veritas maximè dependet, certò cognoscit, & proinde solus in infallibilem testem inuocari potest. Et hinc sequitur, iuramentum per falsum Deum non esse verum iuramentum, nec obligare nisi ex conscientiâ erronea, quæ habet vim obligandi sub ea ratione, sub qua concipitur, nempe sub ea ratione, qua putatur esse verum iuramentum, & factum per verũ Deum Vnde, cognita falsitate, & luce fidei aduenientę, depulsáque

depulsáque conscientia erronea, non ampliùs obligat, quia est destructum eius fundamentum.

Non obstat, quod D. Augustinus ait *in can. Ecce dico 22. quæst. 5.* periurum esse, qui super falsum lapidem iuret, quia intelligi potest esse periurum, vel ex opinione Ethnici, cui tale iuramentum præstatur, & cui fides in contractibus servanda est; vel quia externa specie periurus videtur.

4 Aliud autem dicendum est de iuramento per creaturas, prout Ioseph *Genes. 42.* videtur iurasse per salutem Pharaonis: & Moyses, *Deuter. 3. & 4. Testes inuoco cœlum & terram*; Paulus *1. ad Cor. 15. per gloriam vestram*: quia illud est verum iuramentum: nam dum per creaturas iuramus, non volumus ipsas nobis esse testes, sed Deum? qui in ipsis singulari modo præsidet & relucet, ita vt capiatur continens pro contento, & signans pro signato. Atque hoc modo omne iuramentum est inuocatio divini numinis, expressè vel tacitè, verè vel ex opinione.

§. II.

An iuramentum per Deum vel creaturas sit licitum?

1 *Videtur non esse licitum.*
2 *Probatur esse licitum, non solùm per Deum.*
3 *Sed & per creaturas.*
4 *Respondetur ad obiecta.*

3 SEd quæsitum fuit, an iuramentum per Deum vel creaturas sit licitum? Non esse licitum, olim docuerunt multi hæretici. Et colligi videtur ex his Matt. 5. *Dico autem vobis, nolite iurare omninò neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram*, &c. & subiungitur, *sit sermo vester, Est est, Non non* Secundò, ex *can. clericum 22 quæst. 1.* vbi traditur, clericum, per creaturas iurantem, acerrimè obiurgandum, &, si perstiterit in vitio, esse excommunicandum.

2 Dicendum nihilominus, interdum licitum esse iuramentum, non solùm per Deum, vti constat ex veteri testamento, *Deuteron. 6. v. 13.* dum dicitur *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis*; & *Psal. 14.* vbi laudari videtur hoc iuramentum: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Item ex secundo præcepto Decalogi, quo prohibetur, ne assumamus nomen Domini Dei in vanum & frustrà: nam inde sequitur, specialiter non prohiberi, nec per se malum esse, si non frustrà nec indebito modo proferatur. Confirmatúrque ex consuetudine Ecclesiæ, cuius auctoritate sæpè exigitur huiusmodi iuramentum, vel in iudiciis, vt patet *ex toto hoc tit. & sup. tit. De testib.* vel ad abiurandum hæresim, vt patet *ex tit. de hæret.* vel ad expurgationem alicuius criminis, vt patet *ex tit. de purgat. canonica*; vel ad pacem confirmandam, obedientiam promittendam, vel aliàs similes causas: sed etiam per creaturas, modo iam antè dicto.

Licitum autem esse hoc iuramentum omni 3
iure patet: & quidem in primis, de iure naturali & divino veteri, constat ex iuramento Iosephi & Moysis: de iure novo divino, ex iuramento Pauli: de iure civili, *ex l. 3. §. iurari, l. Qui per salutem d. hoc tit.* de iure canonico, *ex can. Si aliqua, can. Habemus 22. quæst. 1.* vbi supponitur, esse licitum iuramentum per Evangelia, per Reliquias, vel Altare, *can. Qui peierat. 22. quæst. 5.* vbi pariter supponitur, licitum esse iuramentum per Crucem consecratam vel non consecratam; & sic de similibus.

Non obstat, quòd ex Matth. 5. in contrarium 4
adducitur, quia ibi prohibetur iuramentum per creaturas, non quia per se sit malum, sed ob nimiam frequentiam, & ne leui de causa iuretur, vti iudæi iurabant. Vnde *& in dict. cap. Et si Christus hoc tit.* dicitur, quòd si fiat per creaturas, esse servandum, quia ibi agitur de iurameno per creaturas, vt ad verum Deum, vti patet ex ratione, quam ibi subdit Pontifex.

Potest tamen hoc iuramentum ratione scandali esse malum: nam cùm iurare per creaturam, secundum se & absolutè spectatam, sit idololatria, facilè contingere potest, vt si fiat absolutè inter eos, qui non facilè discernere valent, quo sensu fiat, ij scandalizentur.

Non etiam obstat, quòd postquam ibidem 5
Christus dixit, *Sit sermo vester, est est, non Non*, subiiciat, *Quid autem hu abondantius est à malo est*; quia non dicit, iuramentum esse malum, quando necessitas exigit, sed à malo esse, quia scilicet necessitas eius à malo prouenit, nempe, vel ab incredulitate audientium alterum aliquid simpliciter asserentem, vel negantem, vel promittentem, cui fidem adhibere nolunt, nisi assertionem aut negationem vel promissionem iuramento confirmet; vel à defectu veritatis humanæ in natura corrupta; vt sic intelligatur non de malo culpæ, sed de malo pœnæ seu imperfectionis

imperfectionis humanæ : quia inde evenit, quòd iuramentum aliquando reputetur atque etiam sit necessarium, vt constat ex Paulo *ad Hebr. 6.* Necessitas iuramenti est, vt sit omnis controversiæ finis & confirmatio.

6 Denique non obstat *d. can. Olericum*, quia loquitur de iurante per creaturas more Ethnico, tanquam per Deos quosdam, vt Iovem & similes.

§. III.

De requisitis ad iuramenti validitatem.

1 *Requiritur ad essentiam iuramenti, primò intentio iurantis.*
2 *Dicens* Per fidem meam, *vel simile quid non iurat.*
3 *Secundò requiritur locutio, saltem interior.*
4 *Comites iuramenti liciti sunt Veritas, Iustitia & Iudicium.* 5.6.

1 SVppositò iuramentum licitum esse, videndum nunc est, quænam ad eius validitatem requirantur. In primis requiritur intentio iurandi, seu Deum in testem vocandi. Hinc enim dormiens vel amens non dicitur iurare, licèt verba ad iuramentum apta & sufficientia proferat : quia iuramentum significat actum humanum, qui non potest esse absque intentione & voluntate, nam & ideò votum sine intentione vovendi, non est verum votum, sed
2 fictum. * Hinc etiam, qui dicit, *Per fidem meam*, *Per fidem* seu *fide boni viri*, *Per conscientiam meam*, secundum ordinariam huiusmodi formularum vsurpationem, non censetur iurare, quia non intendit iurare, sed solùm significat se loqui ex virtute fidei suæ vel veritatis, vel ex conscientia sua; vt si fallat, non habeatur verax aut fidelis, Lessius *2. de Iust. & iure c. 24. n. 4.*

Secundò, requiritur locutio, saltem interior, quâ Deus vocetur in testem.

3 Dico saltem interior? quia verius videtur, ne quidem in iis, qui loqui possunt, requiri verba ad essentiam iuramenti, sed tantùm ad certiorem probationem iuramenti, vel ad manifestandam mentis significationem, Covarr. *ad cap. Quamvis pactum, de pactis in 6. p. 1. in princ. num. 4.* Probatur, quia iuramentum soli Deo præstatur, qui solus & etiam mentis inspector est, *can. Si quid inueniſti 14. quæſt. 5. can. Erubescant distinct. 32.* Videatur latiùs Covarr. *d. loco.*

Tertiò, præter iam dicta, quæ ad essentiam iuramenti, ita vt, altero deficiente, non 4
sit iuramentum, alia etiam requiruntur, vt sit licitum & ties, vt vocant, comites habeat, necesse est, scilicet Veritatem, Iustitiam & Iudicium, *dict. cap. Etsi Christus hoc tit. & tradunt Canonistæ in can. Animadvertendum 22. q. 2.* Requiritur Veritas, & scilicet id, quod asseritur vel negatur, sit verum, & quod promittitur, suo tempore impleatur : alioquin iurans esset periurus, *c. Debitores 6. c. Ad nostram, c. Querelam 10. & aliis h. tit.* nam defectus veritatis est directè & maximè contrarius fini iuramenti, qui est confirmatio veritatis, *ad Hebr. 6.* prorsùsque destruit & elevat auctoritatè illius.

Requiritur Iustitia, vt tantùm iuretur id, quod 5
est licitum & honestum : alioquin contra bonos mores præstitum iuramentum non est obligatorium, nec servandum, *cap. Non est obligatorium, de R. I. in 6. & similibus.* Quinimò qui, quod turpiter iuravit, adimpleret, duplici se crimine involueret. Et ideò dicitur, melius ac tolerabilius esse, vota stultæ promissionis reiicere nec implere, quàm per inutilium promissorum custodiam crimen committere : & in malis promissis rescindendam esse fidem; in turpi voto mutandum decretum: necesse faciendum, quod incautè quis vovit, quia impia est promissio, quæ scelere adimpletur, *can. Si publici, can. In malis 5. cum seqq. 22. quæst. 4.* neque iuramentum ideò est institutum, vt esset vinculum iniquitatis, *cap. Quanto 17. hoc tit. cap. 1. eod. in 6.* Hinc igitur si, quod promittitur, sit illicitum, sive ex se, quia prohibitum, ita vt illud exequi sit malum, & peccatum seu mortale seu veniale, iuramentum promissorium adiectum non obligat, *d. c. Quanto d. c. Non est obligatorium & cap. Si verò 8. cap. Cum contingat 28. hoc tit.* quia involuit contradictionem, quem obligari ad peccatum veniale vel mortale, cùm nemo peccet implendo id, ad quod obligatur. Nec potest idem simul præcipi & prohiberi. Et ideò qui promisit latroni, se illum non denuntiaturum Iudici, non obligatur eo casu, quo in contrarium esset superioris præceptum, aut denuntiationem exposceret publica vtilitas vel salus Reipublicæ : nec enim potest quis se obligare contra præceptum superioris aut legis seu bonum commune Reip. Aliud dicendum foret, si denuntiare esset solùm consilij, quia tum non posset eum denuntiare, nisi priùs relaxato iuramenti vinculo: cum enim iuramentū eo casu

sit in alterius fauorem, & seruari absque peccato possit, obligat; nisi ipse vel alius, habens potestatem, illud relaxet, *d.c. Quamvis pactum de pact. in 6.*

6 Requiritur iudicium, vt scilicet cum debita & prudenti consideratione iuretur, & tunc dumtaxat, quando necessitas, iuxta prudentis arbitrium, iuramentum postulat, pro re non leui. Exemplo Pythagorici Cliniæ, qui maluit pati trium talentorum mulctam, quàm eandem iuramento (vti poterat) euitare; licèt non fuisset falsò iuraturus. Nam qui pro re leui iurat, licèt verum sit, quod iurat, tamen peccat, *cap. tua nos 24. hoc tit.* Sic iudicio, caret iusiurandum, cum quis iurat id, cuius contrarium antè iurauit, *cap. tua nos 11. hoc tit.* Vt inter hos tres comites distinctio, sub iudicio comprehendi poterunt reliqua omnia, quæ præter veritatem & institiam ad debitum modum iurandi, secundum rectam prudentiam, quæ est auriga omnium virtutum moralium, desiderari possunt.

§. IV.

De diuisione Iuramenti.

1 *Iuramentum, aliud est Assertorium.*
2 *Aliud Promissorium.*
3 *Aliud Comminatorium.*

1 IVramentum variis modis dividi potest. Nos hîc eam tantùm diuisionem prosequemur, quæ ad institutum nostrum maximè est accommodata. Ea est, quâ dividitur in Assertorium, Promissorium, Comminatorium.

Assertorium est, quo aliquid affirmamus aut negamus esse, fuisse aut futurum esse, sine aliqua promissione: vt, iuro, Petrum hesterno die fuisse Louanij, hodie profectum esse Mechliniam: cras rediturum. Tale quoque iuramentum est, quod præstare testes solent in dicendo testimonio, *c. nuper 51. sup. de testibus*: item quòd præstat pars parti ex delatione iudicis vel partis ad litem dirimendam, & vulgò litis decisorium appellatur. Et in hoc iuramento vna tantùm veritas requiritur, nempe illa, quæ asseritur: nam iurando nullam intendimus nobis imponere obligationem, sed solùm facere fidem eius, quod asserimus vel negamus. Sunt tamen, qui iuramentum de futuro absque promissione non minùs probabiliter referant ad promissorium vt Suarez *l. 1. de iur. mento, c. 8. & lib. 2. c. 1.* prout videre ibi licet.

Promissorium est, quo sanctè confirmamus nostram promissionem vel pollicitationem, seu quod aliquid promittendo adhibemus. Atque ita per illud intendimus nos obligare ei, cui promittimus, ad faciendum id, quod promittimus. Et ideò qui iuratam promissionem non implet, periurus censetur, *c. tua nos 11. hoc tit.* 2

Comminatorium est, quo rem aliquam Deo vltori subiicimus, si non sit verùm, quod iuramus, seu quod fit per pœnæ imprecationem, qua nos vel aliam personam deuouemus pœnæ & vindictæ diuinæ, si fallamus: vt dum dicimus. *Ita me Deus adiuuet, ita mihi sit propitius*: nam huiusmodi formulis non tantùm significatur, vt sit nobis propitius, si ita sit, sed etiam, vt non sit, si ita non sit. In his autem duobus posterioribus iuramentis duplex requiritur veritas, vna præsens, scilicet quod iurans habeat animum exequendi, quod promittit; & hæc est principalis & necessariò requisita, ita vt si absit sit periurium; altera futura, quæ consistit in executione, & est secundaria & plurimum absque peccato abesse potest, quia sæpè expedit, quod promissum vel comminatum est, non exequi, mutatis circumstantiis. 3

§. V.

De diuisione Iuramenti Assertorij seu litis decisorij.

1 *Aliud est voluntarium: quod referri non potest.*
2 *Aliud est iudiciale.*
3 *Aut iurandum, aut iuramentum delatum ferri debet.*
4 *Ex causa tamen recusari potest.*
5 *Iuramentum relatum necessariò præstandum ab eo, qui detulit.*
6 *Ex causa tamen referri nequit.*
7 *Hoc iuramentum, à iudice approbatum recusari à reo non posse.* 8.
9 *Deferens prius ipse iurare debet de calumnia.*
10 *Aliud est iuramentum necessarium & suppletiuum probationis.*
11 *Cui deferri illud debeat, actori an reo.*

ASsertorij iuramenti, cuius vsus in iudiciis est ad expediendas lites, tres species assignari solent, nempe iuramentum voluntarium iudiciale & necessarium. 1

Voluntarium est, quod extra iudicium pars parti

parti defert. Dictum inde voluntarium, quòd non nisi ex eius, cui defertur vel refertur, voluntate suscipiatur, *l.1.2.3. & aliis ff. h.t.* Nisi fortè inter partes conuenerit, vt ab eo, cui defertur, præstetur; tunc enim ab præstandum erit: sicut & semel susceptum, ab eo, cui defertur, præstari debet, nec potest referri, *leg. Iusiurandum 17. ff. eod.* quia licèt ab initio sit voluntarium, tamen ex conuentione aut susceptione fit necessarium. Et hoc parit exceptionem reo, si is iuraverit, *leg. 6. & 9 ff. eodem.* Daturque etiam successoribus tam in rem, *leg. 8. ff. eod.* quàm in personam, *leg. 7. ff. eod.* itémque fideiussoribus rei competit, *leg. 28. §. 1. eod.* Actori, verò, si ipse iuraverit, parit actionem in factum, *leg. Actori 8. Cod. de reb. cred.* vel actionem ex contractu, si de ipso contractu iuratum fuerit, *leg. Si duo 13. §. si quis iuraverit ff. hoc tit.*

2 Iudiciale iuramentum est, quod in iudicio defert vel refert pars parti, nimirum actor reo & reus actori, approbante iudice, *leg. delata 9. C. de reb. cred.* Dicitur iudiciale à loco, in quo defertur seu præstatur. Non est autem necessarium, quia & liberè suscipitur, & ab eo, cui delatum est, referri potest, *cap. fin. versic. quamvis hoc tit. l. Iusiuradum 34. §. ait Prætor 6. ff. eod.* nisi & simul iusserit iudex præstari iuramentum: * alterutrum tamen facere cogitur, 3 aut, inquam, iurare, aut iuramentum referre, quando iudex illud detulit, nisi soluere malit, *dict. §. ait Prætor, d. l. delata.* Nam manifestæ turpitudinis & confessionis est, nolle nec iurare nec iusiurandum delatum referre, *l. Manifesta. 38. ff. eodem.*

4 * Nisi fortè subsit iusta causa recusandi: veluti si quis à te exigat iuramentum de facto alieno, quod iustè ignoras, non teneris iurare, neque iuramentum tibi delatum referre, *dict. cap fin. l. Marcellus 11. §. 1. ff. Rerum amotarum.*

Similiter actor, qui plenè probauit suam intentionem, non tenetur, iuramentum, sibi à reo delatum præstare vel referre *cap. 2. sup. de probat.* quia cùm docuerit sufficienter de iure suo, non indiget iuramento. Simili modò, si actio proposita sit talis, quâ reus conueniri non possit, non tenetur reus præstare iuramentum, ab actore sibi delatum, vel illud referre.

5 Quòd si verò iuramentum priùs delatum referatur, tunc illud necessario præstandum erit ab eo, qui detulit: aliàs vel super principali causa vlteriùs non audietur, *d. l. iusiurandum 34. §. datur ff. eod.* vel; auxilio prouocationis secluso, super ea conuictus censebitur, *l. generaliter: 12. §. 1. Cod. de reb. cred.* Nec immeritò, cùm non debeat displicere conditio iusiurandi, quam detulit priùs, *d. l. iusiurandum §. ait prætor.*

* Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus iura- 6 mentum delatum referri non potest: veluti si is, qui offert, ignarus sit rei gestæ: si ex abundanti illud delatum sit; cur enim iurare cogatur, qui sufficienter de iure suo docuit, & cui ad victoriam consequendam nihil supereſt agendum, sed solùm restat iudicandum?

Sed quæritur, an iusiurandi iudicialis, à iudi- 7 ce approbati, iusta causa erit recusandi si illud ab actore, qui nullo modo intentionem suam probauerit, reo deferatur? Ita censet Panormit. *in d. c. fin* & alij nonnulli, quia, actore deficiente in probatione, reus, etsi nihil præstiterit, obtinere & omninò absolui debeat, *dict. cap. fin. l. Qui accusare C. de edendo.* Excepto casu, quo quis propriam scripturam negat, *Nouell 73. de instrum. cautela §. si tamen quisquam.*

Alij verò centent, etiam tunc reum, cui 8 defertur, esse compellendum, vt iuret, *arg. l. Tutor 35. ff. hoc tit.* vbi dicitur, *tutorem pupilli, omnibus probationibus aliis deficientibus, iusiurandum deferentem audiendum esse*, item *l. vlt. C. de fideicommissis. l. generaliter C. de rebus creditu, d. l. Manifesta ff. hoc tit.* vbi non distinguitur, an actor probauerit, nec ne, sed dicitur, manifestæ turpitudinis esse & confessionis, nolle iurare, aut iuramentum referre.

Non obstat, quòd dicitur, actore nihil probante reum esse absoluendum: quia illud hoc sensu verum est, quòd tunc reus non teneatur. Cæterùm si iusiurandum ei offeratur, iurare cogitur, quia cùm tunc testis & iudex in propria constituatur causa, ac proinde non desumantur probationes ex domo rei, si iurare recuset, censetur fateri se malam causam habere, præsertim cùm illud deferre possit.

Qui autem hoc iuramentum defert, priùs 9 ipse iurare debet, si exigatur, se non calumniandi animo iusiurandum deferre, *d. l. iusiurandum 34. §. qui iusiurandum 4. l. Si non fuerit 27. ff. h.t.* non item is, qui refert, quia non est ferendus actor, si conditionis, quam ipse detulit, nomine velit sibi iurare de calumnia, *d. § ait prætor.*

Iusiurandum necessarium est, quod in causa 10 dubia à iudice defertur reo vel actori, propter defectum plenæ probationis. *l. Admonendi 31. ff. hoc tit.* dicitur necessarium, cùm quia necessariò à iudice deferendum, partes petant; tum etiam quia ab eo, cui delatum est, necessariò subeundum: aliàs enim, tanquam confessus, omni etiam prouocationis auxilio excluso,

condemnari poteſt. *d.l. generaliter* §. 1. *in pr. C. eod.* niſi & hic ſubſit iuſta cauſa recuſationis *d. cap. fin. hoc tit. & d.l. generaliter* §. *ſin autem & ſequent.* veluti ſi, actore plenè probante, reo nihil, iudex illud deferat actori *cap. Sicut 2. ſup. de probat.* vel ſi actore nihil probante, iudex reo ad ſui purgationem deferat hoc iuſiurandum, quia, vt aliquoties dictum eſt, actore nihil probante reus omninò abſolui debet, licèt nihil ipſe præſtiterit.

11 Deferet verò hoc iuramentum iudex vel actori vel reo, prout viderit, inſpectis perſonarum & cauſæ circumſtantiis aut præſumptionibus, magis expedire. Ideóque ſi actor minùs quàm ſemiplenè probauerit ſuam intentionem, tunc reo ad ſuſpicionem, adverſus ſe conceptam, propulſandam & purgandam deferri poterit, *dict. cap. fin.* §. *ſanè hoc tit. & inſt. tot. tit. de purgat. canone.* Nec licèt ſic delatum referre, *dict cap. finali V. famoſa.* Ideò

5 verò deferri eo caſu non debet actori, quia cùm iuramentum tantùm ſemiplenè probet, non efficeret plenam probationem, Abbas *in dict. cap. fin. in V. præſumptione.* Sin actor ſemiplenè, aut plus quàm ſemiplenè probaverit, ita vt iudicis animus magis in cauſam actoris propendeat, tum actori potiùs, in ſupplementum probationis, deferendum erit, vt communiter tradunt DD. *in d.l. Admonendi ff. eodem & in d. cap. fin.* niſi, vt loquuntur, perſona rei ſit legalior, aut actor putetur veritatem ignorare. Verius autem videtur *dict. cap. fin. dict. l. admonendi & l. in bonæ fidei* 3. *C. eodem* neceſſe non eſſe exigi hoc iuramentum à litigatoribus, vt iudex illud deferre poſſit, quia dicitur iis locis, ſolere iudices in cauſis dubiis, ob probationum inopiam, iuſiurandum deferre, & ſecundum eum, qui iuravit, pronuntiare.

§. VI.

In quibus cauſis locus ſit iuramento ſuppletorio probationis.

1 *In cauſis omnibus locum habet.*
2 *Exceptis arduis & criminalibus criminaliter intentatis.*
3 *Reo tamen etiam in his deferri poteſt.*
4 *Quæ in delatione eiuſdem conſideranda.*

1 SEd quæritur, in quibus cauſis locum habeat hoc iuramentum ſuppletorium probationis. Reſpondetur *ex l. 3. §. 1. ff. hoc tit.* habere locum, quacumque actione quis conueniatur, ſive in perſonam, ſive pœnali actione vel quavis alia, ſive etiam de interdicto. Vnde *in l. in bonæ fidei* 3. *Cod. eod.* dicitur, in bonæ fidei contractibus, nec non in cæteris cauſis, inopia probationum, vel iudicem iureiurando causâ cognitâ res decidi oportere; in civilibus ſcilicet cauſis, iiſque non arduis, nec grauioribus: aut in criminalibus, criminaliter intentatis.

2 * Nam cùm in arduis intentatis, probationes debeant eſſe iuſtæ, & quidem in criminalibus luce meridiana clariores *l. vlt. Cod. de probat.* locus huic iuramento eſſe non poteſt, *ſecundum communem opinionem in dict. l. 3. & dict. l. admonendi*: colligitúrque ex *dict. l. 3.* illis verbis, *actione pœnali*: nam vbi agitur criminaliter, dicitur potiùs accuſatio quàm actio, *l. De crimine Cod. ad leg. Cornel. de falſis.* Atque ita illa *dict. l. in bonæ fidei* verba, *& etiam in cæteris*, de civilibus cauſis accipienda ſunt.

3 Ex parte rei tamen in criminalibus indifferenter, ſive criminaliter intentatis, ad ſuam innocentiam purgandam, poſſe eidem deferri huiuſmodi iuramentum, veriùs videtur, *arg. dict. cap. fin. hoc tit.* ibi, *Præſumptione verò faciente pro illo, reo deferri poteſt, ad oſtendendam ſuam innocentiam.*

4 Cæterùm quoad delationem huius iuramenti quatuor potiſſimùm in cauſæ cognitionem, venire debent; conditio perſonarum, natura cauſæ, quantitas rerum, & qualitas factorum: nam regulariter in cauſis magnis & arduis non defertur, niſi pluſquam plenè probatum ſit qualis eſt cauſa matrimonij.

§. VII.

De vi & effectu iuramenti aſſertorij.

1 *Cauſa iureiurando deciſa non retractatur per noua inſtrumenta.*
2 *Pretextu iuramenti neceſſarij iudex decidere cauſam poteſt.*
3 *Quo tamen caſu retractatur ſententia per noua inſtrumenta.*
4 *Ex iuramento datur actori in factum actio, & reo exceptio.*
5 *Idque delato vel relato iuramento.*
6 *Vel etiam remiſſo ab adverſario.*
7 *Cauſa debiti expreſsâ etiam vtilis ex contractu actio datur.*

Quod

1 QVod ad vim & effectum attinet iuramenti assertorij, voluntarij quidem & iudicialis in primis ea est vis, quòd causa iureiurando decisa non retractetur per instrumenta, postea de novo reperta, nisi specialiter hoc lege excipiatur, *leg. 1. Cod. hoc tit. & similibus*: aut nisi litigatorum consensu, occasione instrumentorum de novo repertorum, efficiatur, vt alia sententia feratur, per quam prior, quæ in rem transivit iudicatam, rescindatur, *arg. leg. 1. Cod. Quando prouocare non est necesse.* Ratio est, quia tunc res & controversia potiùs tacitâ litigatorum transactione (quæ regulariter non rescinditur per instrumenta de novo reperta, *leg. sub prætextu 19. Cod. de transact.*) decisa videtur, propter mutuum consensum, quàm sententia, *l. 1. & fin. ff. h. t.*

2 Necessarij verè iurisiurandi vis & effectus est, quòd eius prætextu iudex valeat confestim causam decidere, & sententiam definitivam ferre, reum vel absoluendo vel condemnando, *d. leg. Admonendi ff. eod.*

3 * Ita tamen, quòd sententia huiusmodi, licèt in rem iudicatam transiverit, rescindi possit prætextu novorum instrumentorum, modò per ea iuramentum necessarium, quod sententiæ latæ causam dedit, falsò præstitum fuisse, plenè & sine alterius adminiculo probetur, *dict. leg. Admonendi in princ.* Ratio est, quia tale iuramentum non defertur ex pacto litigantium, sed officio iudicis, etiam inuito adversario, adversus quem sententia lata est, & qui petit eam rescindi. Pari modo talis sententia per novos testes, id est non productos antea, rescindi potest, quia testes appellatione instrumentorum continentur, *l. 1. de fide instrument.*

4 Præterea supradictorum iuramentorum ea est vis, quòd ad rei iudicatæ exemplum ex eis actori iuranti Prætoria in factum actio acquiratur, ad consequendum id, quod sibi deberi iurauit, *leg. Actori Cod. eod. § Item si quis institut. de actionib.* Neque in hac actione quæritur, an debeatur id, quod petitur, sed an iuratum sit, quia ex iuramento præstito deberi constat, *l. nam posteaquam 9. §. 1. l. non erit §. dolo ff. eod.* Nam sicut res iudicata pro veritate habetur, ita & iuramentum, etsi falsò præstitum sit, pro veritate accipitur, cùm habeat maiorem auctoritatem, quàm res iudicata, *l. 2. ff. eod.* Reo verò ex huiusmodi iuramento, v. g. si iuraverit se non debere, quod petitur, non actio, sed exceptio acquiritur, *d. l. nam posteaquam §. 1.* ad actoris intentionem, etiam ante litis contestationem, seu ingressum, perimendam, *cap. 1. de litis contestat. in 6.* Nisi talis exceptio iurisiurandi altiorem indaginem postularet: nam tum litis postmodum subsequentis ingressum non impediret, *dict. leg. nam posteaquam in princip.*

Et hæc quidem obtinent, quando delato 5
vel relato priùs ab adversario iuramento, eo modo, quo delatum vel relatum est, actor vel reus incontinenti iuravit, vel saltem delatum, aut relatum incontinenti suscepit; & post dilationem ad deliberandum, sibi ex iusta causa concessam, illud præstitit, *l. iusiurandum 34. in princ. ff. eod.*

Neque ad hoc, vt supradicta locum habeant, 6
refert, an delato vel relato semel iuramento iuratum sit, an verò ei, qui paratus erat iurare, remissum, *d. l. nam posteaquam §. 1.* quia hæc actio & exceptio non tam oritur ex iureiurando, quàm ex conuentione, quæ non minùs remissio, quàm præstito iuramento, locum habet. Nec rursus refert, an à iudice, an à parte, in iudicio vel extra iudicium, delatum sit, *Glossa in l. 1. l. Actori Cod. eod.* Quin & Procuratoris, & Aduocati iuramentum legitimè præstitum, actori actionem & reo exceptionem parit.

Obseruandum autem hic, quod quando 7
causâ expressâ, ex qua, v. g. exempto, sibi debitum esserit, actor iurat, non tantùm in factum ex iureiurando oriatur actio, sed & vtilis ex contractu, quem iurat, *l. Si duo §. si quis iuraverit ff. eod.* Quando verò nulla causa expressa iurat; tunc sola actio in factum oritur. Excepto, quòd in rei vindicatione vtraque actio oriatur, & in factum ex iureiurando, & vtilis in rem, sive causam, vnde dominium nactus est, expresserit, sive non, *d. l. nam posteaquam in fine.* Ratio diversitatis est inter actionem in personam & actionem in rem, quòd dominium non possit nobis nisi ex vna causa competere; & proinde de ea sola causa iuratum esse intelligitur, etiamsi non fuerit expressa. At verò idem sæpiùs & ex pluribus causis potest nobis deberi, & idcò de nulla certa iuratum intelligitur.

§. VIII.

De vi & effectu promissorij iuramenti.

1 *Inducit obligationem ad sui obseruationem.*
2 *Promissionem & contractum confirmat.*
3 *Iuramentum quando dicatur validum & obligare ad sui obseruationem.*

4 *Quando confirmare contractum.*
5 *Discrimen inter hæc duo. 6. 7. 8.*

1 IVramenti promissorij effectus in primis est, inducere obligationem ad sui observationem, dummodò vera & seria atque absoluta intentione sit emissum, & reliqua adsunt ad validitatem eius requisita; licèt etiam illud emittens ex eo obligari nolit: quia non magis in potestate est hominis, impedire, ne iuramentum, verâ & seria intentione iurandi præstitum, obliget, quàm sit in eius potestate, impedire exustionem domus vel stuppæ; posito, quòd ei de facto ignem applicet, licèt maximè nolit exuri. Nam sicut ex igne oppositò sequitur necessariò exustio: ita ex iuramento, vera intentione præstito, sequitur naturaliter & necessariò obligatio. Ratio est, quia talis obligatio non pendet directè & proximè à voluntate & intentione iurantis, sed tantùm remotè; & immediatè provenit ex iuramento, vel alio actu, ad quem necessariò sequitur.

2 Dixi, absolutâ intentione emissum; quia si fuerit conditionata, sicut suspendit consensum, ita etiam consequenter effectum, seu obligationem, donec adveniat & existat conditio.

3 Secundus effectus est, confirmare ipsam promissionem vel pollicitationem; & aliquando etiam contractum. Quod vt intelligatur, sciendum est, * differre illa, iuramentum esse validum obligaréque ad sui observationem, & iuramentum confirmare contractum; sed habere se vt magis & minùs commune. Nam iuramentum dicitur validum, quandocumque servandum, ob honorem divini nominis, etiamsi illi, in cuius favorem præstitum est, nullum ius per illud acquiratur. Sic iuramentum de solvendis vsuris validum est, quia servandum, ob honorem divini nominis; cùm servari possit absque dispendio salutis æternæ & sine præiudicio tertij: & tamen per illud nullum ius creditori acquiritur, ideóque relaxato iuramento, vel impleto per solutionem vsurarum, repeti solutæ possunt, *cap. 1. & c. Debitores 6. hoc*
4 *tit.* * Confirmat autem contractum, quando non solùm servandum est, sed etiam alteri, in cuius favorem præstatur, ius tribuit, & contractum in suâ specie efficit validum. Et hinc sit; quòd quamvis relaxetur iuramentum, maneat nihilominus obligatio iustitiæ ex contractu, quæ transit ad hæredes.

5 Hinc quoque patet, magnum esse discrimen inter iuramentum, quod confirmat contractum, & illud, quod non confirmat: nam quando obligat, nec tamen confirmat contractum, relinquit contractum In sua natura invalidum atque inefficacem, si talis in se sit: quia ei vinculum nullum adiicit, sed tantùm obligat in ordine ad Deum, ne sit falsus testis. Ideóque relaxato iuramento, potest immediatè contraveniri contractui ex se invalido, cùm nulla remaneat obligatio.

Quando autem confirmat contractum, tunc 6
licèt, secluso iuramento, is sit nullus, tamen efficitur firmus & irrevocabilis, ratione iuramenti, vt communiter tradunt DD. *in c. Cum contingat 28. hoc tit. & in cap. 2. de pactis in 6.* Ideóque relaxato iuramento ab alio, quàm à creditore, ex iusta aliqua causa, v.g. ob læsionem, remanet adhuc contractus validus: quia cùm acceperit firmitatem ex iuramento, & illa dependeat à iuramento solùm in fieri, vt loquuntur, non autem in conservari, non debet causâ firmitatis cessante, rescindi, nisi superveniat causa aliqua annullans, *c. Factum legitimè de R. I. in 6.*

Dixi, relaxato iuramento ab alio, quàm à 7
creditore; quia si creditor ipse relaxat, etiam contractus dissoluitur, & cessat omnis obligatio. Nam creditor non potest relaxare iuramentum, quasi per se, & immediatè, sed cedendo iuri suo, & quasi tollendo fundamentum iuramenti.

Secundò differunt, quòd quando contractus 8
firmatur iuramento, cùm iam sit ius parti quæsitum, non liceat ampliùs contravenire contractui, nec peti possit absolutio, nec facta solutione detur repetitio, sed contractus maneat omninò firmus & irrevocabilis, vt indicant *in Auth. Sacramenta puberum, Cod. Si adversus venditionem, &c.* verba illa, *inviolabiliter custodiantur*: & illa *in dict. cap. 2. de pactis in 6. omninò servari debet.* Quando verò iuramentum est servandum ob Dei honorem, vt *in dict. cap. Debitores 6. hoc titul.* tum relaxatio licitè peti potest. Et verò facilè concedi debet, quia cùm nullum ius acquiratur homini, cui iuramentum præstatur, sed Deo dumtaxat, ideò Prælatus, tanquam Christi Vicarius potest illud eius nomine relaxare, subsistente iusta causa relaxandi. Sin autem iurans nolit petere relaxationem, satisfaciet, licèt statim, vt soluit, repetat solutum, quia implevit iuramentum & alter solutum iniustè retinet.

***

§. IX.

Quando iuramentum confirmet contractum vel non.

1 *Actus iure naturæ irritus non confirmatur iuramento.*
2 *Non etiam actus prohibitus ob favorem publicum.*
3 *Confirmatur verò ob privatam vtilitatem prohibitus principaliter.*

1 HAc de re aliquot regulæ assignari possunt. Quarum sit hæc.

Prima : Actus, qui iure naturæ est irritus vel irritari potest, non confirmatur iuramento : *secundum communem opinionem DD.* vti quando vi vel dolo exortus est : nam tunc ratione iniuriæ tenetur extortor ad restitutionem, nec vllum ius solidum acquirit. Si tamen, id quod promittitur, non sit illicitum, seruandum est iuramentum, cùm seruari possit sine dispendio salutis æternæ, nec vergat in præiudicium tertij, si vtique ille, in cuius fauorem est præstitum, illud seruari velit, & aliàs legitimè non relaxetur.

2 Secunda regula : Quando actus prohibitus est principaliter & immediatè ob fauorem publicum, qui immediatè respicit ipsum statum Reip. & bonum communitatis, vt communitas est, non cofirmatur iuramento, *cap. Si diligenti 12. sup. de foro compet.* Ratio est, quia nullus priuatus potest renuntiare fauori publico, seu fauori legis, immediatè prospicientis communi bono, *leg. Ius publicum ff. de pactis, dict. cap. Si diligenti.* Talis verò actus est contra bonos mores naturales, hoc ipso, quo est contra bonum commune : & proinde iuramentum, illi adiectum, non obligat, *c. Non est obligatorium de R. I. in 6.*

3 Tertia : Quando contractus est prohibitus principaliter & immediatè ob priuatam vtilitatem & bonum cuiusque ciuis, secundariò verò ob publicam vtilitatem ac bonum commune, quatenus illud ex singulorum commodis exurgit, tunc confirmatur iuramento, *dict. cap. 2. de pactis in 6. & dict. Authent. Sacramenta puberum* ; vbi contractus fauore minoris nullus, confirmatur iuramento : & *dict. cap. Cum contingat hoc tit.* vbi alienatio fundi dotalis, fauore mulieris nulla, similiter iuramento confirmatur. Ratio est, quia vnusquisque potest renuntiare fauori pro se per legem introducto, *dict. cap. Si diligenti.* Et præiudicium boni communis, cùm eo casu sit modicum, Lex canonica non curat. Confirmatur autem tunc contractus, nisi sit reprobatus odio creditoris, in cuius fauorem præstatur, quia in eo est turpitudo. Nam licet iuramentum seruandum sit, donec relaxetur, ne Deum in falsum testem adducatur : tamen tunc non confirmat contractum, ne sit vinculum iniquitatis, *contra cap. Quanto 18. hoc titul.* Debet autem turpitudo ista esse de iure naturali vel diuino : nam si sit de iure humano, iuramentum confirmat contractum, quia supplet vitium, *cap. Quamvis de pactis in 6.* purgátque vitium nullitatis, iure ciuili inductæ.

TITVLVS XXV.

De Exceptionibus.

1 *Ratio ordinis, & Exceptio quid sit. 2.*
3 *Alia est Exceptio facti, seu intentionis, alia iuris.*
4 *Exceptionum iuris alia Dilatoriæ, alia Peremptoriæ.*
5 *Dilatoriæ quæ dicantur.*
6 *Earum quædam desumuntur ex persona Iudicis.*
7 *Quæ regulariter proponi debent ante litem contestatam.*
8 *Recusatio Iudicis qui & coram quo ponenda.*
9 *Quædam ex persona actoris & rei conuenti. 10.*
11 *Eæ quoque proponendæ regulariter ante litem contestatam.*
12 *Peremptoriæ quæ sint.*
13 *Eæ regulariter vsque ad sententiam proponi possunt.*
14 *Exceptio eliditur Replicatione, & hæc duplicatione, &c.*

IAm vsque sufficienter ostensum est, quo modo actor suam intentionem probet : sequitur de Exceptionibus, quibus reus vicissim se aduersus actorem defendit : nam Exceptiones nihil aliud sunt, quàm defensiones reorum, quibus probationes, seu actiones aduersariorum, sive iure competentes, sive de facto intentatas, elidunt. Tametsi verò dilatoriæ exceptiones ante litem contestatam regulariter opponi debeant ; vnde hic tit. videbatur proponendus Titulo *de litis contestatione:* 1

conteſtatione : tamen vt ſimul & ſemel de exceptionibus agatur, rectè hoc loco ſubiicitur, quia exceptiones peremptoriæ, quæ magis negotium principale afficiunt, poſt litem conteſtatam vt plurimùm opponuntur.

2 Eſt autem Exceptio actionis agentis excluſio, *log. 2. in princ. ff. hoc tit.*

3 Ea in genere vel eſt facti ſeu intentionis, vel iuris. Facti ſeu intentionis eſt, quâ reus actoris, nullo iure agentis, intentionem excludit; verbi gratia eius, qui agit ex mutuo, nec vnquam mutuum dedit, vel, ſi dederit, exſolutum eſt.

4 Exceptio iuris eſt, quâ reus excludit actoris ius, id eſt actionem, ipſo quidem iure competentem, ſed cuius nomine iniquum ſit reum condemnari; vt v.g. eius, qui ex promiſſione, metu, dolove malo impellente, ſibi facta, ad id, quod promiſſum eſt, agit: metu, inquam cadente in conſtantem virum, *c. Cum dilectus ſup. de his quæ vi metuſve cauſa fiunt*, qualis eſt metus mortis, amiſſionis omnium vel maioris partis bonorum, *c. 2. 3 4. d. t.*

5 Exceptionum iuris aliæ ſunt Dilatoriæ & temporales, aliæ Peremptoriæ & perpetuæ, *l. 2. §. vlt. & l. 3. ff. hoc tit. §. Appellantur Inſtitut. eod.*

6 Dilatoriæ ſunt, quæ principalem cauſam & actionem non perimunt, ſed tantùm ad tempus differunt, *d. l. 2. §. vlt. & d. l. 3.* quas propterea actor evitare poteſt, *d. l. 3. §. vlt.* reſpiciuntque incidentes quæſtiones, ac præparatoria iudiciorum, *l. Exceptiones, ff. eod.*

Harum verò exceptionum quædam perſonam reſpiciunt Iudicis: quia ſcilicet ſit incompetens, aut ſuſpectus, propter cognitionem, affinitatem, neceſſitudinem domeſticam aut familiaritatem, quâ actorem contingit, *l. qui iuriſdictioni 10. ff. de liberali cauſa*: quia imperitus ſit iuris aut impar magnitudini cauſæ, vel quia in eadem cauſa advocatum egerit, vel eiuſdem ferè generis litem habeat, vel ob aliam iuſtam cauſam, quæ meritò moveat ſuſpicionem reo, *cap. Poſtremo 36. inf. de appellat.*

Hæ exceptiones etiam fori declinatoriæ
7 dicuntur, & proponendæ ſunt in principio litis, ante omnem actum iudicialem, ceteraſque dilatorias exceptiones, ne aliàs reus in Iudicem conſentire, vel eius iuriſdictionem prorogare, vel ſuſpicionis cauſam negligere videatur: niſi fortè poſtea cauſa ſuſpicionis de novo emerſerit, quæ novo opus habeat remedio, *leg. de ætate 11. §. ex cauſa ff. de interrogat. actionib.* aut in notitiam eius venerit reus. Ignorantia quippe iuſta exſtat, *l. Qui alterius 24. ff. de reg. Iuris*: ideóque etiam tunc meritò Iudicem recuſare poteſt, *c. Inſinuante 25. ſup. de officio delegati.*

Proponi verò debet recuſatio Iudicis, ſcripto 8
&, & quidem coram eodem Iudice, causâ ſuſpicionis inſertâ, & coram arbitris vtrimque electis probandis; eáque probata, Iudex cognitionem cauſæ alteri demandabit, ex conſenſu recuſatoris, vel ad ſuperiorem remittet: non probatâ verò causâ idem perſeverabit Iudex, *cap. Secundo 14. §. tertio & cap. Cum ſpeciali 61. inf. de appellat.* Quamvis de iure civili Iudex ordinarius recuſari non poſſit, vt ſuſpectus, ad hoc, vt moveatur; ſed ei, ſi ſubſit aliqua cauſa ſuſpicionis, alius adiungendus eſt, *Authent. Si verò contigerit Cod. de iudiciis.* Delegatus verò recuſari poteſt, *l. Aperti ſſimi & leg. fin. Cod. de iudiciis.* Verùm de hac exceptione poſtea latiùs agemus *d. tit. de appellationibus.*

Aliæ exceptiones dilatoriæ perſonam con- 9
cernunt vel actoris: quòd ſit filiusfamilias, minor 25. annis, ſeruus, Religioſus, excommunicatus, proſcriptus, criminoſus, mente captus; & ſic de ſimilibus: vel procuratoris, vt quòd ſit miles, fœmina, mutus & ſurdus, accuſatus de crimine, minor 25. annis: quòd careat mandato, vel non habeat ſufficiens: quòd non ſit legitimè conſtitutus, veluti à minore ſine auctoritate tutoris vel curatoris, vel à procuratore, qui ius ſubſtituendi non habeat; & ſic de ſimilibus. Quæ etiam in procuratorem rei conventi rectè obiici poſſunt, niſi quòd hic abſque mandato defenſionem rei legitimè in ſe ſuſcipiat.

Aliæ perſonam rei conventi concernunt: vt 10
ſi reus conventus queratur coram Iudice, ſe ab actore ſpoliatum, & ideò reſtitutionis beneficium, antequam cogatur reſpondere, imploret, vel actorem ex legitima cauſa revocet domum.

Denique aliæ ex cauſæ & actionis qualitate, ex loco vel tempore, vel aliis huiuſmodi circumſtantiis deſumuntur: vt quòd libellus ſit inceptus vel obſcurus, quòd citatio tempore feriarum, aut ad locum non tutum facta ſit, *c. Paſtoralis 4. hoc tit.*

Quas quidem omnes regulariter obiici ad- 11
verſario oportet ante litem, conteſtatam, vel intra terminum tempúſve à Iudice conſtitutum, *c. Inter monaſterium 20. inf. de re iudicata, c. Cum cauſam 62. inf. de appellat.* niſi demùm poſt litem conteſtatam vel poſt elapſum tempus emerſerint de novo exceptiones ex nova cauſa,

causa, vel iureiurando affirmet reus, exceptionem, quam obiicere vult nunc demum ad notitiam suam peruenisse, *dict. cap. pastoralis*; vel talis sit exceptio, quæ retroactum processum reddat nullum: cuiusmodi est, quæ vel mandati procuratorij vel iurisdictionis defectum arguit *c. cum venerabilis 6. versic. licet autem hoc tit. & cap. in nostra sup. de procurat.* Item exceptio excommunicationis maioris, quamvis sit dilatoria, tamen & ante & post litem contestatam obiici potest, non obstante termino peremptorio, à iudice, ad exceptiones declinatorias vel dilatorias proponendas, præfixo. Hoc ideo, ne quis in periculum animæ suæ cogatur cum excommunicato communicare, *clement. 1. hoc tit. Exceptionem 12. hoc tit. & clement. 1. eod tit.* in eâ tamen proponenda seruari debet forma præscripta *in cap. 1. eod. in 6.* ne per malitiam opponatur. Et hoc procedit in prima instantia: nam si succumbens actor appellauerit, prætextu excommunicationis oppositæ à prosecutione appellationis repelli non debet, cùm omnis legitima defensio in iudicio reseruetur etiam excommunicato, *cap. Significauerunt 11. hoc tit.*

12 Exceptiones Peremptoriæ sunt, quæ ius actoris perimunt & elidunt, semperque agentibus obstant, *cap. 1. de litis contestat. in 6. §. appellantur & §. perpetua instit. eod.* vt exceptio doli mali, metus, pacti conuenti de non petendo seu perpetui, transactionis, iurisiurandi, præscriptionis, rei iudicatæ, senatusc. Velleiani, Macedoniani; & si quid aliter contra leges factum esse dicatur.

13 Quæ exceptiones regulariter ante & post litis contestationem vsque ad sententiam proponi possunt, *l. 2. Cod. sententiam rescindi non posse, l. Præscriptionem Cod. hoc tit.* Nam v.g. exceptiones peremptoriæ litis finitæ (quales sunt exceptio rei iudicatæ, transactionis post litem contestatam initæ, iurisiurandi voluntarij, iudiciales aut necessarij, ad controversiæ decisionem lite contestatâ præstiti; & similiter exceptio rei finitæ, (qualis est exceptio transactionis ante litem contestam initæ; iurisiurandi voluntarij, iudicialis aut necessarij, nondum lite contestata præstiti) licèt peremptoriæ sint, tamen dirimendarum litium fauore ante litem contestatam proponi possunt, propositæque ipsam litem impediunt, *cap. 1. & 2. hoc tit. in 6.* Quinimò certæ sunt peremptoriæ exceptiones, quæ post sententiam definitiuam, & quidem postquam illi in rem transiuit iudicatam, opponi possunt, & oppositæ probatæque executionem impediunt; quæ recensentur à Glossa *in l. 1. Cod. de iurè & facti ignorantia.* Huiusmodi est Senatusc. Macedoniani, & Velleiani. Vide plenius *Canisium lib. 4. tit. 4.*

Et hæc quidem, quæ de exceptionibus rei conuenti dicta sunt, nonnumquam contrariis exceptionibus rursus ab actore retunduntur. Nam vt actionem excludit aut elidit exceptio rei, ita exceptionem rei, exceptio actoris, quæ propriè vocatur Replicatio, quasi per eam replicetur; id est, resoluatur rei exceptio. Quòd si hæc rursus alia exceptione à reo impugnetur, vocatur duplicatio, & contra hanc solet dari triplicatio, contra triplicationem iterum Quadruplicatio; & ita deinceps, multiplicatis nominibus, donec conclusione disputationi partium finis imponatur, *l. 1. ff. hoc tit. & tit. instit. de replicat.* Hæc tamen multiplicatio de iure canonico non admittitur, saltem quoad testes, antea productos, quos tertiò refutare non licet, vt antè diximus, ne nimirum extrahatur iudicium: *cap. licet sup. de testibus, vbi latè* Panormit. 14

TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

§. I.

Præscriptio & vsucapio quid sit?

1 *Præscriptio generaliter accipitur pro omni exceptione.*
2 *Specialiter pro exceptione peremptoria.*
3 *Differentia inter præscriptionem & vsucapionem quoad effectum.*
4 *Hodie non minùs præscriptione quàm vsucapione acquiri dominium.*
5 *Nec minus vsucapi res mobiles quàm immobiles.*
6 *Definitio præscriptionis & vsucapionis.*

TITVLO præcedenti actum est de exceptionibus in genere. Species verò exceptionis peremptoriæ est exceptio præscriptionis, de qua plerumque dubitatur, an & quando competat.

Pro clariori intelligentia sciendum est, veteres vsurpasse præscriptionem pro Exceptione. 1

Primò quidem generatim, pro omni exceptione, quæ opponitur generatim ad excludendam actionem, intentatam ab actore. Vnde sicut Exceptionum alia est Dilatoria, alia Peremptoria: ita & Præscriptionum alia est Dilatoria, alia Peremptoria. Hoc modo accipitur *in tit. ff. de exceptionibus & præscriptionibus*, atque ita Præscribere pro excipere, *in leg. vltim. ff. de suspectis tutorib. leg. 1. §. vlt. ff. Ne de statu defunctorum, &c. leg 52. & vltim. ff. de iudiciis.* Sic quoque *in leg. 3. ff. de prævaricatoribus.* Præscribere accusatori, est oppositâ exceptione accusatorem submovere & repellere.

2 Secundò, specialiùs pro exceptione peremptoriâ, proveniente ex eo, quòd tempore legibus definito quis possederit rem aliquam, vel iure aliquo fuerit vsus, vel alius ab vsu rei abstinuerit seu cessaverit tanto tempore, *vt patet ex tit. Cod. de præscript. long. temp. & de præscript. 30. vel 40. annorum.* Nam possidens rem aliquam tempore legibus definito, si impetretur à domino, præscribebat, id est excipiebat tanti temporis possessionem, per quam excludebat intentionem actoris.

3 Et hinc patet, quomodo olim præscriptio ab vsucapione distingueretur. Nam per vsucapionem acquirebatur directum dominium, & directa in rem actio: per præscriptionem non acquirebatur directum rei dominium, nec directa actio in rem, sed tantùm exceptio peremptoria. Quamvis iure novo ex Constitut. Iustiniani per præscriptionem vtilis actio acquisita fuerit, *leg. penultim. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann.* Idque secundum leges anteriores ita quoque obtinuisse indicat ibidem Imp. & constat *ex l. Si duo § 1. ff. de iureiurando*, illis verbis: *post longi temporis præscriptionem etiam vtilem actionem habere, debere*: item ex *leg. Si quis diuturno ff. Si servitus vindicetur*, & *leg. 1. §. fin. ff. de aquæ pluviæ arcendæ.*

4 At verò in iure Canonico, & passim ab Interpretibus præscriptio accipitur pro dominij acquisitione vel iuris alieni elisione, proveniente ex tempore legibus definito. Hoc modo sumpta præscriptio propriè ad vsucapionem se habet, vt magis commune; omnisque vsucapio est præscriptio, non contra. Præscriptio enim, quâ extinguitur actio personalis vel realis, non est propriè vsucapio.

Dico propriè; quia generaliter dici potest vsucapio, quatenus ius & libertas ab aliquâ obligatione dicitur vsucapi: atque ita rectè dixeris, vsucapionem & præscriptionem hodie non distingui, & patere æquè latè; nec minùs per præscriptionem, quàm per vsucapionem acquiri dominium.

Nam licèt non desint, qui vsucapionem à præscriptione distinguant, quasi vsucapio sit rerum mobilium, præscriptio immobilium: tamen ea differentia satis subvertitur ex eo, quòd constet, etiam ante Iustinianum, vsucapionem promiscuè, auctoritate Legis 12. Tabb. fuisse rerum tam immobilium, quàm mobilium, §. 1. *Institut. de vsucap. leg. Si per errorem cum seq. l. Eum qui ædes 23. ff. eod.* in quibus exempla vsucapionis ponuntur, fundi, ædes, prædia. Neque in eo quidquam postea à Iustiniano mutatum est, *leg. vnicâ Cod. de vsucap. transformanda.* Nam constituit Imp. in ea lege, vt res mobiles, quæ antea ex Lege 12. Tabb. anno vsucapiebantur, non nisi triennio vsucaperentur: deinde vt res immobiles omnes, non solùm Italicæ, sed & provinciales sive prædia tributaria & stipendiaria præscriberentur, transformatâ ita vsucapione, sinúlque prorogato tempore in vtrisque, quod statuit decennium inter præsentes, vicennium inter absentes. Videatur Cou. *ad reg. Possessor. §. vnico de R. I. in 6.*

Præscriptionem igitur postremo modo sumptam, provt in hoc tit. sumimus, definire licet, quemadmodum Vsucapionem definit Modestinus I. C. quòd sit adiectio dominij per continuationem possessionis temporis legedefiniti, *leg. 3. ff. de vsucapionib.* Quæ definitio intelligi potest dupliciter; Primò causaliter, vt causa definiatur per effectum, Quod neque absurdum neque novum est in iure nostro: sic enim Tutela, *§. tutela Institut. de tutelis*; & Iustitia, *Institut. de Iust. & iure*, definitur per effectum. Etenim vsucapio est causa adiectionis dominij: vt formaliter verò videtur esse ipsa possessio rei alienæ. Hinc enim dicitur diutina possessio, *Institut. eod.* Hinc vsucapione inchoari, *l. Iusto 44. § fin. ff. de vsucap.* cœptam esse, *leg. Cœptam 40. ff. eod.* durare & perseverare, *leg. Ei à quo 21. & leg. Non solùm 33. §. 6. eod.* interpellari: interrumpi, cessare, *dict. leg. 33. §. 4. leg. 1. §. 2. & leg. 5. ff. Pro donato.* Item dicimus quem implere vsucapionem, *d. l. 44. §. eum qui*: quod sanè dici non posset, si nomine vsucapionis acquisitionem dominij, quæ momento contingit, designare velimus,

5 Secundò intelligi definitio potest formaliter, seu accipi pro ipsa formali & actuali dominij acquisitione: quo pacto sumitur Donatio, *Institut. de donat.* illis verbis: *Est & aliud*

genus

genus acquisitionis Donatio: nam indubitatum est, donationem ibi capi pro modo acquirendi dominium. Atque ita non ipsa acquisitio dominij est effectus vsucapionis ac præscriptionis, sed dominium acquisitum: sicut donationis effectus non est acquisitio dominij, sed dominium acquisitum seu translatum. Hinc dicimus, neminem videri rem vsucepisse, nisi dominium acquisiverit. Adiectio igitur dominij ponitur loco generis definiti, tanquam latiùs patens: quandoquidem & donatio & traditio & vsurpatio rectè dicatur adiectio seu adeptio sive acquisitio dominij. Nam per adiectionem dominij definivit Vsucapionem Modestin. *dict. leg.* 3. per adeptionem Vlpian. *in Fragmentis titul.* 19. Et notandum, vsucapionem non minùs rectè dici adiectionem seu modum acquirendi dominium, quàm adeptionem seu modum adipiscendi dominium: adiectionem quidem, non quia dominium iurisgentium, quod olim tantùm per traditionem acquirebatur, obiiciat dominio iuris civilis, vt quidam existimant; sed quia possessioni civili, quam vsucapiens habet, adiicit etiam dominium: adeptionem verò, quatenus illâ mediante vsucapiens dominium adipiscitur, sibique acquirit.

Non obstat dictæ definitioni, quòd in ea non fiat mentio tituli & bonæ fidei; quæ tamen adeò necessaria sunt ad vsucapionem, vt sine illis non procedat: quia illa ad vsucapionem requisita, satis intelliguntur, & comprehenduntur in eo, quod dicitur, *per continuationem possessionis temporis lege definiti*: nam illis verbis satis indicatur agi de tali possessione, quæ bona fide & titulo subnixa sit, aliáque contineat, quæ ad acquisitionem dominij requiruntur.

§ II.

De requisitis ad Vsucapionem; & primò de possessione.

1 *Sine possessione eáque continuata non contingere vsucapionem.*
2 *Quo modo interrumpatur.*
3 *Præscriptio alia odiosa, alia mixta, alia favorabilis.*

1 AD Vsucapionem & Præscriptionem primò requiritur Possessio vel quasi possessio, sine qua ista contingere non potest, *leg. Sine possessione 25. ff. de vsucapion. cap. Causam quæ 7. cap. Cum olim 18. hoc titul.* & quidem necessum est, vt præscribens sibi, non alteri, possideat, *cap. Si diligenti 17. hoc tit.* sive per se, sive per alium, *l. Si is qui 15. in princ. ff. eod.* adeò vt tantum præscriptum, quantum possessum dicatur, & non ampliùs.

Debet autem possessio ista seu quasi possessio esse continua, *l. 3. & l. Nunquam 11. §. 1. ff. eod.* id est, non debet ante tempus, ad rei, de qua agitur, præscriptionem seu vsucapionem à lege definitum, vllo momento esse interrupta, *cap. Illud 8. cap. Auditis 15. hoc tit. leg. Naturaliter 5. ff. eod.* * Nam si interrupta fuerit, sive per possessionis ablationem, quæ dicitur naturalis interruptio, *d. l. Naturaliter*, 2
sive per litis motionem seu contestationem, quæ dicitur civilis interruptio, *l. Nemo, Cod. de acquir. possess. l. Mora 26. Cod. de rei vindicat.* sive etiam per citationem, vsucapio ad effectum perduci nequit, *d. l. Nemo & aliis, Cod. de acquir. possess.*

Solent tamen distinguere inter præscriptionem odiosam, mixtam, & favorabilem: quòd 3
odiosa seu 30. vel 40. annorum sola citatione, legitimè factâ, interrumpantur, Gaill. 1. *observ. 45. n. 20. Gloss. fin. in cap. Cùm plures de officio delegati in 6.* Panormit. *in cap. penultim. n. 2. sup. de foro compet.* quia procedit ex negligentia non contradicentis: quòd mixta, id est 10. vel 20. annorum, non citatione, sed litis contestatione interrumpatur, *d. l. Mora, Cod. de rei vindicat.* quia cùm partim sit favorabilis, respectu scilicet præscribentis, partim odiosa, ob negligentiam non repetentis rem suam media via eligitur, quòd denique favorabilis, id est triennalis, quæ cum titulo & bona fide obtinet in rebus mobilibus, neque citatione neque litis contestatione interrumpatur: sed sententia definitivâ opus sit: quia huiusmodi præscriptio in favorem præscribentis introducta sit, *l. Si post acceptum, ff. de rei vindicat. l. 2. §. 1. ff. de vsucap. pro emptore*, latiùs Gaill. *d. loco n. 22.*

Illud quoque hic specialiter statutum est, vt anterioris iusti possessoris possessio cum sequentis possessione continuetur, & in triennium, decennium, vicennium, tricennium connumeretur, *l. vnica circa finem, Cod. de vsucap. transformandâ.*

§. III.

De bona fide.

1 *Bona fides quid sit?*

2 *Iuris error ad bonam fidem non sufficit.*
3 *Nisi sit ius dubium.*
4 *De dubitante, an & quatenus sit bonæ fidei.*
5 *De possessore iustum & coloratum titulum habente.*

1 SEcundò requiritur bona fides, *cap. Mala fidei possessor de R. I. in 6. cap. fin. h.t.* id est credulitas, quâ quis prudenter credit & sibi persuadet, rem esse suam, aut saltem ignorat esse alienam: vt si putet eum, à quo accepit, fuisse dominum, cùm non esset, aut saltem ius transferendi habuisse, *l. Bonæ fidei ff. de verb. significat.* nam malæ fidei possessor non præscribit *d.c. Malæ fidei & d.c. fin. l. Si aliena ff. eod.*

2 Dixi, Prudenter; quia si ex ignorantiâ crassâ vel inordinatâ cupiditate procedat persuasio illa, non erit bona fides. Et hinc iuris clari error, veluti si quis rem contractu vsurario, quem putabat esse iustum, sibi comparaverit, aut vestem vel equum à Religioso acceperit, nesciens Religiosum donare non posse, tanquam improbabilis, possessoribus ad bonam fidem non sufficit, *l. Iuris & l. Error ff. de iuris & facti ignorantia, d. l. Nunquam in princ.* licèt talis ignorantia seu error inculpatus sufficiat ad præscribendos fructus, ex ipsa re perceptos, Covar. 1. *var. resol. cap. 3. num. 3.* Navarr. *lib. 1. conf. 6. tit. de officio Iudicis, l Sed etsi, §. scire, ff. de petit. hæredit.* quia error circa fructus videtur esse error facti: existimat enim possessor, se illos percipere ex re sua. Iam autem ignorantia facti ad præscriptionem prodest, *d. l. iuris & d. l. Error.*

3 Dixi, iuris clari ignorantiam non prodesse; quia aliud dicendum de ignorantia iuris valdè dubij, vel etiam verè dubij, Navarr. *d. loco*: quia quando ius est verè dubium, id est de quo vtrimque multorum sunt sententiæ, licèt in praxi vtramlibet sequi sententiam, perinde ac si clarum ius esset, Lessius 2. *de Iustit. cap. 6. disput. 5. num. 16.*

4 Quòd si verò dubitet quis, an res sit sua, non erit bonæ fidei, ad inchoandam possessionem, quamdiu manet dubitatio, Covar. *ad Reg. Possessor. 2. p. §. 7. n. 3. & seq.* quia vt quis rem, quam antea non habebat, sibi vindicare & vsurpare incipiat, requiritur, vt determinatè iudicet eam vel nullius esse, & ita fieri suam per occupationem, vel certè esse suam licèt id antea non adverterit. Censetur tamen talis habere bonam fidem, sufficientem ad continuandam possessionem, bonâ fide cœptam. Probatur *ex can. si virgo 34. quæst. 1.* vbi dicitur, *in iure prædiorum tandiu quemque possessorem bonæ fidei dici, quamdiu se possidere ignorat alienum: & ex d. leg. fin. hoc tit.* vbi dicitur, *oportere, vt qui scribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Etenim dubius non est sibi conscius rei alienæ, & ignorat se possidere alienum; atque in dubio melior est conditio possidentis, quàm non possidentis. Videatur Covar. *d. loco* §. 7. Lessius *d. c. 6. dub. 3. & 4.* vbi tradit, quòd dubitans, num res sit sua, & simul dubitans, an liceat eam sibi retinere, & tamen retinens rem, malâ fide continuet possessionem, nec ei currat præscriptio, *l. Si fur. ff. de vsucap.*

In possessore autem, titulum iustum & coloratum habente, videtur in dubio rectùs præsumi bona fides, *arg. l. Verius ff. de probat.* nisi fortè à rei domino, ne emeret, admonitus, emerit nihilominus, *l. Si fundum, Cod. de rei vindicat.* vel aliàs contra legum interdicta mercatus fuerit. 5

§. IV.

Quo tempore bona fides requiratur.

1 *Mala fides superveniens iure civili non interrumpit vsucapionem.*
2 *Hæres proinde malæ fidei succedens defuncto rectè præscribit eo iure.*
3 *Singularis successor quando accessionis iure vtatur.*
4 *Iure Pontificio bona fides omni tempore adesse debet.*
5 *Bona fides à quo tempore adesse debeat in contractibus.*
6 *Mala fides, post completam vsucapionem superveniens, non nocet.*
7 *Per vsucapionem acquiritur dominium etiam directum.*
8 *Ratio introducendæ vsucapionis.*
9 *Removentur opposita.*

REquiritur autem de iure civili tantùm ab initio bona fides: nam eo iure mala fides superveniens non interrumpit præscriptionem; * quia illa est facti, vsucapio verò seu præscriptio; (nam hæc duo hodie confunduntur) iam inchoata est iuris: quæ autem sunt facti, non debent tollere ea, quæ sunt iuris, *l. Si vnus, §. pactus ne peteret ff. de pactis.* * Et ideò iure civili si defunctus possederit bonâ fide rem aliquam aliquo tempore, poterit eius successor vniversalis, v.g. hæres aut bonorum possessor 1 2

possessor aut fideicommissarius, licet malæ fidei fuerit, vsucapere, vtendo accessione illius temporis, quo defunctus possedit, & cœpit vsucapere: quia sufficit defunctum ab initio fuisse bonæ fidei possessorem, cùm eius personam repræsentet, sitque successor vniversalis, *l. Hæres 22. ff. de vsucap.* & eiusdem cum illo iuris, *l. Haredem 59. ff. de reg. iuris*; habeaturque pro eadem persona, *d. l. Hæres.* Hinc etiam è diverso, si defunctus fuerit malæ fidei possessor, hæres eius quantumvis bonæ fidei, nullo tempore poterit præscribere, licèt non vtatur accessione temporis, quo defunctus possedit: quia repræsentat personam defuncti, in illiúsque omne ius succedit, & vitia refert, nec malam fidem suâ ignorantiâ excludit, *leg. Cum hæres 11. ff. de diversis & temporal. præscript.*

3 In singularibus autem successoribus quovis titulo, sive lucrativo sive oneroso, non aliter tempora coniunguntur, quàm si vterque, tam auctor quàm successor, bonæ fidei initium habuerit. Ideóque si venditor fuerit bonæ fidei possessor, emptor verò malâ fide cœperit possidere rem, non poterit vti accessione temporis, quo venditor possedit, neque etiam absque accessione per se vllo tempore vsucapere, *l. 2, §. si eam rem ff. pro emptore.* Et contra, si venditor malâ fide, poterit hic quidem per se tempore legitimo vsucapere, quia in successorem singularem vitia actoris non transeunt nec impediunt vsucapionem, *cap. Cura inf. de iure patronatus*: non tamen poterit vti auctoris sui accessione.

4 At verò iure Pontificio malæ fidei possessor nullo tempore, quantumuis longo, præscribit, & mala fides superveniens interrumpit præscriptionem, *c. fin. h. t.* quia qui scit rem esse alienam ante completam vsucapionem, & tamen retinet tanquam suam, peccet mortaliter, *d. c. fin. can. Si quid manifesti 34. q. 5.*

Nec obstat ratio iuris civilis, quia illa ex iuris quadam subtilitate nata est, quæ animæ periculo non est præferenda. Et ideò etiam in foro sæculari seu laico ius Canonicum servandum est; quia regula est, quòd, quando ius civile pugnat cum Canonico, & agitur de peccato vitando, sequendum sit Canonicum, etiam in foro civili, *c. Nolit 13. sup. de iudiciis.*

5 Observanda verò hîc est differentiâ inter emptionem & alios contractus: nam in aliis contractibus sufficit adesse bonam fidem à tempore traditionis, licèt ea non adfuerit à tempore contractus, *l. Si aliena 10. l. Si is qui 15. l. Iusto 44. ff. de vsucap.* In emptione verò adesse bona fides debet non solùm tempore traditionis, sed & tempore ipsius contractus. Ratio diversitatis est, quia improbè facit, qui, dato pretio, rem alienam invito domino transferri in se studet per venditoris fraudem: nec potest in mala fide non esse, qui rem ab eo nundinatur, quem scit non esse dominum, nec ius alienandi habere, *l. Si in emptione 34. §. item ff. de contrah. empt. l. Alienum 6. l. Eos 14. & l. Si seruum 16. Cod. de furtis.* At verò si v.g. mihi stipuler ab aliquo rem alienam sciens, sufficit ad præscriptionem, quòd existimem eius esse, tempore traditionis, quia possum meritò existimare, illum sibi eam rem comparasse, ad satisfaciendum promissioni suæ. Quamquam si quis, iustissimo errore ductus, putet se emisse rem, quam non emit, vt quia persuasum ei sit, à servo vel procuratore suo esse emptam, possit, non obstante errore, rem talem præscribere, *leg. 2. §. si à pupillo, cum seq. ff. Pro emptore.*

Sed quid si, præscriptione legitimè completâ, superveniat deinde scientia rei alienæ? Poterit qui præscripsit, non obstante tali scientiâ, rem præscriptam retinere, tanquam iam non amplius alienam, sed suam: quia per præscriptionem auctoritate legis acquiritur dominium illius, * non tantùm vtile, sed etiam 7 directum, sive sit res mobilis, sive immobilis, vt patet *ex l. 3. ff. de vsucap.* vbi vsucapio dicitur esse adiectio sive acquisitio dominij, sine distinctione vtilis vel directi. Similiter Canones indistinctè loquuntur de dominio, dum agunt de vsucapione seu præscriptione, & *in can. Clerici 26. quæst. 3.* dominium, per præscriptionem acquisitum, vocatur proprietas. Idque obtinet, sive dominus fuerit negligens, sive non: * quia leges introduxerunt præ- 8 scriptionem non tam ob negligentiam dominorum: quàm ob bonum publicum, ne diu & ferè semper incerta essent rerum dominia, *leg. 1. ff. de vsucap.* vtque litium aliquando esset finis, *leg. fin. ff. Pro suo*; & longi temporis error ac confusio evitaretur, *cap. Vigilanti 5. h. t.*

Ideóque non obstat, quòd dicitur, neminem privandum esse re suâ sine culpa: quia id non 9 obtinet, quando, vt privetur, exigit ratio boni communis seu publici.

Hinc etiam non obstat Reg. quâ dicitur, id, quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non debere, *leg. Id quod nostrum ff. de regul. iuris*: quia id fieri potest postulante bono publico: & diuturnum domini silentium est veluti factum eius, alienantis rem suam,

l. alienationis 28. ff. de verb signific. Idque ex dispositione legis, quæ propter bonum publicum præsumit dominum, tanto tempore tacentem, & in rebus suis requirendis ac recuperandis negligentem, in alienationem earum consentire. Ideó juc non potest etiam dici præscribens locupletari cum alterius, scilicet domini, jactura, *contra l. nam hoc natura ff. de condict. indebiti:* quia is sibi imputare debet, quòd intra statutum à lege tempus rem suam inquirere & à possessore recuperare non studuerit.

Non obstat quoque, quòd is, cui res est adiudicata per sententiam iudicis, nitentem & subnixam falsa præsumptione, teneatur ad restitutionem: tum quia iudex per suam sententiam non intendit transferre dominium, sed solùm declarare, vtrius sit? cùm interim per legem præscriptionis intendat, ita exigente bono publico transferre dominium in præscribentem: tum quia præscriptio non nititur falsa præsumptione negligentiæ, sed exigentiâ boni communis.

§. V.

De Titulo.

1 *Ad vsucapionem necessarius est titulus sive causa possidendi.*
2 *Titulum sufficit esse putativum, non verum. 5.*
3 *In præscriptione longissimi temporis non est necessarius. 4.*

1 INsuper ad præscriptionem requiritur iustus titulus, id est causa habilis ad transferendum dominium vel vsucapiendi conditionem. Talis est stipulatio, emptio, donatio, permutatio, testamentum, legatum, & similes; *l. diuturna Cod. de præscript. longi temporis.* Nàm titulus huiusmodi est causa iustæ possessionis, quæ est proxima causa vsucapionis seu præscriptionis. Et regula iuris est, absque iusto titulo non posse dominium per vsucapionem seu præscriptionem acquiri, *l. nullo iusto 24. Cod. de rei vindicat.* Hinc commodatarius, depositarius, conductor, colonus, inquilinus, rem commodatam, depositam, conductam præscribere non possunt: quia non sunt illi iusti tituli, id est. habiles & sufficientes ad transferendum dominium.

2 Necesse tamen non est, hunc titulum esse verum, sed sufficit esse putativum seu quòd meritò & iusto errore putetur esse verus. Hinc etiam nunc pro emptore, nunc pro legato, nunc pro dote, nunc pro suo, & sic de similibus, quamvis verus titulus non adsit, ratione iusti erroris permissa est vsucapio: vt v. g. si fundum, quem mihi tradis, dicas te vendidisse patri meo, nec tamen vendideris, *l. Si ancillam ff. Pro suo:* vel dixeris mihi rem legatam, cùm non esset, *l. fin. ff. pro legato.*

3 An verò de iure canonico etiam requiratur titulus, meritò dubitari potest, præsertim ob *cap. ad aures, cap. Si diligenti hoc tit. cap. eod. in 6.* vbi traditur sufficere bonam fidem, neque esse necessarium titulum, nisi præsumptio vel ius commune sit contra præscribentem.

4 Cæterùm hoc intelligendum videtur de præscriptione longioris temporis, quàm ordinarij, ad præscribendum, veluti centum annorum ve 30. aut 40. Nam regulariter in huiusmodi præscriptione neque de iure canonico, neque de iure civili requiritur titulus, sed sufficit bona fides cum possessione tanti temporis: quia fere multa habemus in rebus nostris, quæ propter diuturnitatem temporis quo titulo acceperimus, ignoramus videatur Covar. *ad reg. possessor. § 5. num. 2.*

5 Vt verò breviori vel alio tempore ordinario, v.g. 10. vel 20. annorum, contra privatum præscribatur, verus vel putatiuus requiritur titulus, *l. Celsus ff eod. c. Si diligenti hoc tit. l. vnica Cod. de vsucap. transformanda:* nisi sit præscriptio rerum incorporalium, *l. Si quis diuturno ff. Si seruitus vindicetur:* quia tractatur de modico præiudicio; secus, si de magno: vel nisi sit præscriptio statutaria, in sua secundum Bald. *in l. 2. C. de præscript. longi temporis* non requiritur titulus.

§. VI.

De Tempore.

1 *Tempus ad vsucapionem requisitum est varium.*
2 *Res mobiles priuati hominis triennio vsucapiuntur.*
3 *Res mobiles & immobiles sine titulo 30. annis. 5.*
4 *Immobiles cum tit. 10. vel 20. annis.*
6 *Contra Ecclesiam Romanam centum annis.*
7 *Contra aliam piam causam quadraginta.*
8 *Exceptio.*
9 *Nomine rerum immobilium qua veniant.*
10 *Seruitutes etiam præscribi ad instar rerum immobilium.*

11 *Seruitus*

11 *Servitus mixta & realis quæ dicatur.*
12 *A quo tempore servitutum currat præscriptio.*
13 *Quo pacto iura incorporalia dicantur vsucapi.*

DEnique requiritur, vt tempus ad præscri- 1
ptionem seu vsucapionem à iure præscriptum sit completum: quod tempus pro varietate rerum, quæ præscribuntur, varium est. Et quidem ante Iustiniani tempora res mobiles in Italia poterant vsucapi annali possessione, immobiles verò biennio, *institut. de vsucap. in princ.* Cum verò hoc ius non satis esset consentaneum æquitati, Iustinianus illud reformavit, & statuit, * vt res mobiles hominis privati, vel 2
etiam Ecclesiæ cuiusvis, triennali possessione vsucaperentur, prout de rebus privati hominis constat *ex l. vnica C. de vsucap. transfor. & institut. dict. tit.* & de rebus Ecclesiæ ex *Auth. Quas actiones Cod. de sacrosanctu Eccles.* quæ Authentica recepta est ab Ecclesia, vt patet *ex can. vlt. & penult. 16. quæst. 3.*

Ad vsucapionem rerum mobilium sine titulo 3
requiruntur triginta anni, sive eæ privatæ sint, *l. 3. Codice de præscript. 30. vel 40. annorum*; vbi res immobiles contra privatum præscribuntur triginta annis sine titulo (nam inde idem iudicandum est de mobilibus, quandoquidem de iis nihil aliud statutum sit, deficiente titulo;) sive Ecclesiæ, quia cùm Ecclesia in mobilibus non habeat privilegium, sed tantùm in immobilibus, quoad res mobiles censeri eodem iure debet, quo privatus. Videatur Covar. *ad Reg. possessor. §. 5. n. 2.*

Quod ad res immobiles attinet, eæ quoque 4
vel sunt privatorum, ad quarum præscriptionem cum titulo requiruntur decem anni inter præsentes, viginti inter absentes, *institut. dict. loco, & dict. l. vnica.* Præsentes dicuntur, qui in eadem civitate vel Provincia habitant: absentes, qui in diversis provinciis, Abbas in *cap. de quarta hoc tit.* sive res sit sita in eadem civitate vel Provincia, sive alibi, etiam trans mare: nam in præscriptione situs rei præscribendæ non attenditur, *l. cum in longi §. sancimus Cod. de præscript. longi temp.*

Quòd si quis præsens fuerit octo annis, & postmodum aliò migret mutandæ habitationis causa, vt res immobilis contra ipsum præscribatur, seu potiùs vt præscriptio, inchoata per octo annos, compleatur, opus erit adhuc quatuor annis, quia supererant duo anni ad eam complendam contra præsentem, qui duplicari nunc debent ratione absentiæ, *Auth. quòd si quis C. de præscript. longi temp.*

Sine titulo præscribuntur res immobiles triginta annis, *ex c. Sanctorum 3. h. t. l. si quis §. 1. C. de præscript. 30. annorum.* 5

Vel sunt res immobiles Ecclesiæ; eæque vel Romanæ, ad quarum præscripionem contra ipsam Ecclesiam requiruntur centum anni, *cap. cum vobis 14. h. t. c. fin. eod. in 6. Auth. quas actiones C. de sacros. Eccles.* 6

Vel alterius Ecclesiæ, Hospitalis, monasterij, aut piæ causæ, veluti legata & donationes ad pias causas, & requiruntur quadraginta anni, vt de Ecclesia habetur *in cap. de quarta 4. hoc tit.* de aliis verò piis locis & causis *d. Auth. quas Actiones*, Covar. *in d. Reg. possessor §. 2. n. 3.* Idque obtinet, sive sit privatus, qui præscribit, sive alia Ecclesia, etiam Romana seu summus Pontifex, præscribat. * Attamen adversus mo- 8
nasteria quædam & Collegia Regularium ex privilegio non præscribitur, nisi sexaginta annis: veluti adversus monasteria ordinis sancti Benedicti, eósque, qui illorum privilegiis gaudent, & adversus Congregationem Sancti Saluatoris. Quòd si postquam quis per quinquennium cœperit præscribere rem immobilem privati cum titulo, ea res devenerit ad Ecclesiam inferiorem Romanam, satis erit possidere, deinceps cum bona fide per viginti annos, vt adversus eam Ecclesiam valeat, præscriptio, quia deerat solùm dimidium temporis requisiti ab præscribendum contra privatum inter præsentes: si verò ad Ecclesiam Romanam pertinere incipiat, sufficit deinceps possessio quinquaginta annorum. Cæterùm ipsa Romana Ecclesia seu summus Pontifex, & quilibet alius Princeps adversus privatum eodem tempore præscribere potest, quo quilibet privatus adversus alium privatum.

Nomine autem rerum immobilium compre- 9
henduntur etiam iura & actiones ad immobilia: item census, reditus, beneficia, ius patronatus ac seruitutes, * nam & hæ quoque, saltem 10
mixtæ & merè reales præscribuntur eodem tempore, quo res immobiles, nempe cum titulo decè annis inter præsentes, viginti inter absentes, & sine titulo triginta annis *l. fin. vers. fin. C. de præscript. long. temp.* nec eo casu, quo adest titulus, in merè reali servitute requiritur scientia & patientia eius, contra quem præscribitur, *d. l. fin. 1.* sed tunc solùm, quando abest titulus, *l. 1. & 2. C. de servitutib. & aqua.*

Servitus mixta dicitur, quæ à re debetur 11
personæ. Talis est vsusfructus, qui præscribitur non ratione possessionis, quam vsufructuarius habet in fundo, cùm illa possessio sit tantùm naturalis, sed ratione civilis possessionis ipsius

ipsius iuris vtendi fruendi, seu iuris; quod vocatur vsusfructus, Gomes. *Var. resolut. l. 2. cap. 15. sub num. 20. versic. item etiam quia illa possessio.* Servitus merè realis dicitur, quæ à re rei debetur. Et licèt quidem hic distinguant inter merè reales continuas, quales volunt esse tigni immittendi, oneris ferendi, stillicidij, & similes, & inter discontinuas, quales ponunt servitutem itineris, viæ, actus: tamen hanc distinctionem alij meritò improbant, cum omnes servitutes habeant causam continuam, licèt exercitium interdum intermittatur, *l. 14. C. de servitutibus, l. 8. ff. eod. tit.* animóque perpetuò retineantur.

2 Cùm autem proxima causa præscriptionis sit continua possessio, sciendum, eam aliter incipere in servitutibus affirmativis, id est in quibus tribuitur ius ad aliquid agendum, circa rem alterius, vt est tigni immittendi, aquæductus, & similes; aliter verò in negativis, id est quibus ius datur ad impediendum, ne quis aliquid agat, v. g. ne altiùs tollat domum, ne venetur in tali silua, ne eruat lapides in tali fundo: nam in affirmativis incipit ab eo die, quo quis tali iure vtitur bona fide; in negativis verò incipit ab eo die, quo quis prohibet vel impedit alterum, ne quid agat.

3 Sed quomodo, inquies, servitutes, aliáque iura incorporalia, vsucapi & præscribi possunt, cùm neque tradi neque possideri queant, & sine possessione non contingat vsucapio seu præscriptio? quia licèt propriè non tradantur, nec etiam propriè possidentur; tamen, sicuti quasi traduntur, & quasi possidentur, ita etiam quasi vsucapionem seu præscriptionem admittunt, & quidem instar immobilium, *leg. fin. Cod. de præscript. long. temp. leg. 2. & penult. Cod. de servitutib.* quia in immobilibus annumeratur, *leg. 13. C. d. tit.*

§. VII.

Quinam præscribere possint.

1 *Tantum præscriptum, quantum possessum.*
2 *Etiam filiusfam. & pupillus vsucapere potest.*
3 *Non servus.*

1 ILlud nunc restat inspiciendum, quinam præscribere possint & quæ res præscribi. Præscribere possunt, qui suo nomine possidere: quia, vt dictum est, sine possessione non cuiit præscriptio; * & inde tantum dicitur præscriptum, quantum possessum, & non amplius, *cap. cum olim, & ibi DD. h. t. l. 1. §. Iulianus, & ibi Gloss. Bart. & alij, ff. de itinere actuque priuato.* Ideóque præscripta v. g. servitute pascendi centum oues in fundo alieno, si maior numerus pascatur, non censetur aucta servitus, *d. §. Iulianus. l. 12. Cod. de servitutibus. l. 1. §. 18. ff. de aqua quotid. & æstiua.*

Hinc igitur non solùm paterfamilias, sed 2
etiam filiusfamilias, maximè castrensia & quasi castrensia peculia, vsucapere potest: & similiter pupillus, *leg. 4. §. 1. & 2. ff. de vsucap.* etiam sine tutore, modò habet animum possidendi, *d. §. 2.* Azor. in *Summa tit. de vsucap. pro emptore num. 4.* Item infans, sed tutore, auctore, *l. 32. §. 2. ff. de acquir. possess.* Sic etiam furiosus, quod ante furorem possidere cœpit, vsucapit, *dict. l. 4. §. 3.* Hostien. *in summa hoc t. num. 3.* * Aliud 3
dicendum de seruo: nam is vsucapere non potest, *d. l. 4. §. 4. l. 22. & 118. ff. de Reg. iuru*; quamvis Dominus etiam ignorans ex causa peculiari per servum possit vsucapere, *l. 1. §. 5 ff. de acquir. possess. l. 2. ff. pro soluto.*

§. VIII.

Quæ res præscribi possint.

1 *Præscribi possunt res omnes, non prohibitæ specialiter.*
2 *Prohibentur, Exemptio ab obedientia superioris.*
3 *Ius visitandi, procurationis exigendæ.*
4 *Res, non sunt in commercio.*
5 *Limites prouinciarum.*
6 *Res pro indiuiso communes pluribus.*
7 *Res meræ facultatis, &c.*

PRæscribi seu vsucapi possunt res omnes 1
quæ nominatim vel lege aliqua vel speciali, ratione non prohibentur; cùm corporales, sive eæ mobiles sint sive immobiles, *institut. de vsucap. in princ.* tum etiam incorporales, modo antea dicto.

Prohibentur autem præscribi, Primò, Exemp- 2
tio ab obedientia superioris, cum non liceat à capite membra recedere, *cap. cum non licet 12. hoc tit.*

Secundò, ius visitandi & procurationis exi- 3
gendæ, aduersus superiorem, quando scilicet ea procuratio ex iure competit: non si ex privilegio vel consuetudine, quia tunc præscribi poterit, *cap. cum ex officij 16. hoc tit. iuncta*

doctrina

doctrina DF. *ibid.* Capella Thoſoſ. 332. Hinc quia legatis & Nuntiis Sedis Apoſtolicæ ex iure procurationes debentur, adverſus eas præſcriptio locum non habet, *cap. Accedentes 11. hoc tit.* Alius tamen, præter ſubditum, præſcribere poteſt adverſus Prælatum, vt ad ſe pertineant illius ſubditi, & à ſe in poſterum viſitentur, ſibique, non antiquo Prælato, procuratio debeatur, *d.c. cum ex officij h.t.*

Tertiò, Res vſibus publicis deputatæ, vt forum, theatra via publica, & ſimiles, itémque res commercio hominum exemptæ, vt res ſacræ, religioſæ §. *ſed aliquando inſtitut. eod. l. 9. ff. eod.* Item ius decimarum laico poſt Concilium Lateranenſe præſcribi nequit, ſicut nec quælibet alia res ſpiritualis, quia eius eſt incapax laicus, *c. Cauſam 7. h.t.*

Quartò, limites prouinciales Epiſcopatuum ac Parochiarum, & quæ huiuſmodi finibus cohærent, modò tamen conſtet tales fines præfixos conſtitutoſque fuiſſe, *cap. ſuper eo 4. inf. de Parochiis, can. Quicumque iuncta Gloſſ. can. licet cum can. ſeq. 16. quæſt. 4.* ne ſcilicet provinciarum termini confundantur, *dict. can. Quicumque.* Aliàs ſi de his non conſtet, vel probare non poſſint, præſcribi poterunt, *cap. Quia iudicante 9. hoc tit. can. volumus 16 quæſt. 5.*

V. Liber homo VI. Res furtiva & vi poſſeſſa, & quæ ex ea naſcitur, §. *furtiva inſtitut. de vſucap.* VII. Res fiſci, *inſtitut. eod.* VIII. Res alienari prohibitæ, vt res pupillares, *l. 10. ff. Quemad. ſervitus amit.* IX. Res dotales, *l. 4 & 16. D. de fundo dotali*: niſi inchoata fuerit præſcriptio antequam fierent dotales, *l. 30. §. fin. C. de iure dotium.*

6 X. Res indiviſim communes pluribus, ab aliquo ſociorum præſcribi non poſſunt, cùm is nomine aliorum poſſideat, *l. Communem D. Quemad. ſervitus amit.* niſi, iuxta diſtinctionem Boërij *Deciſ. 58.* conſortes ſeu fratres aut cohæredes æquis portionibus pro diviſo poſſederint: nam tunc præſumitur inter eos facta diviſio.

Denique, vt alias ſimiles omittam, res, quæ ſunt meræ facultatis, præſcribi nequeunt, *l. 2. D. de via publicâ*: niſi prohibitioni interpoſitæ is, qui meram facultatem habet, cum patientia acquieuerit. Vide Gaill. 2. *obſer. 18. num. 4.* vbi tradit, iuri offerendi propterea non præſcribi, ne quidem ſpatio triginta annorum, quia conſiſtat in mera facultate; & ſimul oſtendit, ius offerendi habere quoque locum inter creditores: ei tamen præſcribi ſpatio 30. annorum, quia non competat creditoribus per modum facultatis, ſed per modum actionis, cùm ſit acceſſorium ad ipſam actionem: ad exemplum actionis hypothecariæ, quæ ſimiliter triginta annis præſcribitur, *l. cùm notiſſimi C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Gaill. *dict. loc. num. 12.*

TITVLVS XXVII.

De ſententiâ & re iudicatâ.

§ I.

Sententia quid ſit & quotuplex.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Sententia & Res iudicata quid ſit?*
3 *Sententiarum alia definitiva, alia interlocutoria.*
4 *Definitiva alia condemnatoria, alia abſolutoria.*
5 *Interlocutoria qua ſit.*
6 *Et vnde ſic dicatur?*
7 *Alia eſt merè interlocutoria, alia vim habens definitivæ.*

EXPEDITIS iis, quibus ſe actores ad agendum, & intentionem ſuam fundandam, muniunt, & iis, quibus è diverſo rei ſeſe ad propulſandas & elidendas actiones, & intentionem actorum enervandam, atque abſolutionem ab impetitione eorundem per ſententiam iudicis aſſequendam, deſendunt: ſequitur, vt agamus de ipſa ſententia, quâ iudex, viſis actis, probationibus, allegationibus atque exceptionibus, ſecundùm quod ex iis ſibi iuſtum viſum fuerit ſuper cauſâ controverſâ pronuntiat, & finem controverſiæ imponit, vel abſoluendo vel condemnando, & conſequenter de re iudicata. 1

Nam ſententia hic eſt ipſa pronuntiatio ſeu definitio iudicis, finem controverſiæ imponens. Res verò iudicata eſt ipſa cauſa controverſa, quæ finem controverſiæ pronuntiatione iudicis accepit, vel abſolutione vel condemnatione, *l. 1. ff. de re iudicata.* Quamquam & ſententia quatenus decurſo ab ea appellationis tempore manet, veluti à partibus approbata & iudicata dicatur, eóque pacto dici ſoleat, ſententiam tranſire vel tranſiuiſſe in rem iudicatam. 2

Sententiarum alia eſt definitiva, alia interlocutoria. Definitiva eſt ſententia iudicis, quæ principalem

principalem causam seu controversiam definit ac terminat, absoluendo vel condemnando, *l. 1. ff. de re iudicata*, *Gloss. in clement. 2. de sequestrat. possess. & fructuum.*

3 Per hoc, quod dicitur, sententia iudicis, excluduntur Arbitrium, transactio, iusiurandum, Præceptum de soluendo, quod fit in confessum, non seruato ordine iuris, & sine causæ cognitione: quia licèt hæc causam definiant, non tamen sunt sententiæ definitivæ iudicum.

Dicitur, Absoluendo vel condemnando; quia aliàs non esset definitiva, *d. l. 1. ff. de re iudicata*, *& l. Præses 3. C. de sent. & interlocut. om. iud.* Nisi sit sententia in causa appellationis, in qua sufficit dicere iudicem, malè esse appellatum, benè iudicatum, vel contrà *l. Eos qui 6. Cod. de appellat.* Non est tamen necesse iudicem vti verbo condemno vel Absoluo, sed sufficit, quòd vtatur æquipollentibus, *Glossa in d. l. Præses*: quia, licet, vbi certa verba pro forma requiruntur? vti in Baptismo & Eucharistia, non sufficiant æquipollentia, tamen sufficiunt, vbi verba in genere pro forma requiruntur, vt in sententia definitiva, in matrimonio, in quo sufficit consensum per quæcumque verba exprimere, *cap. Ex litteris cap. Ex part. inf. de sponsalib.* & in stipulatione, *l. 1. §. Si quis ita & §. fin. ff. de verb. oblig.*

4 Hinc autem patet definitivam esse duplicem, scilicet condemnatoriam Absolutoriam. Exempla sententiæ definitivæ sunt, si iudex pronuntiet satisdandum esse, vel non esse, quando principaliter petitur, alioquin non esset definitiva: si de nullitate sententiæ principaliter dubitetur, & super ea sententia feratur: si pronuntietur rem esse petitoris: si quis condemnetur ad restituendam rem aliquam; & sic de similibus.

5 Sententia Interlocutoria propriè dicitur, quæ inter principium & finem causæ super aliquo incidenti vel emergenti profertur, *Glossa, in clement. 1. de sequestrat. possess. in 5. definitiva*, Maranta *in Spec. part. 6. tit. de sententiis num. 2.*

6 Dico, propriè; quia interdum interlocutoria fertur post finem causæ & sententiam latam, & tamen manet interlocutoria, *l. cum clericis Cod. de Episc. & clericis l. iubemus, & ibi Gloss. Cod. de advocat. diversi. iudicior.* Interdum etiam, vbi non est aliud aliquod principium vel finis, *§. si quis autem novel. de hæredit. & Falcidia.* Ideóque generaliter definiri posse videtur, quòd sit pronuntiatio iudicis, facta ad alicuius articuli expeditionem.

Dicitur autem interlocutoria, & interlocutio simpliciter, è modo proferendi, vel quia iudex per eam non definiat causam; sed vt plurimùm summariè inter partes, interim, & dum exspectatur iudicium definitivum, super aliquo incidenti vel emergenti interloquitur: vel quia inter partes loquendo sine solemnitate scripturæ pronuntiat. Hostiens. *in summa hoc tit. §. 2. in princ.* Veluti si iudex interloquendo concedat vel deneget parti petenti dilationem aut testium productionem: si dicat procedendum esse in causa: si declaret se iudicem competentem: & breviter, omne iudicis decretum est sententia interlocutoria. 7

Interlocutoria dividitur in merè interlocutoriam, & interlocutoriam, quæ habet vim sententiæ definitivæ. Merè interlocutoria dicitur, quæ neque instantiæ neque negotio principali, nec etiam articulo substantiali negotij principalis finem imponit, seu quæ quoad id, super quo fertur, non parit præiudicium irreparabile, nec, quantum est ex se, facit cessare officium iudicis, sed potest ab eodem iudice reuocari. Talis est, quâ defert appellationi; licèt hæc non possit reuocari, quia id fit ex eo, quòd iudex deferendo appellationi, abdicet à se omnem iurisdictionem. Talis quoque est omnis pronuntiatio iudicis post definitivam, quia finito negotio, nihil quoad illud supereſt definiendum. 8

Sententia interlocutoria, vim definitivæ habens, dicitur, quæ quoad id, super quo fertur, parit præiudicium irreparabile per definitivam, vel appellationem à definitiva, & postquam non exspectatur alia sententia super eo, super quo lata est; seu quæ causam principalem non definit, sed vnam partem substantialem negotij principalis, & post se aliam exspectat sententiam, quæ toti causæ finem imponat. Talis est, quâ pronuntiatur causa deserta. Item præceptum de soluendo: & omnis sententia, quæ definit vnum articulum substantialem negotij principalis: vt si iudex minorem, petentem restitui in integrum, pronuntiet non esse minorem: si admittat vel reiiciat exceptionem peremptoriam: insuper omnis interlocutoria, quæ continet aliquid dari vel fieri. Videatur Maranta *part. 6. in 5. & demùm fertur sententia §. deciſoria iudicij à num. 42. vsque ad 45.* 9

***

§. II.

De differentia inter sententiam definitivam & interlocutoriam.

1 *Definitiva totum negotium definit, non interlocutoria.*
2 *Definitiva revocari non potest.*
3 *Modò sententia sit valida.*
4 *Interlocutoria revocari potest 5.6.*
7 *Etiam tacitè.*
8 *Etiam à successore & iudice appellationis.*
9 *Item à delegante delegati interlocutoria.*
10 *Nisi fuerit mandata executioni.*
11 *Nisi transierit in formam contractus, & aliis modis.*
12 *Revocari etiam nequit interlocutoria vim definitivæ habens.*
13 *Definitiva in scriptis debet.*
14 *Servato iuris ordine.*
15 *Et citatâ parte absente.*

1 PAtet autem ex ante dictis, sententiam definitivam ab interlocutoria in primis distingui in eo, quòd definitiva totum negotium principale definiat, eique finem imponat: interlocutoria non, sed tantum articulum, super quo fertur.

2 Secundò differt, quòd definitiva revocari non possit ab eodem iudice, ne de consensu quidem partium, lata in causa sive civili sive criminali; & ne quidem prætextu erroris infra decem dies, licèt eam iudex in melius reformare vellet. Ratio est, quia ea lata iudex functus est officio suo, *l. iudex postea quam 55. ff. de re iudicata*; & quia litium finis aliquis esse debet.

3 Neque verò quoad principale dumtaxat negotium iudex suam sententiam definitivam revocare non potest, sed nec quoad accessoria, v.g. quoad expensarum aut fructuum condemnationem vel absolutionem, quia accessorium sequitur principale. Et ideò sicut principale, quod est sententia definitiva, revocari nequit, ita nec accessorium. Sed nec iudicis, qui sententiam definitivam tulit, successor eam revocare potest, *l. Post sententiam C. de sentent. & interlocut.* Quamquam Princeps suam sententiam mutare & ad nutum corrigere possit: quia sententia est de iure civili, quo solutus est Princeps.

Prædicta tamen intelligenda sunt de sententia definitiva valida. Nam si sit ipso iure nulla, tunc eadem causa ob eodem iudice iterum cognosci potest: veluti si vnus ex iudicibus, quibus causa fuit delegata, dum sententiâ cũ aliis ferret, fuerit publicè excommunicatus, sententia ipso iure est nulla, qui in publicè excommunicato non inhæret iurisdictio, *cap. Ad probandum 24. hoc tit.* Et propterea alij iudices iidémque non excommunicati, iterùm de eadem causa cognoscere possunt.

At verò merè interlocutoriam iudex, qui eam tulit, revocare potest, etiam nemine petente, ac consensu partium vel alterius non intervenient, *cap. cum cessante & ibi DD. in 5. liberè inf. de appellat.* Sicut & omne grauamen, quod intulit, *cap. Concertationi 8. & cap. 10 de appellat. in 6.* adeò quòd, inspecta nuda potestate iudicis, eam revocare possit, etiam in deterius; quamuis secus ex æquitate, *d. cap. cum cessante*, ibi, *sano vsus consilio*: & sive sit lata in iudicio sive extra iudicium, quia *d. cap. cum cessante* loquitur generaliter, & de communicatione, quæ extra iudicium fieri potest. Et hoc obtinet tam in delegato iudice, quam in ordinario, *d. cap. Cum cessante & ibi Gloss.* licet etiam ab interlocutoria sit appellatum, *dict. cap. cum cessante*: quia, licèt per appellationem à definitiva desinat esse iudex, & iurisdictio transferatur in superiorem, non tamen per appellationem ab interlocutoria vel grauamine, saltem incommutabiliter, *l. Quod iussit 14. ff. de re iudicata.* Si tamen iudex à quo statuerit appellanti terminum recipiendi Apostolos; & arripiendi iter ad superiorem, quiescere interim officium eius debet.

Rursus reuocari potest sententia merè interlocutoria, sive erratum fuerit interloquendo, sive non; licèt pars, ad cuius vtilitatem lata fuit, possit à tali reuocatione appellare: & rursus sive lata sit super incidenti vel emergenti aut super processu, sive valida sit aut nulla, sive ante aut post decem dies, vsque ad sententiam definitivam; quia licèt quoad partem transeat in rem iudicatam, non tamen quoad iudicem, *Glossa in dict. cap. cum cessante*

Nec obstat, quòd post decem dies sit parti quæsitum ius, quod iudex non videtur posse tollere, *leg. Id quod nostrum ff. de reg. iuris*: quia licèt index ius parti quæsitum irreuocabiliter, veluti per sententiam definitivam, tollere nequeat, tamen quæsitum reuocabiliter, veluti interloquendo, tollere potest: sic enim in donationibus causa mortis & contractibus innominatis ius parti quæritur, & tamen tollitur alterius pœnitentia.

Potest item Iudex revocare interlocutoriam non solùm expressè sed etiam tacitè : vt si, postquam pronuntiavit testes audiendos non esse, eos dein admittat, censetur tacitè revocare suam interlocutionem, quia non minùs est facere, quàm dicere.

7 Rursus non solùm Iudex, qui sententiam interlocutoriam tulit, & gravamen intulit, eiusque successor, revocare illam potest, sed & Iudex appellationis, *cap. Non solùm, & c. fin. de appellat. in 6.* in quem per appellationem translata est potestas.

8 Similiter sententiam interlocutoriam delegati potest Iudex delegans revocare, atque etiam totum negotium ad se trahere: quin & revocare Iudicem, qui eam tulit, si eundem delegaverit, *l. Iudicium soluitur 5. ff. de iudic.*

9 Si tamen interlocutoria fuerit mandata executioni, cùm sic res desinat esse integra, revocari non potest : nisi subsit iusta causa, aut revocetur consensu partium, quæ possunt iuri suo renuntiare : vel nisi nullius aut modici sit præiudicij, quia tunc etiam absque consensu partium potest revocari ; sicut & quando non concernit commodum partis, sed Iudicis potestatem : vel nisi sit nulla, quia sicuti de facto est lata, ita de facto potest revocari.

10 Revocari etiam nequit, si transiverit in formam contractus vel quasi contractus : si sit lata cum principali, id est definitiva, quia tunc censetur pars illius : si fuerit confirmata per Principem : si appellatum sit à Iudice, qui eam tulit, & is detulerit appellationi, quia deferendo abdicat à se iurisdictionem, & illam transfundit in superiorem : si Iudex superior inhibuerit : si lata sit de consensu partium, aut per partes confirmata, nam tunc revocari nequit absque partium consensu, nisi causa subsit. Sic nec interlocutoria, lata ante definitivam, post definitivam potest revocari : & generaliter toties Iudex eam revocare non potest, interloquendo functus est officio suo.

11 Dixi ante, merè interlocutoriam posse revocari ; quia sententiam interlocutoriam, quæ vim definitivæ habeat, Iudex nequit revocare, nisi lata sit super incidenti, non finiente litem, sed vnum articulum tantùm, non substantialem negotij principalis : aut lata sit officio Iudicis quoties nobili.

12 Tertiò, differunt, quòd definitiva sententia ferri in scriptis debeat, vt postea dicemus, non item interlocutoria, quæ nudo facto sine scripto ferri potest : nisi in illa magna causæ cognitio verteretur, aut simul cum principali feratur, aut per eam appellatio ad Pontificem interponatur, *cap. 1. hoc tit. in 6.*

Quartò, definitiva non valet, si feratur non servato iuris ordine ; secus die interlocutoria, *can. Si Episcopus 11. quæst. 3.*

Quintò eadem non valet, etiam in favorem partis absentis, non citatæ : secus de interlocutoria. Et sic de similibus, de quibus videri potest Rebuffus *in d. l. Quod iussit ff. de re iudicata versic. Capiamus.*

§. III.

Quomodo ferenda sit Sententia.

1 *Primò in causa concludendum.*
2 *Tum citanda partes ad audiendum ius dici.*
3 *Deinde iudex ipse pro tribunali sedens sententiam ferat.*
4 *Idque in loco publico & consueto.*
5 *Ferenda in scripto sententia.*
6 *Servato iuris ordine.*
7 *Secundum allegata & probata, & secundum ius.*
8 *Debet certa esse sententia, & conformis libello.*
9 *Debet ferri tempore congruo.*
10 *Die iuridicâ, non feriatâ.*
11 *Et quidem de die, & non de nocte.*
12 *Et eâ die, ad quam facta est citatio.*
13 *Continere debet condemnationem vel absolutionem.*
14 *Victus victori in expensas condemnandus.*

HIs præmissis videantur, quando & quo modo Iudex sententiam ferre debeat. Allegatis itaque & probatis hinc inde, ex parte actoris & rei, omnibus quæ ad suam causam & intentionem spectare iudicaverint, Iudex ex officio suo mercenario litigatores interrogare solet, an aliquid adhuc habeant, quod ad intentionis suæ probationem allegatum velint. Quòd si se allegare velle dixerint, audientur, & Iudex competentem terminum statuet, intra quem illud allegent, *Auth. Iubemus Cod. de iudiciis :* quia Iudex non potest sententiam dicere, nisi omnibus auditis, quæ litigatores vtrimque producere & allegare volunt, *can. Iudicantem 3. quæst. 5.* * Si verò dixerint, se nihil aliud proponendum habere, iubet eos vtrimque vlterioribus allegationibus renuntiare, & in causa concludere. Eáque renuntiatio & conclusio confestim actis inseritur, *c. Quoniam sup. de probat.* nec postea

ſtea vlla vel allegatio vel probatio vel exceptio admittitur, *c. Cum veniſſet 25. verſic. renuntiatum fuit ſup. de teſtib.*

2 Indéque Iudex ad cauſæ principalis deciſionem ſe accinget, & allegatis ac probatis omnibus diligenter & maturè diſcuſſis atque examinatis, curabit ad certum diem citari vtrumque litigantium, ad audiendum ius dici & ſententiam ferri, *c. Bertholdus 18. hoc t. in verbis, nec per ſe, & c. c. 2. de dolo in 6.* de vnoquoque enim negotio præſentibus omnibus, quos cauſa contingit, iudicare oportet, inquit Paulus I. C. *l. de vnoquoque 47. ff. de re iudicata.* Adeò vt ſententia contra abſentem non citatum lata ſit nulla, *l. Ea quæ Cod. Quomodo & quando Iudex, &c.* cùm ſic adimatur defenſio.

3 Itaque die dicto, præſentibus litigatoribus, ſeu eorum Procuratoribus, vel etiam abſentibus (dummodò legitimè citati fuerint, & in aſſignatione diei dictum, quòd ſive comparuerint, ſive non, ad ſententiam ferendam procedetur) Iudex ipſe pro tribunali ſedens, & iuſtitiam æquitatémque ac ſolum Deum præ oculis habens, Chriſti nomine invocato (prout ſemper in principio ſententiæ invocari debet, *arg. cap. Veritas*, ibi, *in nomine Domini ſup. de dolo*) ſententiam de ſcripto, ſecundum eum, qui iuſtiorem cauſam ſuſtinuerit, recitabit, & finem controverſiæ principali imponet.

Dixi, Iudex ipſe; quia ſententiam ipſemet ferre debet, niſi conſuetudo vel ſtylus aliud induxerit, aut etiam iura per alium ferri permittant. Sic enim Epiſcopi, aliæque perſonæ illuſtres, per ſubſtitutos ſententias ſuas ferre & pronuntiare poſſunt.

4 Debet autem Iudex Ordinarius, qui certam ſedem habet, recitare ſententiam in loco publico, & maiorum ſuorum, *leg. penult. ff. de Iuſtitia & Iure.* Delegatus verò ad vnam aliquam cauſam eligere locum iuriſdicendi causa, honeſtum tamen, poteſt, *l. Si cum dies §. ſi arbiter ff. de arbitris*; quia is non habet certam ſedem deputatam. Secus obtinet in delegato ad vniverſitatem cauſarum, qui tenetur ſervare locum delegantis. Epiſcopus in quolibet loco ſuæ diœceſis ſententiam ferre poteſt, *c. Cum Epiſcopus, de officio ordinarij in 6.* Poteſt tamen Iudex ex conſenſu partium ferre ſententiam in loco non ſolito, modò non, egrediatur ſuum territorium: & ſimiliter Iudex appellationis in quolibet loco honeſto. Idem dicendum, ſi locus ſolitus non ſit tutus: ſi Epiſcopus ſit vi expulſus extra ſuam ſedem, ſeu diœceſim: ſi procedatur de plano, aut in cauſis voluntariæ iuriſdictionis.

5 Sententia, vt ſit valida, de ſcripto recitari debet, *cap. fin. eod. in 6.* Idque vt evitetur fraus in iudiciis, quæ facilè eveniret, vnum pro alio proferendo. Excipiuntur tamen leves cauſæ, ſeu lites, maximè vilium perſonarum & cauſarum, in quibus non eſt opus ferri ſententiam ſcripto, *Authent. Niſi breves Cod. de ſentent. ex periculo recitandæ.* Item cauſa matrimonialis, idque ſpeciali favore matrimonij & liberorum.

Inſuper ferri debet, ſervato iuris ordine; aliàs eſt nulla *cap. Ad probandum 14. h. t.* adeóque ne ſummus quidem Pontifex recedere ab eo ſolet, niſi neceſſitas vel vtilitas hoc poſtuler, *c. In cauſis 19. h. t.* Ideóque & lite conteſtatâ ferri ſententiam oportet, auditis vtrimque probationibus, cauſáque plenè cognitâ; aliás non valet, *l. Prolatam Cod. de ſent. & interlocut. &c.* & in eo diſtinguitur ab interlocutoria. 6

Præterea ſecundùm allegata & probata ſententia eſt ferenda, non ſecundum ſcientiam privatam, *can. Iudicat. 3. q. 7. l. Illicitas §. veritas ff. de officio Præſidis*: item ſecundùm legum præſcripta *cap. 1. hoc tit.* Nam ſententia lata contra leges, aut Canones, ſi contineat iuris errorem expreſſum, eſt ipſo iure nulla, *d. c. 1. c. Cum inter 13.* in verbis: *cum contra ius conſtitutionis expreſsè lata hoc titul. & l. Si expreſſum 19. ff. eod.* Vt ſi Iudex pronuntiet minorem 14. annis poſſe facere teſtamentum, quia lex id expreſsè prohibet, *l. A qua ætate, ff. qui teſtament. facere poſſ. l. 2. C. Quando provocare non eſt neceſſe.* Si verò contineat iuris errorem non expreſſum, quamvis lata contra leges & Canones, valet, quia præſumptio iuris eſt pro ſententia, quòd ſcilicet Iudex cauſa motus meam tulerit. Et hoc eſt, quod dicitur, ſententiam contra ius litigatoris latam valere ipſo iure, & tranſire poſſe in rem iudicatam, *d. c. Cum inter, verſic. etſi contra ius h. t.* Vt ſi mota lite, an aliquis poſſit concedere teſtamentum, Iudex pronuntiet, defunctum potuiſſe facere teſtamentum, nec addat maiorem 14. annis valet ſententia ipſo iure, & ſuccurrendum erit ei, contra quem lata eſt, per appellationem, intra debitum tempus interpoſitam, *l. 2. Cod. Quando provocare non eſt neceſſe*: vel per reſtitutionem in integrum, vel alio extraordinario remedio. Quòd ſi verò Iudex ſecurus falſa teſtimonia vel inſtrumenta, ſententiam tulerit, ea ſummo quidem iure valebit, ſed per reſtitutionem in integrum, & ex integro de cauſa agi poterit, *toto tit. Cod. Si ex falſis inſtrumentis, &c.* 7

8 Sententiam ad hæc regulariter oportet eſſe certam & conformem libello, *c. Licet inf. de ſimonia,*

simonia, clement. sapè verum de verb. significat. Difformis tamen libello fieri potest in causis criminalibus: nam licèt accusator libello suo petat reum puniri hac vel illa pœnâ, potest nihilominus iudex, non attento libello, infligere eam, quæ sibi iusta videbitur. Similiter in civilibus potest iudex, quoad modos, qualitates & tempora, non sequi petitionem libelli, sufficitque si sententia sit conformis libello in re petita, in causa & actione. In re quidem petita sic, quòd iudex de alia non pronuntiet, nisi fortè vna in libello petatur, & pendente iudicio incipiat constare de alia, debita vel per per probationem, vel per confessionem. Quâ ratione potest iudex etiam petentem debitum condemnare ad restitutionem pignoris, licèt ea non sit petita: quia illa restitutio venit ex natura actionis. Atque ita sententia potest ferri super non petitis in libello, quando sunt vel de natura petitorum, vel correlativa, vel correspondentia, vel ex eodem fonte manant. Papa quoque & Princeps, quia soluti sunt legibus, sola veritate facti inspecta, pronuntiare possunt. Quod intellige de veritate legibus roborata, Gaill. 1 *obser.* 42. *quem vide.*

In causa verò petendi ita conformis esse debet, vt iudex aliam non proferat, *l. habebat ff. de instit. actione.* Denique in actione, vt iudex sequatur actionem, quam actor instituit, *l. edita C. de edendo.* Attamen libellus vt sententia ei conformis sit valida, debet esse aptus: nam super inepto late ipso iure; etiam parte non opponente est nulla, *cap. Cum dilecti inf. de emptione*: adeò quòd iudex appellationis eam non possit reformare, sed necessariò super nullitate pronuntiare debeat, actorem in expensas condemnando. Vide Gaill. 1. *obser.* 66.

9 Illud quoque observandum est, vt feratur sententia tempore congruo: & quidem in criminalibus intra duos annos, à contestatione litis numerandos; aliàs lapsu biennij instantia accusatoris perit & accusator punitur, *l.* 1. *& fin. Cod. Vt intra certum tempus criminalia quæst. terminetur*: in civilibus autem intra triennium, contestatione litis numerandum, alias triennij lapsu iudicij instantia extinguitur, *c. Properandum in princ. Cod. de iudiciis.* Licèt ius canonicum, quod à quolibet iusto grauamine priùs admiserat appellationem, noluerit instantiam lapsu triennij perire, *cap. Venerabilis sup. de iudiciis.*

10 Præterea ferri debet die non feriatâ, sed iuridica, *cap.* 1. *sup. de feriis*, aliàs non tenet *l. Si vt proponis in princ. Cod. Quomodo & quando iudex*, &c. sive feriæ sint indictæ in honorem Dei, *l. fin. Cod. de feriis*; sive ob necessitatem hominum, *l.* 1. *ff. eod.* sive sint repentinæ: sive non, *clement. sapè de verb. significat.* Hoc tamen discrimine, quòd feriis indictis in honorem Dei lata sententia, ne quidem ex consensu partium valeat; indictis autem in priuatam hominum vtilitatem lata, de partium consensu expresso vel tacito, valeat, *cap. fin. sup. de feriis*, *l. Omnes Cod. eod. tit. d. l. Si vt proponis.* Aliud dicendum de extraiudiciali vel interlocutoria sententia.

Debet etiam ferri de die: nam de nocte lata 11
communiter non valet, *cap. consuluit, & ibi Gloss. de officio delegati.* Et in hoc distinguitur iterum definitiva ab interlocutoria, quæ noctu & quolibet tempore ferri potest: sicut & quolibet loco, nisi causæ requirat cognitionem. Si tamen consuetudo obtinet, sententiam noctu ferri valeret: sicut &, si ambæ partes sint præsentes, & non contradicant.

Rursus ferenda eâ die & horâ, ad quam 12
facta est citatio, non ante vel post quando scilicet citatus non fuit contumax, nam si fuerit contumax, potest iudex postea quandocumque sententiam ferre, absque alia citatione; ex quo propter contumaciam semper est in mora.

Non potest etiam ferri sententia dilatione pendente, *l. Sive pars Cod. de dilationib.* aliàs verò est nulla.

Sempérque continere debet condemnatio- 13
nem vel absolutionem, expressè vel virtualiter, *l. Quid tamen si arbiter. ff. de arbitris*; aliàs vel aliter non valet, *l.* 1. *ff. de re iudicata*, *cap. Illa inf. de accusationibus.* Potest tamen eadem sententia & absolutionem & condemnationem continere, respectu diversorum articulorum.

Causam verò comdemnationis vel absolutionis exprimi regulariter necesse non est, *cap. Sicut* 16. *vbi Panorm. hoc tit.* neque consuetum est exprimi, quia ea probatâ falsâ, sententia esset ipso iure nulla, quæ non expressâ causâ præsumitur ritè & legitimè secundum causas ex actis apparentes.

Denique incumbit iudici regulariter victum, 14
tanquam temerarium litigatorem, condemnare in expensas, *l. Properandum* §. *sive autem Cod. de iudiciis*, tam in civilibus, quàm in criminalibus, *cap. calumniam inf. de pœnis.* Nam regula est, victum victori in expensas condemnandum esse: nisi sententia pro absente feratur, *d. l. properandum, & dict. cap. Calumniam*; aut fortè causam litigandi probabilem habuerit, *cap. Sacro* §. *cumque de sentent. excommunicat.* Non tamen

in

in omnes omnino, sed tantum necessarias expensas condemnandus est: non etiam in voluntarias, seu voluptarias, *Gloss. in c. Finem litibus sup. de dolo & contum.* Quare si rusticus pedester ire solitus, eques vel vehiculo ad iudicium veniat, hæ expensæ non veniunt in condemnationem, *Gloss. in l. Idemque §. idem Labeo ff. mandati.* Deduci quoque expensæ debent, quas victor domi facturus fuisset: quas iudex & testes non deducunt, quia pro iure alieno laborant, victor autem pro suo.

§. IV.

De pluribus iudicibus eiusdem litis.

1 *Hoc casu omnes sententiam dicent.*
2 *Vno condemnante, altero absoluente tenet pro reo sententia.*
3 *Delegatis dissentientibus in pendenti est sententia.*

1 SI aliquis solus sit iudex, sententiam, solus ferre potest & debet, *l. Diem proferre 27. §. 4. ff. de arbitris, cap. fin. h. t. in 6.* Si verò plures fuerint constituti iudices, proferent omnes simul sententiam, idque coram litigatoribus, nec valebit sententia reliquorum, vno absente, *dict. l. 27. §. 4.* Si autem adsit, & contra alios sentiat, vel etiam iuret, sibi non liquere, statur reliquorum sententiæ, *d. l. 27.* Sin omnes sint præsentes, sed in diversas summas condemnent, stabitur minimæ, nisi plures in maiores summas consentiant, *c. 1. de arbitris in 6.* nam & deterior pars prævalet si numerosior sit, *d. l. 27. §. 3. ff. eod.*

2 Quòd si è duobus vnus absoluat, alter condemnet, prævalebit sententia absolutoria, seu pro eo lata, *cap. fin. h. t.* iuxta regulam iuris, quæ dictat, cùm partium iura sunt obscura, reo potiùs esse favendum, *cap. cum partium de R. I. in 6. & l. Favorabiliores ff. eod. tit.* Nisi agentis causa sit favorabilis, veluti causa libertatis, dotis, matrimonij, testamenti, secundùm quam lata sententia actori magis proficiet, quàm alia pro reo *d. cap. fin. & l. Si pars 10. ff. de inoff. testamento*, aut absolutoria sit manifesta iniqua, *d. l. Si pars.*

3 Et hæc quidem in iudicibus ordinariis, qui iurisdictionem exercent suo nomine: nam si duo delegati dissentiant, sententia vtriusque erit in pendenti, donec delegans, cuius nomine exercent iurisdictionem, alteram, prout sibi videbitur, eligat & confirmet, *dict. cap. fin. & l. duo iudices 28. ff. de re iudic.* Arbitrorum verò dissentientium sententiæ nullius sunt momenti. *dict. cap. fin. dict. l. diem 27. §. 3. ff. de receptis arbitris.*

§. V.

De fine & effectu sententiæ definitivæ.

1 *Finit litem & potestatem iudicis.*
2 *Facit ius inter partes.*
3 *Producit actori actionem iudicati, reo exceptionem.*
4 *Non retractatur ob nova instrumenta aut errorem calculi.*

FInis & effectus sententiæ definitivæ in primis est, finire litem, *cap. 2. hoc tit.* & finire potestatem iudicis, quia is, posteaquam semel sententiam dixit, quoad eam causam desinit esse iudex, *l. iudex 55. ff. de re iudicata.* Et ideò sententiam semel non potest mutare, emendare, corrigere, reuocare, *l. Quod iussit 14. ff. de re iudicata*, nec in ea reseruare sibi condemnationem in expensas, quia iam functus est officio, *l. Paulus 42. ff. dict. tit. & dict. l. iudex.* Nec potest pro parte decidere, pro parte non. Si tamen in prolatione sententiæ omiserit condemnationem in expensas, poterit tota ea die, qua sententiam tulit, quæ eidem desunt, veluti condemnationem ac taxationem expensarum, supplere; postea verò non potest, *d. l. Paulus*, nec ampliùs illæ peti poterunt, *l. 3. Cod. fructibus & lit. expensis.* 1

Secundò, facit ius inter partes, inter quas lata est, vbi in rem transiverit iudicatam, id est vbi intra decem dies à die prolationis vel scientiæ ab ea non fuerit appellatum, *cap. inter Monasterium 20. hoc tit.* aut appellatio fuerit deserta: quia tum pro veritate habetur, *l. Res iudicata ff. de Reg. iuris*; idque præsumptione iuris & de iure: licèt contra ius litigatoris lata fuerit, *cap. cum inter vos 13. h. t.* 2

Dixi, facere ius inter partes, inter quas lata est, quia res inter alios acta ac iudicata aliis regulariter non nocet, *cap. penult. h. t.* Atque in hoc differt sententia & res iudicata à lege & canone, quia lex & canon omninò obligant, *cap. 1. sup. de constit.* Et ideò, si ex duobus hæredibus debitoris alter condemnetur, alteri integra defensio est, etiamsi ex eadem causa cum hærede sciverit agi, *l. sæpè ff. de re iudicata.*

Dixi.

Dixi, regulariter; quia hæc regula, quòd res inter alios acta aliis non præiudicet, patitur quasdam exceptiones, de quibus *in d. l. sapè ff. de re iudic.* Nam si quis de ea re, cuius actio vel defensio primum sibi competit, agi patiatur cum sequenti vel alio, & taceat sententia contra sequentem lata, ipsi etiam præiudicabit, *dict. l. sapè.* verbi g. Si gener socerum vel possessor venditorem de proprietate rei empræ vel in dotem datæ experiri patiatur, condemnato socero vel venditore, sententia nocebit genero vel possessori: quia licèt cum his actum non sit, tamen quia ex eorum voluntate actum esse intelligitur, eis scientibus præiudicabit.

3 Tertius effectus est, producere actori, pro quo lata est, actionem iudicati sive rei iudicatæ, vt præstet reus id, in quo condemnatus est, satisfaciatque sententiæ, *l. Actori 8. Cod. de rebus reditis.* Estque civilis ea actio, descendens ex lege 12. Tabb. Item personalis, *l. 3. §. 11. ff. de peculio*: perpetua & rei persecutoria, hæredi & in hæredem competens, *l. Miles §. vlt. ff. de re iudicata.* Reo verò per sententiam absoluto producit exceptionem rei iudicatæ, contra actorem eiúsque hæredem, vel alium, eius nomine agentem, *l. Rei iudicata ff. de excep. rei iudic.* nisi fortè nunc ab intestato conueniatur, qui antè ex testamento conueniebatur.

4 Denique sententia semel lata non rescinditur prætextu instrumentorum de novo repertorum, vel aliarum probationum, *cap. inter monasterium, cap. suborta 21. hoc tit. l. sub prætextu Cod. de transact. l. sub specie ff. de re iudicata.* Nisi sit ex præsumptionibus, aut ex opinione peritorum in aliqua arte, aut in causa matrimoniali, aliisque causis exceptis, de quibus *Gloss. in cap. lator 7. hoc tit.* nec item ratione erroris in calculo seu computatione, *l. 2. C. de re iudicata, l. vnica C. de error. calculi*, nisi error calculi in sententia exprimatur, *l. 19. §. 1. ff. Quæ sententia sive appellat. rescindantur.* Solutum quoque auctoritate rei iudicatæ non reperitur tanquam indebitum, *l. 1. C. de condict. indebiti, l. si fideiussor §. in omnibus ff. Mandati, l. cum putarem ff. Familiæ erciscundæ.*

TITVLVS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

§. I.

Quid sit Appellatio & quotuplex.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Appellatio quid sit.*
3 *Alia est iudicialis, alia Extraiudicialis.*
4 *Extraiudicialis quemodo fiat.*
5 *Item appellationum alia rationabiles, alia frustratoriæ, &c.*

QVIA sententia subinde fertur contra ius alterius litigantium, sive per imperitiam iudicis, sive quia litigator non satis ius suum deduxerit & probauerit: ideò necessarium fuit, vt introduceretur appellandi vsus, *l. 1. ff. h. t.* nam per appellationem effectus sententiæ impeditur, quæ aliàs transiret in rem iudicatam; & quia Recusatio ac Relatio conueniunt cum Appellatione in iurisdictione iudicis suspendenda, ideò, ne tituli multiplicentur, simul & semel de his tribus tractandum erit. 1

Est autem Appellatio hoc loco ab inferiore iudice ad superiorem facta prouocatio, ratione grauaminis illati vel inferendi. 2

Ea est duplex, iudicialis, quæ propriè & stricte dicitur Appellatio: & Extraiudicialis, *clement. 3. eod. tit.* & hæc dicitur Appellatio latè sumpta. Illa est à sententia sive interlocutoria, vt ea corrigatur: hæc autem ab actibus & decretis extraiudicialibus, *cap. 1. cap. Concertationi hoc tit. in 6. l. 1. §. solent. ff. Quando appellandum sit*, vt dum appellatur ab electione, spoliatione, & similibus, *d. clement. 3. eod. tit.* Et solet dici Prouocatio ad causam, & habet vim conventionis, *cap. cum sit Romana 5. §. si verò hoc tit.* idcóque fieri debet ad iudicem ordinarium, coram quo citandus & vocandus esset aduersarius pro lite, dum est litigandum via ordinariâ, *dict. cap. cùm sit Romana in fine, Glos. in d. cap. Concertatione in V. grauatum*: nec vnquam suspendit executionem, nec causat attentata, *cap. cum inter 21. sup. de electione*, Gonzales *ad Reg. 8. Cancell. Glos. & in annotat. contra nullitates & attentata num. 29.* vbi subiungit, hanc esse vnam differentiam inter appellationem extraiudicialem & iudicialem, ex quatuordecim, quas assignat Abbas, *in cap. bona memoria 51. hoc tit.* 3

Rursus Extraiudicialis est duplex: aut enim non à iudice, sed à parte extra iudicium appellatur, 4

tur, *dict. cap. bona memoria*; vel à iudice extraiudicialiter procedente.

5 Appellationem, sive iudicialium sive Extraiudicialium, aliæ sunt rationabiles & iustæ seu legitimæ, aliæ frustratoriæ, friuolæ, inanes & leves. Frustratoriæ, vt quæ morandæ solutionis vel suspendendi iudicij causa interponuntur, *l. tutor ff. de vsuris*. Friuolæ autem & leves, quæ pro minimis rebus interponuntur, quæque & tales vt temerariæ reiiciuntur, & quas etiam reiicit Vlp. *in l. Si rem alienam §. solutam autem ff. de pignorat. actione.*

§. II.

Quis appellare possit.

1 *Appellat quilibet, cuius interest.*
2 *Vnius è sociis appellatio, etiam alius prodest.*
3 *Et domini prodest subdito.*
4 *Excommunicatus in iudicio rectè appellat.*
5 *Item procurator habens mandatum.*
6 *Non grauatus non appellat.*

APpellare potest non solùm is, qui condemnatus est, nomine sive suo sive alieno, veluti procuratorio, tutorio, *l. 4. §. fin & tutor 27. ff. h. t.* modò non sit condemnatus verè contumax. *l. 1. C. Quorum appellat. non recip.* sed etiam quilibet alius, cuius interest, licèt condemnatus non sit, *l. 1. ff. de appellat. recip.* Hinc enim humanitatis ratione receptum est, vt pro damnato ad supplicium prouocare quilibet possit, *l. 6 ff. hoc tit.* quasi omnium interfit innocentem defendi, & hominem hominis beneficio affici, *l. seruus ff. de seruis exportandis.*

2 Quòd si vnus è pluribus appellauerit, & causa sit communis, & vna eademque omnium defensio, appellatio eius etiam proderit aliis, qui non appellàuerint, *l. 1. & 2. C. Si vnus ex pluribus appell. l. 10. § fin. ff. eod.* Quod obtinet in correis criminalibus, Iul. Clarus §. *fin. quæst. 94. versic. quæro numquid.* Licèt aliud obtineat in beneficio restitutionis, in quo vnius restitutio alteri non prodest, *d. l. 1. C. si in communi eademque causa in integ. restit. postuletur.*

3 Sed & domini appellatio subdito prodest, si subditi saltem per consequentiam interfit, *arg. cap. Dilectus 55. h. t.*

4 Excommunicatus appellare quidem potest iudicialiter, quia illa appellatio est species defensionis, quam ne quidem diabolo denegandam scribit speculator; extraiudicialiter verò appellare non potest, quia talis appellatio habet vim conuentionis: atqui excommunicatus alterum conuenire non potest.

Vt autem procurator possit appellare, mandatum habeat necesse est, saltem generale, 5
hócque sufficit, cùm appellatio sit de prosecutione primæ instantiæ: & ideò tenetur quoque appellare, & appellationem à se interpositam denuntiare Domino, illis casibus, quibus prosequi non tenetur, *cap. penult. sup. de procurat.* An autem & quando possit vel teneatur aut non teneatur eam prosequi vide Scacciam *tract. de appellation. quæst. 5.* Caluolum *in praxi §. Procurator conclus. 1.*

Quemadmodum verò quilibet grauatus & cuius interest potest appellare, ita è diuerso 6
non grauatus, & cuius non interest, non appellat, quia grauamen est causa appellationis. Hinc ob veram contumaciam condemnatus non appellat, quia non dicitur is grauatus. Similiter nec notorius delinquens seu confessus & conuictus, quia non dicitur quoque grauatus. Sed & friuolè appellans audiri non debet, quia grauatus non sit, sed alium grauare studeat: vnde etiam mulctari vel excommunicari potest.

§. III.

A quibus iudicibus appellare liceat.

1 *Regulariter ab omnibus iudicibus appellatur.*
2 *Fallit in Principe, non recognoscente superiorem.*
3 *Fallit item in supremis Conciliis.*
4 *In Episcopo, cuius prorogata est iurisdictio.*
5 *In delegato a Principe.*
6 *In arbitro.*
7 *In iudice, qui reuocauit grauamen.*

APpellari regulariter potest ab omnibus 1
iudicibus, qui sententiam tulerunt, sive sint ordinarij sive delegati, *can. omnis, can. Ad Romanam 2, q. 7.* Speculator *hoc tit. §. videndum restat. 18.* & latè Scaccia *de appellat. q. 6.* Cùm enim appellatio habeat naturam defensionis, *c. cum speciali 61. §. porrò h. t.* omnibus regulariter permissa esse debet: nec facit iniuriam iudici, qui ab eius sententia appellat, Rebuff. *tr. de supplicat. num. 49.*

Fallit autem hæc regula; Primò, in Principe, 2
non recognoscente superiorem, nisi ad aliorum relationem pronuntiauerit, à malè informato ad melius informandum appelletur, Scaccia *quæst. 8. num. 65.* quia de substantia est

appellationis, quòd fiat à minori ad maiorem, qualem non habet, qui alium non recognoscit superiorem. Si tamen sententia Principis huiusmodi sæcularis contineret manifestam iniquitatem, posset ab ea appellari ad Papam *arg. Glos. in cap. Et transmisse sup. de foro competenti:* quia Papa ratione peccati omni omnium talium Principum est iudex competens.

3 Secundò, fallit in supremis Conciliis, quia eorum sententia censetur sententia Regis aut Principis.

4 Tertiò, in Episcopo, cuius iurisdictio fuit prorogata, *l. Episcopi C. de Episcopali audientia.* Idque speciale est in Episcopo: nam secus obtinet in alio iudice prorogato, vel dato de communi consensu partium, *l. Ex consensu 23. h.t.*

5 Quartò, in delegato à principe, cum clausula, *Remotâ appellatione, cap. Pastoralis 53. hoc tit.* quæ tamen clausula de friuola & levi, non etiam de graui & legitima appellatione intelligi debet, *dict. cap. Pastoralis*, Gaill. 1. *obs. 33. num. 4. & 5.* de effectu verò istius clausulæ vide citatos à Maranta, 6. *part. principali actu 2. num. 138.*

6 Quintò, in arbitro, nisi fuerit arbiter iuris, vt ante diximus, *ad Tit. de arbitris.* Vide Marantam *dict. 6. part. actu 2. princip. n. 262. & seqq. & 4. part. principali distinct. 6. vers. Quaro, an coram arbitro, &c.*

Denique in iudice, qui reuocauit grauamen, quod fuerat communicatus; nisi alio modo sit suspectus, *c. Cum cessante 60. hoc tit.*

§. IV.

A quibus sententiis seu actibus appellare liceat, vel non.

1 *Iure ciuili appellatur à sententia definitiva.*
2 *Et ab interlocutoria, vim definitiva habente.*
3 *Iure canonico ab omni grauamine.*
4 *Ex Concil. Trid. tantùm à grauamine irreparabili.*
5 *Ab eadem sententia tertiò appellare non licet.*
6 *Non appellat verus contumax.*
7 *Non confessus & convictus.*
8 *Non reus de crimine notorio.*
9 *Aut condemnatus de crimine hæresis, &c.*
10 *Non condemnatus pro debito publico.*
11 *Non officialis condemnatus à suo iudice.*
12 *Præterea non appellatur à sententia in causa decimarum.*
13 *Non ab eo actu, quam quis probauit.*
14 *Non in causis requirentibus celeritatem.*
15 *Non à nomine ad munera publica.*
16 *Non ex vi clausulæ* Appellatione remota, *&c.*

REgulariter quoque appellari potest à quacumque sententia, & quibuscumque causis seu casibus, sive civilibus sive criminalibus, *c. Cum Romana 5. hoc tit.* nisi id inueniatur prohibitum à iure. Rebuff. *tract. de appellat. in præfat. num. 72.* quia regulariter est magis favorabilis, quàm sententia, Gonzales *ad reg. 8. Cancell. in annot. ad Glos. 9. contra nullitates & attentata num. 25.* Hoc tamen discrimine inter ius ciuile & Canonicum, quòd iure ciuili tantùm permittatur appellatio à sententia definitiva, & quidem valida: nam ab inualidis, cùm ipso iure sint nullæ, frustra appellatur, *tot. tit. C. Quando prouocare non est necesse, & tit. ff. Quæ sententia sine appellat. rescinduntur, l. Si expressim 19. ff. hoc tit.* licet in dubio nullitas possit per alternativam appellationi coniungi, *DD. in dict. l. Si expressim.* * Ab interlocutoria verò sententia appellare hoc iure non licet, *l. Ante 7. C. quorum appellat. non recip. l. fin. C. de sent. & interlocut. omn. iud.* nisi certis casibus, quibus scilicet interlocutoria vim habet definitivæ, & continet grauamen, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non possit, *l. intra 47. ff. de minorib. l. 2. ff. de appellationibus recipien. l. Arbitro ff. Qui satisd. cogant.* Vide latiùs Hostien. *in summa hoc tit.* tum quia aliàs idem iudex interlocutoriam, quam tulit, reuocare potest; tum etiam, quia si in ea peccatum sit, id coram eodem quoque iudice per subsequentem sententiam definitivam corrigi potest. Et ideò præsumit lex, tales appellationes interponi tantùm causâ differendæ litis; vnde & appellationes eiusmodi; Interpretes vocant appellationes frustratoriæ dilationis, *arg. l. 2. C. de Episc. audientia.*

Iure autem Canonico ab omni interlocutoria, imò & ab omni grauamine, etiam extra iudicium alicui illato vel inferendo, appellare licet, *dict. cap. Cum sit Romana § si verò, cap. Bonæ memoriæ 52. cap. vt debitus 59. & aliis hoc tit.* quia appellatio est species defensionis, & in præsidium innocentiæ comparata *cap. Pastoralis 53. & cap. Cum speciali 61. §. porrò hoc tit.* iusque canonicum omnem iniquitatem corrigi statim cupit, nec vult differri in sententiam definitiuam, quæ sæpè multo post tempore sequitur.

Cæterùm Conc. Trid. *sess. 24. cap. 20. de reformat. & sess. 13. c. 1. de reformat.* non aliter permittit

mittit appellari ab interlocutoria, quàm si vim definitivæ habeat, & grauamen contineat irreparabile, cuiusmodi est incarceratio, tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, Piasec. *praxu Episcop. part. 2. c. 4. art. 15. de appellat. num. 3.* omnisque adeo actus irretractabilis, & quo executioni mandato pars gravata amplius subleuari non potest per definitivam, aut appellationem à definitiva, vel non sine difficultate & præiudicio partis aut negotii principalis, Gonzales *ad Reg. 8. Cancel. in Annot. ad §. 9. n. 176 & tribus seqq.*

5 Dixi, regulariter, appellari posse à quacumque sententia; quia multi sunt casus, quibus appellatio non est permissa. Nam in primis ab vna & eadem sententia, sive definitiva sive interlocutoria, & ab vno & eodem iudice, tertiò appellare non licet, *cap. tua nobis 65. hoc tit. l. 1. C ne liceat in una eademque, &c.* quia præsumit lex & canon, illud esse iustum, quod tribus diversorum iudicum conformibus sententiis est firmatum; & quidem præsumptione iuris & de iure: nam aliàs lites in infinitum protraherentur. Si tamen per tertiam inferatur novum grauamen, vt si tertius iudex condemnet in expensas, in quas alij non condemnarunt, poterit ab illo grauamen appellari: sicut & is, qui bis appellauit, potest sententiam tertiam dicere nullam; & si super ista nullitate succumbat, licebit iterum appellare, tanquam à novo grauamine.

6 Secundò, verus contumax non appellat, *l. 1. C. Quorum appellat. non recip. l. Ex consensu 23. § fin. ff. hoc tit.* Vide Scaccium *de appellat. quæst. 17. limitat. 3. num. 4.* quia appellatio datur oppresso & gravato à iudice, non autem ei, qui iudici est rebellis: vti est verus contumax.

7 Tertiò, Confessus & simul convictus non appellat, si vtique sponte sua confessus, & clara probatione convictus sit: non verò si per tormenta sit confessus, aut dubia probatione convictus, si confessus solummodò fuerit, & non convictus, vel contrà: nam tum appellare posset, quia duo illa copulativè requiruntur, de iure non tantùm civili, sed & canonico, in causis tam civilibus, quàm criminalibus, vt tradit Maranta *6 part. actu 2. n. 292.* vbi declarat, quo pacto intelligendum sit *cap. Romana 3. §. sin autem hoc tit. in 6.* quo innui videtur, confessum, & non convictum, audiendum non esse, quo aliqui differentiam inter ius civile & canonicum desumunt.

8 Quartò, non appellatur in factis notoriis, *cap. Cum sit 5. in fine, cap. pervenit 13. cap. Conſuluit 14. hoc tit.* nisi appellationi inferatur causa rationabilis, *Glossa in d. §. sin autem in V. mandetur*: constat enim reum, de crimine notorio condemnatum, si appellet, tantùm appellare differendæ pœnæ causâ: quod admitti non debet, cùm, vt ait Pont. appellatio non sit remedium ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ constitutum, *cap. cum speciali 61. § porrò h. t.*

Quintò, condemnatus de crimine falsæ monetæ, *l. 1. C. de falsa moneta*, læsæ Maiestatis, *l. Constitutiones, ff. hoc tit.* aut hæresis, *cap. Vt inquisitionis de hæreticis in 6.* aut de raptu virginis, *l. vnica §. si autem C. de raptu virg.* In quibus tamen criminalibus appellari potest ante sententiam. 9

Sextò, condemnatus pro debito publico seu fiscali, *l. al. sin. dicendum 4. l. fin. C. quorum appellat. non recip. can. Et qui appellat. § quoties 2. quæst. 6.* quando scilicet fiscus certat de damno vitando: secus, si de lucro captando. 10

Septimò, Officialis alicuius iudicis, conuentus & condemnatus pro gestis in officio, à suo iudice non appellat, *l. nulli C. Quorum appellat. non recip.* sicut nec quilibet officialis, condemnatus in syndicatu, ad effectum retardandæ executionis. 11

Octavò, non appellatur à sententia lata in causa decimarum, *cap. tua nobis & in Gloss. inf de decimis*: nec item de iure civili à sententia lata in causa possessorij, *l. 1. C. de momentanea possess.* quando scilicet causa est præiudicij; cuiusmodi est iudicium spoliationis, quod summariè & veluti in momento expediri consuevit. Et hoc quoad effectum retardandæ executionis: alioquin valet appellatio quoad effectum devolutivum. Similiter de iure civili non appellatur in causis minimis, & breuioribus secus de iure canonico. 12

Nonò, non appellat quis ab eo actu, quem probavit, *l. Ab eo C. quomodo & quando iudex, &c.* Similiter non appellat, qui renuntiavit appellationi suæ, sive expressè, sive tacitè, *l. fin. C. de temporib. appellat.* vbi quando accepit terminum ad soluendum. 13

Decimò, non appellatur in causis requirentibus celeritatem, saltem ad impediendam executionem: nec vbi agitur de regularis disciplinæ correctione, *cap. Ad nostram & aliis hoc tit.* quia, vt ait Pont. *in dict. cap. Ad nostram*, remedium appellationis non ideò est inventum, vt alicui à religionis & ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: nisi corrigens excedat modum in corrigendo, quia tum appellare licet, causâ 14

grauaminis expressâ, *cap. de priore 31. hoc tit.*

15 Vndecimò, non appellatur à nominatione ad munera auctoritate publicâ, & vtilitate priuatâ, v.g. ad tutelam, ad *l. 1. §. si quis ff. quando appellandum sit.* Alioquin à nominatione ad munera, auctoritate & vtilitate publica, licet appellare, *l. 2. C. de decurionibus.*

Duodecimò, non etiam ab actu, qui fit secundum iuris dispositionem, nisi expressâ & insertâ rationabili causâ, ob quam admitti appellatio debeat: quia regula generalis est, quod à lege generali, lata ab eo, qui habeat potestatem ferendæ legis, non possit appellari, *textus DD. in cap. Quia nos 32. h.t.*

16 Denique, vt alios casus omittam, non appellatur in causis commissis cum clausula, *Appellatione remotâ*: qua clausula, quoad appellationem a definitiva, solus Princeps in rescriptis suis vti potest; quoad interlocutoriam verò etiam inferior. Nec item à sententia excommunicationis, iam lata, saltem ad effectum retardandæ executionis. Nec insuper à monitione & mandato de residendo in Ecclesia, quam quis obtinet, *cap. peruenit 28. & ibi DD. h.t.*

Notandum postremò, pro complemento, quòd in omnibus casibus, in quibus non potest appellari à sententia definitiva, possit appellari ab interlocutoria: quia eius grauamen non speratur posse reparari per appellationem à definitiva.

§. V.

Coram quo sit appellandum.

1 *Appellandum à iudice & coram eo, qui sententiam tulit.*
2 *Absente iudice facta appellatio cui intimanda.*

1 APpellandum autem est, siue iudicialiter, à quo appellatur, *cap. Vt debitus 59. hoc tit.* quia illi debet innotescere appellatio, ad hoc, vt vlteriùs non procedat; &, si processerit, reuocentur per eum acta, tamquam attentata. Ideóque si plures de causa cognouerint, & sententiam dixerint, coram omnibus simul collectis, vel, si omnium copia simul haberi non possit, coram singulis vel maiori parte separatim appellari debet, *clement. 1. hoc tit.* Quod si ne quidem maioris partis copia haberi possit, sufficiet appellare coram eo vel iis, cuius vel quorum copia haberi potest, adiecta protestatione. Si denique nullius copia haberi queat, aut etiam coram iudice appellandum sit, à quo præsente quis ob iustum metum appellare non audeat, protestatione super hoc interpositâ, & causis appellationis saltem in genere expressis, coram probis viris vel coram notario & testibus, etiam extraiudicialiter, appellare sufficit, *cap. vlt. & ibi Gloss. & Francus hoc tit.* vel adire iudicem ad quem, porrigendo ei appellationem suam. Quis autem dicatur metus iustus, relinquitur iudicis arbitrio. Fran. *in d. c. vlt. n. 12.*

Quando appellatio interponitur, iudice & parte absente, debet ob absentiam, quia scilicet copia eorum haberi non possit, appellatio, coram superiore iudice vel honestis personis interposita, vtrique & iudici & parti intimari, ad hoc, vt suspendatur iurisdictio iudicis a quo: nisi aliter ad eorum notitiam peruenerit, vt latè deducit Scaccia *de appellat. quæst. 6. n. 31. & seqq.* Sin autem interposita sit in absentia iudicis, propter eius metum, non est necesse ipsi fieri intimationem: quia sicut metus iustus excusat ab appellatione, coram eo facienda, ita & ab intimatione appellationis eidem faciendæ. Similiter si appelletur extraiudicialiter in absentia aduersarij, inter mensem ei vel eius procuratori intimatio facienda est, *clement. causam 3. de elect.* 2

§. VI.

Ad quem sit appellandum.

1 *Appellandum à iudice inferiore ad superiorem.*
2 *Et quidem gradatim, non omisso iudice intermedio.*
3 *Quod tamen fallit iure canonico quoad Summum Pontificem.*
4 *Nisi etiam partes prorogent iurisdictionem alterius iudicis.*
5 *Fallit quoque in delegato iudice regulariter.*
6 *De prouocante per errorem ad alium iudicem, quàm debuit.*

CÆterùm appellandum est à iudice inferiore, qui sententiam tulit, ad eius superiorem, & quidem gradatim ad proximum & immediatum, non autem ad alium, siue æqualem siue superiorem, non proximum, *l. imperatores 21. in prin. h.t.* 1

Dico,

Dico, ab inferiori ad superiorem; quia superioris est corrigere factum seu errorem inferioris, non contrà, *cap. cum inferior sup. de maiorit. & obed.* adeò vt nequidem consuetudine iudici possit, vt ad maiorem vel parem fiat appellatio quia consuetudo inducens vt minor in maiorem vel par in parem habeat iurisdictionem, non valet, Archidiac. *in can. inferior. distinct. 21.*

2 Dixi, & quidem gradatim ad proximum, *cap. dilecti. 65. hoc tit cap. Romana eod. in 6.* quia confundi iurisdictiones non debent, *l. nemo C. de iurisdict. omnium iudic. Gloss. ibid. in V. auxilium.* Idque adeò obtinet iure civili, vt nequidem ad imperatorem, seu Principem, omisso medio iudice, liceat appellare, *d. l. imperatores ff. hoc tit.*

3 Dico, iure civili; quia iure Pontificio à quolibet inferiore iudice, in causis fori Ecclesiastici, vel etiam sæcularis quoad eos, qui subsunt temporali iurisdictioni Ecclesiæ, ad Summum Pontificem immediatè, omissis intermediis iudicibus, appellare licet, *cap. Si duobus 7. cap. de priore 31. cap. Ad audiendam 34. cap. dilect. 52. hoc tit.* Sicut & ad legatum de latere, in Provincia sibi decreta existentem, *cap. 1. sup. de officio legati, & ibi* Panormitan. Maranta *6. part. actu 2. num. 371.* quia gerit vices Papæ, & concurrit cum quolibet ordinario in Provincia sibi decreta. Aliàs regulariter etiam iure canonico oportet gradatim appellare ad proximum superiorem, nisi fortè consuetudo, loci (quæ iurisdictionem tribuit, *cap. cum contingat. sup. de foro compet.*) aliud ferat, *c. 3. §. ab Archidiacono eod. in 6.*

Ratio diversitatis inter ius civile & canonicum est, quia summus Pontifex omnium inferiorum iudicum est ordinarius, & cum omnibus ordinariis, ob sedis Apostolicæ prærogativam, concurrit, *d. cap. Si duobus 7. & aliis similibus*, Concil. Trident. *sess. 24. c. 20. de reform.* nec communicando aliquibus iurisdictionem ordinariam vel delegatam, abdicat à se suam iurisdictionem. At verò Princeps iurisdictionem inferiorum iudicum à se abdicauit, *dict. l. imperatores.*

4 Intellige tamen, appellationem ad alium, quàm ad immediatum superiorem non subsistere de iure civili, si contra eam excipiatur, aliàs valebit *Glossa in dict. cap. dilecti*: quia partes litigantes prorogare in se iurisdictionem alterius iudicis, etiam sine consensu iudicis prioris, possint.

5 Intellige rursus prædicta, quoad appellationem ab ordinario iudice: nam à delegato ad delegantem, vel eius in officio successorem, rectè appellatur, vt antè diximus: nisi ordinarius delegans delegaret causam, quia suspectus, nam tunc appellabitur non ad ipsum delegantem, sed ad immediatum eius superiorem: aut nisi delegans totius causæ iurisdictionem delegans totius causæ iurisdictionem demandauerit, *c. super quæstionum 27. §. porro sup. de officio iud. delegati.*

Quòd si iudex laicus commiserit causam Episcopo, ab eius sententia ad delegantem laicum vel eius superiorem laicum provocabitur. Si duo iudices pronuntiaverint, quorum alter sit laicus, alter Ecclesiasticus appellandum est ad superiorem Ecclesiasticum, quippe digniorem, Maranta *6. part. actu 2. num. 392.* Sicut & quando laicus & clericus sunt arbitratores, reductio fit ad superiorem Ecclesiasticum. Maranta *d. loc. num. seq.* Si laicus pronuntiauerit se iudicem competentem in aliqua causa spirituali, non appellabitur ad eius superiorem laicum sed Episcopum, Maranta *d. loc. n. 397.*

Denique si per errorem quis ad alium iudi- 6
cem, quàm debuit, provcauerit, distinguendum: nam si ad alium maiorem provocauerit, error ei non nocebit; secus, si ad maiorem, *l. 1. §. si quis in princ. ff. h. t.*

§. VII.

Quando & à quo tempore interponi debeat appellatio.

1 *Tempora fatalia appellationis tria.*
2 *Tempus introducendæ appellationis hodie 10. dierum.*
3 *Idque à die latæ sententiæ, vel scientiæ; & est continuum.*
4 *Lapso eo tempore appellatio fit deserta.*
5 *De appellatione tertij.*
6 *Currit decennium, si grauamen sit momentaneum.*

CIrca appellationem tria potissimùm consi- 1
derantur tempora, nempe tempus interponendæ appellationis, tempus petendi apostolos, & tempus prosequendæ ac finiendæ appellationis. Et hæc tempora fatalia appellationis, quia nisi intra ea respectiuè interponatur appellatio, petantur apostoli, & fiat prosecutio appellationis, eiúsque causa terminetur, iis elapsis, appellatio efficitur deserta & quasi moritur, aut fato quodam extinguitur, *l. cum lite mortua ff. iudicatum solui.*

2 Quantum ad primum tempus attinet, olim de iure *ff. & C.* poterat quis in causa quidem propria appellare intra biduum; in causa verò aliena intra triduum dumtaxat, & non vltra, *l. si quidem*, §. *biduum*, §. *dies*, §. *in propria ff. Quando appellandum sit*, *l. Eos 6.* §. *sin autem C. de appellat.* Hodie ex Iustiniani Constitutione appellari debet intra decennium, id est decem dies à die latæ sententiæ, vel certè à die scientiæ, quo sententiam latam esse intellexerit is, qui appellare velit, *Late* Scaccia *de appellat. quæst. 12. num. 7.* Idque obtinet, sive à definitiva, sive ab interlocutoria, sive ab alio grauamine, etiam extraiudiciali, appelletur, *Auth. hodie C. de appellat. cap. Quod ad consultationem 15. sup. de sentent. & re iudicata. cap. cum dilectus. §. fin. sup. de elect. & aliis similibus*, Gaill. 1. *obser.* 139. sine discrimine causæ propriæ, aut alienæ: licet etiam sententia sit sub conditione lata, *l.* 1. §. *biduum ff. Quando appellandum sit*, *can. biduum 2. quæst. 6.* Scaccia *d. loc. num. 3.* Atque hoc tempus locum quoque habet in supplicationibus, *Auth. qua supplicatio C. de precib. imp. offeren. Glos. in cap significauerunt sup. de testibus*: neque ex iudicis permissione, aut partium consensu prorogari potest, *Glossa communiter approbata in d. cap. cum sit Romana 5. hoc tit.* Gaill. 1. *obseru.* 139. *n.* 6. licèt valeat statutum vel stylus illud augens vel diminuens.

3 Currit autem, secundum ius commune, de momento ad momentum, à die, vt dixi, latæ sententiæ vel scientiæ, *l. Auth. hodie, dict. cap. Quod ad consultationem, Gloss. in clement. Sicut de appellat. in V. die*: ita tamen, vt ab initio sit vtile, quia tempus illud non currit impedito vel ignoranti, nisi sit verè contumax; vel postmodum efficitur continuum, *l.* 1. §. *dies ff. Quando appellandum*: ita vt etiam feriæ solemnes includantur, *l.* 1. *C. de feriis, l. sive pars* §. *feria C. de dilationibus.* * Et si infra hoc tempus non appelletur, sententia transit in rem iudicatam, & appellatio efficitur deserta, *d. Auth. hodie & ibi communiter DD. dicti cap. Quod ad consultationem, & dict. cap. significauerunt.* Nec sufficit appellanti, si probet se appellasse, nisi probet etiam se intra debitum tempus appellasse, Scaccia *de app. ll. quæst. 12. num. 40.* In dubio autem, an lapsum sit vltimum momentum decennij, iudicandum, non esse lapsum, & consequenter appellationem non esse desertam, ne ius alterius pereat: quò fit, vt in dubio etiam deferendum sit appellationi.

5 Sed & si terius aliquis pro suo interesse velit adhærere appellationi, per alium interpositæ, vel ratam habere appellationem ab alio absque mandato legitimo nomine suo interpositam, id etiam facere tenetur intra decem dies, *cap. vt circa de elect. in 6.* Gaill. 1. *obser.* 122. Sin autem prosequi appellationem velit ab alio interpositam, pro suo interesse, tunc etiam admitti debebit, licèt non appellauerit, *l. ab executore 4.* §. 2. *ff. hoc tit. cap. cum sup. de officio iud. delegati*: quia per appellationem manet in suspenso sententia, & omnibus quibus grauamen illatum est, aperta est via; ita vt alia appellatione opus non sit. Idcóque appellatione semel coram iudice ad quem introducta, ipse appellatus potest adhærere appellationi appellantis, & deducedere sua iura, antea non deducta, perinde ac si ipsemet ab initio debito tempore appellasset, quamuis appellans nolit suam appellationem prosequi, quia appellatio est communis vtrique parti.

Quod autem diximus, appellandum esse intra decem dies à die latæ sententiæ vel saltem scientiæ: illud obtinet, quando grauamen est momentaneum: secus, quando tractum successiuum, & causam habet continuam, cuiusmodi est incarceratio, excommunicatio, interdictum: nam tunc, quamdiu durat, sine præfinitione temporis, quasi à præsenti & continuo grauamine appellare licet. Sic incarceratus semper appellare potest, etiam vltra menses, quia semper grauatur. Similiter toties quia appellare potest, quoties citatur ad locum non tutum, quia grauamen istud, causam habet continuam, & quoties de novo citatur, toties de novo grauatur. 6

Hoc tamen non procederet, si iudex esset interlocutus, illum iustè fuisse carceratum, aut locum esse tutum: quia tunc intra decem dies à die interlocutionis appellandum esset, & aliàs sententia transiret in rem iudicatam, nec vlteriùs appellare liceret, Gaill. 1. *obser.* 139. *num.* 14. quia sententia contra ius partis lata, si ab ea non appelletur, transit in rem iudicatam *l. cum prolatis ff. de iudiciis.* Et propterea hoc tempus decem dierum dicitur fatale, quià eo lapso perit facultas appellandi.

§. VIII.

Qualiter sit interponenda appellatio.

1 *Appellatio præsentanda est iudici vel causæ Notario.*

2 *Libellum appellatorium, quid continere debeat.* 3.

In

1 IN primis ita interponenda est, vt de ea interposita appareat. Non tamen est necesse illam præsentare iudici, sedenti pro tribunali, sed potest vbique præsentari, ad hoc, vt sententia non transeat in rem iudicatam: imò sufficit illam præsentare actorum magistro, seu Notario, absque iudice Maranta *6.part. actu 2. num.* 134.

2 Tametsi verò plerumque in vsu sit, vt in libello appellatorio exprimatur nomen iudicis à quo, iudicis ad quem, & adversarij, *l.1.§.libelli ff.hoc tit.* tamen non videtur omninò necessaria ista expressio, vt, si quid istorum omittatur, metuenda sit præscriptio, *l.Scio 3.in princ.ff.hoc tit.* Quamquam commodissimum foret, exprimi nomen iudicis à quo, vt intelligi possit, à quo iudice & à qua sententia appelletur, & an ordine debito.

3 Nomen verò iudicis ad quem licèt non exprimatur, tamen censetur provocatum ad eum, ad quem de iure provocari debet, *l.1.§. si quis in appellatione, imperat.ff.hoc tit.* Et ideò huiusmodi appellatio generalis, etiam de iure canonico, subsistit, quia illo quoque iure gradatim appellari debet, exceptis paucis casibus specialibus: nam in dubio quis censetur velle vti iure communi, non speciali. Imola *in l.1. num.* 16. *ff. hoc tit.* & incertitudo, si quæ sit in huiusmodi appellatione, aptissimè declaratur, dum appellans suam appellationem introducit & prosequitur. Reliqua huc spectantia patebunt ex §. *seq.*

§. IX.

De differentia definitivæ ab interlocutoria quoad interponendam appellationem.

1 *A definitiva statim & incontinenti appellatur vivâ voce.*
2 *Ab interlocutoria non nisi in scriptis.*
3 *Nisi vim definitivæ habeat.*
4 *Appellatur à definitiva non expressâ causâ.*
5 *Ab interlocutoria non nisi expresso grauamine.*
6 *Appellatio à definitiva novis actis iustificari potest.*
7 *Ab interlocutoria non nisi ex antiquis actis.*
8 *Pendente appellatione ab interlocutoria, iudex procedere potest.*
9 *Non à definitiva.*

QVoad interponendam appellationem differentia quoque est inter sententiam definitivam & interlocutoriam. Nam à definitiva potest statim, postquam lata est, appellari viuâ voce, *l.5.§ fin.ff.h.t.* quod dicunt illicò appellare, *l.litigatorib.14.C.eod.* Sufficitque dicere, Appello, *l. 2. ff.eod.* & hoc scribi in actis per Notarium. Statim, inquam, à latâ sententia, id est iudice adhuc sedente pro tribunali. Si verò non fuerit incontinenti viua voce appellatum, interponenda scripto est appellatio, *l.3 ff.eod.* Exceptis causis brevioribus, de quibus *in. Authent. breviores C. de sententiis ex breviculo recitandis*, in quibus potest appellari viua voce, Maranta *6.part. actu 2. num.* 143. Atque in appellatione scripto interposita inseri oportet hæc verba, *Provoco & appello*, aut æquipollentia, veluti *submitto me protectioni & tuitioni talis iudicis, &c.* Maranta *d.loc.n.* 135. 1

Ab interlocutoria verò sive illicò & incontinenti sive ex intervallo appelletur, iudicet adhuc pro tribunali sedente, vel non, semper in scriptis porrecto libello appellatorio (qui nomen contineat appellantis, *l.1.§. vlt ff.hoc tit.* non tamen necessariò nomen eius, contra quem *l.3 ff.eod.*) appellandum est, *cap.1.eod.in 6.cap.vt circa, cap.si postquam cap.Quamvis de elect.in 6.* Exceptis aliquibus casibus, de quibus Phil.Francus *in d.c.1.* & Præpositus *in cap. vt debitus 59. hoc tit.* etiamsi appelletur ad alium, quàm ad Papam, Rebuff. *in l.Quod iussit ff. de re iudicata versic.Nota 2.num.134.in fine*, vbi plenius vide. Dixi, porrecto libello appellatorio; quia non sufficit dicere notario, *scribe, qualiter appello, quòd appellem.* 2

Si tamen sententia interlocutoria habeat vim definitivæ, potest incontinenti viua voce ab ea appellari, quia in ea omnes solemnitates seruari debent, quæ in appellatione à definitiva, cui æquiparatur. 3

Quòd si verò quis appellauerit viua voce, cum reseruatione facultatis postea appellandi in scriptis, & postmodum etiam appellet, vnde tunc incipiat currere tempus prosequendæ appellationis, an à prima, an verò à secunda appellatione, vide Marantam *dict.6. part. actu 2. num.*144.

Præterea in appellatione à definitiva, vel definitivæ vim habente, cùm ius ipsum permittat appellationem, non requiritur expressio causæ in specie, *l.Scio 3.ff.hoc tit.* sed sufficit, quòd appellans dicat se grauatum, & sententiam esse iniustam, Maranta *dict.loc.num.*152. nisi appellans sit tertius aliquis, prætendens aliquod interesse, Felin. *& alij in cap. Quod ad consultationem* 4

tionem sup. de sentent. & re iudicata; aut appelletur in casibus, à iure vel ab homine prohibitis, *Gloss. in cap. Romana §. Si autem in V. mandetur eod. in 6.* Nam cùm eo casu appellans habeat iuris præsumptionem contra se, non tenetur Iudex deferre eius appellationi; nisi alleget rationabilem causam, ob quam cesset præsumptio ista, aut appelletur in materia visitationis, aut correctionis, Concil. Trid. *sess. 13. cap. 10. §. in casibus*, Navarr. *consil. 1. hoc tit.*

5 At verò in appellatione ab interlocutoria requiritur expressio gravaminis, seu causæ, coram eodem Iudice, *c. Cum causam 62. cap. Vt debitus 59. hoc tit. vbi* Præpositus *ponit novit limitationes*; & quidem legitimæ ac probabilis, *d. cap. Vt debitus*: atque in specie, si plures sint, omnes nominatim exprimi debent, nec sufficeret facere relationem ad acta. Quinimò causa exprimi debet, etiam notoria: quia licèt notorium relevet ab onere probandi, non tamen relevat ab onere opponendi, Maranta *d. loco num. 154.* Idque vt debitus honor deferatur Iudici. Nam cùm fieri possit, vt à Iudice, expressâ causâ rationabili, iustitiam consequatur appellans, non debet permitti recedere ab eodem, non expressâ causâ, *d. c. Vt debitus, cap. 1. eod. in 6.* Dicitur autem causa rationabilis, quandocumque Iudex gravat contra ius scriptum, vel denegat iuris beneficium, *arg. cap. de his sub finem, distinct. 28. cap. penult. & vlt. inf. de secundis nuptiis*: vt si neget restitutionem spoliato, priusquam de proprietate cognoscat: vel si neget quartam productionem testium cum solemnitate legali, *cap. Ex conquestione sup. de testibus*: vel non admittat recusationem, propter affinitatem, *cap. Postremo 56.* & generaliter vbi non admittuntur legitimæ exceptiones, *cap. Ex parte sup. de officio iud. delegati.* Quo casu cautè faciet excipiens, si apud Iudicem instet, vt super exceptione admittenda, vel non admittenda, interloquatur, *secundum Gloss. in Clement. vlt. hoc tit. in V. repulsione*, vt faciliùs coram Iudice ad quem ostendat, se ex hac causa gravatum, quòd exceptionem suam non admiserit, *c. Dilecti, c. Inter ossia 70. h.t.* vel eâ neglectâ vlteriùs processerit, *c. Ex parte 57. hoc tit.*

6 Rursus appellatio à definitiva potest ex novis actis, seu causis & probationibus iustificari, *l. Eos §. 1. Cod. eod. leg. Per hanc Cod. de tempor. & reparat. appellationum*: * Appella-
7 tio verò ab interlocutoria iustificanda est ex antiquis, *Clement. appellanti eod. tit.* quia ab interlocutoria non appellatur, nisi Iudex iniuriam fecerit appellanti. Ista autem iniuria non potest detegi, nisi ex iisdem actis & causis, coram Iudice à quo deductis, non autem de novo deducendis: nisi aliquid de novo veniat in notitiam appellantis, *arg. cap. Insinuante sup. officio iud. delegati*; vel nisi interlocutoria contineat gravamen irreparabile, vt si Iudex pronuntiarit aliquem torquendum; aut alias habeat vim definitivæ; aut appellans obtulerit causas gravaminis & probationis coram Iudice à quo, & non fuerit admissus: aut sententia lata sit contra contumacem: quia his casibus iustificari potest ex novis actis, causis & probationibus.

Denique, vt alias differentias omittam, in § interlocutoria Iudex à quo, nisi detulerit appellationi, aut contineat gravamen irreparabile, licitè procedit, donec illi, parte legitimè citatâ, fit inhibitum per Iudicem ad quem, *c. Non solùm eod. in 6.* valétque processus, *c. fin. de dolo in 6.* etiam absque vlteriori citatione appellantis: ex quo is appellando videtur se facere contumacem, & declarare, quod non velit comparere, *d. c. fin.* Nec potest Iudex ad quem inhibere Iudici à quo vlteriorem processum, priusquam constiterit legitimè fuisse appellatum, *Gloss. in c. Romana eod. in 6.*

At pendente appellatione à sententia definitiva nihil innovandum est *l. Appellatione Cod. eod. d. c. Non solum eod. in 6.* quia statim atque interposita est, litigat manum Iudicis à quo. Idque obtinet etiam interpositam appellationem intra 10. dies.

§. X.

De tempore petendi Apostolos.

1 *Apostoli qui & vnde dicantur. 2.*
3 *Sunt triplices, Dimissorij, Reverentiales, Refutatorij.*
4 *Petendi & recipiendi hodie intra triginta dies.*
5 *Qui dies currunt, à die scientiæ.*
6 *Potest tamen iudex breviorem terminum statuere, non longiorem.*
7 *Tutius est statim à lata sententia petere Apostolos.*
8 *Quæritur, an appellatione extraiudiciali peti possint.*

APpellatum esse, aut statim, aut ex intervallo, non sufficit, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat Apostolos, id est literas

litteras dimissorias, quas iudex, à quo appellatum est, transmittit ad iudicem, ad quem appellatum est, in testimonium & fidem appellationis interpositæ Sunt igitur Apostoli etiam pars appellationis, vt latè Scaccia, *q.* 12. *n.* 24.

Dicuntur ergò dimissoriæ litteræ, quia, vt dixi, per eas causa transmittitur ad iudicem, qui appellatus est, *l. dimissoriæ* 106. *ff. de verb. signif. l. vnica ff. de libellis dimiss.*

2 Dicuntur etiam Apostoli id est Nuntij, à Græco ἀποστέλλω, quod est Mitto, quia mittuntur ad iudicem ad quem, vt de causa appellationis instrui possit.

3 Sunt autem Apostoli, qui hic visum habent, in triplici differentia, nempe Dimissorij, Reverentiales & refutatorij, dimissorii sunt litteræ, ad iudicem appellatum directæ, testificantes de appellatione, coram iudice à quo, vel honestis personis interposita & admissa.

Reverentiales sunt, quando non ob causæ iustitiam, sed solùm ob reverentiam superioris, ad quem appelletur, iudex à quo defert appellationi, *cap. 1. eod. in 6. l. Eos 6. §. super his Cod. de appellat.*

Refutatorij sunt, quibus iudex à quo significat iudici ad quem, se non admisisse appellationem, de quibus *in l. fin. §. in refutatoriis Cod. eod. Gloss. in dict. c. 1. in 5. exhiberi*: adiectâ etiam causâ, cur appellationem reiecerit, *dict. cap. 1. l. penult. ff. de appellat. non recipien.* Aliàs recuset absque iusta causa deferre appellationi, punitur, *cap. cum parati 19. & c. de priore 31. hoc. tit. l. Quoniam iudices Cod. eod.* quia iudex à quo non deferens appellationi legitimè interpositæ, lædit & turbat superiorem iudicem in sua iurisdictione.

4 Olim petendis & recipiendis apostolis, ac iudici ad quem porrigendis, præscripti erant quinque dies, Paulus V. *Sent. tit. 34. can. Ab eo 2. quæst. 6.* & intra hos dies de iure canonico instanter & sæpiùs, saltem vno contextu, peti debebant. Postea præscripti sunt triginta dies, intra quos similiter instanter & sæpiùs, saltem vno contextu, peti debent: alioquin si intra dictos 30. dies appellans apostolos non petat, vel non recipiat, censetur appellationi renuntiasse, eáque proinde efficitur deserta, *d. can. Ab eo 2. q. clem. Quamuis h. t. c. eod. in 6. l. iudicib. 24. C. eod. l. vnic. ff. de libellis dimissoriis.* Et ideo iudex à quo sententiam, à qua appellatum est, executioni mandare potest, perinde ac si ab ea appellatum non esset, *cap. constitutus 45. h. tit.* Similiter efficitur deserta appellatio, si apostolos oblatos intra idem tempus recipere recusat, *dict. clement. Quamuis §. verùm.* Quòd si verò per iudicem à quo stet, quo minùs eos recipiat, debet de eo protestari, *dict. clement. Quamuis*: & si absque causa intra eos dies dederit; puniendus est, *dict. l. iudicibus.* Quinimò post elapsum tempus potest appellans iudicem à quo coram iudice, ad quem provocauit, conuenire, *l. Si appellationem 31. Cod. eod.*

Verius autem est, dies hos currere a die 5
scientiæ, quo quis sententiam latam esse intellexerit, & à quo habuit facultatem appellandi, ne aliàs hoc inconueniens eueniat, quòd ignoranti præclusum sit tempus petendi apostolos, cui nondum præclusum est tempus appellandi, Maranta *6 part. actu 2. num. 130.* Et ideo *dict. l. iudicibus*, definies, currere tempus à die latæ sententiæ, intelligi potest, quando appellans habuit notitiam sententiæ latæ, vel incontinenti à sententia lata viuâ voce appellauit: vt sic concorder cum *c. Ab eo eod. in 6. & clement. Quamvis*, quæ volunt currere à die appellationis interiectæ.

Atque hæc ita intelligenda sunt, nisi iudex 6
à quo breuiorem terminum petendi apostolos statuerit appellanti. Nam licet verius sit, non posse longiorem præscribere, Capel. Tholos. *dec. 44.* tamen breuiorem præscribere potest: quo elapso, si non fuerint petiti, non minùs efficitur appellatio deserta, quam lapsis 30. diebus quia eiusmodi terminus breuior à iudice præscriptus, succedit in vicem termini iuris, & eundem parit effectum, *cap. Ex insinuatione 50. hoc tit.*

Tametsi autem sufficiat intra terminum, sive iuris sive hominis, petere apostolos, etiam vltimâ die: nihilominus tutius est, eos incontinenti & simul cum appellatione petere: quia si appellatum sit à definitiva, iudex à quo post petitos apostolos nequit vlteriùs procedere, nisi priùs dederit refutatorios, quamvis appellatio esset merè friuola. At verò quando appellatio est friuola, potest etiam non petitis apostolis vlteriùs procedere.

An verò etiam in appellatione extraiudiciali peri apostoli debeant, quæritur, Et distinguendum est: vel enim appellatur à iudice, extraiudicialiter procedente, & tunc peti debent, quia est, qui eos dare potest, nempe iudex à quo: vel appellatur à parte; & tum non est necesse eos petere, quia non est, qui eos det. Quamvis tutius sit etiam tum petere, sub hac conditione, si sit, qui dare possit. Scaccia *de appellat. quæst. 13. art. 2. num. 52.*

Denique si quæratur, cuius expensis dandi

sint Apostoli, communis responsio est, dandos esse expensis appellantis, Maranta *d. loco n.* 124. Scaccia *q.* 14. *n.* 114.

§. XI.

Quibus appellationibus sit defendendum.

1 *Quatenus iudex puniendus, non deferens appellationi.* 2. 3.
4 *Deferre tenetur etiam appellationi ab interlocutoria sententia.*
5 *Quod tamen fallit iure Canonico.*
6 *Nisi ex iusta causa appelletur.*
7 *Vt & in dubio deferre satius est.*
8 *Concil. Trid. hac de re sanctio.*
9 *Stylus Curiæ Romanæ.*
10 *De appellationibus ad futurum Concilium ad tribunal Dei.*

1 DIxi Iudicem à quo, si recuset deferre appellationi, puniendum. Nam regulariter tenetur deferre cuilibet appellationi, adeò vt, si non deferat, quando est interposita ex iusta causâ, puniatur de iure civili pœnâ 30. librarum auri, si causa sit civilis; sin criminalis, arbitrariâ, *l. Quoniam Iudices* 21. C. *hoc tit.* Maranta 6. *p. actu* 2. *num.* 210. Iure verò Canonico, si Iudex non deferat appellationi, ad summum Pontificem interpositæ, ad ipsum Pontificem puniendus mitti debeat, *cap. de priore* 31. *h.t.* Sicut ad Imperatorem pro merito puniendus mittitur, qui appellationem ad eum interpositam in causa cùm civili tum criminali non receperit, *l. A Proconsulibus* 6. *in fine Cod. h.t.*

2 Quòd si appellatum fuerit ad inferiorem, Papâ, plerique existimant pœnam non deferentis appellationi in causa civili esse arbitrariam, & sic in vsu magis pecuniariam Franc. *in d.c. de priore*; in criminali verò causa pœnam depositionis, *can. decreto* 2. *q.* 6.

3 Expectandus tamen hac in re est finis appellationis, vt non puniatur Iudex, qui reiecit appellationem, si iudicatum fuerit malè appellatum fuisse, vt qui in exitu deprehendatur iustè non detulisse.

4 Sed an Iudex à quo teneatur perinde deferre appellationi ab interlocutoria, atque à definitiva, quæritur: nam Imp. *in dict. l. Quoniam Iudices*, agere de sententia definitiva, manifestè patet eo, quòd loquantur de sententia terminante intentionem litigantium, quod sola præstat definitiva, *l. Præses Cod. de sent. & interlocut. om. Iud.* Sed dicendum id, quod hac in re statuit lex civilis de definitiva, producendum esse ad interlocutoriam, vim definitivæ habentem, à qua perinde atque à definitiva permittitur iure civili appellatio.

5 At verò iure Canonico, licet permittatur appellatio ab omni interlocutoria, gravamen aliquod inferente, *c. Super eo* 11. *hoc tit.* tamen Iudex à quo non tenetur ei semper deferre, verùm licet ei, non obstante appellatione ab interlocutoria, in causa progredi, quamdiu per Iudicem provocatum non fuerit legitimè facta inhibitio, id est cum causæ cognitione, vt sciatur, an iustè appellatum sit, *c. Cum appellationibus, cap. Non solum eod. in* 6. Maranta *d. l. n.* 207. potestque de Apostolis refutatoriis respondere, si hoc ei æquum visum fuerit. 6 * tamen appelletur ab interlocutoria ex iusta causa, tunc tenetur deferre appellationi; & si non detulerit, perinde puniri poterit, ac si appellationi à definitiva non detulisset, Maranta *d. loco.* Ideóque iura volunt exprimi causam gravaminis in appellatione ab interlocutoria, vt si ea iusta sit, appellationi deferatur.

7 In dubio quoque satius est, vt ei deferat Iudex, quia licet sententia, quæ in rem transivit iudicatam, habeat præsumptionem iustitiæ, *c. Bona* 23. *§. porro sup. de elect.* imò pro veritate habeatur, *leg. Res iudicata ff. de reg. Iuris*: tamen, ea quæ nondum transivit in rem iudicatam, non magis iustitiæ quàm iniustitiæ præsumptionem habet, sed ad vtramque partem ita se habet, vt vel iusta vel iniusta pronuntietur, *leg. Chirographis* 57. *§. vltim. ff. de administrat. tutorum, leg. Herennius* 63. *§.* 1. *de euictionibus.*

Dixi ante, regulariter omni appellationi esse deferendum; quia Iudex ei deferre non tenetur iis casibus, quibus de iure prohibita est appellatio, de quibus antea egimus.

8 Cæterùm Concil. Trid. *Sess.* 22, *cap.* 7. *de reformat.* ordinavit, vt ab omnibus Legatis, Nuntiis Apostolicis, Metropolitanis, aliisque superioribus Iudicibus, in admittendis appellationibus & concedendis inhibitionibus servetur Constitutio Innocentij IV. relata in 6. *c. Romana eod. in* 6. eleganti Analysi enucleata à Cl. V. Stephano VVeymsio.

9 Servat quoque stylus Curiæ Romanæ vsitatus, vt non deferatur appellationibus in rebus parvi momenti, v.g. in summa non excedente decem ducatos, vti ex Vestrio testatur Piasec. *in Praxi Episc. part.* 2. *cap.* 4. *articul.* 15. *num.* 8.

Quod

Quod & ſtatuta curiæ Metropolitanæ Mechlinenſis habent, ad taxam ſcilicet quinquaginta florenorum, teſte Zypæo *h.t. n.*8.

Denique provocationes à ſummo Pontifice ad futurum Concilium, tanquam erroneæ & ſchiſmaticæ, damnatæ ſunt à Pio II. & Iulio II. eodem Zypæo teſte; *d.loco, n.*16. Vbi etiam tradit, Reges, reum læſæ Maieſtatis habere eum, qui ab eorum ſententiis ad Papam appellat: & profert exempla illorum, qui ad tribunal Dei provocarunt.

§. XII.

De tempore introducendæ & proſequendæ appellationis.

1 *Tempus eſt vel annus vel biennium.*
2 *Quod non currit de momento ad momentum.*
3 *Licet iudici brevius tempus præſcribere.*
4 *Atque etiam ipſi appellanti, non appellatio.*
5 *Ad finiendam appellationem iudex à quo terminum præſcribere nequit.*
6 *Terminus brevior quo tempore præſcribi poſſit.*
7 *Iudex ad quem appellanti præſcribere terminum non poteſt.*
8 *Fit deſerta appellatio per lapſum termini.*

1 TEmpus introducendæ ac proſequendæ appellationis hodie de iure communi vel annus eſt, vel ex cauſa biennium, à die interpoſitæ appellationis, quando in iudicio appellatur, *c.Cum ſit Romana 5. c.Ex ratione 8.h.t. Clement.Sicut & ibi Gloſſ. eod. Auth. Ei qui appellat. Cod. de temporib. appellat.* aut vbi extrajudicialiter appellatur, vel vbi ſententia nulla eſt lata, à die illati gravaminis: quandoquidem talis appellatio ſit veluti conditionalis, ſi gravamen inferatur.

2 Cæterùm hoc tempus non currit de momento ad momentum, ſicut currit decennium ad appellandum, quia dies appellationis non conſideratur, *Gloſſ. in Clement. Sicut h.t.* nec durante compromiſſo curſum habet, *Clement. Quamdiu eod.t. Auth. Si tamen Cod. de temporib. appellat.*

3 Permittitur autem iudici, vt brevius tempus ad introducendam & proſequendam appellationem præſcribat, ſi velit, *d. c. Cum ſit Romana*: ita vt appellatio, ſi appellans intra tempus illud non introduxerit & proſecutus fuerit eadem aliquo & qualicumque modo, efficiatur deſerta, & ſententiæ ac Iudicio Iudicis à quo ſtare compellatur, *cap.Perſonas 4. h.t.* perinde atque per lapſum termini iure definiti, in cuius locum ſuccedit terminus à Iudice præſcriptus, *Gloſſ. in d.Clement.Sicut*, Innoc. *in cap. Ex ratione 9. & in d.c. Perſonas, n.3. & 4.* Panorm. *in d.c.Cum ſit Romana,n.4.* Gaill.1.*Obſer.* 104.*n.*2. Poteſtque Iudex, lapſo termino à ſe præſcripto, ſententiam ſuam mandare executioni, etiam non exſpectato lapſu termini iuris, *d.cap Perſonas*, ibi, *ex tunc iudicio tuo ſtare compellas*; item, *ex tunc ſententiæ tuæ parere conſtringas*: nam dictio, *ex tunc*, extremum temporis momenti ſignificat, *l.4.§.vlt.ff.de condit.& demonſtrat. In ſubſtitutione ff.de vulgari & pupil. ſubſtit.*

4 Idem obtinet, ſi ipſemet appellans ſibi brevior in terminum præſcripſerit, provt præſcribere poteſt, *cap.Sæpe 44. c. Oblatæ 57.c.Nicolao 64. h.t.* modò tamen is ſit congruus & conveniens, *c.Conſuevit 14. h.t.* Vt verò appellatus appellanti talem terminum præfigat, non permittitur, ne in illius ſit poteſtate, nimiùm coarctare appellationem, & adverſario ſuo legem ponere, Ioan. Andr. & Panormit. *in d.c. Perſonas*: ſicut nec accellerando nimis permittitur terminum aut appellantem prævenire, *c. Sæpè 44. in fine h.t.*

5 Ad finiendam tamen appellationem Iudex à quo terminum breviorem præſcribere non poteſt, ſed tantùm ad introducendam & proſequendam: quia Iudici ad quem vt ſuperiori nequit præſcribere legem, vt ſcilicet intra hunc vel illum terminum cauſam appellationis expediat, *cap. ex inſinuatione 50. h. t.* Et in hoc differt terminus ab homine ſeu Iudice præſcriptus à termino Iuris, quod terminus iuris ſit etiam ad definiendam appellationem, terminus autem hominis ad inchoandam proſecutionem, VVamef. *in d.c.Perſonas,n.5.*

6 Verius autem eſt Iudicem à quo poſſe hunc terminum breviorem præſcribere Iudici ad quem, intra quem proſequatur appellationem, non ſolùm, quando admiſit appellationem, verùm etiam quando eandem reiecit: quia id facit ad celeriorem cauſæ expeditionem, ne ſententia à ſe lata maneat diutiùs in ſuſpenſo, & vt occurratur malitiæ appellantium, ad executionem ſententiæ differendam, ac tantò citiùs per ſuperiorem cognoſcatur, recténe appellationem admiſerit vel reiecerit. Quin etiam verius eſt, Iudicem à quo, poſtquam detulit appellationi, poſſe huiuſmodi terminum præſcribere ex intervallo, *c.1.verſic.poſt hoc eod.in 6.*

Facilius verò eidem permittitur, postquam talem breviorem terminum præscripsit, eundem, priusquam lapsus sit, prorogare, *l. Sed si 5. ff. de precario*, quasi quamdiu decurrit, is in eius sit potestate, & ad illum perduret iurisdictio, Rota *decis. 35. alias 384. in antiquis*, Decius *in d.c. Personas*. Dixi, priusquam lapsus sit, quia cùm sit peremptorius, *d. c. Sepè 44. h.t.* lapsus eius facit, vt sententia immutabiliter transeat in rem iudicatam, *d.c. Personas, h.t. l. vlt. §. illud, Cod. de temporib. appellat.* nullàque admittatur moræ purgatio, quia morâ contractâ statim subintrat legis dispositio, hoc est desertæ appellationis effectus.

S At verò Iudex ad quem præfigere appellanti terminum huiusmodi ad prosequendam appellationem nequit, quia habet terminum à iure statutum: nisi vbi periculum ex nimia dilatione immineret, vti in causis spiritualibus, electionum, postulationum, & aliis beneficialibus; quæ cùm causam aliquo modo publicam contineant, accelerari debent: sicut & causa matrimonialis, ob periculum incœstus vel adulterij, *c. Quoniam frequenter, §. sup. Vt lite non contestata*: item causa alimentorum, ob periculum vitæ, *l. Necare ff. de agnoscendis liberis*.

9 Cæterùm vt per lapsum termini, tam à iure quàm ab homine definiti, deserta fiat appellatio, consummatum tempus vtriusque termini, seu vltimus dies eiusdem lapsus exspectandus est, quamvis iam antè constet appellationis prosecutionem fieri non posse, VVamesius *in d.c. Personas, h.t.* Et si Iudex à quo simpliciter, provt fieri sæpè solet, præscripserit terminum ad appellationem prosequendam, sufficit qualitercumque prosequi, etiam per solam itineris arreptionem, vel per solum impetrationis rescripti actum, vt *in c. Ex parte h.t. §. Dilectus sup. de rescr.* licèt non doceatur de literis impetratis; nisi consuetudine vel statuto aliud obtineat.

§. XIII.

De causis biennij ad introducendam, prosequendam & finiendam appellationem.

1 *Causa concedendi biennij ad introducendam, &c. appellationem varia.*
2 *Ex parte appellantis infirmitas & paupertas.*
3 *Quæ etiam excusat à cursu fatalium.*
4 *Ex parte appellati, si is prosecutionem impediat.*
5 *Ex parte vtriusque, si partes suspendant aut protegent tempus.*
6 *Removentur obiectiones. 7.8.*
9 *Ex parte Iudicis, si per eum stet, quo minùs appellatio finiatur.*
10 *Ex parte tertij impedientis, vel ex negligentia procuratoris.*
11 *Ex casu & fortuna.*
12 *Solet quandoque ex causa etiam tertius annus indulgeri.*

AD introducendam, prosequendam, & finiendam appellationem diximus dari de iure tam civili, quàm Canonico annum, & ex causa biennium, ita tamen, vt Iudex à quo brevius tempus præscribere queat. Dispiciendum nunc est de temporis huiusmodi causis. Ex variæ esse & concurrere possunt, vel ex parte appellantis, vel ex parte appellati, vel vtriusque, vel Iudicis, vel alicuius tertij, vel denique ex casu & fortuna. 1

Ex parte appellantis: vt si infirmitate ita detentus fuerit, vel paupertate aut inopiâ ita laboraverit, quòd appellationem interpositam prosequi & finire non potuerit, *cap. Ex ratione 8.* ibi, *per impotentiam hoc titulo cap. penult. inf. de solutionib.* Scaccia, *quæst. 15. art. 3.* Nam si difficultas excuset à mora, *Gloss. in leg. Quod ff. Si certum petatur*, Iason *ibid. & communiter DD.* multò magis paupertas & inopia à desertione appellationis, cùm impossibilium nulla sit obligatio, *l. Impossibilium ff. de reg. iuris*, & est communis, teste Gaill. *obser. 142.* 2

Sed dubitatur, an etiam paupertas & inopia excuset à cursu fatalium interponendæ appellationis? Et verius est, excusare, quando ad appellandum opus est sumptu aliquo; vti quando ex intervallo in scriptis appellandum est. Secus, quando nullo sumptu est opus, vt quando incontinenti vivâ voce appellari potest. Nec videtur opus, protestatione pauperis, vt tenet Bald. *in c. 3. num. 2. sup. de rescriptis*; maximè si sit nota Iudici alioqui si ignota sit, cùm in facto consistat, allegari & probari debet, *per l. In bello §. facta ff. de captivis & postlim. reversi.* tanquam fundamentum intentionis pauperis, si vtique miserabili privilegio paupertatis vti velit, Gaill. *dict. obser. 142. num. 3. vbi plenius vide.* 3

Ex parte appellati, vt si is de facto, vel per se vel per alium, extra iudicium appellantem impediat, quò minùs prosequi appellationem possit; vel in iudicio fruſtratorijs dilationibus efficiat, ne appellatio debito tempore finiatur: nam & hoc casu appellanti conceditur ipso 4

iure

iure secundus annus, vel saltem servatur appellans illæsus, vt tempora prosequendi appellationem ei non currant, Rota *decis.* 102. *incip. Fatalia, in novis* Scaccia *d. loco num.* 61. quia tempus fatalium hoc casu labitur culpâ & facto adversarij, & desertio fieri debet contra culpabilem & negligentem non contra impeditum, Scaccia *d. loco.*

5 Ex parte vtriusque: vt si partes, durante appellatione, mutuo consensu peregrinationem aliquam suscipiant, vel compromittant in arbitros: nam, durante eiusmodi peregrinatione vel compromisso, temporis cursus suspenditur ipso iure, nec proinde opus est secundo anno, *Clement. Quamdiu hoc titulo Auth. Si tamen Cod. de temporib. appellat.* Scaccia *dict. loco n.* 165. *& seq.* Ratio est, quia cùm tempus prosequendæ appellationis detur vtrique parti, potest pacto & mutuo consensu partium suspendi. Quin & hoc iure nostro permittitur litigantibus, non tantùm suspendere fatalia, *dict. Clement. Quamdiu:* sed etiam prorogare, *l. fin. §. fin. Cod. de temporibus appellat. l. Quod si nolit §. si quid ita ff. de Ædilitio edicto, c. de causis 4. sup. de officio iud. delegati.*

6 Non obstat, quòd tempus primæ instantiæ, puta triennium, consensu partium prorogari nequeat, ne quidem mediante iuramento, vel per compromissum, aut adiectionem pœnæ, licèt abbreviari possit favore boni publici vt, lites citiùs finiantur, Gl. *in l. Properandum V. triennium Cod. de iudiciis*, Gaill. 1. *Obser.* 141. *num.* 5. quia non est simile. Ratio differentiæ est, quòd, finitâ primâ instantia per cursum triennij, saluum adhuc maneat ius agendi de integro, solúmque acta pereant, salvo iure partis. At verò, finitâ causâ appellationis, totum ius appellantis corruit & intercidit, totáque causa perimitur, & sententia à qua in rem transit iudicatam, *Clement. Sicut hoc titulo*, eíque stare cogitur appellans, licèt iniqua sit, *cap. Personas 4. hoc titulo* & appellationi renuntiare intelligitur, *cap... ff. recta 39. hoc titulo.* Ideóque meritò tempus prosequendæ appellationis prorogari potest de consensu partium, propter præiudicium aliàs irrecuperabile. Vide latè Marant. 5. *part. num.* 23. Gaill. 1. *obser.* 141.

7 Non obstat, *cap. Oblata 57. hoc titulo* quia loquitur de Iudice, cui licèt permittatur abbreviare hoc tempus, non tamen prorogare: at verò partes litigantes & abbreviare & prorogare possunt.

8 Non obstat etiam *l. Nemo Cod. de temporibus appellat.* quia loquitur de reparatione, quæ fit finito tempore, vt colligitur ex eadem lege, faciente mentionem reparationis: hic autem loquimur de prorogatione, quæ fit durante tempore, *l. Sed si manente 5. ff. de precario.*

9 Ex parte Iudicis potest intervenire impedimentum, si vel ob infirmitatem vel ob aliam causam pro tribunali non sedeat; vel aliàs per eum stet, quò minùs causa appellationis ad finem intra debitum tempus perducatur. Et hoc casu, si Iudex ille sit Princeps, non recognoscens superiorem, ipso iure appellans servatur indemnis, ita vt ei tempora appellationis non currant, *Auth. Sed & his cum sequentib. Cod. de temporib. appellat. can. Anteriorum §. ad hæc sancimus 2. quæst.* Gaill. 1. *Obser.* 141. *num.* 7. Idque propter multitudines curarum & negotiorum, ob quam non decet Principem temporum angustiis concludi, *l. Præcipimus Cod. de appellat.* Quam rationem Pontifex transfert quoque ad appellationes, quæ ad auditorium Papæ deferuntur *c. Ex insinuatione 50.* ibi, *lis integra permaneat hoc titulo.* Si verò sit Iudex inferior Principe, tunc ipso iure per iudicem indulgetur impedito secundus annus, *l. vlt. §. vlt Cod. de temporibus appellat.* Sed hoc casu debet appellans, seu eius procurator, provt praxis observat, protestari, & quidem sæpiùs, quòd per se partemque suam non stet, quò minùs in causa celeriùs procedatur, quodque proinde fatalia sibi partique suæ currere non debeant, *Gloss. in c. Cupientes §. quod si per viginti de elect. in 6.* Maranta 6. *part. actu 2. num.* 230. Gaill. *dict. loco num.* 9. At verò quando impedimentum aliunde provenit, quàm ex parte Iudicis, non est necessaria huiusmodi protestatio, sed sufficit, quòd impedimentum probetur: tutius tamen est, vt omni casu interponatur.

10 Ex parte alicuius tertij vel etiam ex negligentia procuratoris potest quoque evenire impedimentum, ne intra debitum tempus seu annum appellatio finiatur; & tunc rata manet: ab eáque nec datur appellanti secundus annus, sed datur contra tertium impedimentum, si solvendo sit, actio ad interesse, *l. Arbitrio 18. §. dolo, ff. de dolo malo.* Exemplo debitoris, qui dolo malo facit, vt legitimis temporibus transactis, dies actionis pereat in temporalibus actionibus, *d. §. dolo, &c.* vel instantia biennij in criminali, *leg. 1. & 2. Cod. Vt intra certum tempus*; & in civili triennali, *l. Properandum Cod. de iudiciis.* Contra procuratorem verò, si solvendo sit, datur actio mandati ad damna & interesse, *leg. Si remunerandi §. 1. l. Si procuratorem & l. A procuratore ff. Mandati, l. Si procurator, C. de*

C. *de procuratorib.* Nam sibi imputet necesse est, quòd negligentem procuratorem elegerit, *cap. sapè 44. hoc tit. l. Sed etsi §. fin. ff. de institut. actione, l. cum mandato in fin. ff. de minoribus, Gloss. in cap. 1. & 2. in V. restituimus de in integrum restitut.* Si verò tertius vel procurator soluendo non sit, succurretur ei per restitutionem in integrum, *Gloss. in cap. Ex ratione 8. hoc tit. d. l. Properandum §. ultim. C. de iudicijs.*

11 Denique prouenire impedimentum potest ex casu & fortuna.

Quòd si verò, & in toto secundo anno appellans fuerit impeditus, solet ei dari ex iustissima causa etiam tertius annus, *dict. c. Ex ratione:* non tamen ipso iure, vti datur secundus, sed à iudice per viam restitutionis in integrum. Et quidem integer annus, si toto secundo anno fuerit impeditus: alioquin annus non integer sed solùm tantùm temporis ei restituitur, quantum abstulerit impedimentum, Abbas *in dict. cap. Ex ratione*; iuxta naturam scilicet restitutionis in integrum, quæ est, vt tantum restituatur, quantum abstulerit læsio, *clement. vnica & ibi notata de restitut. in integrum.* Quia verò ista restiututio incidenter petitur, ideò datur præuiâ summariâ cognitione, sine libello aut litis contestatione, vel alia speciali causæ cognitione, prævia tamen citatione partis ad videndum restitutionem fieri, Gaill. 1. *obser.* 143. *in fine.* Aliàs; vbi restitutio in integrum principaliter deducitur, ordo iuris est necessarius, Gaill. *ibid.*

§. XIV.

Quale debeat esse impedimentum primi anni seu primi fatalis, vt præbeat causam dandi secundum.

1 *Debet iustum esse impedimentum.*
2 *Deque eo constare evidentissimè.*
3 *Nec sufficit iuramentum appellantis.*
4 *Neque credendum iudici, asserenti tale impedimentum.*
5 *Si de eo non constiterit, iudex lapsu anno poterit sententiam exequi.*
6 *Dummodò appellans etiam de diligentia sua doceat.*
7 *Iustè impedito primo anno dari semper secundum integrum.* 8.
9 *Discrimen inter primum & secundum annum.*
10 *Cur legitimè impedito in secundo anno non detur tertius.*

CÆterùm impedimentum oportet esse iustum & inuitabile seu inexorabile, & non affectatum: nam si appellans illud affectarit, vel sua culpa causam illi præbuerit, æquum non est ei hac in parte subueniri, *l. 2. §. Si quis tamen ff. si qui cautionibus, &c.* * Cúmque in facto consistat, & ex veritate facti dependeat, non debet præsumi, *cap. 1. de constitut. in 6. c. cum in iure sup. de officio iud. delegati*, sed omninò & plenè atque euidentissimè probari, *l. vlt. §. illud C. de temporibus appellat. cap. ex ratione 8. hoc tit.* 1 2

Et ideò non officit iuramentum appellantis, nisi fortè in causis modici præiudicii: nam iuramentum, præsertim vltroneum, nec à iudice nec ab aduersario delatum, non potest seruire pro vllo genere probationis; & quando eius vsus permittitur, est potiùs exoneratio quàm species probationis. Imò cùm Iustinianus *in dict. §. illud* requirat euidentissimam probationem, non sufficit iuramentum appellantis, cum vnius testis testimonio: quia quando à iure vel canone, liquida sèu euidens (à fortiori quando euidentissima) probatio requiritur, ea non potest confici ex coniunctione duarum imperfectarum; & proinde in proposito impedimentum huiusmodi probari debet, vel per duos testes idoneos, vel per partis aduersæ confessionem, vel per instrumentum; nisi alias sit notorium euidentia facti. 3

Et ne iudici quidem credi debet, asserenti tale impedimentum etiam ex propria persona (vt si fateatur, se ob valetudinem non potuisse vacare causæ cognitioni, aut pro tribunali sedere:) ne facilè fraus fiat, *l. Si forte ff. de castrensi peculio*; neve in iudicio tam iudicantis quàm testificantis persona fungatur, *cap. Ex literis sup. de probat. l. Famæ ff. de verb. signif.* Adeò vt, licèt in iudicio testis vnus probet semiplenè, tamen iudici in iudicio non aliter credatur, quàm per acta iudicialia, vel aliàs per legitima constet documenta *cap. Quoniam contra 11. sup. de probat.* Et hinc licèt facilis sit præsumptio iuris pro iustitia sententiæ latæ à iudice, *cap. 23. sup. de elect.* non tamen pro iudicis facto. 4

Quòd si igitur de impedimento non constiterit euidenter, nec appareat de protestatione de non lapsu fatalium, poterit iudex à quo, lapso termino suo anno, sententiam suam, velut desertâ appellatione, mandare executioni (parte tamen citatâ, vt tenet Bald. *in l. si contra 8 C. de appel. & in l. 2. in fine C. de temporib. appellat.* & Franc. *in d. cap. Ex ratione hoc tit.*) non expectato lapsu biennij, secundum Marantam, *p. 6. act. 2.* 5

actu 2. num.13. tum quia lex non dat biennium, nisi iusta subsistente causâ, & quidem euidenter probata: tum quia primum annum lex vocat primum fatale, & secundum annum vocat secundum fatale, *l. 2. in princ. & ibi Gloss. C. de temporib. appellat.* quod non rectè diceretur, nisi primi anni lapsus perinde atque lapsus secundi anni perimeret appellationem, non dato & probato impedimento, *clement. Sicut h.t. l. fin. C.d.tit.*

6 Non tamen sufficit sola impedimenti probatio, nisi vltrà appellans de diligentia sua docet, etiam ad impedimentum amouendum: quia tunc demùm dicitur ex iusta & necessaria causa impeditus, quando facta diligentia remanet impedimentum; & qui potest facere, vt possit, iam dicitur posse, *l. 135. ff. de reg. iuris.* Nec dicitur impeditus, qui facilè potest impedimentum amouere, imò dicitur illud volens pati. Latè Scaccia *quæst. 15. a. 16.*

7 Cæterùm hic quæritur, an iustè impedito in primo anno semper detur integer secundus annus? Et quidem non est dubium, dari integrum, quando toto primo anno fuit impeditus, vel diligentiam debitam adhibuit, licèt impedimentum parum duraverit, Scaccia *dict. loco a. 5. versic. primus casus est, cum sequent.* At verò quando non fuit toto primo anno impeditus, sed aliquo tempore tantùm, an ei nunc detur secundus annus integer non satis conuenit.

8 Omissis aliorum variis distinctionibus, tametsi ea sententia de rigore iuris verior videatur, quæ subsistente in aliqua parte primi anni impedimento, existimat dandum esse secundum annum; non vt indistinctè eo toto appellans vti possit, sed vt inde tantùm desumat, quantum in priori anno per quodcumque iustum impedimentum ei fuit ademptum, *l. Ab hostibus §. sed quod simpliciter ff. ex quib. causis maiores, &c.* tamen vsu fori, præsertim Ecclesiastici, magis obtinuit, vt propter quodcumque impedimentum primi anni detur secundus integer; modò extet aliqua diligentia appellantis, & totus primus annus non fuerit negligentiâ lapsus, siue potuerit, siue non potuerit appellans, deducto impedimenti tempore, in reliquo causam appellationis peragere: quia tale impedimentum appellanti non debet ad damnum referri, sed appellato ad pœnam, *cap. significante 69. h.t.* Capella Tholos. *9. decis. 331.* Probatur ex *Auth. si appellat. C.d.tit.* vbi dicitur, quòd ad obtinendum hunc secundum annum sufficiat, si vel nouissima inducia tum die appellans ad agendam causam coram iudice compareat. Confirmatur ex eo, quòd totus primus annus sit in arbitrio appellantis; quando velit incipere & prosequi appellationem, modò superfit sibi tempus sufficiens ad eam finiendam, arbitrio iudicis determinandum, iuxta Oldrad. *cons. 60. num. 3. vers. quod & impeditus.* Videatur de his Scaccia *quæst. 15. art. 5.*

9 Illud autem discriminis est inter primum & secundum annum, quòd primus simpliciter & ipso iure detur secundus autem etiam ipso quidem iure detur, sed non nisi ex iusta & necessaria causa. Insuper quòd primus annus non sit præcisè fatalis, sed tantùm sub conditione, si nulla iusta interuenerit causa, quæ appellantem impediuerit, quia ex tali causa datur secundus annus. At verò secundus est præcisè fatalis.

10 Cur autem legitimè impedito in secundo anno non tam detur tertius annus ipso iure quàm impedito in primo anno datur secundus, ratio est, quia ius præsumit quemlibet appellantem posse quamlibet causam appellationis, quantumvis arduam, peragere, intra biennium, modò summa ope summóque opere, prout lex requirit, ad hoc nitatur, eo quòd in vsu id sit frequentiùs, aut fieri possit, *arg. l. ex hu, cum l. seq. ff. de legibus.* Et ideò hæc præcisè tempus prosequendæ appellationis præscribit, vt tanto certior celeriórque sit litium finis.

§. XV.

De effectu appellationis.

1 *Regulariter appellatione pendente nihil innouandum.*
2 *Attentata appellatione à definitiva statim reuocanda.*
3 *Ab interlocutoria non aliàs, quàm vbi constiterit de causa.*
4 *Idque in appellatione cùm iudiciali tum extraiudiciali.*
5 *Non indistinctè tamen; & ratio differentiæ.*
6 *Præterea appellationem oportet esse intimatam iudici & parti.*
7 *In quacumque parte iudicij reuocatio fieri potest.*
8 *Forma petendi reuocari attentata duplex.*
9 *Vbi interest, vtrum pars appellans, an verò appellata attentauerit.*

1 REgula iuris est, pendente decennio ad appellandum, aut etiam pendente appellatione,

tione, sive recepta sit, sive non nihil posse innouari seu attentari in causa, verùm omnia in eodem statu, in quo erant tempore introducendæ vel introductæ appellationis, quamdiu de ea cognoscitur, manere oportere, *lege vnica ff. nihil innouari appellat. interpos.* Et quidem si recepta sit appellatio, quia recepta est; si verò non sit recepta, ne vsum appellationis præiudicium fiat, priusquam deliberatum fuerit, an recipienda sit vel non, *d. l. vnica, cap. bonæ memoriæ 51. vers. præmissum hoc tit. cap. non solùm eod. in 6.* Deinde quia per appellationem iurisdictio iudicis à quo suspenditur, *cap. si à iudice hoc tit. in 6. l. vlt. §. sin autem C. de temporib. appellat. cap. cum inter sup. de sent. & re iudicata*, & quasi dormitare videtur, *cap. Pastoralis 57. §. 1. hoc tit.* Appellans enim eximit se à iurisdictione iudicis à quo in ea causa, in qua appellavit, *cap. directa 39. h.t.*

2 Ideóque si post appellationem à definitiva aliquid innovauerit seu attentarit iudex à quo, illud in primis statim & ante omnia per iudicem appellationis remedio attentatorum revocari, irritari seu cassari debet, *cap. dilectu filiis 55. sub finem vers. quia tamen per appellationem h.tit.* Franc. *in c. Consuluit & d. cap. Bona 51. h.t.* nisi fortè causa attentatorum altiorem requirat indaginem, nec probari incontinenti possit: nam tunc principalem causam non suspendit nec impedit; sed vtramque simul prosequi oportet, *l. Si constiterit Cod. Finium regund.* Gaill. *1. obser. 146.*

3 Si verò post appellationem ab interlocutoria quid innouauerit, id reuocari & cassari debet, vbi causam appellationis veram esse constiterit, *dict. cap. non solùm*: nisi iudex appellationis, deuoluto ad se negotio iudici à quo inhibuerit, ne procedat vlteriùs, *&c. Non solum.*

Habet autem hoc remedium attentatorum
4 locum, non tantùm in appellatione iudiciali, sed & extraiudiciali, quia non solùm prohibet lex aliquid innouari, pendente appellatione, sed generaliter lite pendente, *cap. 1. & 2. sup. Vt lite pend. nihil innouetur.* Et ideò, cùm appellatio extraiudicialis vt minimùm sit provocatio ad causam, *cap. cum sit Romana 5. vers. si verò hoc tit.* etiam litis constituit pendentiam; ac proinde quod post eam innouatur, rectè pendente lite innouari dicitur, & per consequens etiam ante omnia reuocari oportet.

Hoc tamen est discrimen inter appellatio-
5 nem iudicialem & extraiudicialem quòd in iudiciali reuocentur omnia, licèt non sint directè contra appellationem, in extraiudiciali verò ea dumtaxat, quæ sunt directè contra appellationem, & non alia, vt tradit Marant. *6. part. actu 2. num. 4.* Ratio differentiæ est, quòd appellatio iudicialis etiam in vno articulo, sive habeat connexitatem cum tota causa, sive non, in totum & quoad totam causam suspendat iurisdictionem iudicis; ideóque omnia reuocantur. At verò appellatio extraiudicialis non suspendit iurisdictionem, ex quo extraiudicialiter proceditur; ideóque revocatur dumtaxat, quod est in grauamen appellationis, seu contra appellationem.

Dixi, sive habeat connexitatem cum causa principali, sive non; quia licèt iuxta aliquos & quidem in puncto iuris appellatio ab vno articulo, qui separatus sit à causa principali, non suspendat iurisdictionem, nisi respectu illius articuli: tamen secundum Glossam & Abbatem *in cap. super eo 10. hoc tit.* cui conformis est praxis, suspendit, sive sit connexus, sive non, cùm arbitrio iudicis relinquitur, quæ sint connexa, quæ non, facilè inclinetur ad iudicandum pro connexitate, vt sic totam causam ad se trahat. Videatur Scaccia *q. 17. lim. 7. memb. 2. n. 12.*

Insuper vt attentata in iudiciali appellatione 6
reuocentur, necesse est, quòd appellatio fuerit intimata iudici & parti: nam aliàs iudex & pars, ignorantes appellationem, possunt de iure procedere in causa, nec reuocantur tunc per eos attentata, Maranta *d. loco.* Secus in extraiudiciali, in qua reuocantur, licet non fuerit intimata appellatio, vt *ibid. tradit n. 403.* 7

Potest autem peti reuocatio attentatorum in quacumque parte iudicij, vsque ad conclusionem in causa, non vltrà, Maranta *d. loco*, Gaill. *1. obser. 146. num. 10.* Rota *27. dec. licet pars, in nouis hoc tit.* Quod intellige quoad attentata ante conclusionem, nam secùs obtinet in commissis post conclusionem.

Petuntur revocari dupliciter: aut implorato 8
principaliter officio iudicis, pro ipsorum revocatione; aut accessoriè, prosequendo appellationem. Et hoc casu, quamvis super libello attentatorum contestata lis fuerit, si causa principali separari queant, revocari ante sententiam definitivam poterunt: aliàs si tales sint, vt non possint rescindi nisi per sententiam definitivam, ea exspectanda erit, vt in casu, *l. chirographis, §. 1. dict. de administrat. tutor.* Gaill. *1. obser. 146. n. 8.*

Cùm verò attentata fiant, aut per partem, aut per iudicem, & vtroque casu ante omnia revocanda sint, prout latè tradit Monachus *in cap. cupientes, num. 132. cum seqq. de elect. in 6.* multùm interest, vtrùm appellans, appellatus attenter:

attentet : quia si appellans aliquid attentet, quod sit contra propriam appellationem, veluti si pendente appellatione adversarium sua possessione, quæ controuertitur, spoliet, eo ipso tanquam sibi contrarius censetur non deferre propriæ appellationi, & ius sibi ipsi dicendo contemnere iudicem, sicque indignum se appellationis beneficio facit; cùm frustrà legis imploret auxilium, qui contra legis nititur voluntatem, *cap. Bona memoria supra de elect. l. Auxilium*, §. *fin. ff. de minorib.* Ac proinde sententia à qua statim transit in rem iudicatam; eamque iudex à quo potest executioni mandare, perinde ac si nunquam fuisset appellatum, *cap. cum sit 5. hoc tit.* Nec hoc casu opus erat appellatio exhibere libellum, vt attentata reuocentur, sed solum vt iis probatis iudex appellationis causam tanquam defertam pro executione ad iudicem à quo remittat. Secus autem, si attentata non sint contraria appellationi, quia eo casu reuocari debent. Videatur Gaill. *dict. obser.* 146. vbi *num.* 19. tradit, quo pacto pronuntiari debeat, quando appellatus vel iudex à quo pendente appellatione attentat.

§. XVI.

De privilegiis remedio attentatorum competentibus.

1 *Huic remedio non potest opponi exceptio proprietatis.*
2 *Nullam requirit prioris status iustitiam.*
3 *Non requirit ordinem iudiciarium.*
4 *Agenti hoc remedio non potest opponi exceptio excommunicationis.*
5 *Datur aduersus quemcumque possessorem.*

1 REmedio autem attentatorum plurima comperunt privilegia, estque longè promptius remedium spoliato seu turbato in sua possessione, quàm interdictum vnde vi: nam licèt spoliatus ante omnia sit restituendus, ita vt attentata & innouata ante omnia sint reuocanda, *cap. Non solùm h.t. in 6.* tamen agenti, vt attentata reuocentur, non potest opponi vlla exceptio proprietatis aut potioris iuris, Afflict. *decis.* 352. sed sufficit constare quoque modo, aduersus eum attentatum & innouatum fuisse. At verò agenti interdicto vnde vi, notorius defectus proprietatis obiici potest, & sæpè restitutionem remoratur, *cap. Ad decimas de restitut. spoliat. in 6.* Item opponi potest exceptio alterius spolij, *cap. 2. §. sed quoniam sup. de ordine cognit.* Innouati autem reuocationem non moratur partis aduersæ attentatum: licèt de eo quoque reuocando æquè expeditè agi possit, vtrique parti ex æquo parente iudicis officio, Panormit. *in cap. Bona memoria 51. h.t.*

Insuper in interdicto ex causa spolij requiritur allegatio & probatio seu iustificatio alicuius tituli, saltem colorati, *clement. 1. de causa poss. & proprie.* non verò in remedio attentatorum, in quo nulla requiritur prioris status iustitia, sed sufficit sola veritas. 2

Præterea in interdicto, quia est ad instar actionis, §. *vlt. instit. de interdict.* ordo iudicialis obseruandus est: nec sine libello, litis contestatione, & aliis, quæ in ordinariis iudiciis plerumque requiruntur, ad restitutionem peruenitur, *cap. 2. sup. Vt lite non contestata.* In reuocatione verò attentatorum, si notoria sint, non requiritur ordo iudiciarius, nec litis contestatione opus est; sed implorato iudicis officio mercenario procèditur de plano, cum sola citatione & causæ cognitione, aliis solemnitatibus omissis, *dict. cap. vlt. sup. de ordine cognit. ca. 1. Vt lite pendente in 6.* Gaill. *dict. obser.* 146. Quoties enim aliquid iudicis officio mercenario explicatur, non est opus libello, sed de plano procèditur, DD. *ad rubr. ff. de interrogat. actionib.* Imò iudex ex officio parte non petente, & sic non iure actionis talia attentata reuocare potest: quia per attentata plus iudex quam pars læditur, & lex prohibens lite pendente aliquid innouari, contemnitur, Gaill. *dict. loc.* 3

Rursus agenti interdicto potest obiici exceptio excommunicationis, quia pro actore habetur, *cap. intelleximus sup. de iudiciis, cap. cum inter, cap. vlt. sup. de except.* non etiam petenti reuocationem attentatorum, Decius *cons.* 200. *col. fin. vers. Secundo.* Ratio est, quia ista petitio, saltem in appellatione iudiciali, magis sapit naturam defensionis, quæ excommunicato permittitur, *dict. cap. Intelleximus, & dict. cap. vlt. de except.* quàm actionis seu impetitionis, quæ excommunicato denegatur. 4

Dixi, saltem in appellatione iudiciali; quia, cùm extraiudicialis appellatio, præsertim quæ à parte interponitur, non tam sit appellatio, quàm prouocatio ad causam, *c. Cùm sit 5. vers. Si verò hoc tit.* & pro actione magis sit, *l. Qui appellat. 29. ff. de iudiciis*, verius videtur, quòd in huiusmodi extraiudiciali appellatione petenti reuocationem attentatorum obstet exceptio excommunicationis, quia illa verè agenti obiicitur, non autem defendenti. Secus in ea, quæ à iudice interponitur; præsertim in mixta

executione, quia cùm sit quoque species defensionis, apparet verius exceptionem excommunicationis non posse morari attentati reuocationem.

§ Denique interdictum vnde vi non datur contra quemcumque, sed eum dumtaxat, qui vi deiecit, vel deiici mandauit, aut deiectionem, suo nomine factam, ratam habuit, *l. 1. ff. de vi & vi armata, cap. cùm ad sedem, cap. sapè sup. de restitut. spoliat.* Et ideò ne quidem datur adversus eum, ad quem res sine vitio spolij peruenit, v. g. contra emptorem rei, ab alio per vim occupatæ: & quidem iure ciuili indistinctè, iure autem canonico, si modò ad eum bona fide peruenerit, *dict. cap. sapè.* At verò remedium attentatorum datur adversus quemcumque possessorem, sive bona fide sive malâ sive scienter sive ignoranter; sive per pactum sive per iudicem res ad eum peruenerit, *cap. Ex parte sup. de testibus.* Non quòd attentatum grauius sit, quàm spolium, quippe cùm spoliator sit prædo, qui vim vel publicam vel priuatam committit, *l. 1. §. ne quid autem, l. Si de fundo, ff. de vi & vi armata*; & atrocitatem facti in se contineat, *dict. l. 1. § interdictum*; nec verba sufficiant, *l. si quis vxorem, §. si neque. ff. de furtis* attentatum verò sine vlla specie delicti fieri possit: sed quia qui attentat non solùm aduersarium lædit, sed & ad iudicem, & quidem magis offendit, & legis prohibitioni resistit.

§. XVII.

Quænam iudici vel partibus pendente appellatione, liceant.

1 *Pendente appellatione licet non allegata allegare, &c.*
2 *Potest fieri innouatio contra tertium.*
3 *Quæque fieri poterant pendente causâ principali.*
4 *Similiter denuntiare licet quem excommunicatum.*
5 *Si friuola sit appellatio, rectè proceditur ad executionem sententiæ.*
6 *Pendente appellatione licet facere, quæ eandem promouent.*

1 PORRÒ tametsi regulare sit, pendente appellatione nihil innouandum esse, prima tamen cùm iudici, tum etiam partibus, pendente appellatione permissa sunt. * Nam in primis vtrique parti licet non proposita proponere, & non probata probare, atque exceptiones opponere, modò tamen actionem & causam, curam iudice à quo propositam, respiciunt, & ei connexa sint, *l. Per hanc C. de temporib. appellat.*

2 Secundò potest innouatio fieri contra tertium, etiam super eadem re, si nihil interfit appellantis eam innouationem fieri, vel non fieri. Exempli gratia, si ex duobus reis debendi in solidum vnus conuentus & condemnatus appellauerit, non obstante ea appellatione, alius conueniri, & aduersus iudex æquè procedere potest, *l. creditor in princ. ff. mandati*; quia res inter alios acta aliis non præiudicat, *cap. Romana §. in aliis hoc tit. in 6.* Gaill. 1. *obser.* 144. Et sicut exceptio spolij, ita & attentatorum alicui tertio opponi non potest. *Gl. off. in d. l. creditor in V. posse in fine.* modò non habeat causam ab ipso spoliante vel attentante.

3 Tertiò, ea attentari, & innouari possunt pendente appellatione, quæ poterant fieri & innouari pendente causa principali: quale est, compellere litigantem ad cauendum, vt in *l. Posiquam hæres §. imperator, & ibi* Bart. *ff. Vt legatorum & fideicommissorum nomine caueatur.* Hinc possessor, pendente appellatione, commodo fruitur possessionis, & rectè possessionem suam continuat, nemóque ob contradictionem vel appellationem alterius fructu possessionis suæ carere debet, Ioan. Monachus *in cap. cupientes num. 138. de elect. in 6.* Nec attentare dicitur, qui ius suum prosequitur, continuando scilicet possessionem suam, fructúsque percipiendo, sed veteri iure vti, *c. 1. sup. Vt lite pendente, &c.* Gaill. 1. *obser.* 147. Similiter patronus, cui competit ius præsentandi plures ad beneficium vacans, præsentato vno potest secundum præsentare, non obstante appellatione: quia ante appellationem licita ei erat huiusmodi præsentatio, nec debet hac facultate priuari per appellationem priùs præsentari.

Quartò, si debitor, qui appellauit, ex noua causa factus sit suspectus de fuga, potest non obstante appellatione capi à creditore, etiam propria auctoritate.

4 Quintò, si appelletur à sententia excommunicationis vel censuræ Ecclesiasticæ, veluti interdicti & suspensionis, iam lata, potest iudex à quo, non obstante appellatione, denuntiare & publicare appellantem excommunicatum, vt ab aliis vitetur, *cap. Pastoralis 53. §. verum & ibi* Abb. *hoc tit.* & similiter declarare suspensum, interdictum: quia excommunicatio est censura medicinalis, tendens ad correctionem, sicut & aliæ censuræ, & in potestate est appellantis censuras huiusmodi euitare. Ideóque aliud esse dicendum, si infligerentur in pœnam, sicut

infertur

infertur depositio, quæ proinde per appellationem suspenditur, Scaccia *quæst. 3 a. 1. num. 77. & seqq.* Similiter iudex potest excommunicatum priuare fructibus sui beneficij & distributionibus, Abbas *in dict. cap. Pastoralis*, quia ex quo exemptus est à communione Ecclesiæ, non debet ex fructibus eius alimentari.

Dixi, si appelletur à sententia excommunicationis vel alterius censuræ Ecclesiasticæ, iam lata; quia si appelletur à declaratoria, qua iudex declaret quem incidisse in sententiam excommunicationis, non potest, ea appellatione pendente, aliquid innouare: quia cùm fieri possit, vt malè declaret, meritò permittitur ab huiusmodi declaratoria appellatio; sicut & permittitur extraiudicialis appellatio à sententia excommunicationis ferenda, tanquam à futuro grauamine, ita vt sententia excommunicationis postea lata, fit ipso iure nulla, *cap. dilecti hoc tit.* Pari modo potest iudex excommunicatum absoluere ab excommunicatione, non obstante appellatione aduersæ partis, ne absoluatur: idque ne in excommunicatione decedat, *c. Quæ fronte 16. hoc tit.*

5 Sextò, si appellatio sit manifestè friuola, potest iudex à quo, dummodò ei non detulerit, procedere ad executionem sententiæ suæ, *cap. cùm appellat. 5. eod. in 6.* sicut & iis casibus omnibus, quibus de iure appellare non licet, *cap. Non solèm eodem in 6.* vel vbi statuta aut iura concedunt paratam executionem: nisi in casibus eiusmodi prohibitis appellans alleget iustam aliquam causam, ob quam admitti debeat appellatio, *Glossa in dict. cap. Romana §. si autem eodem in 6.* Similiter appellatio in possessorio non retractat executionem iure ciuili, *l. vnica Cod. Si de momentanea possess. &c.* licet secus sit de iure canonico, *clement. vnica de sequestrat. possessio. &c. Gloss. in cap. cum ad sedem in V. interdictum sup. de restitut. spoliat.* Sic quoque in factis notoriis appellatio non suspendit executionem; ideóque dicitur notoriè criminosum non esse audiendum, *cap. Proposuit 24. h. t.*

Septimò, si alicui mandatum sit, vt resideat in loco beneficij sui, & is appellet, potest iudex, non obstante appellatione, committere vices eius alteri, qui interim de fructibus beneficij alatur, *cap. peruenit 28. h. t.*

6 Denique, vt alia omittam, generaliter potest iudex à quo pendente appellatione omnia illa facere, quæ tendunt ad faciliorem & expediriorem exitum causæ appellationis, dummodò se non immisceat appellationi. Et ideò potest saltem incontinenti taxare expensas, in quas condemnauit: quia tunc non dicitur innouare nec propriè interloqui, sed declarare prouuntiata. Similiter appellanti potest statuere certum terminum ad recipiendos Apostolos; ita vt, si intra assignatum terminum eos non receperit, appellatio efficiatur deserta, *clement. quamuis eodem tit.* vel ad iter arripiendum ad iudicem superiorem, *dict. cap. Peruenit 28. hoc tit.* vel ad se præsentandum coram iudice, *cap. Personas 4. hoc tit.* vel ad appellationem prosequendam, *cap. Ad hæc 20. hoc tit.* & sic de aliis similibus, quibus non præscribit legem superiori, quod facere nequit.

Aduertendum autem, quòd licèt in casu, quo de iure appellare non licet, attentata non reuocentur, priuilegio attentatorum, tamen reuocari possint per viam querelæ à superiori Marantâ *part. vlt. sexta partu princip. actu 2. num. 117.*

§. XVIII.

De Recusationibus.

1 *Recusatio legitima suspendit iurisdictionem iudicis.*
2 *Proponenda est ante omnem actum iudicialem.*
3 *Et quidem libello ac scripto.*
4 *Iure canonico causa suspensiua in libello exprimenda.*
5 *De causa suspicionis intra præfixum tempus cognoscunt arbitri. 6.*
7 *Sin neglexerint vel detrectarint, procedet iudex recusatus.*
8 *Iure ciuili non est necesse exprimi causam suspicionis.*
9 *Iure canonico tam ordinarius, quàm delegatus recusari potest.*
10 *Iure ciuili delegatus, non etiam ordinarius, recusatur.*
11 *Etiam commissarij ad audiendos testes recusari possunt.*

1 SEquitur de Recusationibus, quæ in multis conueniunt cum appellationibus, & à pari ferè procedunt: cum sicut per appellationem ita & per recusationem iudicis suspendatur eius iurisdictio; nec possit in causa, in qua recusatur, ad aliquem actum procedere, & si processerit, processus sit, nullus: nisi recusans post recusationem consenserit in iudicem recusatum; vel coram eo comparuerit, nulla protestatione interiecta, quòd velit

sibi salvam manere suam recusationem. Videatur Vantius *de nullitatibus tit. de nullitat. ex defectu iurisdict. ordinariæ n.* 140.

Recusatio legitima sit, necesse est & legitimè proposita, quia frivolam seu frustratoriam contemnere Iudex recusatus potest, eáque contemptâ progredi adversus recusantem vlteriùs, ad exemplum frivolæ seu frustratoriæ appellationis.

2 Cum verò exceptio recusationis sit dilatoria, *c. Inter Monasterium* 20. *vers. quas etiam tanquam dilatorias sup. de sent. & re iudicat. & DD. in leg. Apertissimi Cod. de iudiciis, in cap. Postremo* 36. *iuncto cap Cum speciali* 61. *hoc titulo* & simul declinatoria fori; non solùm ante litem contestatam, sed & ante omnem actum iudicialem proponi debet, ne alàs reus in Iudicem consentire seu iudicium suscipere, vel suspicionis causam non curare videatur, *leg. fin. Cod. de exceptionibus & d.l. Apertissimi*: nisi fortè postmodum, id est post aliam dilatoriam exceptionem, vel post litis contestationem, causa suspicionis supervenerit: quia quæ de novo emergunt, novo opus habent remedio, *l. de state* 11. § *ex causis ff. de interrogat. actionibus*, vel existerint quidem ante, verùm post litis contestationem demùm in notitiam rei venerit, quia iusta ignorantia excusat, *l. Qui in alterius ff. de reg. iuris*: ideóque tunc post litem quoque contestatam obici potest, *c. Insinuante sup. de officio Iud. delegati.*

3 Proponenda recusatio Iudicis, non verbis, sed scripto quia huiusmodi recusatio æquiparatur sententiæ interlocutoriæ, à qua in scripto appellari debet, *c. Cordi eodem in* 6. Ideóque libello opus est, qui Iudici exhibeatur, si is fuerit præsens; secus si absens, *d.l. fin. Cod. de Except.*

Sed & iure Canonico causa suspicionis in
4 libello recusatorio exprimenda est. Et tunc Iudex recusatus subsistet, mandabitque vtrique litigatorum, vel etiam coget, si opus sit, vt communi consensu eligant vnum vel plures
5 arbitros, & in dissensu singuli vnum.* Qui quidem arbitri, recepto arbitrio, non cognoscent de causa principali, sed suspicionis dumtaxat, déque veritate & idoneitate illius, *cap. Legitima eod. in* 6. statuéntque recusatori terminum ad probandum, *c. Secundò requiris* 41. §. 1. *& cap. Cùm speciali* 61. *hoc titulo.* Quòd si in cognoscendo convenire nequeant, assument tertium, qui cum iis iudicet: & ad hoc per Iudicem recusatum cogi poterunt, *d.c. Cum speciali*; sicut & vt ferant sententiam intra certum terminum.

Probatâ coram arbitris sufficienter iustâ causâ suspicionis, & sententiâ desuper per arbitros latâ, Iudex cognitionem causæ alteri demandabit, de recusatoris consensu, vel remittet ad superiorem, *d.c. Cùm speciali vers. causa.* 6
Non probata verò causâ suspicionis, vel probatâ quidem, sed illegitimâ & inidoneâ iudicatâ, ad Iudicem recusatum remittetur, ísque perseverabit Iudex, *d.c. Secundò requiris* §. 3. *d.c. Cùm speciali, iuncto c.* 4. *sup. de foro competenti*: sicut & quando Iudex appellationis pronuntiat bene iudicatum, & malè appellatum, remittitur causa ad Iudicem à quo, *c. Vt debitus* 59 *in fine h.t.*

Quòd si verò arbitri intra præfixum sibi 7
tempus vel neglexerint vel detrectarint declarare, an causa sit iusta, & Iudex recusatus malit exspectare finem temporis iis præfixi, quàm ad id cogere; lapso tempore sine vlla arbitrorum sententia, potestas procedendi vlteriùs ad ipsum revertitur, seu eius tollitur suspensio, *d. c. Legitima in fine.*

Cæterùm iure civili non est necesse causam 8
suspicionis in bello recusatoria exprimi, sed sufficit nuda allegatio causæ. Vnde & in genere, secundum formulam recusandi traditam à *Gloss. in d.l. Apertissimi in V. recusare, & V. libello*, potest allegari quis suspectus, etiam sine causæ expressione, dummodò recusans præstet iuramentum de calumnia, quod calumniosè non recusat: nam hoc iuramentum erit loco probationis, eo quòd quilibet præsumatur memor suæ salutis, *Gloss. in d.l. Apertissimi in V. recusare.* Et ideò arbitri, à partibus electi, secundùm ius civile, omisso articulo suspicionis, in causa principali cognoscunt, tanquam si à Principe essent eius dati Iudices: quia ex quo suspicionis causa non est inferenda, nec consequenter est probanda, *l. final. C. de iudiciis.*

Sed & illud discriminis est inter ius Cano- 9
nicum & Civile, quòd iure Canonico tam Ordinarius, quàm delegatus recusari possit, etiam Episcopus, *d.c. Secundò requiris*, §. 3. *& d.c. Cum speciali, & aliis similibus.*

At verò iure civili delegatus quidem recusa- 10
ri potest, vt suspectus, *d.l. fin. Cod. de iudiciis, & d.l. Apertissimi*: Nisi delegatio expressè facta sit à Principe, cum clausulâ; *Remotâ recusatione*; provt indubiè de iure communi delegare potest, quandoquidem possit causam alicui committere, remotâ appellatione, *leg.* 1. §. *fin. ff. A quibus appellare non licet*; quæ est species defensionis, præsidium innocentiæ introductæ, & proinde iuris naturalis, *dict. cap. Cum speciali*: nam inde à fortiori poterit

delegare

delegare cum clausula, *Remotâ recusatione*, cum hâc ademptâ supersit adhuc remedium appellationis, vt notat Glossa *in d.l. Apertissimi in V. recusare*. Cæterùm eodem iure Ordinarius Iudex nequit recusari, vt suspectus, ad hoc, removeatur, tanquam suspectus; sed si subsit aliqua causa suspicionis, alius ei adiungendus est, *Auth. Si verò contigerit, Cod. de iudiciis, Gloss. in d.l. Apertissimi V. Iudices.*

11 An autem commissarij dati ad recipiendos & examinandos testes recusari possint? dubitatur. Et verius est, posse: quia sunt Iudices delegati, omnisque victoria in probationibus consistit. Ac proinde plurimùm interest partium, habere commissarios, omni exceptione maiores. Non tamen hoc casu ad arbitros, sed ad dantem recurri vel provocari, vt alios commissarios non suspectos det, tradit Gaill. 1. *Obser.* 33. vbi vide, an totum aliquod Collegium vel Vniversitas aut Synodus vel Parlamentum recusari possit, eo quòd caput illius sit suspectum.

§. XIX.

De causis & effectu recusationis.

1 *Causa recusationis iusta in arbitrio Iudicis posita.*
2 *Sunt variæ & multiplices.*
3 *Effectus recusationis est, suspendere iurisdictionem Iudicis.*
4 *Aliàs processus erit nullus ipso iure.*

1 QVæ verò sint iustæ causæ recusandi Iudicem, certò definiri nequit: ideóque magis in arbitrio Iudicis, quàm certâ legis definitione ea res consistit, Panormit. *in cap. Cum speciali 61. h. t.* Et hinc fit, quòd recusatione propositâ plerúmque cognitio illius ad arbitros reiiciatur, *c. Suspicionis sup. de officio delegati, d. c. Cum speciali, & c. Legitima eod. in 6.* Ad quos non esset necesse recurrere, si eius in iure extaret certa definitio. Iusta interim & indubitata reputatur omnis illa, quam Canon vel Lex Pro tali habet.

2 Sunt autem variæ & multiplices eiusmodi causæ. Et quidem Maranta *in Spec. suo aureo p. 6. de appellat actu 2. à num. 27.* enumerat quadraginta: quarum prima est, si Iudex sit familiaris alteri parti, magnâ scilicet non modicâ familiaritate. Secunda, si Iudex ordinarius ex aliqua iusta causa sit suspectus, potest & Vicarius eius ex eadem causa recusari, licèt in specie adversus Vicarium nulla alia sit suspicio. Tertia, si Iudex sit consanguineus alterius partis & non æqualiter vtriusque. Quarta, si Dominus sit suspectus, ex eadem suspicionis causa tota ipsius familia potest allegari suspecta: & sic de aliis similibus, de quibus vide Marantam *d. loco.*

Effectus recusationis est, quòd postquam 3
fuerit proposita, pendente desuper cognitione, nisi frivolam esse constiterit, Iudex in causa supersedere, nec ad vlteriora procedere debeat: aliàs processus erit nullus, & sententia, si quam tulerit, nulla. * Cæterùm an ipso 4
iure, an verò validitas vel nullitas sententiæ seu processus pendeat ab eventu probandæ vel improbandæ causa, vt probatâ causâ recusationis declaretur nullus, improbatâ verò validus (sicut attentata per Iudicem à quo, post interpositam appellationem ab interlocutoria ante inhibitionem Iudicis ad quem legitimam, non revocantur, priusquam de veritate constiterit) variant Interpretes, Gaill. 1. *Obser. 33. n. 12.* Sed verius est, ipso iure & quidem vtroque, esse nullum, *secundum Gloss. in can. Quoties 2. q. 6.* Marantam *4. p. distinct. 16. vers. 2.*

Dicitur, esse nullum; tum quia ratius est, vt 5
impediatur; ne quid fiat, quàm vt factum postea cum verecundia Iudicis recusari retractetur: tum quia generaliter sicut inimici, ita quoque suspecti non debent esse causæ Iudices, *c. Secundò requiris §. tertio postulas hoc tit.* Est enim periculosissimum & à ratione alienum Iudice suspecto litigare, *c. Cum inter sup. de except. c. Accedens sup. Vt lite non contestata, & d.l. Apertissimi*: ita vt Iudex recusatus non assimiletur ei, à cuius interlocutione dumtaxat est appellatum, sed ei, cui post appellationem ab interlocutione per Iudicem provocatum facta est inhibitio vlterioris prosecutionis; quasi vti ibi hominis, ita hîc inhibitio sit Iuris: constat autem omnia acta post inhibitionem esse ipso iure nulla, *c. Non solùm h. t. in 6.*

§. XX.

De Relationibus.

1 *Relationum affinitas cum appellationibus.*
2 *Differentia.*
3 *Quid sit Relatio.*
4 *Fit dupliciter.*
5 *Hodie vtroque iure ferè extra vsum abiit.*
6 *De relatione ad Principem.*
7 *Differentia Relationis & Consultationis.*

1 APpellationibus rectè quoque subiiciuntur Relationes, sicut & in Pandectis, propter similitudinem, quam cum iis habent: nam sicut appellatio fit ab inferiore ad superiorem, ita, & relatio; & sicut pendente appellatione, ita & pendente relatione, imò etiam promissâ dumtaxat, nihil attentari seu innouari oportet, *cap. licet sup. de officio iud. delegati, l. 1. ff. nihil innouari appellat. interpositâ, l. Ex illa Cod. de appellat. l. si quando Cod. de relation. & ibi* Bald. quia sicut per appellationem causæ cognitio deuoluitur ad superiorem; sic quòd apud referentem esse desinat, *l. Ad Principem 22. ff. de appellat. & relation.*

2 Quamvis in eo differat relatio ab appellatione, quòd appellatio post, relatio autem, ante sententiam interponatur: exceptis causis criminalibus, *l. inter pœnas 6. ff. de interdictis & releg. l. si quis filio §. quid tamen ff. de iniusto rupto testam.*

3 Est enim Relatio hoc loco, omissis aliis eius acceptionibus, de quibus Maranta *6. part. actu 2. num. 10.* iudicis inferioris, de iure dubitantis, ad superiorem, Pontificem, vel Principem, aut etiam Proconsulem vel Præsidem, transmissa consultatio, vt sciat quid in iudicando sequendum sit, *l. eum quem §. 1. ff. de iudiciis.* Dixi, de iure dubitantis; quia in ambiguitatibus factorum improbata est relatio, Vvesemb. *ad tit. ff. de appellat.*

4 Fit autem relatio dupliciter: aut simpliciter, prout olim iuxta canones in magna iudicum ignauia aut timiditate fieri solebat, *cap. dudum de elect. cap. 1. vt lite non contestata, &c.* vel addita declaratione eius, in qua est referens.

5 Vsus huius olim de iure ciuili frequens fuit, & obuius, *l. 1. & seq Cod. de relationibus*, ac deinceps etiam nouellis Iustiniani constitutionibus retentus & ampliatus. *nouell. 82. §. vlt. & 113. & 115. in princ.* Verùm postea per nouellam 125. penitùs ferè sublatus est. Sic & Pontificiæ relationes vsum quo suum ferè amiserunt, vel eo argumento, quod earum vnico ferè loco dumtaxat in hoc titulo fiat mentio, *cap. intimasti h. tit.* nisi quòd in inferioribus rusticorum tribunalibus adhuc vbicunque retineantur, in quibus ad proxima superiora tribunalia fieri solet relatio. Et hodiè plerisque in locis fieri solet relatio causæ ad consilium, vt vocant, sapientis, & plerumque iurisperitorum, quâ relatione durante etiam suspenditur iurisdictio iuris inferioris, *cap. Cùm veteri sup. de elect.*

6 Dum verò ad Principem fit relatio, exemplum partibus edendum est, vt si fortè relatio alicui minùs plena videatur, suas rationes & refutatorios libellos Principi offerre queat, *l. 1. & 2. & tot. tit. Cod. de relationibus.* Vvesemb. *ad ff. eod. tit. in fine.*

Porrò licet consultatio & relatio in vsu appellationis plerúmque confundantur, cùm per consultationem fiat relatio, & per relationem consultatio, transmissis actis: tamen Iustinianus hæc separauit *tit. de relat. & tit. C. de appellat. & consultat.* eo quòd consultatio in sola & nuda interrogatione super aliquo iuris dubio plerumque consistat; relatio autem in explicatione totius causæ, transmissis etiam actis, *l. Sciendum ff. de appellat. recipien. l. vlt. Cod. de relat.* 7

Denique de specialibus quorundam Flandrorum circa materiam huius tituli vide apud Zypæum *de iure Pontif. nouo lib. 1. hoc tit. in fine.*

TITVLVS XXIX.

De Peregrinantibus.

1 *Peregrinus hoc loco quis dicatur.*
2 *Peregrinatio ad sedem Apostolicam quando effectum appellationis habeat.*
3 *Et quis sit effectus.*

HABET & peregrinatio ad sedem Apostolicam vim & effectum appellationis: vnde hic Tit. subiicitur. * Peregrinans in genere dicitur, quicumque per aliena loca peragrans proficiscitur: & Peregrini Romanis fuerunt, qui ciues Romani non erant, *l. 6. §. solemnus ff. de hared. instituendis, l. 1. Codice eodem titulo* seu qui ius ciuitatis non habebant, vt quia Latinæ essent conditionis, vel penitùs alienigenæ, indéque Peregrinitas statum & conditionem peregrinorum significat. Hoc verò loco Peregrinans specialiter capitur pro eo, qui ad Sedem Apostolicam proficiscitur, *cap. vnico hoc titulo* sive ex causa peregrinationis ad limina Apostolorum sive ex alia, *vt ibid. tradit.* Abb. *num. 2.* 1

Habet autem talis peregrinatio seu profectio effectum & vim appellationis, si modò secuta fuerit intra decem dies a die, illati grauaminis, & fuerit intimata iudici vel parti, Scaccia *de appellat. quæst. 6. num. 42.* quia quemadmodum appellans ad sedem Apostolicam eximit se à iurisdictione iudicis à quo, & se confert in 2

iurisdictionem

iurisdictionem & tutelam iudicis ad quem: ita etiam qui post causam motam ad Sedem Apostolicam proficiscitur, licèt verè non appellet, tamen perinde confert cum omnibus rebus in protectionem summi Pontificis, atque si verè appellaret, quoad articulum, super quo appellaret, *dict. cap. vnico.* Sic vt eo ipso, quo iter arripit, censeatur ipso facto appellare, quod plus est quàm verbis appellare, *cap. dilecti filij 52. sup. de appellat.* Rota *decis. 54. aliàs 385. si appelletur num. 1. de appellat. in novis*, Franc. *in d. c. dilecti num. 1.* & Cardinalis *n. 4.*

§ Et ideò quemadmodum iudex à quo pendente appellatione nihil innouare potest, quoad articulos seu articulum, super quibus vel super quo appellatum est, sic etiam nihil innouandum est in rebus eius, qui Romam proficiscitur ad sedem Apostolicam: adeó vt quidquid post arreptum iter ablatum vel subtractum fuerit, ei restitui debeat. Nec solùm vim appellationis habet huiusmodi itineris arreptio, sed etiam releuat ab onere petendi Apostolos, vt ex Innoc. refert & sequitur Ancharanus, *in cap. 6. num. 3. notab. de appellat. in 6.*

Dixi, post motam causam; quia itineris arreptio ad Papam ante cœptam causam non habet vim appellationis: quamquam, si ex iusta causa facta fuerit, suspendat iurisdictionem inferioris iudicis, & tueatur eum, qui ipse proficiscitur; non verò eum, qui nuntium mittit: Scaccia *quæst. 6. num. 43.* Vbi subiungit, non habere quoque vim citationis, si fiat, postquam fuit citatus vel habuit notitiam litterarum, quas aduersarius impetrauit à Papa *per cap. Meminimus 9. & cap. suggestum 15. sup. de appellat.*

TITVLVS XXX.

De confirmatione vtili vel inutili.

1 *Confirmatio ex certa scientia est vtilis.*
2 *Subreptitiè vel obreptitiè obtenta est inutilis.*

POSTREMÒ postquàm visum est de suspensione sententiæ seu iurisdictionis iudicis à quo, quæ fit beneficio siue appellationis, siue peregrinationis, dicendum est aliquid de confirmatione, cum contingat sententiam, à qua appellatum est, seu processum iudicialem non semper retractari à superiore iudice: siue is summus Pontifex sit, siue alius, quem appellatum est, sed subinde confirmari, vt cùm pronuntiat, benè iudicatum & malè appellatum.

Multùm autem interest, an aliquid confirmetur à summo Pontifice, an ab alio inferiori. 1
Nam quod Pontifex ex certa scientia confirmauit, siue sit sententia siue arbitrium, siue priuilegium, siue quid aliud, *cap. cum dilect. 4. & c. penult. hoc tit.* illud firmum manet, nec mutari vel de eo per inferiorem aliquem amplius cognosci potest, nisi ex speciali Pontificis mandato, *cap. 1. & 2. hoc tit.* cùm ius tribuat illi, cuius negotium confirmatum est, *d. cap. penult.* & hæc dicitur *vtilis confirmatio.* Sic *in cap. Vt nostrum 56. sup. de appellat.* habetur, quòd, postquam Papa reuocauit ad se negotium aliquod, ita ligentur manus inferiorum, vt nihil vlteriùs validè in eodem negotio per eos fieri possit.

Dixi, ex certa scientia: nam si confirmatio 2
fuerit obtenta per subreptionem vel obreptionem, tum quilibet iudex inferior, modò sit competens, de ea cognoscere potest, *cap. Bonæ memoriæ, cap. Ad nostram, cap porrecta, cap. Examinata h. t.* quia quod summus Pontifex, re non satis cognita, prout se habebat, sed vel narrato alio, vel vero suppresso, confirmauit, non intelligitur confirmasse; quia si rem plenè intellexisset, non fuisset confirmaturus, *cap. super litteris sup. de rescriptis.* Hinc si Religiosus impetrauerit à summo Pontifice confirmationem super administratione temporali, subticito quòd esset Regularis, ea tanquam subreptitia non valet: si verò ipsum expresserit, rescriptum præsumitur falsum, quia summus Pontifex non consueuit tale quid concedere, *d. cap. Ad nostram, & dict. cap. Porrecta.* Et hæc dicitur *confirmatio inutilis*: quia licèt non statim sit ipso iure nulla, tamen per exceptionem repelli potest secundum ea quæ supra diximus Tit. *de Rescriptis.*

De confirmatione contractuum & priuilegiorum, quid ea operetur, & quando tribuat nouum ius, vel non, vide Gaill. *lib. 2. obser. 1. per totam.*

* * *

LIBER TERTIVS.

DECRETALIVM.

TITVLVS I.

De vita & honestate clericorum.

1 *Causarum fori Ecclesiastici alia temporales alia Spirituales.*
2 *Item alia Ciuiles, alia criminales.*
3 *Ciuilium alia propria clericorum, alia communes clericu & laicu.*
4 *Methodus libri huius.*
5 *Clerici quo modo instituere & componere vitam debeant.*
6 *Debent esse continentes.*
7 *Abstinere à crapula & ebrietate.*
8 *Vitare tabernas cauponarias.*
9 *Alieni ab omni auaritia.*
10 *Abstinere à lusu alearum & taxillorum.*
11 *A mimis, ioculatoribus, & inhonestis spectaculis.*
12 *A negotiis & commerciis secularibus.*
13 *Deferentes vestes congruentes ordini suo.* 14. 15.
16 *Non portantes arma.*
17 *Non comam aut barbam nutrientes.*
18 *Dum diuina celebrant, separati à populo.*
19 *Denique ab omni crimine abstinentes.*

POST explicatam toto præcedenti libro vniuersam ordinis iudiciarij rationem, proximum est, vt ad materiam ipsam seu res & causas, quæ in forum seu iudicium Ecclesiasticum deduci solent, transeamus.

1 Earum aliæ sunt temporales; vt si de fundo, equo, domo, pecunia, & similibus agatur, de quibus etiam iudex laicus cognoscere potest in suo foro. Aliæ sunt Spirituales, vel spiritualibus annexæ, de quibus, quando quæstio est iuris, ne quidem incidenter iudicem sæcularem cognoscendi potestatem habere, diximus suprà, & tradit Foller. ad Marantam, *4. part. distinct.* 15. *n.* 2. *&* 3.

Rursus aliæ sunt Ciuiles quarum appellatione comprehenduntur etiam multæ spirituales, secundùm Cardinalem, *in Clement.* 1. *col.* 4. *quæst.* 5. *de offic. ind. deleg.* vt cùm agitur de iure aliquo incorporali, veluti Sacramentis Ecclesiæ, officio & administratione Ecclesiæ, præbenda, dignitate, canonicatu personatu, decimis, vestibus, & aliis ornamentis Ecclesiæ, *clement. dispendiosam de iudiciis*. Abbas *in cap. consulere* 38. *cap. Ad nostram*, *cap. Ad aures* 24. *inf. de Simonia*: item de causa matrimoniali, legitimatione prolis, & generaliter vbicumque agitur de causis beneficialibus; quoad petitorium scilicet: nam si iudicio agatur possessorio, puta ad recuperandam possessionem beneficij Ecclesiastici, non est causa spiritualis, vt notant Glos. & Abb. *in cap. cum dilectus* 32 *sup. de elect. & ruisus* Glos. *&* Abbas *in cap. litteras* 7. *sup. de iuram. calumnia*: Cardin. *in dict. clement. dispendiosam in* 10. *quæst.* Aliæ verò sunt criminales, vt cùm agitur de hæresi, Apostasia, vsuris, & similibus. Primò agemus de Ciuilibus: postea de criminalibus acturi.

Cùm autem Ciuilium aliæ sint propriæ cle- 3
ricorum (sumpto hic eo nomine generaliter, vt comprehendat omnes, qui diuinis ministeriis & officiis sunt mancipati, licet nullo ordine Ecclesiastico, & ne tonsura quidem, insigniti sint, vt Moniales, & olim Monachi, & alij huiusmodi) quales sunt causæ beneficiorum Ecclesiasticorum; aliæ verò communes tam clericis quàm laicis, vt sunt contractuum testamentorumque iura, cum sacrorum & Sacramentorum vsu; aliæ denique laicorum dumtaxat, vt causæ matrimoniales: * de duobus prio- 4
ribus generibus hoc libro agendum est; hoc ordine vt primùm de clericorum moribus seu vita & honestate tractetur: cùm quia hæc potissimùm in clericis requiruntur, qui toti populo se exemplum & vitæ formam exhibeant necesse est, de iisque controuersiæ existere possunt; tum quia in bonorum diuisione, animi, corporis & fortunæ, tanquam animi bona, quæ consistunt in virtutibus, primum locum obtinent.

Quibus autem præditi moribus, & quâ con- 5
uersatione debeant esse clerici, præclarè describit Isidorus *de Ecclesiasticis officiis lib.* 2. *cap.* 2. indéque Gratianus *in can. His igitur distinct.* 23. & vel ipsa, nominis indicat notio: cùm enim, vt lib. 1. diximus. Clerici dicantur à Græca voce κλῆρος, quasi de sorte vel in sortem Domini

Domini vocati sint, docet eos omninò, vt verbis vtar Concilij Trident. *sess. 22. cap. 1. de reformat.* eitam moresque suos omnes ita componere, vt habitu, gestu, incessu, ser, mone, aliisque omnibus rebus nil, nisi graue moderatum, ac religione plenum, præ se ferant; leuia etiam delicta, quæ ipsis maxima essent, effugiant; vt eorum actiones cunctis adferant venerationem.

6 Cùm igitur nihil sit à purissimis & mundissimis mysteriis illis diuinis, quibus mancipantur, magis alienum, quàm polluti corporis polluta conscientia, peculiariter clericos, præsertim in sacris ordinibus constitutos non solùm ab incontinentia, verùm etiam ab omni incontinentiæ ac libidinis Venereæ suspicione oportet esse alienos atque immunes, *cap. vt clericorum 13. hoc tit.* illamque quàm maximè à locis ac rebus sacris reiicere & postulare. Et propterea clericus Moniales, vel earum Monasteria frequentans familiùs, quàm deceat, si monitus non desistat, deponitur; laicus verò excommunicatur, *c. Monasteria 8. hoc tit.* Déque hæresi vehementer suspectus est, & contra eum tanquam hæreticum procedi potest, qui mulierem pœnitentem ad libidinem actúsque illicitos allicere ac prouocare præsumpserit tentaueritque, quemadmodum Archiepiscopo Hispalensi rescripsit Pius V. apud Piasec. *part. 2. cap. 4. sect. 6. num. 10.*

7 Ac proinde etiam ad vitam atque honestatem clericorum; Primò, vt à crapula & ebrietate (quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est, *cap. fin. distinct. 35.*) diligenter abstineant, vt vinum sibi temperent, & se vino; quandoquidem ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocat incentiuum, *cap. A crapula 14. hoc tit.* vbi qui calices fœcundiores exhaurit, & ad æquales hausius alium obligat (scilicet ad se mutuò ingurgitandum & inebriandum) si monitus à superiore non desistat, ab officio vel beneficio suspenditur. Aliàs ad æquales hausius potatio, quæ causâ honoris aut votiuæ salutis pro Principibus aut amicis fit, licita est, modò ea cautio adsit, ne quis inebrietur. Zypæus *de iure Pont. nouo h. t. n. 8.*

8 Secundò, vt prorsus euitent tabernas, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti, *can. nemo oportet, can. Nulli clerico. & can. clerico. dist. 44. cap. penult. hoc tit.* Quod & Synodus prouincialis Mechliniensis an. 1607. præcipit. In istis autem canonibus non est constituta pœna contrarium facientibus; & ideò relicta videtur arbitrio superioris, vt eam, consideratis frequentatione actuum, personarum qualitate, & videntium scandalo, maiorem vel minorem infligat.

Tertiò, vt ab omni auaritia sint maximè alieni: nam qui festinat ditari non erit innocens, ait Sapiens, *Prou. 28.* imò auaro nihil est sceleslius, nihilque iniquius, quam amare pecuniam, *Eccl. 10.* Proinde iudices Ecclesiastici, sive ordinarij, sive delegati, gratis iudicare debent, *c. Cùm ab omni 10. h. t.* si vtique habeant aliunde, ex quo honestè viuant. 9

Quartò, vt ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint, *cap. penult. hoc tit.* Alea ludus tabulæ est, éque nomine intelligitur omnis ludus, in varietate fortunæ consistens, quique casu potiùs quàm arte dirigitur. Prohibetur autem ludus ille, sicut taxillorum, clericis, propter plurima, quæ occasione illius perpetrari solent, crimina: quorum sexdecim refert, & certis versibus comprehendit Hostien. *in summa, tit. de excessibus prælatorum, §. clericus.* Et sanè alearum taxillorúmque nulli prosperi euentus: nam & qui perdit, affligitur; & qui vincit, illicitur, inque insidias protrahitur, omnésque huiusmodi ludimagistri nudi, inopes atque egeni existere solent. Vide Horat. *lib. 1. epist. 18.* 10

Quem damnosa venus, quem præceps alea nudat.

Quintò, vt mimis, ioculatoribus & histrionibus non intendant, *dict. cap. penult. hoc tit.* vt à ludis theatralibus abstineant; *cap. cum decorem 12. hoc tit.* nec huiusmodi ludos aut inhonesta spectacula in Ecclesiis exhibeant, *dict. cap. Cùm decorem*: quia per eiusmodi ludos & inhonesta spectacula Ecclesiæ inquinaretur honestas & dignitas, quam tamen decet decor & sanctitudo, *Psalm. 92.* quæque esse debet domus orationis, *Marc. 11.* Vide Conc. Trid. *Sess. 22. in decr. de obser. & euitãd. in celebratione Missæ.* 11

Sextò, vt negotiis & commerciis sæcularibus sese non implicent: aliàs verò post monitionem tertiam interim quoad bona & facultates suas, priuilegium perdunt clericale, *cap. vlt. hoc tit. & can. clerici XIV. quæst. 4.* Negotiator autem est, qui comparat rem, vt illam ipsam integram & immutatam dando vendendóque lucretur, *can. eiiciens vers. Quicumque, dist. 88.* 12

Septimò, vt testes congruentes suo ordini semper deferant, (quamvis aliàs habitus non faciat Monachum) vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, Con. Trid. *Sess. 14. cap. 6.* Nam forma vestium, inquit S. Bernardus *de considerat. lib. 3. cap. 11.* deformitatis mentium, & morum 13

indicium est. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent: nam neque pugnant vt milites, neque, vt Clerici, Evangelizant. Ita ille, Ideóque licèt proprius habitus Clericorum nullibi determinetur, *test. Gloss. fin. in Clement. 1. de elect.* tamen à vestibus inhonestis, & luxum præ se ferentibus, veluti rubeis & viridibus, abstinere debent. Exceptis S.R. Ecclesiæ Cardinalibus, quibus ab Innoc. IV. in Concilio Lugdunensi anno 1240. concessus fuit galeri & purpuræ vsus, vt ex Platina refert Piasec. *in Praxi Episc. 2. cap. 3. art. 2. n. 29.* Habitu præterea longiori aut breviori vti non decet; quàm qui ordini cuiusque conveniat, nullo alio admixto, *c. penult. hoc tit.* & vestem oportet esse talarem, *can. pen. dist. 23.*

14 In Synodo autem Mechliniensi 1607. *tit. 18. cap. 4.* statuitur, vt Clericus & togam & pileum deferat quadratum: verum eius decreti observantiam remisisse Reverendiss. Ioan. Miræum Clero civitatis Antuerpiensis, in acceptaptione eiusdem Synodi, ob singulares istius loci respectus, testatur Zypæus *hoc titul. n. 6.* Dum verò peregrinatur, vel est in villa Clericus, modò habitu vtatur vltra genua pendente, excusatur per d. Synod. Mechlin.

15 Excusat etiam paupertas & metus & verisimile periculum itineris, *d. c. penult. hoc tit.* Nec propter vnicam habitus omissionem Clericus privilegio privatur clericali; verùm ad hoc requiritur perseverantia, & vt ex tali habitus indecentis vsu communiter existimetur laicus, vti ex Prospero Farinac. notat. Piasec. *d. loco n. 30.* Qui ibidem tradit *n. 29.* honestatem vestium Clericalium ponderandum esse ex consuetudine & vsu cuiusque regionis, *per can. Si quis virorum dist. 30.* videlicet ne sint communes cum illis, quibus laici & militares in illa regione vtuntur, Gloss. *in d. can. Si quis virorum, & alia similis in d. c. penult. V. deauratis*, Steph. VVeymf. *in Analysi sua ad Clem. Quoniam hoc tit. n. 14.* Quare prohibentur etiam vti frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus auratis, fibulis, corrigeis auri vel argenti ornatum habentibus, annulo: exceptis iis, quibus ratione dignitatis id concessum est, *d. c. penult. h. t.*

Postremò notandum hìc est, Constitutionem Sixti V. contra non vtentes aut abutentes habitu Clericali, quam cum eiusdem moderatione refert. Piasec. *d. loco n. 28.* non esset receptam vsu quoad pœnam privationis ipso facto incurrendam.

16 Octavò, cùm officium clericale reddat inhabiles ad purgandum Clericos, etiam contra Saracenos, *c. Ex multa 9. in fine inf. de voto & voti redempt.* quippe cùm simul nequeant Deo & sæculo militare, *can. Quicumque 23. quæst. 8.* & lacrymæ atque orationes sint munimenta sacerdotum, *can. Conuenior § quid ergo dict. causa & quæst.* rectè constitutum est, vt arma non portent Clerici, *cap. 2. hoc titul.* ad offendendum scilicet: nam ad se, vel res suas, vel proximum defendendum, vel ad latronum terrorem, si per loca periculosa transituri sint, ea deferre licet, *c. Dilecto de sententia excommunicat. in 6. can. Maximianus 23. q. 3.* & notat Panormit. *in d. c. 2.* adiiciens, nomine armorum non venire paruum cultellum, ad scindendum fortè panem aptatum. Licèt autem Clerici sæculares ob delationem armorum non sint ipso facto excommunicati, sed excommunicandi, *d. c. 2.* tamen Religiosi arma tenentes intra septa monasterij, absque licentia Superioris, sunt ipso facto excommunicati, *Clement. Ne in agro de statu Regularium.*

17 Nouo, interdictum Clericis, vt comam aut barbam non nutriant, *c. 4. 5. 7. h. t.* quia ministri altaris mentem debent habere elevatam, non velatam, D. Thom. *p. 3. q. 40. art. 1.* (capilli autem in velamen dati sunt, 1. *ad Corinth. 11.*) omnémque superfluitatem temporalem oportet à Clerico abesse, *c. penult. h. t.* Superflua autem per capillos signantur, cùm ex superfluis generentur. D. Thom. *d. loco.* Hac tamen in re videmus passim obtinere in contrarium consuetudinem, quæ valet, *arg. cap. fin. sup. de consuetudine.*

18 Decimò, debent vel communiter, *c. Quoniam 9. h. t.* vel separatim inter se viventes rebus vacare divinis, nec permittere, dum sacra faciunt, populum intra Cancellos ad altare consistere; vt separatus sit clerus à populo, *c. 1. hoc tit.* & vt liberiùs sacra officia exercere & intendere divinis valeant; *can. Sacerdotum 30 de consecrat. dist. 2.* cúmque laicis sint digniores, *can. Duo sunt 12. q. 1.* debent in loco & sedibus præferri laicis.

19 Denique, vt summatim dicam, debent ab omnibus criminibus, imò ab omni eo, quod speciem criminis habet, vel alteri scandalo esse potest, omni diligentiâ sibi cavere & abstinere. Vide præclaram admonitionem Concil. Trid. *Sess. 22. in decreto de modo viuendi §. Episcopos verò & quoscumque alios, & in præmio decreti de reformat. Sess. 14. & cap. 6. eiusdem Sess. item Session. 22. cap. 1. & Sessione 24. capite 12.*

TITVLVS II.

De cohabitatione Clericorum & mulierum.

1 *Interdicta Clericis habitatio cum mulieribus, exceptâ matre, aviâ, &c.*
2 *Nisi & tales de lubrica vita sint suspectæ.*
3 *Pœna Clericorum non abstinentium à consortio mulierum.* 4.
5 *Ratio huius interdictionis.*
6 *An liceat Clericis concubinariis Missam audire.*

SOLENT mulierum consortia reddere vitam Clericorum de incontinentia suspectam; vnde meritò hic Tit. sequitur.

1 Vetuerunt proinde & interdixerunt Canones Clericis non solùm matrimonium ac matrimonij vsum, verùm etiam quamlibet periculosam ac suspectam cum mulieribus cohabitationem, præterquam cum avia, matertera, amita, matre, sorore, filia, neptæ, & quæcumque ex familia sunt domesticâ necessitate, veluti ancillæ & pedissequæ, *can. Cum volumus* 24. *can. Omnibus* 26. *dist.* 81. *& can. Interdixit dist.* 32. Ratio huius exceptionis est, quia in illis personis naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, *c. A nobis* 9. *hoc titulo.* Ideóque idem dicendum de aliis provectioris ætatis fœminis, modò honestæ sint & omnem suspicionem excludant.

2 Quòd si & tales de incontinentia & lubrica vita sint suspectæ, non licebit Clericis cum eis cohabitare, quia instigante diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earumdem, *c.* 1. *hoc titulo*, nam & Thamar à fratre suo oppressa & corrupta fuit, 2. *Reg.* 13. Vnde de D. Augustino legitur, quòd ne cum sorore quidem habitare voluerit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt, *can. Legitur* 25. *dist.* 81. Sin autem ex his Clericis sacris initiatus indigeret aliquâ, habeat eam in vico aut in villa, longè à sua conversatione, & inde ei, quæ sunt necessaria, subministret, *d. c.* 1.

3 Alioqui Clericus sacris initiatus, qui cum mulieribus suspectis versatur, si ab earum colloquio ac consortio ter monitus non abstineat, excommunicandus est, *cap.* 2. *hoc titulo. Si* verò fornicariam seu concubinam habeat, & monitus eam non dimittat, suspendi debet à beneficiis Ecclesiasticis, privandus fructibus beneficij sui; &, si suspensus, eandem retinere adhuc præsumpserit, deponi seu privari beneficio, *cap.* 4. *eodem si* tamen exactâ probatione constet teneri concubinam à Clerico: nec enim mox & præcipitanter ad sententiam privationis aut depositionis prosiliendum est; & non solùm præsumptionibus, sed concludentibus probationibus ad hoc opus est. Ad eam tamen abiurandam compelli non debet, ob periculum periurij, *cap.* 3. *eodem.* Et licèt, vbi crimen Clerici concubinarij notorium est, ad condemnationem eius ac punitionem, nec testis nec accusator sit necessarius, aut opus prævia monitione, *cap. Tua nos* 8. *eodem* cùm excessus notorius examine non indigeat, *cap. Bona sup. de elect.* nullâque validior sit probatio, quàm per evidentiam rei, *Gloss. in cap. Ad nostram sup. de iureiurando*: tamen sine monitione prævia ad privationem pervenirì non potest, *cap. Sicut* 4. *cap. Si autem* 6. *hoc titulo.* Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 14.

Episcopi verò & Religiosi nullam omninò ad cohabitandum admittere mulierem debent aut possunt, *Novell.* 5. *de Monachis*, *cap.* 3. *Novell.* 123. *de sanctiss. Episcopis*, *cap.* 29. *in fine*, *l. Eum qui*, *& Auth. Episcopus Cod. de Episc. & Clericis*, *& similibus*, Hostiens. *in Summa hoc titulo*, idque ob statum perfectionis, in quo tales sunt.

Porrò tam strictæ prohibitionis Clericorum 4
cum mulieribus cohabitationis rationes assignari variæ possunt; Prima, quòd difficillimum sit Clericis castitatem servare illibatam, cohabitando, conversando, aut familiariùs agendo cum mulieribus: imò pœnè tam impossibile, quàm stupam aut ceram appositam igni illæsam servare, aut abscondere fovereque ignem in sinu, vt vestimenta non ardeant, aut ambulare super prunas, vt plantæ non adurantur, *Proverb.* 6. Nec est, quòd quis viribus suis confidat: nam quis Davide vel Samsone fortior? aut Salomone sapientior? quos tamen incauta familiaritas & pernitiosa mulierum vicerunt & deceperunt blandimenta. Et vt cessaret periculum, tamen talis conversatio, inquit Augustinus, suspicionis malam porrigit famam & pudicitiæ: bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, quod extrinsecus efficit infamari. Secunda, quia huiusmodi cohabitatio & conversatio plurimùm arcet Clericos à per-

fectione in illis requisita, *can. Hospitalium 17. distinct. 32.* Tertia, est excellentia ministerij sacerdotalis, quæ ex parte ministri requirit maximam munditiem.

Quid autē de Clericis incontinentibus quoad 5 pœnas & modum procedendi statuat Concil. Trident. brevitatis causâ videre ibidem, licet, *sess. 25. cap. 14. & seq. de reformat.* Quaque ratione idem Concilium adversus concubinarios laicos procedendum putet, & quibus pœnis afficiendi sint traditur *Sess. 24. c. 8.*

6 Tantùm superest hîc dubium, an, qui novit Clericum concubinarium sive fornicatorem, Missam eius licitè audire, vel ab eo Sacramenta percipere valeat? Id enim vetare videtur, *canon Nullus 5. dist. 32.* Sed dicendum *ex c. Vestra, & c. vlt. hoc titulo* quòd, cùm Clericus aut Presbyter fornicarius quoad se tantùm suspensus sit, id est, non percipiat fructum divinorum mysteriorum ac Sacramentorum ad suam salutem, non verò quoad alios; in officio nequaquam vitari debeat, quamdiu toleratur: nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, vel per confessionem in iure factam, (quod Interp. vocant notorium iuris) aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit, nempe quando crimen ita est publicum, vt toti populo pateat (quod vocant, notorium facti:) *c. Tua nos 8. & d. cap. vlt. hoc titulo* hoc enim casu, de quo intelligitur *dict. Canon. Nullus*, vitari debet: non quòd divina Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum cogitationum existunt, polluere valeat; sed vt peccandi licentia cæteris auferatur, & ipse, videns se contemni ob fornicationem, citiùs ad pœnitentiæ fructum trahatur, *d. c. Vestra h.t.*

TITVLVS III.

De Clericis coniugatis.

§. I.

De Clerico Ordine sacro initiato.

1 *Cœlibatus Clericis semper commendatus.*
2 *Matrimonium sacris initiati, ipso iure nullum est.*
3 *Alia pœna à veteribus Canonibus, & Conc. Trid. 4. 5. 6.*
7 *Ratio prohibitionis.*
8 *In Græcanica Ecclesia licet retinere vxores antea ductas.*

ANONES sacri adeò voluerunt castitatem Clericis esse commendatam, 1
Clericorum vt non solùm vetuerint cohabitationem cum mulieribus, sibi non iunctis matrimonio, sed etiam iam inde à temporibus Apostolorum cœlibatum adeò annexum esse voluerint sacris Ordinibus, vt iis initiati neque vxores ducere, neque ductis antea, post ordinationem vti permittantur, saltem in Ecclesia Latina: quin etiam castitatem perpetuam vovere debeant sacris initiandi, vt constat *ex can. Apostolorum 15. & c. 2. hoc titulo* variisque auctoritatibus summorum Pontificum, Conciliorum, & veterum Patrum, *distinct. 28. & 32. per tot.* variis item ea de re editis civilibus Constitutionibus, *l. Eum qui & Aut. Multò magis Cod. de Episc. & Cleric., & similibus.*

Dispiciendum autem potissimùm hîc est, quatenus Clerici coniugati beneficia habere vel retinere possint, vel non: nam de validitate matrimonij per Clericum contracti agetur *lib. 4. tit. Qui Clerici vel voventes matrim. contrahere possunt.*

Cœlibatus igitur à sacris Canonibus ita an- 2
nexus semper fuit Ordinibus sacris, vt si quis ordine sacro initiatus vxorem duxerit, & matrimonium sit nullum, provt definit Concil. Trid. *Sess. 14. cap. 9.* & compelli debeat ad ductam abiurandam, ac pœnitentiam agendam de commisso, per excommunicationis & suspensionis ab executione Ordinum sententiam, simúlque privari officiis & beneficiis Ecclesiasticis, *cap. 1. h.t.*

Quinimò decreto Concil. Toletan. 4. per- 3
missum fuit Episcopis, fœminas huiusmodi, coniunctas Clericis illicitè, auferre & venundare; illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos suâ libidine infeciissent. Sed & Vrban. II. *in c. Eos qui distinct. 32.* Principibus indulsit licentiam redigendi in servitutem focarias, si Clerici, ab Episcopo moniti, nollent ab illis separari.

Vnde patet Canonum Ecclesiæ circa hanc 4
rem alios mitiores, alios severiores olim fuisse. Nam & Concil. Toletanum 8. *cap. 6.* iubet eiusmodi fœminas recludi in monasteriis, vt ibidem sub gravibus pœnitentiæ oneribus vsque ad finem vitæ degant. Ancyranum verò, *cap. 20.* annos pœnitentiæ septem adultero imponit. Neocæsarien. *capite primo.* Presbyterum, vxorem

vxorem ducentem, deponi; fornicantem vel adulterantem extra Ecclesiam abiici, & inter laicos ad pœnitentiam redigi mandat. Eliberit, *cap.*13. statuit, virginibus votifragis, etiam resipiscentibus, in fine tantùm dandam esse communionem. Virginibus autem sine voto in corpus suum peccantibus annus præscribitur, priusquam reconcilientur; si modò violatoribus suis nupserint; sin aliis, quinquennij pœnitentia. Idem Concil. *capite* 17. statuit, si vidua peccaverit, post quinquennem pœnitentiam communioni restituendam, si correo nupserit, sin alteri, nec in fine dandam communionem. Concilium denique Matisc on. *cap.* 2. statuit, vt nulla mulier in cubiculum Episcopi absque duobus Presbyteris aut certè Diaconis ingredi permittatur, referente Zypæo *de*
5 *Iure Pontif. novo lib.*3. *h.t. num.*2. * Verùm, vt antè diximus, hodie & quoad pœnas & quoad modos procedendi contra concubinarios Clericos, sequendum est Conc. Trid. *Sess.*25. *c.*14. *de reformat.*

Clerici itaque coniugati fiunt in primis irregulares; ita vt nec in susceptis Ordinibus ministrare, nec ad maiores promoveri valeant.

6 Sunt excommunicati ipso iure, *Clement. vnica de affinitate & consanguinit.* reservatâ absolutione Episcopo, *Gloss. ibid. in V. obtinere,* Sanchez *de Matrimon. lib.*7. *disput.*48. vbi fusiùs *d. Clement.* explicat. Attamen si Clericus dimissâ vxore quàm duxerat, pœnitentiam egerit, séque vitæ probitate commendabilem fecerit, potest ex indulgentia Episcopi officio suo, Ordinisque exercitio restitui, *cap. Sanè* 4. *h.t.*

Item redduntur suspecti de hæresi; & potest contra eos per Inquisitores procedi.

Incurrunt etiam pœnam stupri, si virginem sub figura ac prætextu matrimonij violarint quamvis verba de præsenti ac benedictione præcesserint, Dias *in Praxi crim. Canonica, c.*74.

7 Cæterùm meritò hæc ita à sacris Canonibus constituta sunt: nam si in veteri lege, qui adsistebant altari ad offerendum panes materiales, & sacrificia animalium mortuorum, iubebantur esse mundi, *Exodi* 9. *&* continentes abstinentésque ab vxoribus, pro tempore, quo ministraturi erant, *can. Tentre* §. *nam si priscis distinct.* 31. si item Flamines gentiles seu sacerdotes Ethnici in superstitiosis suis cultibus ac ritibus, ipsi satanæ servientes tanto opere ac studio castitatem servarint: quàm castos & puros esse decet sacerdotes Dei, ac reliquos Clericos, sacris initiatos, qui velut templum ac vasa sunt Domini & sacrarium Spiritus sancti, iugitérque altari adsistunt, *can. decernimus distinct.*28. *& similibus:* præsertim cùm non accedant ad offerendas carnes vitulorum aut hircorum, vt in veteri lege, sed ad immolandum agnum immaculatum, ipsum Salvatorem IESVM Christum, verum Deum & hominem. Facit, quod Clericus divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ideóque minùs cogitare valeat, quæ Dei sunt, sed potiùs, quomodo placeat vxori. Præterea rerum Ecclesiasticarum substantia per coniugatos facilè deperiret, quas substraherent fortè prospiciendis & alendis prolibus suis, *c. Diversis* 5. *hoc titulo.*

Dixi ante, saltem in Ecclesia Latina; quia li- 8
cèt in Ecclesia Orientali seu Græca nunquam licuerit post sacros Ordines susceptos vxorem ducere, vt patet *ex can. Si quis eorum distinct.* 32. *c. A multis sup. de ætate & qualitate ordinan.* tamen concessum tandem fuit, vt saltem antea ductis vterentur, vt constat *ex cap. Cum olim h.t. can. Aliter dist.*31.

Vbi tamen observandum, olim ante tempora D. Gregorij, Subdiaconatum non fuisse Ordinem sacrum, vt suprà diximus, ac proinde licuisse tunc Subdiaconis vxores ducere, & ductis vti.

§. II.

De Clerico minoribus Ordinibus initiato, contrahente matrimonium.

1 *Talis ductâ vxore amittit beneficium ipso facto.*
2 *Nec resignare illud potest in favorem tertij.*
3 *Licet etiam matrimonium sit nullum, vel irritum.* 4.
5 *Impubes, vel pubes cum pubere contrahens non excidit beneficio.*
6 *Alias ne quidem consensu Episc. beneficium simplex retinere potest.*
7 *Coniugatus quibus casibus beneficium retinere possit.*

QVòd si Clericus, in minoribus Ordini- 1
bus constitutus, continere se non possit, aut non velit, permittendus est vxorem sortiri, *can. Si qui verò distinct.* 32. *can. Quia tua* §. *si quis* 12. *quæst.*1. Verum si contraxerit validè, beneficium, si quod habuerit, statim ductâ vxore vacat. *c.*1. *hoc titulo* sicut & pensio, si quam habeat titulo clericali, seu loco beneficij, quod resignavit: quia per matrimonium,

licèt copula non sequatur, vinculo incompatibili cum beneficio sese quis astringit; sicque eo ipso per spontaneam dimissionem videtur beneficium repudiare, nec illud recuperat sponsâ decedente, vel monasterium ingrediente, *DD. in dict. cap. 1.* quia quod semel extinctum est, non reuiuiscit amplius, licèt causa extinguens cesset, *can. Quam periculosam 7. quæst. 1. clement. Gratia de rescriptu.* Ob eandem rationem accessus, regressus, ac quodlibet aliud ius ab beneficium Ecclesiasticum vacat ipso iure, *dict. clement. Gratia*: quia facilius perditur ius ad rem, quàm in re, *cap. Quemadmodum sup. de iureiurando.*

2 Hinc sequitur clericum, post contractum validè matrimonium, non posse beneficium, quod antè obtinebat, resignare in alicuius fauorem, sed teneri statim posse, tamquam vacans ipso iure & facto, impetrari.

3 Quod si matrimonium sit nullum, grauissima est quæstio, an vacet similiter beneficium: de qua varij variè sentiunt, vt videre est apud Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 43.* vbi, relatis tribus sententiis, adhæret tertiæ, nempe per matrimonium, quomodocumque & quacumque ex causa nullum, non amitti ipso iure beneficium, sed sententia iudicis opus esse: ea inter alias ratione, quòd non præter impedimentum, quod de iure non fortitur effectum; quòdque paria sint esse nullum ipso facto, & non factum; nec in vllo textu inueniatur decisum, solam attentationem cum ipso facto irrito sufficere in hoc casu.

4 Hinc etiam verius est, clericum initiatum sacris ordinibus, contrahentem matrimonium, sed irritum, propter consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, non amittere beneficium suum ipso iure, vt tradit Sanch. *d. loc.*

5 Quid si clericus impubes cum sponsa impubere, vel pubes cum impubere per verba de præsenti contraxerit, nec malitia suppleat ætatem? (cuiusmodi matrimonium resoluitur in sponsalia de futuro, *cap. vnico de sponsar. impuberum in 6.*) Talis non excidet beneficio suo, nisi adueniente legitimâ ætate matrimonium sic contractum ratificetur, iis modis, de quibus per *text. Gloss. & DD. in dict. cap. vnico*: siquidem constat apud omnes, non amitti beneficia per sponsalia de futuro, quandoquidem statum incompatibilem cum beneficio non inducant, sed sint dumtaxat via ad illum.

6 An autem de consensu Episcopi clericus beneficium simplex, ante contractum matrimonium obtentum, retinere possit, matrimonio contracto cum Virgine, quæri etiam potest? Communi opinione receptum est, non posse, quia coniugati beneficiorum sunt incapaces. Non obstat *canon Si qui distinct. 32. & canon Quia 12. quæst. 1.* quia non loquuntur de beneficiis Ecclesiasticis, sed de stipendiis sustentationis, quæ dantur clericis coniugatis, clericaliter viuentibus, & Ecclesiæ deseruientibus; idque de gratia magis, quàm de iure, & tanquam eleemosyna, non tanquam præbenda.

7 Cæterùm iis casibus, quibus coniugatus potest suscipere ordines, *secundum dicta à nobis lib. 1.* potest etiam obtinere beneficium. Et ita intelligendus est *canon de Siracusana distinct. 28.* vbi habens vxorem, eligitur in Episcopum.

8 Potest etiam coniugatus obtinere beneficium ex dispensatione, non quidem Episcopi, sed summi Pontificis, *cap. diuersis 5. hoc tit.* vbi iubetur, vt Episcopus coniugatos beneficiis, post coniugium adeptis, priuet; & statim subditur, *nisi fortè tu talibus scienter contuleris Ecclesiastica beneficia, quibus eos non per te, sed per superiorem decernimus spoliandos*: nam inde colligitur, non sufficere dispensationem Episcopi; quæ si sufficeret, non essent spoliandi beneficiis, ab Episcopo sibi collatis.

Non obstat, quòd Episcopus dispenset cum homicida & irregulari, *cap. ad audientiam 12. inf. de homicidio*; & cum deposito *can. Sodomita dist. 63.* qui sunt casus grauiores: quia in materia dispensationis, quæ est exorbitans à iure, non valet argumentum à casibus permissis ad non permissos, etiam minores. Vide Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 42. n. 17. & seqq.*

§ III.

An clericus coniugatus immunitate Ecclesiastica perinde gaudeat ac non coniugatus.

1 *Clericus coniugatus qualiter priuilegio fori gaudeat.*
2 *In clerico coniugato quis censeatur habitus clericalis.*
3 *Quid in eodem requirat Conc. Trid.*
4 *Quoad cætera priuilegia reputatur laicus.*
5 *Separatus ab vxore & ordinatus gaudet priuilegiis clericalibus.*
6 *Contrà clericus ordinatus per dispensationem vxorem ducens.*

Ita

1 ITa videtur de iure antiquo: at verò iure nouo, *in cap. vnico hoc tit. in 6.* ſtatuitur, vt præter privilegium canonis *Si quis ſuadente 17. quæſt. 4.* (quo manus violentas in clericum iniiciens excommunicationem incurrit, non niſi à ſummo Pontif. abſoluendus) gaudeat duntaxat privilegio fori: & quidem, vt docet Sanchez *dict. lib. 7. diſp. 46. num. 22.* quoad cauſas, non ciuiles, ſed criminales, ſiue eæ criminaliter ſiue ciuiliter intententur, prout clericis conceditur *in cap. 2. ſup. de foro compet.* Idque non aliter, quàm ſi cum vnica & Virgine contraxerit, & tempora commiſſi delicti (quod ad hoc, vt quis gaudeat foro, etiam attenditur, *arg. l. 1. ff. de pœnis*) tonſuram & ſimul habitum deferat ſeu detulerit clericalem, exteriorem ſcilicet & apparentem, *dict. cap. vnico*, ibi, *veſtes deferant clericales, & ſimilibus.*

2 Dicitur autem habitus clericalis, cùm eius non ſit à iure determinata qualitas, quo ex regionis vſu honeſti clerici coniugati vtuntur, *arg. c. Ioannes 7. hoc tit.* ita ſcilicet, vt ex aſpectu à quolibet iudicetur clericus, *Gloſ. communiter approbata in cap. penult. ſup. de vita & honeſt. clericor.* Neque enim cogendus eſt iis veſtibus indui, quibus clerici non coniugati, miniſterio Eccleſiæ vacantes, vtuntur.

3 Cæterùm decretum *d. cap. vnici* confirmat Concilium Tridentinum. *ſeſſ. 23. c. 6. de reform.* eique hæc ſuperaddit, modò clerici tales Eccleſiæ alicuius ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo ſint deputati, eidémque Eccleſiæ in clericali habitu & tonſura deſeruiant & miniſtrent.

Quòd ſi harum conditionum vel vna defecerit, nullo privilegio clericali gaudebunt, conſuetudine in contrarium, etiam immemoriali ne quidquam ſuffragante. Sed & amittent cætera, præter privilegium canonis & fori, eo ipſo, quo contrahunt matrimonium: fori verò & canonis eo ipſo, quo non ſeruant conditiones requiſitas, etiam citra admonitionem vel declarationem iudicis; quia iſta priuatio non imponitur vt delicti pœna, ſed ob defectum conditionis requiſitæ. Vide Steph. Vveymſ. *in Analyſi ſua ad d. c. 1.*

4 Inſuper quoad cætera privilegia clericus coniugatus reputatur omninò laicus, etiam per matrimonium nondum conſummatum. Sanch. *dict. loc. num. 13. & ſeq.* Ideò nec Vicarius Epiſcopi in ſpiritualibus eſſe poteſt, nec intereſſe diuinis tempore interdicti, nec gaudet priuilegio clericali, quoad gabellas, indictiones, munera ſæcularia, & quæcumque alia obſequia, *cap. Quamquam de cenſibus in 6.* Couar. *pract. quæſt. cap. 31. num. 9.*

Quòd ſi verò coniugatus cum vnica & virgine ſeparetur ab vxore communi conſenſu, 5 legitimóque modo ordinetur, perinde gaudebit immunitate Eccleſiaſtica ac cæteri non coniugati, quia talis reputatur ab Eccleſia non tanquam coniugatus, ſed tanquam viduus continens; & ciuili quodam modo, quoad vſum & ſocietatem matrimonij, vxor illi quaſi mortua cenſetur. A fortiori idem dicendum, ſi illa moriatur, & ipſe redeat ad propria clericorum miniſteria. Videatur pleniùs Sanchez, *dict. loc.*

Aliud dicendum de eo, qui in ſacris conſti- 6 tutus per diſpenſationem ducit vxorem, quia talis omninò abſtrahitur & quaſi deponit à ſtatu clericali. Sanchez *dict. loco*: vbi docet, clericum coniugatum per negotiationem honeſtam non amittere dicta privilegia, modò conditiones requiſitas ſeruet. Similiter docet clericum, coniugatum cum vnica & virgine, amittentem privilegia clericalia, ob depoſitionem habitus clericalis & tonſuræ, ea recuperare, reſumptis habitu tonſurâ: nec per vnam aut alteram habitus dimiſſionem amitti priuilegia, modò aliàs continuò deferat.

TITVLVS IV.

De clericis non reſidentibus.

1 *Reſidere quid ſit.*
2 *Tenentur beneficiati ad reſidentiam; etiam ratione ſimplicis beneficij.*
3 *Quod tamen fallit ex generali conſuetudine.*
4 *Ideóque per ſubſtitutum quàm deſeruire poteſt.*
5 *Quo pacto procedendum contra non reſidentes.*
6 *Cauſæ iuſtæ excuſantes à reſidentia. 7.*
8 *Quo caſu debentur groſſi fructus, non diſtributiones.*
9 *Niſi ex certis cauſis.*
10 *Decreta Conc. Trid. circa reſidentiam clericorum.*

CLERICI non ſolùm inhoneſtè viuunt, 1 mulierum conſortia familiaritatémque conſectando, ſed & non reſidendo in Eccleſiis ſuis, & interim fructus percipiendo; eam ob cauſam quandoque etiam puniendi & priuandi beneficiis.

Eſt

Est autem residere nihil aliud, quàm deseruire, Flaminius *de resignat. benefic. l. 1. quæst. 10.* & residere personaliter non est aliud, quàm personale debitum per se præstare.

2 Cùm igitur beneficium detur propter officium, *cap. fin. de rescriptis in 6.* ideò nullus ad beneficium Ecclesiasticum adsumendus est, nisi qui in loco eiusdem residere & per se deseruire possit, *c. 3. & 4. h. t.* Omnésque beneficiati ad residentiam personalem ad est, ad personale ministerium in loco beneficij; Episcopi quidem & Pastores, qui curam animarum habent, de iure naturali & diuino, Lessius *2. de iure & iust. cap. 34. dubit. 39.* reliqui verò de iure communi tenentur, sive dignitatem annexam habeant, *cap. 1. 2. 3. & 8. hoc tit.* sive aliud quodcumque simplex beneficium, quantumvis tenue ac modicum, *cap. Conquerente 6. & c. inter quatuor 10. hoc t.* Adeò vt ipse Iustinianus imp. *in l. generaliter sancimus C. de Episc. & clericis*, sanxerit, eos tantùm clericos & Monachos immunitatis beneficio à cura & tutela gaudere, qui apud sacro-sanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non vagantes, & qui circa diuina ministeria non sunt desides.

Nec hic habet locum regula iuris, quòd quis possit per alium facere, quod per se ipsum potest: quia patitur exceptionem, quando electa est industria & opera personæ; vt in collatione beneficij semper electa intelligitur, *cap. Is cui de offic. iud. delegati in 6.* nam opera vnius non est opera alterius, *l. Si non sortem §. libertus ff. de condict. indebiti.* Excipiuntur tamen præstimonia seu præstimoniales portiones habentes: cùm enim hæc ex sua institutione non videantur habere vllum seruitium annexum, præter lectionem horarum, non videntur quoque requirere residentiam, Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. num. 2.*

3 Dixi, de iure communi; quia ex generali totius Ecclesiæ consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt, Gloss. *in dict. cap. conquerente ad V. deseruiat*, Flamen. *dict. loc. n. 67.* Ideóque potest quis per substitutum illis deseruire.

4 Hinc quoque fit, quòd, vbi fundator in erectione alicuius Capellaniæ, vel alterius simplicis beneficij, disposuerit, vt contingente eius vocatione, conferatur alicui, qui celebret tot Missas in hebdomada vel mense, non teneatur talis promissus esse sacerdos, nec possit cogi per Episcopum, vt per se celebret: nisi fundatur disertis verbis expresserit, vt per se celebret, aut vt Capellanus sit actu sacerdos, Capellania sit sacerdotalis, vt præsentandus sit sacerdos, vel quid simile, vti latè dicet Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Glos. 5. à num. 74.* vbi de hoc refert declarationem Card. Et ratio est, quia cùm aliàs fundator se semper censeatur conformare dispositioni iuris ciuilis seu vniuersalis consuetudinis, *l. 2.* ibi *ad ius retulit, C. de hæred. instituendis, l. cum quidam §. quemadmodum, ff. de verb. signif.* secundum quam beneficia simplicia non requirunt residentiam; ideò per verba illa, *celebret tot vel tot Missas*, non prohibet, ne per alium celebretur; nec ea verba important obligationem sacerdotij, nec celebrationem per ipsummet Capellanum, sed designant onus ipsi Capellaniæ seu simplici beneficio, quod per alium expleri potest, nisi aliter fundator expresse disposuerit.

Quòd si Prælatus vel alius clericus, residentiæ adstrictus, ab Ecclesia sua aut beneficio, residentiam requirente, sine iusta causa abfuerit, monendus est per superiorem, vt ad Ecclesiam redeat: qui tum, si intra tempus congruum, sibi præfixum, non redierit, iure suo ac beneficio priuari potest, atque alius eligi, & beneficium alteri conferri, *cap. Ex parte 8. cap. Qualiter 9. & cap. vlt. hoc tit.* idque remotâ quoque appellatione, *cap. Relatum 4. & cap. conquerente 6. eodem* quamvis sit Cardinalis, *cap. 2. eodem.* 5

Si verò nesciatur, vbi terrarum degat clericus, tribus edictis publicis, Ecclesiæ eius valuis affigendis, citandus & euocandus est: qui si intra sex menses non reuertatur, beneficio suo exui potest, *cap. 1. cap. Ex tua deuotionis 11. hoc t.* Idque in simplici etiam beneficio obtinet, quia licèt illud non requirat residentiam ex generali consuetudine, tamen ob delictum vagationis potest quis eo priuari. Zerola *1. part. V. Priuatio.* 6

Dixi, absque iusta causa; quia sunt nonnullæ causæ, ob quas quis à sua Ecclesia vel beneficio abesse potest: veluti causa studiorum in aliqua Vniuersitate, petita tamen priùs à superiore licentia, *cap. Tua fraternitatis 12. hoc tit.* si item in aula summi Pontificis quis degat, eique inseruiat, *l. cùm dilectus 14. eodem* si in proprij Episcopi seruitio commoretur, *cap. Ad audientiam 15. eod.* vel propriæ Ecclesiæ curet negotia, *c. Ex p. 13. eod.*

Similiter abesse quis potest ob pestem grassantem in loco beneficij: ob capitales inimicitias, post beneficium obtentum ortas: ob aëris intemperiem, vel iustam rationabilem corporis necessitatem, vel ob morbum, *cap. 1. inf. de clerico ægrotante.* 7

Ex aliqua harum causarum, vel alia simili, 8 absentia

absentes etiam grossos, vt loquuntur, fructus beneficiorum suorum percipere poterunt, *dict. cap. ita fraternitatis*, & *dict. cap. Cùm dilectus*: sed distributiones amittent quotidianas (quæ aliàs manualia beneficia seu victualia nuncupantur, *cap. vnico eodem in 6.*) exceptis casibus à iure expressis: quia illæ debentur præsentibus duntaxat pro officio diuino, cui statis horis intersunt, *cap. de cætero 7. in fine hoc tit.* & qui aliter nomine distributionem quicquam receperit, dominium illius non acquiret; imò tenebitur ad restitutionem, *dict. cap. vnico eod. in 6.* Cuius Capituli decretum, quod Bonifac. VIII. Auctorem habet, in visum reuocat Conc. Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* Vide omninò Analysin *ad d. constitut. bonifac.* V. Cl. Steph. Vveymsij.

9 Dixi, exceptis casibus à iure expressis; quia *in d. cap. vnico* tres casus seu causæ excipiuntur, ob quas absentes à diuinis officiis percipiunt, distributiones. Prima est, corporalis languor & infirmitas grauis, ob quam quis interesse diuinis non possit, de qua postea latiùs *tit. de Cler. ægrotante.* Secunda est iusta & rationabilis corporis necessitas: quam distinctam esse causam à priori ostendit Vveymsius. *ibid. num. 16. & sequent.* Tertia euidens Ecclesiæ vtilitas. Adde senium, ob quod quis nequit diuinis interesse, Vveymsius. *ibidem num. 20.* Prædictis tamen causis non obstantibus, si Ecclesia patiatur defectum ministrorum, qui officium diuinum peragant, possunt & illi ex iusta aliqua causa absentes reuocari ad Ecclesiæ ministerium, & compelli ad hoc per subtractionem fructuum, *c. pen. h. t.*

10 Denique quia iuxta veteres canones, qui aliquantisper absunt quia statim reversuri sint, abesse non videntur, *canone Non oportet, & can. seq. 7. quæst. 1.* ideò Conc. Trid. hac in parte modum statuit, multaque circa residentiam innouauit: veluti de residentia Primatum, Patriarcharum, Metropolitanorum & Episcoporum, *sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. de reformat.* de residentia verò eorum, qui obtinent beneficia, de iure vel consuetudine requirentia residentiam, *sess. 6. cap. 2. de reformat.* & de residentia obtinentium Dignitates, Personatus, Officia, *sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3. de reformat.* Denique de residentia obtinentium canonicatus, Præbendas aut portiones, *sess. 24. cap. 12.* & de pœnis non residentium iisdem locis.

***

TITVLVS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

§. I.

Quid sit Præbenda, & beneficium Ecclesiasticum.

1 *Præbenda propriè qua dicatur; & varia illius acceptiones.*
2 *Qua canonia seu canonicatus.*
3 *Quid sit beneficium Ecclesiasticum.*
4 *In eo tria considerari; primò Officium.*
5 *Deinde ius percipiendi fructus, & ipsos fructus.*
6 *Beneficium ex sua institutione perpetuum esse debet.*

DE bonis clericorum internis, tam animi quàm corporis, iam dictum est, dicendum nunc est de bonis eorum externis, nempè de Præbendis & dignitatibus, cæterisque beneficiis, in quibus residere debent.

Præbenda propriè dicitur canonica portio, 1
cap. Vacante. 26. cap. dilectus 27. & aliis hoc tit. & significat eam portionem, quæ de communi bonorum prouentuúmque Ecclesiasticorum massa sumitur, & præbetur singulis pro sua portione, *cap. Cùm M. Ferrariensis 9. sup. de constitut. cap. Relatum 9. hoc tit.* distinguitur à beneficio Ecclesiastico, qui nomen illud antiquius est nomine Præbendæ, sic propriè appellatæ, vt declarat Boët. Epo *Comment. in cap. 1. inf. de testam. num. 33. & seq.* In hoc verò titulo capitur generaliter pro omni beneficio Ecclesiastico, sicut & in *cap. Maioribus 8. cap. tuis quæstionibus 23. h. t.* Quin etiam subinde capitur pro quadam fructuum perceptione, à canonicatu seu canonia seiuncta: quæ licèt ex Ecclesiæ bonis præstetur, non tamen ratione officij diuini, sed pro temporali aliquo labore benè meritis de Ecclesia datur, *cap. fin. inf. de Magistris can. Possessiones 161. XVI. quæst. 1. dict. cap. Maioribus, & dict. cap. dilectus.* Eáque in significatione etiam laicus est capax Præbendæ, & subinde in iure nostro Præbendam habere dicitur: cùm alioquin præbendæ, id est, portionis canonicæ, vt est spiritualis, ratione canoniæ, cui annectitur, incapax.

1 Canonia autem seu canonicatus propriè dicitur ius spirituale, eo ipso proueniens, quo quis recipitur in canonicum, id est adsumitur ad tale ministerium officij clericalis, quale habent canonici. Nisi cum Boëtio Epone, *dict. loc. num. 37. & 38.* distinguere malis canoniam à canonicatu, vt canonia significet ipsum collegium canonicorum, id est, hominum Ecclesiasticorum, instar Monachorum certis regulis
2 atque canonibus viuentium, *can. 1. & can. nisi 11. dist. 56. & can. Eos qui 1. quæst. 5.* canonicatus verò dicatur ipsum canonicorum vel munus, vel officium, vel vocatio, vel honor, vel status personas ipsas canonicorum concernens, non autem bona. Planè voces illas, præbendam, beneficium & canoniam, ferè confundi & sumi pro iisdem, quando de collegij vel corporis alicuius Ecclesiastici bonis eorúmque massa communi quæritur, constat ex *can. Si quis dator, & can. Ex multis vers. constituimus 1. quæst. 3.*

3 Vt igitur generaliter de beneficiis agamus Ecclesiasticis, omissis variis beneficij significationibus, Ecclesiasticum hoc loco beneficium dicitur ius perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.

4 Vnde patet in beneficio Ecclesiastico tria distingui. Primum est ipsum officium seu obligatio, qua quis tenetur spititualem aliquam functionem obire, veluti horas canonicas legere, Sacramenta administrare. Et hoc est omninò spirituale; non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa beneficij: nam beneficium datur propter officium, *cap. fin. de rescriptis in 6.* * Secundum est, ius percipiendi fru-
5 ctus ex bonis Ecclesiasticis, quia æquum est, vt qui altari seruit, de altari etiam viuat, *cap. cum secundum 1. & hoc tit.* Ideóque si Episcopus aliquem admiserit ad ordines absque titulo seu beneficio, qui non habeat de suo, vnde viuat, tenetur ipse eidem prouidere, & subministrare necessaria ad subsidium vitæ, *cap. 2. hoc tit.* donec aliunde suppetat, *cap. Episcopus 4. hoc tit.* Hinc etiam in Ecclesia plures esse clericos non oportet, quàm ali possunt: & ei, qui in canonicorum numerum receptus est, absque præbenda seu portione canonica, vti fieri quandoque solet, primo quoque tempore præbenda canonica portio est assignanda, *dict. cap. Relatum 9. & cap. dilectus 19. eod.* Hoc autem ius propriè beneficium dicitur, & est spirituale, quia oritur ex spirituali officio, tanquam causa sine qua non, cui inseparabiliter est annexum.

* Tertium sunt ipsi fructus, percipiendi ex 6
bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis; & sunt quid temporale. Constátque eos olim diuisos fuisse in quatuor portiones, & ex illis auctoritate Ecclesiæ postea fuisse beneficia erecta, singulis titulis certâ portione fructuum assignata. Lessius 2. *de iure & iust. cap. 34. dubit. 1. num. 1. & 2.*

Dicitur, ius perpetuum; saltem ex sua in- 7
stitutione, *can. Præcepta, distinct. 55. can. Sanctorum distinct. 70. & similibus.* Idcóque quòd beneficia regularia sint ad nutum superioris amouibilia, exceptis curatis & electiuis, id non habent ex sua institutione, sed ex eo, quòd ea obtinentes sint subiecti superioribus suis, quoad officia, habitationem, & vitæ directionem. Quòd si auctoritate Pontificis beneficium aliquod sæculare fiat amouibile, desinit propriè beneficium. Et similiter si quod ex fundatione, constitutione, vel statuto erigatur temporale, non erit propriè beneficium, de quo canones loquuntur; licèt quidam aliter sentiant.

§ II.

De diuisione beneficiorum.

1 *Dividuntur in maiora & minora.*
2 *In curata & non curata.*
3 *In duplicia & simplicia.*
4 *Quid sit dignitas, personatus & officium 5. 6. 7.*
8 *Item dividuntur in sæcularia & regularia.*
9 *Quodnam censeatur regulare. 10. 11.*
12 *Regulare quando clerico sæculari conferri valeat, & contrà. 13.*
14 *Regulia, sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferenda.*
15 *Præterea dividuntur in collatiua & electiua.*
16 *In manualia & non manualia.*
17 *In Patrimonialia & non Patrimonialia.*
18 *In monocula & non monocula.*
19 *In ea, quæ sunt iuris patronatus, & ab eo libera.*
20 *In beneficia villæ murate & non murata.*
21 *Item Ecclesiarum Collegiatarum & non Collegiatarum.*

Beneficia

1 BEneficia Ecclesiastica variè dividuntur; Primò in Maiora & minora, Maiora sunt Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia. Minora sunt his inferiora.

2 Secundò in curata & non curata. Curata dicuntur, quæ curam animarum annexam habent: idque vel propria, seu quoad forum interius, quia beneficiato sit data potestas populo, certis limitibus distincto, sive parochiæ suæ Sacramenta administrandi, & verbum Dei annuntiandi, citra vllam aliam iurisdictionem, *clement. 1. §. verum, de sepulturis*: vel impropriè, seu quoad forum exterius aut contentiosum, quia scilicet beneficiatus ea exerceat quæ sunt iurisdictionis spiritualis, qui alia sunt inquirere, suspendere, excommunicare, absoluere. Vide Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* Talem curam habet Archidiaconus, *cap. 1. sup. de officio Archid.* Archipresbyter, *cap. 1. sup. de officio Archipresb.* Non curata sunt, quibus nulla eiusmodi cura annexa est. Et in dubio beneficium censetur non curatum; ac proinde asserenti curatum incumbit illius probatio.

3 Tertiò, alia sunt duplicia, alia simplicia. Duplicia dicuntur omnia, quæ curam animarum, vel administrationem, vel dignitatem, vel personatum vel officium adiunctum habent. Vnde eorum subdiuisio oritur in membra iam enumerata.

4 Dignitatem habent, quæ præeminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum cum imperio ac iurisdictione; vt Præpositura, decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis & regularis. Et dignitas non est aliud, quàm huiusmodi præeminentia seu administratio.

5 Personatum habent, quæ præeminentiam sedis & aliorum, absque iurisdictione; v.g. honorificum locum in choro, in processionibus, in suffragiis, vt Cantoria, & similia. Et personatus dicitur huiusmodi præeminentia.

6 Officium habent, quæ administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine iurisdictione, præeminentia atque honore, vt Sacrista, Custos. Et Officium dicitur huiusmodi administratio: licèt administratio etiam latiùs sumatur, vt comprehendat alia quoque beneficia, *c. 2. sup. de ætate & qualitate ordin.*

7 Cæterùm licèt hæc tria, dignitas, Personatus & Officium iure canonum subinde ita distinguantur, id tamen non est perpetuum; verùm interdum eodem iure pro vno & eodem accipiuntur, vt in *cap. cum accessissent* 8. *sup. de constitutionib.* Ideóque tutius erit, quoad vim istorum nominum, spectare consuetudinem cuiusque Ecclesiæ, *iuxta communem sententiam*: sic vt beneficium illud censeatur habere dignitatem vel esse dignitas, quod ex consuetudine pro tali habetur, maximè quando in creatione illius non reperitur assignata beneficio dignitas.

Sed & illud hic notandum, hodiè de consuetudine pleroſque personatus inter simplicia beneficia conferi; adeò vt etiam minoribus ætate conferantur, teste Zypæo *tit. de clericis non resident. num. 5.*

Quartò, dividuntur in sæcularia & regularia sæculare est, quod addictum & debitum est sæcularibus clericis, id est, qui nullam sunt professi regulam, sed in sæculo militant & seruiunt Deo: idque vel ex fundatione, vel consuetudine aut præscriptione, *c. Cum de beneficio 5. eod. in 6.* præscriptione inquam X L. annorum, cum bona fide & titulo, *cap. Cùm Ecclesia sup. de causa possess. & proprietat. iuncto cap. Vigilanti sup. de præscriptionib.* 8

Beneficia verò omnia censentur sæcularia, nisi contrarium probetur: velut primò, quia in fundatione ita cautum reperiatur, vel quia præsumantur esse regularia ex X L. annorum decursu, quo per regulares ei deseruitum fuit, Nauar. *conf. 3. de præbend.* Gonzal *ad reg.* VIII. *Cancell. Glos. 7. in princ.* Zerola *V. beneficium 2. p. num. 11.* 9

Potest tamen beneficium regulare, & regularibus professis in titulum conferri solitum, etiam clerico sæculari conferri, modò is quoque emittat professionem, *cap. Cùm causam 27. cap. Officij 38. sup. de elect.* Abbas *ibid. num. 5.* Idque non à Papa dumtaxat, sed ab aliis quoque ordinariis Collatoribus, iuxta declarationem Card. quam refert Gonzal. *ad dict. reg. glos. 8. num. 78.* Piasec. *2. part. cap. 5. art. 3 num. 27.* Excipiuntur, iuxta eandem declarationem, Abbatiæ & beneficia administrationem habentia, quæ non nisi professis secundum canones per inferiores ordinarios conferri possunt, Piasec. *dict. loc.* Tenetur autem sæcularis, eo modo promotus, intra sex menses profiteri, Conc. Trid. *25. cap. 21. de regularib.* vel aliud tempus, iuxta arbitrium superioris, pro diuersitate qualitatis ipsarum personarum, *Gloss. in dict. cap. officij in V. competenter.* Piasec. *dict. loc. num. 29.* 10

Similiter regularis quoque præficitur Ecclesiæ sæculari, causâ necessitatis id exigente, déque consensu superioris, *clement. 1. iunctâ glos.* 11

in V. secularis, de electione. Non tamen licet regularibus, etiam de licentia sui superioris, absque dispensatione summi Pontificis, obtinere curatum beneficium, etiam ad tempus, iuxta declarationem Card. quam refert Gonzales *Glos. 7. n. 25.* & Piasec. *d. loc. n. 30.*

21 Secundò, beneficium præsumitur regulare, si sit Capella erecta in Monasterio, per regularem regi solita. Nam si per sæcularem regi talis Capella sit solita, idque quia is fuerit primus cleri status, Gonzal. *d. Glos. 7. n. 1.* beneficium erit sæculare.

13 Regulare itaque beneficium est, quòd regi debet per regularem, vel ex fundatione, vel Ordinarij seu superioris institutione, *cap. 2.* & ibi *DD. inf. de capella Monachorum*; vel annorum X L. præscriptione cum bona fide & titulo, *arg dict. cap. Vigilanti sup. de præscrip. & dict.*

14 *cap. Cum de beneficio hoc tit. in 6.* * Hinc Axioma illud iuris, sæcularia beneficia sæcularibus & regularia regularibus esse conferenda, *cap. Cum ad nostram 37. c. Officij 38. sup. de electione d. c. Cum de beneficio*, Conc. Trid. *sess 14. cap. 10. de reformat.*

51 Quintò, beneficiorum Ecclesiasticorum alia sunt Collativa, quæ scilicet collatione, aut alio quam electionis modo, obtinentur: alia sunt electiva, quibus prouidetur per electionem, à superiore confirmandam; potissimùm dum in electione seruatur forma, *cap. Quia propter 42. sup. de electione.* Eiusmodi sunt Papatus, Patriarchatus, Episcopatus, collegiatarum Ecclesiarum Præposituræ: nisi aliter ex fundatione, consuetudine, præscriptione legitima, aut privilegio obtineat.

16 Sextò, alia sunt Manualia, alia non manualia. Manualia vocantur, quæ ad nutum conferentis amoueri possunt. Et hæc diximus non esse propriè beneficia, quia non sunt iura perpetua percipiendi fructus. An autem sine causa quis possit amoueri à beneficio manuali, latè disputat Riccius *in praxi decis. 398.* vbi affirmativè resoluit. Cætera autem, quæ adimi nequeunt, nisi certis de causis, à iure permissis, dicuntur non manualia, *Glos. in clem. Quia regulare, de supplenda neglig. prælat.*

17 Septimò, alia dicuntur Patrimonialia, alia non patrimonialia. Patrimoniale dicitur, non quòd patrimonij naturam & rationem habeat, sed quia non potest conferri nisi clerico ex patria, loco, vel parochia oriundo. Videatur Couar. *Pract. quæ. cap. 35. num. 5. & cap. 38. n. 4.* Garzias *de benef. 7. part. cap. 15.* Non patrimoniale dicitur, quod cuilibet sive ex patria, sive ex loco, sive ex parochia oriundo, sive externo, conferri potest.

Octavò, aliud vocatur Monoculum, aliud non monoculum. Monoculum dicitur, quando Prælatus tantùm illud habet ad conferendum. Vndè facilè intelligitur, quodnam sit non monoculum. 1

Nonò, dividi possunt in ea, quæ sunt iuris patronatus, & ea, quæ non sunt iuris patronatus, sed ab eo libera. 19

Decimò, dividi quoque possunt in beneficia villæ muratæ & non muratæ: quæ divisio maximè consideratur in Gallia. Vide Pet. Greg. Tholosanum *Syntag. iuris vniuersi lib. 17. c. 3. & tract. de beneficiis c. 10. n. 17.* 20

Vndecimò, in beneficia Ecclesiarum collegiatarum, & non collegiatarum; de qua divisione vide Tholosan. *dicto loco*; sicut & de illa, dividuntur in Nominata & innominata. 21

Denique subiiciendum hîc foret, quibus modis beneficia acquirantur, qui & quibus conferant: verùm de his non minùs commodè dicetur postea ad *tit. de institutionibus*: ex quo, quæ ibidem proponemus de Collationibus, revocari huc poterunt.

TITVLVS VI.

De clerico ægrotante vel debilitato.

1 *Clerico ægrotanti debentur fructus & distributiones.*
2 *Qualis esse debeat infirmitas.*
3 *Quomodo probari.*
4 *Coadiutor incurabili morbo laboranti dandus.*
5 *De clerico debilitato.*

DIXI antè, omnes omninò clericos, qualecumque beneficium Ecclesiasticum habeant, de iure communi teneri ad residentiam, & præbendas, aliáque beneficia, non nisi iis, qui per se residere non valeant, esse conferenda; imò beneficia ob non residentiam clericis esse auferenda: quid igitur statuendum de clericis ægrotantibus vel debilitatis? * Dico, tantùm abesse, vt tales morbo tali laborantes, ob quem officium & ministerium suum obire aut residere nequeant, beneficiis suis exuendi sint; quin potiùs omnes eorum fructus atque etiam distributiones quotidianæ cedere eis debeant, perinde ac si sani 1

esse

essent & residentes, *cap.1.& 2.hoc tit.cap.vnico de clericis non residen.in 6.*Abbas *cons.70.per tot. lib.*1.quia afflictio,non est addenda afflicto,imò potiùs ipsius miseriæ miserendum,*c.Ex p.h.t.*

2 Infirmitatem oportet esse grauem, & quæ sit immediata causa absentiæ, vt scilicet clericus ægrotans, dum sanus est, solitus sit interesse divinis: aliàs leuis infirmitas, veluti febricula aliqua, * aut quartana inueterata, aut morbus sonticus,non excusat: vt neque excusat, quando infirmitas non est vera & immediata causa absentiæ; vt si clericus infirmus, dum sanus est, non sit solitus interesse divinis: nam tunc, durante ægritudine, non recipiet distributiones, Couar. *Var. resol.cap.13.num.8. versic. Sextò, vbi alios citat. DD.communiter in dict.cap.vnico,de clericis non resid.in 6.*

3 Probatur autem infirmitas præcipuè per iuratam assertionem ipsius infirmi, nisi sit persona suspecta, cui non sit deferendum iuramentum. Præterea per attestationem Medici: per aspectum corporis, veluti quia facies appareat admodum extenuata: denique per domesticos. Semel autem infirmus semper præsumitur infirmus, donec contrarium probetur, Mascard. *de probat.conl.897.*

4 Itaque si Ecclesiæ rector, siue Episcopus siue alius Episcopo inferior, lepræ maculâ inficiatur, aut alio graui & incurabili morbo ita laboret, vt munus suum obire nequeat (cùm iniustum sit, quem ob molestiam corporis irruentem priuari honore suo, & nusquam Canones præcipiant, vt ægroto & amoto Prælato alius succedat) datur ei Coadiutor, qui vices eius suppleat, *can.* 1. V II. *quæst.*1. *cap.*3. *& 4.h.t.*Sic & Prælato senectute grauato Coadiutor dandus est, *c. vnico eod.in 6.can. Nihil, §. ecce, & duobus can. seqq.* V II.*quæst.* 1. item furioso, *d.c.vnico eod. in 6.§.si verò*; & paralytico,*c.vlt.h.t.*Et hic ex fructibus beneficij ægrotantis, si opulentum sit? sin minùs,ab Ecclesia, cui seruit, ali debet, *d.c.3.& 4.h.t.c.d.vnico eod. in 6.*Concil. Trident.*sess.*21.*cap.*6. Datus autem sine futura successione Coadiutor, censetur datus & datur in Ecclesiæ ac Prælati fauorem. Quando autem datur cum futura successione, datur in fauorem ipsius Coadiutoris; & ideò dari prohibetur à Concil Trident.*sess.*26.*cap.*7. *reformat.* nisi vrgens necessitas aut euidens Ecclesiæ vtilitas postulet, & in Coadiutore dando concurrant omnes qualitates, quæ à iure ipsóque Concilio in Episcopo & Prælatis requiruntur.

5 Quod si clericus debilitatus aut mutilatus, fortè truncatus sine culpa digitis, rem diuinam facere & Missam celebrare nequeat, fructus nihilominus beneficij sui percipiet, & cæteris ordinis sui muneribus, quibus sine scandalo & offensione populi licet, fungi potest,*c.2.t.*

TITVLVS VII.

De institutionibus.

§. I.

Quid sit Institutio & Collatio.

1 *Beneficia duobus modu acquiri, iustè & iniustè.*
2 *Institutionu variæ acceptiones.*
3 *Generaliter accepta comprehendit quamlibet prouisionem.*
4 *Collatio quid sit, & quotuplex.*
5 *In quo differat ab electione, præsentatione & postulatione.*
6 *Beneficium à quo acceptari possit.*

DE præbendis & dignitatibus atque aliis beneficiis in genere dictum est antea. Deinceps dicendum est, quomodo beneficia Ecclesiastica acquirantur, qui ea conferant, & quibus conferri debeant.

1 Duobus modis in genere beneficia acquiruntur, scilicet iustè vel iniustè. Iustè per canonicam institutionem iniustè verò sine canonica institutione, veluti per simoniam, per preces hæreticorum, per iniuriam. Regula autem iuris est, beneficium Ecclesiasticum non posse licitè sine canonica institutione obtineri, *c.1. de R.I.in 6.*

2 Pro cuius intelligentia obseruandum est,institutionem interdum sumi pro libera collatione beneficij Ecclesiastici, *vt passim in h. tit.* Interdum pro deductione in possessionem corporalem ipsius beneficij, quam aliàs inuestituram appellant, quæ iure communi ad Archidiaconum spectat, quando scilicet collatio vel institutio collatiua seu auctorisabilis, vt vocant, præcessit, *c.7.sup. de officio Archidiaconi.* Quamquam hodiè plerisque in locis ea Archipresbyteris seu decanis ruralibus demandetur; & passim Collegia ac Capitula suos collegas in possessionem mittant & titulum admittant, à patronis fortè datum, quod est vice canonicæ

institutionis. Aliquando verò pro collatione beneficij, non libera, qualis est ea, quæ fit ad præsentationem patroni, & specialiter Institutio appellatur: eique similis est ea, quæ fit ad nominationem vel mandatum alterius, puta Principis aut Pontificis.

3 Igitur *in d. cap.* 1. nomen Institutionis sumitur generaliter, vt comprehendat quamlibet provisionem seu modum, quo acquiritur beneficium, sive sit electio specialiter dicta, cum confirmatione sequenti; sive postulatio cum admissione; sive nominatio ac præsentatio patroni, cum institutione secura; sive collatio libera; sive provisio Papæ; sive permutatio; & sic de similibus.

Dicitur autem Canonica, quia fieri debet secundum Canones, id est ritu Canonico in album seu matriculam illius Ecclesiæ vel altaris admitti is, cui collatum est beneficium, *cap.* 1. *& 3. hoc tit.* Vt verò sit Canonica requiritur potestas in instituente, & habilitas ex parte eius, qui instituitur, cum aliis solemnitatibus à iure requisitis. Neque seipsum quis instituere potest cùm inter dantem siue instituentem & accipientem debeat esse distinctio, *cap. vlt. hoc tit.*

Porrò, omissis aliis modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, de quorum nonnullis libro 1. egimus, vt de Electione, Postulatione, Translatione, hic potissimùm agendum de Collatione atque Institutione, specialiter sumpta.

4 Collatio specialiter dicta est assignatio seu concessio beneficij vacantis, facta ab habente potestatem. Dividitur in Liberam & non Liberam. Libera dicitur gratuita beneficij vacantis concessio, facta ab habente potestatem, seu quæ fit solo iure Prælati. Vnde & donatio dicitur, *cap. fin. de officio Vicarij in 6.* Non libera, quæ fit ad præsentationem, nominationem, aut mandatum alicuius, seu quæ non fit solo iure Prælati.

Differt Collatio ab Electione, Præsentatione & Postulatione, quòd per Collationem acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acquiratur ius in re, *cap. si tibi absenti 17. de præbendis in 6.* sicut & per Institutionem: per Electionem verò & Præsentationem acceptatam tantùm ius ad rem. At per Postulationem nullum ius acquiritur postulato: sicut nec per Præsentationem ante acceptationem.

5 Potest autem acceptari beneficium non tantùm ab eo, cui collatum est, sed & ab alio eius nomine, puta procuratore, sive Ecclesiastico sive laico, qui in hoc nudum ministerium præstat; modò tamen speciale mandatum habeat ad acceptandam possessionem, licet speciatim beneficium aliquod in eo nominatum non fuerit: alioqui generale mandatum etiam cum libera administratione non sufficit. Vide Covar. *lib. 3. Var. resol. cap. 16. numer. 4.* Quamquam beneficium absenti, collatum, & ab alio, qui mandatum non habuit, eius nomine acceptatum, censeatur acquisitum à die acceptationis, modò intra tempus ad acceptandum secuta fuerit ratihabitio, Covarr. *ibid. num. 5.* Piasec. *part. 2. cap. 5. art. 3. num. 10. & seqq.*

§. II.

Qui conferre beneficia possint.

1 *Conferre potest indistinctè beneficia omnia summus Pontifex.*
2 *Legatus à Latere in provincia sibi decreta.*
3 *Episcopus in sua diœcesi.*
4 *Nisi sint beneficia reservata aut affecta.*
5 *Cathedralis Ecclesia præbendas confert simul cum Capitulo.*
6 *Similiter Ecclesiarum collegiatarum Prælatus & Capitulum.*
7 *Capitulum Sede vacante quatenus conferre possit.*
8 *Item Vicarius Episcopi.*
9 *Et sequester.*
10 *Bona item fidei possessor.*
11 *Interdictum ius conferendi aliis competit etiam laicis.*

1 VT collatio sit canonica, fieri ab eo debet, qui conferendi habet potestatem. Itaque nunc videndum, quis beneficia vacantia conferre possit. Variè autem conferuntur, pro consuetudine alia atque alia in singulis Ecclesiis. Sed extra consuetudinem, quid de iure obtineat, videamus.

Et quidem in primis summus Pontifex, tanquam Vicarius Christi & D. Petri successor, cùm summam & amplissimam potestatem habeat, quoad ea, quæ in beneficiis iuris sunt positivi, *cap. Licet de præbendis in 6. Clement. 1. Vt lite pendente, &c.* omnia & qualiacumque beneficia, sive electiva sive collativa, sive iuris sint patronatus, conferre potest, non modò in perpetuum seu ad viam collatarij, sed & ad tempus, *cap. Si gratiosè de rescriptis in 6.* Vnde benencia omnia, respectu illius dicuntur manualia.

Potest

Potest etiam iuri patronorum, sive Ecclesiasticorum sive Laicorum, itemque iuri Ordinariorum derogare: cum Ordinariis cumulativæ concurrere, eosdemque in mensibus eorum, etiam alternativis, prævenire; ita vt collatio prior à Pontif. facta præferatur collationi posteriori Ordinarij, nisi provisio à Papa obstet regula de verisimili notitia, Garzias *de benef. part. 6. cap. 1.* Potest insuper beneficia non vacantia promittere & conferre. Rursus beneficia suæ collationi reservare, sive generaliter, sive specialiter, vt constat ex *Extrau. Execrabilis Ioann. 22. de præb. & Extravag. Ad regimen. eod. tit. in communib. cap. Licet 2. & 6. Præsenti 34. eod. in 6.*

2 Secundò, Legatus â Latere potest conferre beneficia in Provincia sibi decreta, tempore suæ Legationis vacantia; & in eorum collatione concurrit cum Ordinario, *cap. 1. & 2. de offic. Legati in 6.* provt latiùs docuimus *lib. 1. eod. tit. §. 3.*

3 Tertiò, beneficia conferre possunt ordinarij Collatores inferiores, qui suo iure ea conferunt, sive ius illud habeant à iure, seu Canone, sive à Papa, sive à consuetudine vel præscriptione. Et quidem de iure communi Episcopus est Collator ordinarius beneficiorum in sua diœcesi, *can. Omnes basilicæ & seq. 16. qu. 7. cap. Conquerente 16. sup. de officio Iud. ordin. cap. Ex frequentibus 3. h. t.* Piasec. 2. *part. cap. 5. art. 2. num. 10.* * Certis tamen casibus ea
4 conferre nequit: veluti si sint reservata vel affecta, si iuris patronatus, vel alia de causa spectent ad aliorum collationem.

5 Cæterùm an collatio præbendarum in Ecclesiis Cathedralibus ad solum spectet Episcopum, variant Interpretes. Probabilior sententia est eorum, qui volunt spectare ad Episcopum & Capitulum simul, per *cap. Grave nimis 29. & c. Cum Ecclesia 31. in fine sup. de elect. & ibi Gloss.* quia cùm Episcopus & Capitulum sint vnum corpus, æquum est, vt simul concurrant in collatione præbendarum, nisi consuetudine, privilegio, vel statuto, quæ servanda sunt, aliud obtineat, *d. c. Cum Ecclesia:* provt passim obtinere videmus.

Non obstant iura, quibus, alij nituntur in contrarium: quia illa non sunt clara; & quædam loquuntur iuxtæ consuetudinem agebatur, & quidem narrativè, non dispositivè. Vide Garziam *5. p. cap. 1. n 52. & seq.*

Quando autem collatio ad Episcopum & Capitulum simul spectat, tunc Capitulum habet dimidiam vocem, & Episcopus aliam dimidiam, id est tantum valet vox Episcopi, quantum vox totius Capituli, vel maioris 6
partis, *cap. Pastoralis, & ibi Gloss. sup. de rescriptis.* Adeò vt, si Episcopus vni contulerit & Capitulum alteri, neutra subsistat collatio, licèt etiam Canonici aliquot ad suffragium accesserint Episcopi. Quamquam intra semestre, datum ad conferendum, si interim Papa non contulerit, possint consentire in vnum: si non consenserint, devoluitur collatio ad superiorem, *cap. Postulastis inf. de conces. præbenda.* Si verò præbendam huiusmodi ad collationem vtriusque spectantem, Episcopus solus contulerit, nec intra semestre Capitulum contradixerit, subsistet collatio.

Potest autem Episcopus beneficia, ad suam collationem spectantia, etiam dum moratur in aliena diœcesi, conferre, sicut & eorum resignationes admittere, quia vtrumque voluntariæ est iurisdictionis, *cap. Novit iunctâ Gloss. in V. terminos sup. de officio Legati*, Piasec. 2. *p. cap. 5. art. 3. n. 87.*

Quartò, licet nonnulli velint collationem ac provisionem Canonicatuum & dignitatum in Ecclesiis Collegiatis spectare ad Episcopum, *iuxta d. can. Omnes basilicæ*: verius tamen est præsentationem seu electionem ad eiusmodi beneficia spectare simul ad Prælatum Ecclesiæ, veluti Præpositum, & Capitulum, institutionem verò seu confirmationem ad Episcopum, *cap. Ex frequentibus 3. h. t.* Nisi Ecclesia Collegiata careat Prælato, & subiiciatur immediatè summo Pontifici: quo casu spectabit electio ad solum Capitulum. Et hæc ita de iure communi: nam ex consuetudine, vt dixi, quæ alia atque alia est in singulis ferè Ecclesiis, vel ex privilegio aut præscriptione aliter obtinuit, vt scilicet provisio vel ad solum spectet Capitulum, vel ad solum Episcopum, vel ad Prælatum Ecclesiæ, vel ad hebdomadarium seu turnarium, vt vocant, vel ad Capitulum & Episcopum alternatim. Aliorum verò beneficiorum in Ecclesiis inferioribus collatio ad solum Episcopum de iure communi spectat, etiam sine consensu Capituli, si sint minora; sin maiora, nonnisi de consilio sui Capituli, *iuxta c. Novit. inf. de his quæ fiunt à Prælato sine cons. Capit.* Videatur plenius de his Garzias *5. p. cap. 4.*

Quintò, Capitulum, Sede vacante vel suspenso Episcopo, potest conferre ea beneficia, 7
quæ sunt necessariæ collationis, non etiam ea, quæ ad liberam collationem spectant Episcopi, vt postea dicemus latiùs. Beneficia tamen, quæ sunt simultaneæ collationis, id est, quæ spectant simul ad collationem Episcopi & Capituli,

tuli, liberè conferre potest, *cap. vnico Ne sede vacante &c. in 6.* Piasec. *dict. cap. 5. artic. 2. num. 42.*

7 Sextò, Vicarius Episcopi potest conferre beneficia necessariæ collationis, non etiam ea, quæ sunt liberæ collationis, absque speciali commissione & licentia Episcopi, *c. fin. iunctâ Gloss. in V. commissa de officio Vicarij in 6.* Vnde confirmat electos, instituit præsentatos, imò etiam vni ex præsentatis gratificari potest, Piasec, *d. loco n. 37. & seqq.*

8 Septimò sequester conferre beneficium potest, quando collationis est capax: nam laicus citra privilegium spiritualia tractare prohibetur, *n. 2. sup. de iudiciis.* Vide Garz. *dict. part. 5. cap. 6.*

9 Octavò, Bonæ fidei possessor; quia collatio numeratur inter fructus, qui ad bonæ fidei possessorem spectant. Adeoque provisus à possessore bonæ fidei præfertur provisо à proprietario, *cap. Querelam sup. de elect.* Videatur Garz. *dict. part. 5.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 45. §. 2.*

Quandoque etiam Abbatibus, Prioribus, seu aliis inferioribus Prælatis ex singulari iure seu privilegio competit ius beneficia conferendi, *Clement. vnica de supplenda neglig. Prælat.* imò etiam laicis ac mulieri ex privilegio & indulto Apostolico, Boërius *dec. 32. n. 10.* Cassad. *decis. 1. tit. de iure patronatus.*

An verò Imperator, Rex Franciæ, vel alij Principes habeant ius conferendi beneficia in suis regnis, vide Boër. *decis. 32.* & Rebuff. *tract. de Regia ad Prælat. nominatione in V. Cathedralibus.*

§. III.

Quibus conferri beneficia debeant?

1 *Conferri debent Clericis idoneis.*
2 *Præferendus doctior minùs docto.*
3 *Et quandoque minùs doctus doctiori.*
4 *Nemo instituendus, nisi examinatus & idoneus repertus fuerit.*
5 *Nisi Episcopus aliquem nominaverit: & de hoc quæstio. 6.*
7 *Institutio de iure ad Episcopum spectat.*
8 *De consuetudine ad Archidiaconum.*
9 *Semel examinatus, iterum ab eodem vel successore non examinandus.*

1 COnferri autem beneficia debent Clericis dumtaxat, iisque idoneis, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, *cap. Grave 29. sup. de præben.* sive nobiles sint, sive ignobiles: etiamsi invaluisset consuetudo in Ecclesia aliqua, vt quædam beneficia tantùm nobilibus conferantur, quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas Deo gratos facit, *cap. penult. eod. tit.* Hinc rescripsit summus Pont. pueris non posse beneficia Ecclesiastica conferri, id est minoribus 17. annis, quia tales ad deserviendum in Ecclesia non sunt idonei, *cap. Super inordinata 35. hoc tit.* Hinc etiam Conc. Trid. *sess. 22. c. 4. in fine*, generatim statuit, vt non aliis fiat collatio seu provisio, quàm qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliterque facta sit irrita.

Præferendus propterea est doctior minùs docto, cæteris paribus, Covar. *in cap. Peccatum part. 2. §. 7. num. 4. de R. I. in 6.* & Piasec. *in Praxi 2. part. cap. 5. art. 3. num. 10.* * Quamvis digi us & minùs doctus, cuius noti & probati sint mores, præferri possit digniori & doctiori, cuius vita ignoratur, ex declaratione Card. quam ibidem refert Piasec. Item idoneum ex eadem civitate, vel de gremio Ecclesiæ, vel si de genere fuerit fundatoris, externo magis idoneo præferendum docet ibidem Piasec. post Lambertin. *de iure patron. lib. 2. part. 3. artic. 6.* & Zecchium *de benef. c. 12. n. 26.* 2 3

Statuit etiam Conc. Trid. *Sess. 7. cap. 13.* ne præsentati seu electi vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica beneficia, instituantur, nec confirmentur aut admittantur, etiam virtute cuiusvis privilegij seu consuetudinis, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti; néve vllus appellationis remedio se tueri possit, quo minùs examen subire teneatur. Præsentatis, electis seu nominatis ab Vniversitatibus seu Collegiis Generalium Studiorum exceptis, de quibus Rebuf. *in Praxi Benef. 5. de rescripto. in forma pauperum.* * Si tamen nominatio ad Episcopum spectet, & institutio ad aliquem inferiorem, fuerit satis, si Episcopus Clericum nominet & offerat, *secundum Abbatem in cap. Significasti 18. inf. de iure patronatus:* quia præsentando approbat, eiusque est approbare Clericos suæ diœcesis, *cap. vlt. sup. de Clericis peregrinantibus.* 4 5

Verùm si nominatio spectet ad vnum Episcopum, & institutio ad alium alterius diœcesis, in qua situm est beneficium, an etiam sola sufficiet nominatio & oblatio, vt instituatur? Sufficere quidam putant, quia verum sit, eum 6

eum approbatum esse ab ordinario. Azorius *Lib.2.institut. moral. cap.22. quæst.vlt.* Attamen verius videtur ex Conc. Trid. examinandum & approbandum ab ordinario loci, in quo situm est beneficium: quia non statim ex eo, quòd quis sit idoneus in vno loco, inferre licet æquè idoneum fore in alio: ipsumque Conc. mandat præsentatum & electum à Nuntio Apostolico, qui & ordinarius est intra limites suæ legationis, examinari ab ordinario loci, quippe cui exploratum magis sit, quam idoneis in sua diœcesi opus habeat clericis & ministris. Zyp. 7 *hoc tit. num 2.* * Cùm etiam præsentatus sive electus alium pro obtinenda institutione adire non possit, quàm Episcopum, loci ordinarium, qui super hoc habet fundatam intentionem in iure: & quidem sub pœna nullitatis, nisi ex privilegio vel aliter institutio pertineat ad alium Prælatum inferiorem Episcopo, Conc. Trid. *sess.14.cap.13.de refor.* Quo tamen casu instituendus non nisi ab Episcopo examinari potest super idoneitate, maximè beneficia curata: nam ad eum spectat examen non ad alium inferiorem, Conc. Trid. *sess.25.cap.9. de refor.* 8 Piasec. *part.2.cap.5.art.2.num.27.* * Vbi verò ex consuetudine institutio beneficiorum spectat ad Archidiaconum, vt in his locis passim, ei per dictum Conc. non derogatur.

9 Cæterùm non potest Episcopus examinare promotum ad ordinem vel beneficium à suo antecessore, nisi post promotionem superuenerit aliqua causa, vt in *cap. Accepimus sup.de ætate & qualitate ordinand.* Sic enim & sacra Congregatio declarauit, reguralem, semel examinatum & idoneum repertum ad confessiones audiendas, non debere ab eodem ordinario vel eius successore denuò examinari Zerola *1.part.V.Confessor §.2.*

§. IV.

In quibus consistat idoneitas clericorum ad beneficia.

1 *Consistit ea in ordine, ætate, & cæteris qualitatibus.*
2 *Incapaces beneficiorum enumerantur.*
3 *Inter eos etiam filij sunt hæreticorum.*
4 *Item excommunicati, interdicti, & irregulares.*
6 *Qui ordo & quæ ætas requiratur, remissivè.*
7 *Quæ scientia & litteratura.*
8 *Beneficia quædam certa familiis debita sunt.*
9 *Prouisi tenentur facere Fidei professionem.*

COnsistit igitur habilitas sive idoneitas præficiendorum beneficiis seu admittendorum ad beneficia Ecclesiastica, in ordine, ætate, scientia, morum probitate, natalibus, & aliis, quæ ad quadraginta septem cumulat Cæsar Lambertinus, referente Gonzales *ad reg.8. Cancell. Gloss 4. num.109.* vbi subiungit. Quis est hodie, in quo illa concurrunt, & laudabimus eum? Sed illa moraliter accipienda sunt; vt scilicet secundum mores humanos adsint, quatenus fieri potest. 1

Vt verò summatim perstringam, consistit 2 primò idoneitas in defectu canonici impedimenti. Hinc incapaces sunt beneficiorum Ecclesiasticorum: Primò, non baptizati, *cap. 1. sup.de presb. non baptizato.* Secundò, non insigniti tonsurâ, *cap.Ex litteris sup.de tran.* Tertiò, illegitimi, quive defectum patiuntur natalium, *cap. 1. & 2. de filiis presb. in 6.* Cùm iis tamen potest dispensare Episcopus ad minores Ordines, & ad simplex beneficium, *dict.cap.1.* Vide supra *lib. 1. eod. tit.* * 4. filij hæreticorum, & 3 qui in iure dicuntur credentes hæreticis, veluti hæreticorum fautores, defensores, receptatores, *c. Quicumque 2.§.hæreticis & c.statutum 15. de hæret.in 6.* Intellige de filiis hæreticorum, qui tales esse, vel tales etiam, decessisse probantur; deque illis hæreticorum fautoribus & receptatoribus, quos similiter per sententiam in iudicio constiterit fuisse & obiisse tales, *dict. cap.statutum:* idquè vsque ad secundum gradum in linea paterna; in materna verò ad primum dumtaxat, *d. cap. statutum 5.* Coniugati *sup. de clerico coniugato §. 2. 6.* Bigami, *sup. de bigamo non ordin. in fine.* * 7. Excommunicati, 4 *cap.postulasti 7.in princ.inf de clerico excommunicato*, Couar. *in cap. Alma mater part.1.§.7.n.1.* Si tamen conferatur beneficium excommunicato, ignoranti se esse excommunicatum, poterit illud retinere post absolutionem, dispensante eo, ad quem collatio spectabat, Riccius *in praxi decis.184.num.173.* vbi subiungit, posse quem acceptare beneficium, sibi ante excommunicationem collatum & post absolutionem idem possidere ac retinere. 8. Suspensi *c.dilectus sup.de consuetudine.* * 9. Interdicti & violatores 5 interdicti, *cap.1.sup.de postulat.prælat.* 10. Irregulares ex quocumque irregularitatis capite. Idque procedit, licèt quis ignarus & nescius sit huius irregularitatis. Et collatio facta irregulari nullum ei tribuit ius, proindéque fructus receptos tenetur restituere;

non tamen privatur priùs acquisitis, nec impeditur ab actu iurisdictionis, sed Ordinis duntaxat. Ita latè Riccius *decis.* 185. Piasec. *part.*2 *cap.*5. *art.*3. *num.*16. 11. hostiliter persequentes, insequentes, percutientes aut capientes S. R. Ecclesiæ Cardinalem, & eius criminis socij: item filij & nepotes in recta linea, *cap. Felicis* 5. *in princ. de pœnis in* 6. Huc referuntur percutientes capientes, bannientes Episcopum, eiusque criminis socij, consiliarij, fautores & defensores: nam hi omnes itemque filij ac nepotes redduntur ipso facto inhabiles ad acquirenda beneficia in ea Ecclesia & diœcesi, in qua Episcopus præsidet, non etiam in aliis. *Clement.* 1. *in princ. de pœnis & Gloss. ibid.*12. Cæci, qui horas Canonicas recitare nequeunt. Denique Simoniaci, & alij similes.

6 Quantum ad ordinem & ætatem attinet ordinandorum, & præficiendorum beneficiis, videri possunt, quæ alibi de his diximus, *lib.*1, *t* 14. §.3. & 4. Quibus illud hic addo, semper attendi eum Ordinem oportere, quem ipsa dignitas vel beneficium ex sui natura vel consuetudine aut statuto requirit, non autem, quem forte requireret aliud beneficium eidem vnitum: nam hoc non alterat, sed sequitur naturam eius, cui vnitum est, provt in simili declaravit sacra Congregatio Card. Interp. Conc. cuius declarationem refert Piasec. *par.*2. *cap.*5. *art* 3. *n.*17.

7 Scientia verò talis requiritur, quæ ad munus beneficio annexum ritè & debitè obeundum est necessaria, arbitrio Episcopi & examinatorum; ideóque maior vel minor, pro diversitate munerum Piasec. *d. art.*3. *n.*11. & *seqq.* Repetenda hìc quoque sunt, quæ de qualitate scripsimus ordinandorum, *dict. l.*1. *tit.*14. §.2. Quod autem DD. communiter asserunt, collationem factam illiterato esse nullam; limitandum puto ad omnimodam illiteraturam, cùm quis Grammaticus non est vel nescit legere: alioqui quando vel mediocris est doctrina ac literatura, existimo tenere collationem, sed beneficiatum beneficio privandum, teneríque ad renuntiandum, *cap. Dudum sup. de electione, cap. vltim. sup. de ætate & qualit. & cap. Nisi sup. de renuntiatione.*

8 Videndum etiam est, vt, si beneficia debeantur certis personis, seu certo generi personarum, ex fundatione (cuius forma servanda est in provisione beneficiorum, Garz. 7. *p. cap.*5. *num.*4. & 5.) institutione, statuto, consuetudine vel privilegio, iis conferantur, modò scilicet sint habiles, *arg. l. Vt gradatim versic. etsi lege ff. de muneribus & honoribus*, Garz. *d. loco n.*2. & 3. *iuncto num.*12. nam aliàs præsentatio vel provisio facta non habenti qualitates, ex fundatione requisitas, est invalida, nempè si quis, eas qualitates habens, contradicat & sibi provisionem fieri petat. Videatur pleniùs Garz. *d. loco.*

Præterea observandum est, Concil. Trid. 9
*Sess.*24. *cap.* 12. statuere vt provisi de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses coram Episcopo, vel, eo impedito, coram generali eius Vicario seu Officiali publicam Fidei facere professionem: provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solùm coram Episcopo seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem præstare teneantur, sub pœnis ibidem statutis. Vide Piasec. *dict. cap.*5. *art.*3. *num.* 89. & Zypæum *tit. de præbendis num.* 3. Denique subiiciendum hoc loco foret de modo, quo conferri debeant beneficia; sed quia de eo pro parte agitur infrà in Tit. *Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*: ideò hìc dicenda, vt simul & semel ea de re tractetur, ad eum tit. reiicimus.

TITVLVS VIII.

De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

§. I.

Beneficia quando conferenda?

1 *Beneficia non conferenda aut promittenda, nisi vacent.*2.
3 *Licèt in genere quis promittat.*
4 *Exspectativa sublatæ, etiam olim in Belgio.* 5.

SOLENT præbendæ ac dignitates, aliaque beneficia Ecclesiastica conferri aut promitti, antequam vacent; & quandoque, dum vacant, non conferri: sequitur proinde, vt videamus tam de promissionibus & concessionibus non vacantium, quàm de negligentia circa concessiones vacantium, & tradamus breviter, quando conferri debeant, vel non.

Conferri

1 Conferri autem debent, quando vacant, & antè, quia non vacantis beneficij collatio, tanquam continens votum captandæ mortis alterius, (quod est contra bonos mores, *l. vlt. c. de pactis*) est ipso iure reprobata & nulla, *cap. 1. & 2. & per tot. h.t. can. Non furem* VII. *quæst.* 1. Adeò quidem, vt si quis impetret scienter, aut se patiatur in beneficium viventis institui, ab Ecclesiastica communione sit arcendus & deponendus, id est sacris ordinibus, quibus initiatus est, spoliandus, *d.c.1.h.t.* sitque inhabilis, etiam eo mortuo, ad illud consequendum absque dispensatione summi Pontificis, Panormit. *ibid.*

2 Si verò non patiatur quidem se instituì, sed tantùm promissionem beneficij non vacantis acceptet, ius nullum ad beneficium acquirit, quia verat etiam Canon beneficia non vacantia promitti, *d.c.2. & c. Ex tenore* 13. *h.t.* Conc. Trid. *Sess.24.cap.*10. *de reformat.*

3 Nec refert, an generaliter an specialiter fiat beneficij non vacantis promissio, *d.c.2.* ideóque non obstante tali promissione, potest beneficium, simul atque vacat, alteri, quàm cui promissum est, conferri, non obstante etiam appellatione eius, cui promissum est, *c. Relatum 3. hoc tit.* Et licèt iure Decretalium Greg. IX. Prælatus, qui promisisset fortè in genere se alicui de beneficio prospecturum, videatur ad hoc obligatus, *cap. Accedens* 14. *h.t.* eo quòd promissio huiusmodi non ita adiunctum habeat votum captandæ mortis, cùm multis aliis modis adimpleri possit, quàm per mortem alterius, veluti si benficium adhuc obtinens coadiutorem petat, *cap. de rectoribus* 3. *sup. de Cler. ægrotante*; si prædendam opulentam inter duos Episcopos dividat, *cap. Vacante* 26. *sup. de prædendis*: tamen iure Decretalium Bonif. VIII. talis promissio est vetita, *cap. de testanda eod. in* 6.

Non obstat *d.c. Relatum*: quia ibi Episcopus iam recepto in Canonicum promiserat prædendam, ad quam conferendam etiam sine promissione tenebatur, cùm Canonicatus non debeat nec possit esse diu sine prædenda.

4 Sed nec exspectativæ dari amplius possunt ad primum beneficium vacans: quia illas novissimè dari vetuit Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.*19. *de reformat.* vt etiam frustrà Ordinarij accedat consensus, vti ex declaratione Card. tradit Gonzales *ad Reg.*8. *Cancell.* §.1. *proœmiali num.*63. vbi subiungit eandem Congregationem declarasse ex eodem decreto exspectativarum prohibitarum seu abrogatarum non posse erigi Canonicatum supernumerarium ad futuram prædendam: atque insuper per illud decretum tolli omnes mentales reservationes; quales erant, quando Papa reservabat beneficium vel in specie vel in genere, per Bullam vel per Breve, ad providendum personæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat.

Sed & hic in Belgio nostro iam olim pro- 5
hibitas fuisse exspectativas per Maximilianum Imp. *literis Edicti datis Mechliniæ* 12. *Septemb.* 1485. & regressus ad beneficia resignata, reservationes pensionum, translationes, inscijs & invitis iis, qui gravata beneficia possiderent, refert Zypæus *de iure Pontif. novo lib.* 3. *h.t. in fine.*

§. II.

Quibus modis beneficia vacent.

1 *Vacare contingit beneficia variis modis.*
2 *Qui ad tria vel quatuor genera revocari possunt.*

1 VAriis autem modis vacare contingit beneficia; Primò, per mortem naturalem beneficiati. Secundò, per renuntiationem simplicem, vel ex causa permutationis: ita tamen, vt, si beneficium sit iuris patronatus, consensus interveniat patroni, quem sufficit supervenire postea. Riccius *latè decis.*219. Tertiò, per privationem & depositionem 4. per electionis cassationem. 5. per translationem. 6. per adeptionem secundi incompatibilis pacificam. 7. Si quis habens parochialem Ecclesiam non fuerit promotus intra annum. 8. Si beneficiatus contrahat matrimonium vel sponsalia per verba de præsenti, modo antea explicato 9. Si quis per vim obtineat seu occupet secundum. 10. Per ingressum Religionis, professione secutâ. 11. Si electus intra mensem à tempore præsentatæ electionis, vel à tempore præstituto, non consenserit, vacat, Prælatura: &, si intra tres menses, post consensum electioni datum, non petierit confirmationem, ipso iure amittit ius sibi quæsitum per electionem. 12. Vacant beneficia Episcopi electi & confirmati, postque menses tres, datos ad petendam consecrationem. 13. quando beneficium habetur pro derelicto. 14. Quando quis alienat res beneficij sui. 15. per crimen hæresis, simoniæ, læsæ Maiestatis, sententiâ declaratoriâ præcedente: & pluribus aliis modis, quos vide apud Staphilæum *de literis gratiæ tit. de variis modis vacationis*,

Rebuff. *in Praxi benefic. tit. Requisita ad collationem bonam à num. 49. & tract. de Regia ad Prelaturas nominatione, §. monasteriis V. vacantibus, vbi enumerat triginta & vnum modos.*

2 Possunt tamen omnes hi modi revocari ad tria vel quatuor genera. Nam beneficia vacant vel de facto tantùm, vel per sententiam Iudicis, vel denique de iure & facto simul. Ipso facto tantùm vacat beneficium, quando quis de facto, vi vel metu, cogitur relinquere sui beneficij possessionem, vel vi de possessione deiicitur, *c. 2. & 3. sup. de his quæ vi metusve causa fiunt.* Ipso iure tantùm vacare dicitur, quando ab ipso iure inducitur vacatio, seu quando, certo aliquo casu adveniente, ab ipso iure declaratur quis privatus beneficio, ita vt absque alia declaratione Iudicis aut monitione vel citatione illud alteri conferri possit, licèt is, qui iure privatur, possideat beneficium. Per sententiam Iudicis vacat; quando ab ipso Iudice ob aliquod delictum inducitur vacatio seu privatur quis beneficio. Ipso iure & facto vacat per mortem beneficiati vel per renuntiationem vel resignationem veri tituli.

§. III.

Intra quod tempus conferri debeant.

1 *Conferri debent intra sex menses.*
2 *De beneficiis in Commendam dari solita.*

1 CONferri beneficia debèt intra statuta tempora, id est intra sex menses: alioqui iis elapsis, ab Episcopo, si ad eum spectet collatio, ea devoluitur ad Capitulum, & contra à Capitulo ad Episcopum. Hinc ad Metropolitanum, *cap. 2. hoc tit.* & ab hoc ad Patriarcham, cui Metropolitanus subiicitur; vel, si nulli Patriarchæ subiiciatur, ad summum Pontif. Hoc tamen tempus sex mensium computatur non à die vacationis, sed à die, quo collator scivit vel scire debuit beneficium vacare neque illud legitimè impedito currit, *Quia diversitatem 5. hoc tit. c. 3. sup. de supplenda negligentia Prælator.* Quòd si collator post tempus sibi præfixum contulerit beneficium adhuc vacans alteri, sustinetur quidem eo casu collatio, sed ex patientia, dummodo contulerit idoneo.

Quandoque verò beneficia vacantia non conferuntur in titulum, sed commendantur est autem Commenda nihil aliud, quàm deponere, *leg. Commendare 108. ff. de verb. signif. leg. Lucius ff. depositi, can. Ne quis arbitretur 22. quæst. 2. cap. 1. inf. de deposito; Gloss. in cap. Nemo sup. de electione in V. Commendare.* Sed quia de commendatione beneficium nec tempus nec brevitas, cui studio, fusiùs agere permittit, videri potest Azor. *2. p. Instit. moral. lib. 6. c. 31.* & alij, quos citat Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 8. n. 61.* & Garz. *de benefic. 4. part. cap. 4.*

Illud tamen notandum, quòd beneficium 2
commendatum, sive ad tempus sive in perpetuum, morte commendatarij non censeatur vacare per obitum, Latè Gonzales *dict. loco à num. 48.* Quódque, vt in Gallia nihil pœnè frequentiùs est Vicariis perpetuis, ita nihil quoque videatur Ecclesiæ Gallicanæ esse perniciosius, dum vt plurimùm pueris & infantibus dignitates & beneficia in Commendam dantur. Prudentius sanè Principes Belgici Ecclesiæ consulunt, dum huiusmodi Commendas non concedunt, nec vllis nisi professis Regulares dignitates conferunt: tantáque circumspectione indulto suo quoad nominationem & primarias dignitates vtuntur, vt ipsæ Ecclesiæ sperare non possint à Cleri electione meliorem sortem, quàm à nominatione Principali, vt rectè scribit Zyp. *tit. de Clerico ægrotante, num. 3.* subiungens *n. 4.* iam olim in Brabantia Ordines à Principibus suis stipulatos fuisse ne ipsi vllas dignitates in Commendam darent, aut permitterent dari; idque summo Reip. bono, quamvis in Burgundia nonnihil ab huiusmodi voto deflectatur ex vitio vicini, inquit, aëris.

§. IV.

De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum.

1 *Beneficia quædam compatibilia, quædam incompatibilia.* 2
3 *Incompatibilia vel sunt primi generis.*
4 *In quibus solus Pontif. dispensat regulariter.*
5 *Vel sunt incompatibilia secundi generis, id est quoad retentionem.*
6 *In quibus Episcopus dispensare potest.*
7 *Compatibilia sunt simplicia beneficia.*
8 *Dummodò alterum non sit sufficiens ad sustentationem.*
9 *Nec tunc dispensatione opus est de consuetudine.*
10 *Quodnam dicatur sufficiens.* 11.

12 *Difformia*

12 *Disformia sub eodem tecto esse compatibilia.*
13 *Nullus triplex esse potest in eadem Ecclesia.*
14 *Ex quibus causis beneficia sine dispensatione sibi compatiantur.*
15 *Ex quibus cum dispensatione.*

1 NOn abs re fuerit, hìc aliqua de pluralitate & incompatibilitate beneficiorum subnectere.

Et tametsi varij exstent Iuris textus, quibus probari videatur, beneficia omnia esse incompatibilia, quia quodlibet beneficium de iure communi personalem requirat residentiam, vnde potissimùm resultat incompatibilitas, & quia multitudo præbendarum invitet ad dissolutam vitam, & divagationem de Ecclesia in Ecclesiam, contineatque magnum animarum periculum, cùm vnus occupet stipendium aliorum, qui Ecclesiæ etiam deservire valeant, sed præ inopia non possunt, *cap. In tantum 3. hoc tit.* non desunt tamen alij ex quibus probari potest, eorum quædam esse compatibilia, quædam incompatibilia, vt *in cap. Gratia sup. de rescriptis, in Clement. Gratia eod. t.* Vnde & Conc. Trid. *Sess. 7. cap. 4. de reformat.* supponit quædam esse compatibilia.

2 Dicuntur autem compatibilia, quæ vel ex iure communi, vel ex consuetudine, vel statuto aut fundatione, simul obtineri ac retineri possunt. Incompatibilia verò, quæ nec de iure communi, nec ex consuetudine, statuto aut fundatione, simul possunt retineri. Talia sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus, duo officia, sive in eadem Ecclesia, sive in diversis; & pleraque alia, personalem residentiam requirentia, *c. Ad hæc 13. c. Præterea 14. c. Cum non ignores, cap. de multa 28. sup. de præbendis.*

3 Incompatibilia duplicis sunt generis: nam alia ita sunt incompatibilia, vt per adeptionem secundi pacificam, vna cum libera fructuum perceptione, aut vbi per beneficiatum steterit, quò minùs acceperit possessionem, vacet priùs ipso iure. Talia sunt duo curata beneficia, duæ dignitates, duo personatus, duo officia, & alia, quæ iurisdictionem aliquam annexam habent, vt visitandi, corrigendi, excommunicandi, *d. c. de multa, & Extravagante Execrabilis* Ioan. XXII. *de præbendis.* Item vnum Cathedrale cum Parochiali, ex nova dispositione Concil. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reform.* Item duo vniformia sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia, ad eandem functionem instituta, idemque onus & officium habentia, eodem tempore explendum, cuiusmodi sunt duo Canonicatus, duæ Capellaniæ in eadem Ecclesia. Alioquin ad inducendam huiusmodi incompatibilitatem non sufficit, quòd sint in vna Ecclesia, vel quòd simili nomine nuncupentur. Navarr. *consil. 16. de præbendis*, Piasec. 2. *p. c. 5. art. 3. n. 72.* Vide latè Riccium *in Praxi decis. 41.* Et hæc vocantur *Incompatibilia primi generis*; & priùs, quod vacat ipso iure per adeptionem secundi, reservatur Sedi Apostolicæ, *d. Extravag. Execrabilis.*

Intelligitur autem tunc demùm vacare primum posteaquam quis fuerit nactus pacificam possessionem secundi, cum libera fructuum perceptione, fraude cessante. Vnde si fructus secundi ex aliqua causa alteri ad tempus debeantur, non censetur vacare primum, *cap. si tibi absenti de præbendis in 6. & ibid.* Franc. Gemin. Dias *in Praxi c. 42.* Piasec. *d. loco 74.*

In huiusmodi verò beneficiis simul retinendis non potest dispensare Episcopus, cùm id apertè prohibeatur *in dict. c. de multa*; & quia prohibitio est Concilij, contra quod dispensare non potest Episcopus, *c. Cum dilectus iunctâ Gloss. in V. in ætate sup. de elect.* nisi gravis subsit necessitas, quæ legem non habet, aut evidens vtilitas; potissimùm vbi Pontifex consuli nequit, qui alioqui solus relaxare ius commune potest, non etiam Episcopus vel Legatus. Piasec. *d. loco n. 78.* ex Archid. Staphil. Rebuffo, *quos citat.* 4

Alia sunt incompatibilia quoad retentionem tantùm, quia scilicet simul retineri non possunt absque dispensatione. Non tamen ita sunt incompatibilia, vt per acceptationem & possessionem pacificam secundi vacet priùs ipso iure, sed datur optio habenti, vt eligat retinendum; altero verò potest per superiorem privari. Et hæc vocantur *incompatibilia secundi generis*: cuiusmodi sunt dignitas & Canonicatus in diversis Ecclesiis, & reliqua, residentiam quidem personalem requirentia, non tamen habentia curam animarum, dignitatem, personatum, vel officium annexum; nec sunt vniformia sub eodem tecto, licèt simplicia sint. * Et quoad retentionem huiusmodi beneficiorum dispensare potest Episcopus, *iuxta Gloss. communiter receptam c. Dudum 2. in V. intitulatam sup. de elect.* cùm nullibi prohibeatur. Imò & consuetudo iusta in talibus excusans potest, cùm eodem modo consuetudo, quo dispensatio, derogare iure possit, *c. vlt. sup. de consuet.* Piasec. *d. loco n. 81.* 5 6

Compatibilia sunt simplicia beneficia quæ ex statuto, vel consuetudine, vel fundatione, personalem

sonalem residentiam non requirunt, vel quorum vnum requirit residentiam, alterum non
8 vtique, * quando scilicet non est sufficiens ad congruam sustentationem beneficiati, alioqui si vnum sufficiat, retineri simul de iure communi nequeunt, *cap. conquerente 6. sup. de clericis non resident. can. Singula distin. 89. & similibus*; quibus statuitur, vt singula Ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis conferantur, & ne aliquis in duabus Ecclesiis intituletur, vt loquitur summus Pont. *in can. Sacramentorum dist. 70. & can. clericus 21. quæst. 1.* Conc. verò Trid. *sess 24. cap. 17. de reformat.* statuit, vt in posterum singulis vnicum dumtaxat beneficium conferatur: quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sit sufficiens: liceat eidem aliud simplex sufficiens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat, conferri; non contrà, vt habenti beneficium sufficiens concedatur aliud insufficiens.

9 Et generali consuetudine obtinuit, vt in talibus simul retinendis non petatur dispensatio, sed conscientiæ cuiusque relinquatur, vt secum iudicet, an vnum non sufficiat ad sui sustentationem, quo excusari possit apud Deum, Piasec. *d. loc. num.* 84. vbi tamen subiungit, tutiorem & communiorem sententiam esse, vt hoc in arbitrio sit iudicis, isque æstimet sufficientiam beneficij, considerata qualitate personæ, loci & temporis, cùm vnum & idem beneficium, respectu temporum & personarum, nunc magnum & sufficiens, nunc parum seu tenue videri possit.

10 Interim illud sufficiens dici potest, ex quo clericus pro gradus sui conditione, se suósque familiares, parentes, fratres & consanguineos egentes, honestè sustentare valeat, non etiam augere studeat, vt ex Conc. Trid. *sess. 25. cap. 1. de reformat.* tradit Zypæus *de iure Pontif. nouo lib. 3. tit. de clericis non resident. n. 3.*

11 Præterea in diiudicanda sufficientia huiusmodi non est habenda ratio bonorum patrimonialium, cùm illa, fructúsque eorum, reseruare sibi beneficiatus possit, & ex fructibus solius viuere beneficij, *secundùm communem DD. sententiam*, teste Piasec. *dict. loc. num. 86.* vbi Felin. Couar. Nauar. & alios citat.

Cæterùm memorat Zyp. *d. loc. n. 4.* ex certis & iustis causis indultum esse canonicis Antuerpiensibus privilegium, vt plura beneficia possint obtinere & retinere, modò non sint curata, aut personalem residentiam de iure vel consuetudine non requirant; atque illi hoc
que locum esse.

De beneficiis diformibus sub eodem tecto, 12
an ea sint incompatibilia, dissentiunt interpretes. Verius est, de iure communi esse compatibilia, si modò aliàs sibi mutuò non pugnent, ratione residentiæ aut seruitij, Leßius *1. de iure & iust. it. c. 34. num. 44.*

Dixi, de iure communi; quia sunt quædam declarationes Card. quibus diformia sub eodem tecto declarantur ex mente Conc. Trident. esse incompatibilia: secundum quas declarationes, si à summo Pontifice sint approbatæ, consequenter dicendum, post Concil. Trid. per assecutionem secundi, cum pacifica possessione & libera fructuum perceptione, vacare ipso iure primum.

Non potest tamen quis in eadem Ecclesia 13
esse triplex absque dispensatione summi Pontificis; nec valet consuetudo aut statutum in contrarium, *c. 1. de consuet. in 6.* Garz. *part. 11. c. 5. num. 23.*

Porrò, vt summatim dicã, certis casibus plura 14
simul beneficia obtinere quis potest, aut sine dispensatione, aut cum dispensatione. Sine dispensatione; Primò, quando sunt purè simplicia, etiam canonicatus, quorum neutrum sufficiat ad congruam sustentationem beneficiati, & alterum non requirat residentiam, sive ex institutione, sive ex præscripta consuetudine: imò etiam, quando vnum est sufficiens, modò non sit canonicatus & alterum insufficiens non requirat residentiam.

Vbi obseruandum, quòd, licet ante Con- 15
cil. Trident. duo curata beneficia ita tenuia, vt non possent rectorem alere, potuerint retineri absque dispensatione, *cap. Eam te sup. de ætate & qualit. ordin.* tamen post Conc. *sess. 24. c. 17. de reformat.* nequeunt retineri absque dispensatione summi Pontificis.

Secundò, si Ecclesia Cathedralis vel Parochialis, aut dignitas, propter angustias tenuitatémque non sufficiat sustentationi congruæ sui rectoris, potest simul cum ea obtineri beneficium simplex, non requirens residentiam. Colligitur ex Conc. Trid. *dict. sess. 24. cap. 13. & 17.*

Tertiò, quando dignitati aut canonicatui accessoriè annexa est Paróchialis, quæ per Vicarium administrari solet: quia beneficium vnitum alteri perpetuò & accessoriè censetur vnum cum illo, & naturam eius induit, licèt simplex fuerit, imò prædium eius reputatur, vt proinde hoc casu magis vnicum beneficium obtineatur, quàm plura.

Quartò, si vnum detur in titulum, alterum in commendam ad tempus, veluti sex menses,
quamvis

quamvis sit Parochialis Ecclesia, quia commenda eiusmodi non dat titulum, nec inducit incompatibilitatem, *can. Qui plures 21.q.1.c. dudum 54. circa fin. sup. de elect. & ibi Glos. in V. intitulatam, cap. nemo eod. tit. in 6.* Piasec. *dict. a. 3. num. 76.* Eo tamen casu videtur requiri saltem Ordinarij dispensatio. Commenda verò perpetua quia titulum dat canonicum, Ioan. Monach. *in cap. nemo deinceps de elect. in 6.* beneficium reddit incompatibile, locum in huiusmodi commendis *cap. de multa h. t.* Piasec. *d. a. 3. num. 77.* Vide Conc. Trid. *sess. 7. de reformat. cap. 4.*

Per dispensationem verò incompatibilia quis obtinere potest, ex iusta causa: veluti ob Ecclesiæ necessitatem, vt quia alij idonei desint; vel ob magnam vtilitatem, vt sint alij potentes satis ad Ecclesiæ tuitionem; vel ob meritorum euidentem prærogatiuam, qualis est nobilitas, dignitas personæ, litteratura insignis, industria, prudentia, *cap. de multa 28. & dict. Extrauag. Execrabilis.* Sed hæc causa reuocatur ad secundam. Dispensat autem in incompabilibus primi generis solus Pont. regulariter, vt antea monuimus: in aliis etiam legatus vel Episcopus, modò vtrumque personalem residentiam non requirat, Concil. Trident. *dict. sess. 24. cap. 17.* Cæterùm [illegible] plura nihil [illegible] elligitur dis- [illegible] *in fine sup. de*

TITVLVS IX.

Ne sede vacante aliquid innouetur.

1 *Capituli nomine quid hic intelligatur.*
2 *Sede vel Ecclesia vacante nihil innouandum.*
3 *Capitulum sede vacante beneficia conferre nequit.*
4 *Potest tamen conferre beneficia deuoluta.*
5 *Potest & dare in commenda ad tempus.*
6 *Sede vacante administrat & iurisdictione Episcopali fungitur.*
7 *Vnde iudicat, &c. item confirmat vel infirmat electos.*
8 *Recipit resignationes beneficiorum, & instituit Præsentatos.*
9 *Dispensat cum illegitimo quoad ordines minores*
10 *Vnit beneficia.*
11 *Absoluit à casibus Episcopo reseruatis.*
12 *Non tamen exercet ea, quæ sunt ordinis Episcopalis.*
13 *Ex decreto Concil. Trident. capit. Sede vac. Oeconomum & vicarium constituit.*

CONSTAT ex antedictis, collationem præbendarum & dignitatum de iure communi pertinere ad Episcopum, Vnde dubitari poterat, an sede vacante, id est mortuo Episcopo, vel etiam excommunicato, aut suspenso ab officio, capitulum succedat Episcopo, in eorundem collatione. 1

Vbi pro clariori intelligentia præmittendum est, nomine Capituli hic intelligi ipsum canonicorum Collegium, seu canonicos congregatos, nam soli canonico (non etiam alij clerici, quantumvis in eadem Ecclesia beneficiati) vna cum eo, qui illis præest, sive Decano, sive Præposito, pro diuersa Ecclesiarum consuetudine, capitulum constituunt, Ioan. And. & alij passim *in cap. Ex eo de elect. in 6.* Et hinc, quoque qui eis præest, sive decanus, sive Præpositus, nomine capituli venit, *cap. nouit inf. de his quæ fiunt à prælato sine cons. capituli.*

Hoc præmisso, dicendum, regulariter, vacante Ecclesia, nihil esse innouandum id est, faciendum, quod præiudicet Ecclesiæ vel Prælati defuncti successori, *cap. 1. §. attendentes hoc tit.* adeò vt iudicium contra Ecclesiam, sede vacante, eáque de causâ legitimo defensore carentem, habitum, sit nullum, *dict. cap. 1. hoc tit.* Sicut & iure ciuili sententia est nulla contra minores, tutorem vel curatorem non habentes, atque indefensos (quibus Ecclesia carens Prælato comparatur *in d. c. vlt.*) lata, *l. actæ 43. ff. de re iudicata.* 2

Similiter dicendum, capitulum non posse beneficia vacantia, quæ de iure communi vel consuetudine ad solius Episcopi collationem spectant, conferre, *cap. 2. hoc tit.* tum quia id nusquam inuenitur cautum in iure, *cap. 2. hoc tit.* tum quia collatio illorum beneficiorum inter fructus Episcopi connumeratur, *cap. fin. de officio vicarij in 6.* quos capitulum dilapidare non potest, sed futuro Episcopo reseruare tenetur, *cap. Cum vos 4. de offic. ordinarij, cap. Quia sæpè 40. de elect. in 6.* Idque obtinet, etiam si alias Episcopus non consueuisset talia beneficia conferre sine consilio & assensu capituli. Et nec Archiepiscopo quidem, sede vacante vel suspenso Episcopo, in beneficiis huiusmodi conferendis sese ingerere licet, nisi in certis casibus devolutionis, 3

devolutionis, Piasec. *part.2.cap.5.art.2.n.28. & seqq.*

4 Potest tamen capitulum conferre beneficia; quæ vel ad Episcopi collationem, per negligentiam inferioris collatoris, devoluta sunt. Abbas *in d.cap.2.hoc tit.* quia cùm talium collatio non proueniat ex ipsa dignitate Episcopali, sed ex accidente, scilicet negligentia inferiorum, non potest dici fructus aut inter fructus dignitatis censeri, Zyp. *de iure Pont. nouo hoc tit. num.7.* vel quæ simul ad collationem Episcopi & capituli spectant; nam tunc totum ius capitulo accrescit, *c.vnic.eod.in 6.* videatur Garz. *5. part.c.4.n.49.50. & 51.*

5 Potest etiam, sede vacante, beneficium spectans ad collationem solius Episcopi, commendare ad tempus, donec alius succedat, Piasec. *d.loc.n.43.*

6 Præterea quia, Episcopo mortuo, non statim illi alius sufficitur, ideò, ne mora hæc vacanti Ecclesiæ damnosa sit, prudenter à sacris canonibus statutum fuit, vt interea eiusdem Ecclesiæ Capitulum in iurisdictionem & administrationem tam spiritualium quàm temporalium rerum, exceptis casibus à iure denegatis, succedat, *cap.3.supplenda neglig. Prælat.in 6.cap. Cum olim sup. de maiorit. & obed. & similib.* Idemque obtinet, Episcopo à paganis & schismaticis capto, & nondum Ecclesiæ suæ restituto, nisi aliter ea de re consultus Pontifex statuerit, *dict.cap.3.* Similiter propter absentiam vel etiam subinde propter delictum Episcopi,

7 *Glos.in cap. Ad abolendum inf. de hæret.* * Hinc Capitulum indicat, condemnat, absoluit, excommunicat, sede vacante, vice Episcopi, perinde ac si Episcopus viueret, *c.Hus qua sup. de maiorit. & obed.* Similiter electos Prælatos Ecclesiarum, quæ sunt in dioecesi Episcopali, confirmat vel infirmat, *cap. Cum olim.iunctâ Glos. in V.cap.sup.d tit.* Piasec. *d.loc.num.44.* Adeóque si electio spectat ad capitulum, & confirmatio ad Episcopum; capitulum, iure capitulari eliget, & confirmabit iure Episcopali, *arg. l. Si consul.ff.de adeptionibus.*

8 Pari modo permutationes seu resignationes beneficiorum ex causa permutationis recipere potest, Abbas *in d.cap.Cum olim.* ibi. *Sextò dubitatur,* Piasec. *d.loc.n.45.* sicut & instituere præsentatos à patronis, *cap.1. de institut.in 6.* quia hoc, sicut & prius, est quid necessarium & debitum; nec sic vllum futuro Episcopo vel Ecclesiæ creatur præiudicium; imò leuatur illo

9 onere. * Potest & dispensare cum eo, qui defectum patitur natalium, ad minores Ordines,

10 & vt simplex beneficium obtineat. * Vnire beneficia, vel vnioni auctoritatem præstare, dummodò iuri Episcopali nihil detrahat, *cap. vnico hoc.tit.in 6.* Piasec. *dict.c.5.art.3.num.61. vbi alios citat.*

Potest insuper absoluere à casibus Episcopo reseruatis, & dispensare in censuris & irregularitatibus, in quibus dispensandi facultas competit Episcopo; cui Capitulum succedit in his, quæ sunt necessariæ & contentiosæ iurisdictionis, Panormit. *in cap.2.circa fin. hoc tit.& in cap. Cùm olim sup. de maiorit. & obed.* Sunt autem casus reseruati Episcopis alij de iure, alij de consuetudine, alij denique, quos ipsimet sibi reseruant Videatur Piasec. *cap. 2. cap. 6. art.3.* 11

Dixi antè, Exceptis, casibus à iure denegatis; quia quædam excipiuntur à iure, nam præter enumerata iam antè, non potest exercere ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, puta ordinare clericos, consecrare Ecclesias & eiusmodi alia: licèt possit efficere, vt ea expediantur per Episcopos vicinos, sine præiudicio futuri successoris, *c.Is cui 24. de elect.in 6.*

Obseruandum postremò hic est, quod Con- 12
cil. Trident. *sess.24.cap.16.de reformat.* mandet, vt Capitulum, sede vacante, vbi fructuum percipiendorum [illegible] munus incumbit, Oeconomum vnum [illegible]os ac diligentes decernat, [illegible]
uentuum [illegible]
ad quem pertin[illegible]
lem seu vicarium [illegible]
Episcopi constituat, vel existen[illegible]
de cuius officio lib.2. egimus satis. [illegible]
octiduum illud à die notæ vacationis, etiam per translationem, nondum adeptâ quoque possessione, ex congregat. Concilij. Quaranta *V.capitulum quæst.12*

Cæterùm de administratione capituli, sede vacante, pleniùs videre licet Panormit. & alios ad *d.c.Cum olim sup.de maiorit.& obed.* Patauin. *tract. de hac re* & Conc. Trid. *dict.sess.24.cap.1. & 16.*

TITVLVS X.

De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli.

1 *Prælatus in arduis pleraque expedire nequit sine consensu capituli.*

2 *In*

2 *In levibus negotiis solo consilio est opus.*
3 *Vt & in statutis concedendis.*
4 *Nisi in casibus à Iure expressis.*
5 *Decretum Conc. Trid. de iudicanda persona Capitulari.*
6 *Quanam in concedendis statutis servanda sint.* 7.8.
9 *Qualiter Episc. Capitulo quid proponat ad deliberandum.*

QVEMADMODVM Sede vacante nihil est innovandum per Capitulum: ita è diverso, Sede non vacante, Episcopus vel alius Prælatus de rebus Ecclesiæ pro arbitrio disponere, sine consensu
1 aut consilio Capituli, * multáque alia expedire nequit. Veluti ardua in primis: qualia sunt, Abbates & Abbatissas, aliásque personas Ecclesiasticas, in beneficiis instituere vel destituere, *c. Novit 4. h.t.* collationes beneficiorum & electiones confirmare, *c. Quanto 5. h.t.* Ecclesias, sibi aut suæ Ecclesiæ subiectas, aliis Ecclesiis, etiam Monasteriis attribuere, *c. Tua nuper 8. & c. Pastoralis 9. eod.* veteres dignitates suppressas in sua Ecclesia suscitare: Ecclesiæ statum mutare. Sic irrita est Episcopi donatio, venditio, commutatio rei Ecclesiasticæ absque tractatu, consensu, & subscriptione totius
4 Cleri vel Capituli, *c. 1. & d.c. Tua nuper.* Modicè tamen res quasdam Ecclesiæ donare potest, etiam absque consensu vel consilio Capituli, veluti quinquagesimam partem proventuum Ecclesiæ in alios vsus, puta ad alendos pauperes, *c. penult. in fine h.t.* Item si Prælatus ad tempus tantùm res quasdam Ecclesiæ alicui conferat, non est opus consensu Capituli; modò non contradicat, & postea ratum habeat, *c. 2. & 3. h.t.* Ita etiam tenet donatio, quam facit laicus, decimas Ecclesiæ alicuius in feudum obtinens, iam ante Concilium Lateranense, cum solius Diœcesani seu Episcopi consensu, *c. Cum Apostolica h.t.*

2 In levibus etiam negotiis non requiritur consensus Capituli, sed satis est consilium adhibere, quod tamen sequi non tenetur, Innoc. *in c. fin. sup. de maiorit. & obedien.*

3 Similiter in statutis condendis opus quidem consilio est Capituli, *d.c. Quanto h.t. & ibi* Abb. *num. 4.* nec valeret consuetudo in contrarium, secundum Hostiens. *in summa h.t. num. 1.* verùm id quoque non tenetur sequi, nisi in casibus à Iure expressis, provt sacra Congregatio respondit apud Piasec. *2. p. cap. 2. art. 2. n. 7.*

4 Casus autem Iure expressi sunt hi. In primis de Iure requiritur non tantùm consilium, sed & consensus Capituli, quotiescumque illius vertitur interesse particula, *c. vlt. h.t.* Idcóque si collatio beneficiorum spectet iunctim ad Episcopum & Capitulum, non potest Episcopus sine consensu Capituli quicquam de illis disponere, *cap. Ea noscitur 6. hoc t.* Secundò, nihil potest sine consensu Capituli in casu quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas, seu ei præiudicium fieret, *cap. Dilecti sup. de Maiorit. & obedient.* nec enim Episcopus potest facere Ecclesiæ suæ conditionem deteriorem. Tertiò, in casu, quo agitur de alienatione bonorum Ecclesiæ immobilia, *d.c. 1. h.t.* vel de obligatione Ecclesiæ, *c. Quod quibusdam inf. de fideiussoribus.* Quartò, vbi ageretur de præiudicio, quoad subiectionem vel exemptionem Capituli, *cap. vlt. sup. de maiorit. & obed.* Denique in casu in seu causarum criminalium agitatione, *canja 17 q. 7. per tot.*

Et in iudicanda persona aliqua Capitulari non nisi de concilio & assensu duorum, à Capitulo in principio cuiuslibet anni ad hoc deputandorum, Episcopus vel eius Vicarius procedere potest, ex nova ordinatione Conc. Trid. *Sess. 26. c. 6. de reformat.* Quòd si Capitulum eam deputationem neglexerit, tum, post monitionem præviam de electione in principio anni faciendà, potest Episcopus procedere & iudicare solus, Piasec. *d. loco n. 9. ex declarat. Card. Interp.* Et procedit dictum decretum sine distinctione in delictis tam gravibus, quàm levibus, etiam vbi absque forma iudicij proceditur. Latè Riccius *in Praxi decis. 566.* vbi subiungit decreto illi locum esse quoad Capitula exempta dumtaxat. Deputatio tamen Procuratoris fiscalis etiam hoc casu ad solum spectat Episcopum, absque consilio Capituli, Zerola *in V. Fiscum, §. 3. ex sacra Congreg.* Sed & quando totum capitulum deliquit, non est locus Decreto, potéstque Episcopus solus procedere contra Capitulares, absque adiunctis: modò delictum non sit in personam vel contemptum Episcopi, vel Episcopus non habeat interesse; nam tum ea facultas procedendi devoluitur ad proximum superiorem. 6

Illud quoque specialiter advertendum esse tradit Piasec. *d. loco*, vt quàm rarissimè in condendis statutis Episcopus pœnas apponat excommunicationis, ne ex frequentia abeant in contemptum: sed vt potiùs pœnis vtatur temporalibus; ratiùs pecuniariis, ad evitandam avaritiæ suspicionem: quæ ab Episcopo abesse debet longiùs, *c. Cùm ab omni 10. sup. de vita & honest. Clericorum.*

Et quia statuta Episcopi ligant tantùm 7

quoad pœnam, non etiam quoad culpam, ideò necessum est, vt virtutem sui statuti declararet apertiùs.

8 Denique abstinere debet à multitudine statutorum & præceptorum, quia quemadmodum vbi plures sunt Medici, plures existere morbi solent, ita, etiam, vbi plurimæ leges, plurimùm est vitiorum. Et interdum toleranda sunt potiùs mala aliqua, ne eueniant grauiora: quia, vt *Prou.* 30. ait Sapiens, *Qui multum emungit, elicit sanguinem, can. Denique distinct. 4.* & qui multùm corrigit, offendit. Leuiter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio nec increpationem recipit nec salutem, *c. Cum beatus 8. dist. 45.* Ideóque meminerit semper Prælatus illius B. Chrysostomi, apud Piasec. *dict. loc. n. 10. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parua mandantem & grandia facientem.*

9 Quòd si Episcopus aliquid canonicis ad deliberandum velit proponere de re nec ad suum, nec suorum commodum spectante, poterit ipse capitulum convocare, vota exquirere, & iuxta ea concludere. Absente verò Episcopo, omninò hoc ab iis, sunt de capitulo, ad quos illud de iure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admittatur, *secundum* Conc. Trid. *sess. 25. cap. 6. de reformat.* nisi fortè Præses capituli fuerit Vicarius, quia tum ea qualitate id facere posset, Zyp. *hoc tit. in fine.*

TITVLVS XI.

De his, quæ fiunt à maiore parte capituli.

1 *Requiri ad consensum maioris & sanioris partis.*
2 *Maiorem dici respectum totius capituli.*
3 *Non sufficere maiorem partem, nisi & sanior sit.*
4 *Admittitur tamen contradictio minoris partis.*

OCCASIONE eorum, quæ superiori Tit. dicta sunt de his quæ fiunt à prælato & Capitulo, vel de consensu aut dissensu eorum, qui sunt de Capitulo, si plures sint.

Est dicendum, ad hoc, vt Vniuersitas aliqua, Collegium & capitulum, aliquid censeatur facere, vel consensum suum præbere, vbi is requiritur, non semper exigi totius Vniuersitatis, Collegij vel Capituli consensum; sed sæpè sufficere, si maior & sanior pars consentiat, *cap. 1. hoc tit. l. Quod maior ff. Ad muncipalem & similibus.* 1

Maior verò pars & sanior quæ dicatur, repete ex *lib. 1. tit. 6. §. 4. de forma & modo electionu.* Quibus illud adde; maiorem partem capituli dici respectu totius Capituli, non autem respectu partium, Zerola *1. part. V. capitulum. §. 13.* 2

Ideoque si duodecim sint Canonici, & tres eligant Titium, tres Sempronium, sex verò Mæuium, nulla istarum partium potest dici maior pars Capituli; sed necesse est, vt saltem sint septem ad maiorem partem constituendam. Quamquam obtineat aliud in maiori parte patronorum, sive laicorum sive Clericorum, quando præsentant, vt singuli: nam tunc sufficit habere maiorem partem, respectu minorum partium; veluti si ex sex patronis duo præsentent Titium, vnus Sempronium, & tres Mæuium, hi tres præualent.

Deindè notandum, quòd, vbi ad actum aliquem consensus requiritur maioris & sanioris partis, non sufficiat consensus maioris, nisi ea simul fuerit & sanior, *cap. 1. & vlt. hoc tit.* quia vbi duo requiruntur coniunctim, alterum eorum non sufficit, *§. Si illud instit. de haredib. instituend. l. Si haredi plures ff. de condit. instit.* 3

Quod verò à maiori & saniori parte Vniuersitatis, Collegij vel Capituli fit, regulariter præualet, nisi minor pars vel etiam vnus aliquis de capitulo iusta de causa ab eo appellauerit, aut expressim contradixerit, *cap. 1. & c. Ex ore hoc tit.* quo casu si coram superiore iustam causam appellandi vel contradicendi probauerit, rescindetur id, quod à maiore & sanione parte secus, quàm oportebat, factum fuerit, *dict. cap. 1. hoc tit.* vel si negotium tangat omnes, vt singulos, iuxta regulam iuris. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. 4

In Collegiis tamen passim obtinuisse: vt, quòd maior numerus non respectu totius, sed minoris partis decreuerit, ratum sit, & plenum habeat vigorem, testatur Zyp. *hoc. tit. num. 1.* quamvis, inquit, in electione Monialium aliam opinionem secuta sit Congregatio.

***

TITVLVS XII.

Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

1 *Beneficia sine diminutione aut reseruatione fructuum conferenda.*
2 *Nisi ex causa necessitatis vel alia iusta.*
3 *Potest & ex causa imponi pensio beneficij.*
4 *In collatione facienda seruari debet forma eidem prascripta.*
5 *De concursu & examine quoad curata beneficia iuris patronatus.*
6 *Debent beneficia conferri gratis, sine modo & conditione.*
7 *Non ad tempus, & limitatio huius.*
8 *Quatenus sub conditione fiat collatio & praesentatio.*
9 *Debet & conferri liberè, non subreptitiè aut obreptitiè.*

PRÆCEDENTIBVS titulis abundè actum fuit de collationibus beneficiorum, quinam conferre beneficia Ecclesiastica possint, siue Episcopus conferat, vel solus, vel cum Capitulo aut consensu Capituli, siue ipsum Capitulum solum, vel quilibet alius collator: nunc videndum est, quo pacto conferri debeant.

1 Et in primis tenetur quilibet collator conferre beneficium Ecclesiasticum sine diminutione, *cap. vnico h.tit. cum similibus*; quia Conc. Turonensi vetitum est, ne beneficium dividatur in duos, *cap. Maioribus, cap. Vacante 26. cap. Cum causam 36. sup. de prabendis.* Adeò vt ex eo neque sibi aut nepoti, neque alteri cuilibet reseruare possit partem aliquam proventuum ex beneficio, cùm illud confert, quia hoc vetuit Conc. Lateranense, *dict. cap. vnico. & c. Prohibemus 7. inf. de censib. exact. &c.* aut collationem differre, vt ipse interim percipiat fructus, *c. Extirpanda 30. in fine sup. de prabendis, d. c. Prohibemus, in fine inf. de censibus.*

2 Attamen si iusta subsit causa & necessaria veluti si Ecclesia ære alieno supra modum grauetur, vel alia vrgeat necessitas, potest ad tempus, priusquam beneficium conferatur, pars fructuum in vsus Ecclesiæ seruari, *c. pen. inf. de verbor. signif. d. c. vnico, & ibi* Innoc. & Abbas. Imò potest prælatus, de consensu sui Capituli, iusta & necessariâ causâ id postulante, beneficium aliquod extinguere in perpetuum, *cap. accessisset 8. sup. de constitut.* vel ad sustentandam suam dignitatem Episcopalem, antequam beneficium conferat, partem aliquam fructuum sibi retinere ad tempus, *Gloss. in fin. d. c. vnico.* Quamvis in talibus foret tutiùs, petere concessionem à Sede Apostolica, Piasec. *part. 1. cap. 5. arg textus c. tua nobis de verb. signific.* Verùm hæc retentio fructuum non debet fieri à Prælato, paciscendo cum eo, qui beneficium confert, quia hoc saperet simoniacam prauitatem, *d. c. vnico circa finem.*

Potest etiam Episcopus, iusta subsistente causâ, beneficio conferendo imponere pensionem, puta ob bonum pacis & vtilitatis, vel ad sopiendam litem, quando beneficium est litigiosum, idque ad redimendam vexam, vt loquuntur, *c. nisi essent 21. sup. de prabendis, c. audiuimus inf. de colluf. deteg.* Piasec. *d. loc. num. 46.* vel vt subueniatur, & alimenta præstentur parocho senì, qui ampliùs deseruire nequit, Gigas *de pensionib. quæst. 6. n. 3. post* Ancharan. *cons. 279.* vel in permutatione beneficiorum; ratione inæqualitatis, si beneficium alterum alteri præponderet in fructibus, *cap. Ad quæstiones 6. inf. de rerum permutat.* Aliàs pensio, per Episcopum sine iusta causa beneficio imposita, est nulla, Garz 1. *part. cap. 5. num. 196.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. cap. 5.* vbi plenius de impositione pensionis videre licet. 3

Insuper in collatione seu prouisione beneficiorum seruanda est forma, à iure, statuto, consuetudine, aut fundatione præscripta; nam aliàs prouisio esset nulla, Garz. 9. *part. cap. 1.* Et in prouisione Ecclesiarum parochialium seruanda est forma, à Conc. Trid. tradita, *sess. 24. cap. 18. de reformat.* alias quoque prouisio præter & contra formam, præsertim quoad concursum & examen instituendum, facta erit nulla, ex constitutione Pij V. quam refert Piasec. *d. loc. num. 4.* vbi etiam tradit *num. 5.* ex declaratione Card. quam refert, ne quidem Doctorem vel licentiatum, in aliqua iuris vel Theologiæ professione excusari ab hoc examine, petentes sibi prouideri de Ecclesia parochiali: & in beneficiis curatis, sedi Apostolicæ, vel cuicumque alteri reseruatis vacantibus, similem concursum siue examen instituì ab Episcopo & eligi dignioren, instituendum à sede Apostolica, seu alio, cui fuerit reservatum beneficium. De curatis tamen inquit, vacantibus in Curia, siue per resignationem in manibus Papæ, solet dataria prouidere sine concursu, præmisso solo examine. 4

Quantum ad curata beneficia attinet, quæ iuris 5

iuris sunt patronatus; ea vel sunt iuris patronatus Ecclesiastici, quæ si vacauerint in mensibus Apostolicis, illis quoque per concursum & examen prouideri debet: si verò vacauerint in mensibus non reseruatis, patronus nominabit plures examinandos, vel etiam Episcopus alios inuitabit ad concursum, & tunc demùm; quem patronatus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicauerit, eliget & præsentabit Episcopo, instituendum in beneficio vacante. Piasec. *d. loc. num.* 7. vel sunt iuris patronatus laicorum, & tunc non requiritur huiusmodi concursus, sed tantùm examinari debet præsentatus, & admitti, si idoneus repertus fuerit, Conc. Trid. *d. Sess.* 24. *cap.* 11. §. *Quod si ius patronatus.* Nisi plures sint præsentati, quia tunc institui potest concursus inter præsentatos tantùm, *ex declarat. Card.* Vbi subiungit, in parochialibus Ecclesiis, quæ Regularibus conferri consueuerunt, non requiri concursum, sed solum examen sufficere: vt &, quando cura animarum spectat ad Collegium, vel est annexa alicui præbendæ seu beneficio, ex natura simplici.

6 Præterea beneficia oportet conferri gratis, id est non interueniente pretio, vel aliquo, quod pretio sit æstimabile: talitérque beneficium obtinens, tanquam simoniacus, ipso iure est excommunicatus, & collatio ipso iure nulla, *Extrauag. Cum detestabile de simonia.* Item purè, id est sine conditione, sine pacto, non alternatiuè, *can. Quam Pio 1. quæst. 2. cap. fin. sup. de pactis & cap. 2. de elect. in 6.* quia talia quoque redolent simoniam. Item sine modo, quia hic accedit prohibitæ conditioni, *cap. verum 4. inf. de condit. appositis.*

7 Item in perpetuum seu ad vitam collatarij, non verò ad tempus, *cap. vnico iunctâ Glos. in V. perpetui de capellis Monach. in 6.* Rebuff. *de requisitis ad collationem num.* 13. Vicarius tamen vel Oeconomus ad tempus dari solet, *cap. Cum vos 4. sup. de officio ordinarij.* beneficium etiam curatum dare potest Episcopus in commendam ad sex menses, *cap. nemo 15. de elect. in 6.* & talis Commendatarius non dicitur verus Prælatus vel curatus, sed Depositarius & Procurator; nec fructus facit suos, sed eos colligere, & in necessitates Ecclesiæ dispensare potest, Glos. *in dict. cap. nemo in V. Commendare.* At verò beneficia simplicia etiam ad vitam commendare potest Episcopus, *cap. Si constiterit 13. inf. de accusat.* quod & Pont. in maioribus beneficiis sæpè facit. Et talis commendatarius dicitur verus Prælatus; habet eandem auctoritatem & potestatem iurisdictionis & administrationis, quam habet obtinens beneficium in titulum; & facit fructus suos, potestque vti baculo & mitrâ, si hoc competat beneficio commendato, ex vsu loci vel aliâ ratione, Piasec. *dict. loc num.* 40. & 42. Datur etiam beneficium ad tempus, quando datur coadiutor ægroto, seni, illiterato, *cap. penult. & sup. de clerico ægrotante*; vbi vide, & quæ *lib.* 1. 3d *tit. de officio & potest. Vicarij* §. 7. de Coadiutore diximus.

Potest etiam fieri collatio sub conditione, 8 quæ ipso iure vel statuto, vel fundatione, institutione, aut consuetudine legitima inest, licet eo modo exprimatur, quo inest, cùm conditio, quæ sui naturâ inest, non officiat contractum conditionalem; veluti si parochiale beneficium conferatur alicui sub conditione, vt aliud simile deponat; vt resideat, vel sub conditione, si vacet; sit dignus, *Glos. in cap. 2. de elect. in 6. in V. incerta.* Rebuf. *de requisitis ad collationem num.* 2. Piasec. *dict. loc. num.* 32. *in fine.* similiter valet præsentatio, non modò alternativa, sed etiam conditionalis, incerta, dubia & obscura, dummodò intra tempus, quod datur ad præsentandum, conditio purificetur: incertitudo dubietas & obscuritas tollatur.

Ad hæc conferre debet beneficium liberè, 9 id est, non per metum non per vim, *cap. 2. cap. Ad aures sup. de his quæ vi metusve causâ fiunt*; quia collatio est quædam donatio, quæ liberaliter fit.

Denique non subreptitiè aut obreptitiè, si 01 fiat à Papa, vel eius legato, sub pœna nullitatis, *cap. Cum adeò sup. de re iudicata.* Nam collatio ordinarij, qui motu proprio & Ecclesiis, non personis, vti Pontifex & legatus eius, prouidet, non potest impugnari subreptionis, *clement. 2. de officio ordinarij.*

TITVLVS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non,

§. I.

De non alienandis rebus Ecclesiæ.

1 *Clericis omnibus prohibita alienatio rerum Ecclesiasticarum.*

2 *Episcopus*

2 *Episcopus tenetur facere inuentarium bonorum suæ Ecclesiæ.*
3 *Et iurare de non alienando.*
4 *Nomine alienationis quid hic intelligatur.*
5 *Etiam iura alienari nequeunt.*
6 *Pœna alienantium res Ecclesiæ.*

DE collatione præbendarum ac beneficiorum, & modis, quibus ea fieri debet, satis supérque dictum est. Deinceps videamus, quid iuris clerici in beneficiis suis, & maximè in rebus Ecclesiæ & bonis beneficiorum suorum habeant, potissimùm circa alienationem talium bonorum. Inscriptio verò Tituli huius, duplex membrum habet, de alienandis rebus Ecclesiæ, vel non alienandis.

1 Quod ad secundum hoc attinet, alienatio ista à sacris canonibus vetita est clericis, *tot. hoc tit. in 6. clement. & Extrauag.* Non tantùm simplicibus, sed etiam Prælatis, Episcopis & Archiepiscopis, *cap. Si quis presbyterorum 6. c. Ad audientiam 9. hoc tit.* & multò magis laicis, id est, regibus & Principibus, in quorum territorio res sitæ sunt, *cap. 2. hoc tit.* non tantùm in extraneum vel laicum, verùm etiam in aliam Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, *cap. 1. hoc tit.* Ea ratione, quòd bona Ecclesiæ sint in dominio ipsius Ecclesiæ, non clericorum, qui ante distributionem & applicationem, sibi legitimè factam, sunt tantùm administratores & procuratores, *can. Si priuatum vlt.* XII. *quæst.* 1. qui nequeunt donare seu remittere, *cap. 2. inf. de donat. l. Filiusfam ff. eod. tit. l. contra iuris 28. §. 2. l. imperatores 37. ff. de pactis, l. Pactum curatoris 21. Cod. de pactis, l. præses 12. Cod. de transact.* Garz. *de benef. part. 3. cap. 3. num. 46.* Vnde neque Episcopus, vel alius clericus, sibi ea bona vsurpare potest, *dict. can. Si priuatum, can. Monemus 12. q. 2.* sed custodire tenetur, & vel cum vitæ periculo defendere, *can. Conuen. 12. iuncta Gloss. in V. pro altaribus 23. q. 8.*

* Tenetur item Episcopus curare fieri re-
2 pertorium seu inuentorium omnium bonorum & iurium suæ Ecclesiæ & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum suæ diœcesis, & con-
3 strui archiuium, in quo huiusmodi iura deponantur & adseruentur, Piasec. *2. part. cap. 5. art. 2. num. 2.* vbi refert de archiuio in Ecclesia Cathedrali construendo emanasse Constitut. à Sixto V. incip. *prouida*, publicatam Romæ anno 1587. die 8. Iunij. * Solétque Episcopus in promotione sua iurare in hæc verba: *Possessiones verò, ad mensam meam pertinentes, non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli Ecclesiæ meæ, incensulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem deuenero, pœnas, in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo, &c.* Piasec. *d. loco, n. 5.*

Nomine autem alienationis licèt propriè veniat omnis actus, per quem transfertur rei 4
dominium, hic tamen id latiùs sumitur, vt continuat donationem, venditionẽ, permutationem, emphyteusim, infeudationem, vsumfructum, hypothecam, locationem ad longum tempus, *c. Nulli 5. §. alienationis, hoc tit. l. vlt. C. de reb. alienis non alienan.* Hæredis item institutionem, legatum, fideicommissum; *cap. 1. cap. cum in officiis cum duobus seqq. sup. de transact.* etiam transactionem, quando, per eam res traditur: secus, quando per eam res tenetur, Rebuff. *in compendio alienationis rerum Ecclesiæ num. 2.* Imò &, *iuxta Extrauagantem Ambitiosa hoc tit. in communibus*, locationem vltra triennium, quando scilicet res quotannis dat fructum. Alioqui si res alternis annis duntaxat fructum ferat, potest locari ad sexennium: sicut &, quando eius est conditionis, vt non nisi quolibet triennio ex ea fructus percipiatur, ad nouennium, Couar. *2. variar. resol. c. 16. n. 6.*

Sed nec iura, actiones vel nomina debito- 5
rum alienari permittuntur, Abbas in *d. cap. Nulli, num. 9. hoc tit.* Neque etiam seruitus aliqua de nouo Ecclesiæ imponi potest, Piasec. *d. loc. n. 2.*

Quòd si clericus vel etiam Prælatus, non 6
obstante hac prohibitione, alienauerit res Ecclesiæ suæ, ea alienatio ipso iure est nulla, & tam alienans, quàm qui accepit, nisi mox restituat res vna cùm fructibus, excommunicatur, *cap. Si quis 6. hoc tit.* Et quilibet clericus Ecclesiæ illius, cuius res est alienata, imò etiam ipse Prælatus, qui alienauit rem, potest eam à quolibet possessore repetere, vnà cum fructibus perceptis à tempore alienationis, *d. cap. Si quis.* Quin etiam emptor, licet fortè bona fide emerit, ignorans rem esse Ecclesiæ, cogitur eam restituere, non recepto ab Ecclesia, cuius ea res est, pretio, sicut & iure ciuili emptor rei alienæ, *l. si mancipium, C. de rei vindicat.* Quia alienans rem meam, sine meo consensu, non potest mihi nocere & damno esse, *l. Non debet 74. ff. de reg. iuris.* Poterit tamen emptor bonæ fidei pretium repetere ab auctore suo, id est, ab eo, à quo emit, *c. Ad audientiam 9. hoc tit.* At malæ fidei emptor, id est qui rem sibi venditam non ignorauerit esse Eccl. siæ, cogitur & rem restituere, & pretium, quod soluit, amittit; quod cedit non lucro venditoris, sed Ecclesiæ, cuius res alienata est, *l. Iubemus 14. §. 1.*

C. de sacrosanct. Ecclesiis. Neque contraria consuetudo alienandi iuvat alienationem, quia censetur irrationabilis, *Gloss. in cap. Cum causa in V. præiudic. sup. de sent. & reiudic.* Piasec. *d. loco, num.* 13.

§. II.

De alienandis rebus Ecclesiæ quibus scilicet casibus permissa sit alienatio.

1 *Res quæ servando servari non possunt, licitè alienantur.*
2 *Res item in feudum dari solita de novo infeudari*
3 *Item res exigui valoris.*
4 *Vt & res nondum quæsita Ecclesiæ.*
5 *Vel relicta incapacibus, veluti Mendicantibus.*
6 *Item vsusfructus bonorum, durante vitâ Prælati.*
7 *Aliàs non possunt, nisi ex iusta causa & solemniter.*

SEquitur alterum membrum de alienandis rebus Ecclesiæ, quia regula de non alienandis patitur certis casibus exceptionem. * Et in primis licitè alienantur res mobiles, quæ servando servari non possunt, id est, quæ sine notabili deterioratione non durarent, quæque vtendo absumuntur, vt sunt arborum fructus, vinum, oleum, frumentum, iumenta & pecora singularia, Piasec. *d. loco num.* 19. Pecunia etiam regulariter numeratur inter res, quæ servando servari nequeunt, cum retenta nihil operetur, *Panorm. in c. Nulli 5. num.* 11. *h. t.* nisi rei immobili comparandæ, voto, iuramento, aut præcepto superioris destinata sit, quia tum inter res immobiles numeranda est, Piasec. *d. loco*; vbi refert ita decisum fuisse in Rota. Similiter arbores grandes, quæ non consueverunt cædi, annumerantur, immobilibus, Chopin. *de sacra politica lib.* 3. *t.* 8. *n.* 12. nec possunt etiam silvæ cæduæ taliter exscindi, quò bona Ecclesiæ, deteriorentur, Panormit, *in d. c. nulli*, Navar. *conf.* 6. *n.* 2. *eod. tit.*

2 Præterea res ante infeudari vel in emphyteusim dari solita, feudo huiusmodi vel emphyteusi exspirante, iterum in feudum seu emphyteusim dari potest, absque solemnitate iuris ad alienationem præscripta; modò id fiat in Ecclesiæ evidentem vtilitatem, & antequam illius rei fructus Ecclesiæ incorporentur: quia tum non censetur nova alienatio, quæ à iure prohibetur, sed continuatio quædam alienationis antea factæ. Vt autem res dicatur in feudum vel in emphyteusim dari solita, sufficiunt duo actus concessionis factæ, vel vnus solemnis cum XL. annorum decursu, Piasec. *dict. loco, num.* 20. vbi subiungit, quòd, cessante causâ primæ concessionis, non possit de novo concedi: quódque, si maior offeratur census vel canon, non debeat concedi pro antiquo canone, neque cum tali conditione, quæ gravior sit Ecclesiæ, quàm ante fuit; neque pro fœminis, si masculus tantùm concedi consueverit.

Terrulæ quoque, vineolæ & aliæ res, sive immobiles sive mobiles, modici & exigui valoris, si id postulet Ecclesiæ vtilitas & necessitas, alienari possunt, *can. Terrulas* XII. *q.* 2. Cui neque per *Extravag. Ambitiosa in Communib. hoc tit.* Neque per Conc. Trid. derogatum esse, idque declarasse sacram Congregat. Card. testatur Quaranta V. *Alienatio, n.* 14. & ex eo Piasec. *dict. loco, num.* 24. Quæ autem dicatur res modici & exigui valoris, arbitrio relinquitur Iudicis seu boni viri, qui consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ, & loci consuetudine, æstimabit & iudicabit, an res sit modica seu modici valoris, *arg. textus, in cap. Caterum inf. de donat.* Piasec. *ibid. num.* 25. 3

Pari modo potest terra Ecclesiæ non fertilis dari in emphyteusim hæredibus eius, cuius studio primùm ad culturam est redacta, *cap. Ad aures 7. h. t.*

Potest etiam licitè alienari res, nondum quæsita Ecclesiæ, id est, nondum cœpta possideri ab Ecclesia: sic enim remitti potest legatum, vel hæreditas relicta testamento Ecclesiæ; maximè si timeantur odia, vel scandala. Etenim in acquirendis potest Prælatus præiudicare Ecclesiæ suæ: nisi legatum communiter serviret Episcopo & Capitulo: quo casu illi Episcopus renuntiare non posset in præiudicium Capituli. 4

Similiter relicta Ecclesiæ incapaci, v.g. Mendicantibus, licitè alienantur, Piasec. *dict. loco, num.* 32. Vbi subiicit, posse etiam Regulares bona sua vigore privilegiorum sibi indultorum alienare; ac specialiter Gregorium XIII. indulsisse Patribus Societatis IESV, vt possint sua alinare arbitrio sui Præpositi Generalis, nullâ aliâ petitâ licentiâ à Sede Apostolica vel loci Ordinario. 5

Denique vsumfructum bonorum mensæ suæ Prælatus ad beneplacitum suum, vel vitâ 6

suâ

fuâ durante licitè alteri concedit, Piasec. *d. loco, num.* 35.

Cæterarum verò rerum, cùm immobilium, tum etiam mobilium, si pretiosæ sint, & ser-
7 vando servari possint, vt sunt vasa aurea, argentea, casulæ, tapetes, & quæcunque triennio non corrumpuntur, vel notabiliter non deteriorantur, alienatio non aliter permittitur, quàm ex iusta causa, & servatâ formâ à Iure præscriptâ, *cap. vnico* 17. *Extravag. hoc tit. can. Sine exceptione* XII. *quæst.* 2. Quæ duo ad validitatem alienationis coniunctim requiruntur, vt vnum sine altero non sufficiat, & altero deficiente alienatio sit ipso iure nulla, *cap. vltim. hoc titul.* de vtroque proinde specialiter nunc videamus.

§. III.

Quæ sit iusta causa & solemnitas requisita ad eiusmodi alienationem.

1 *Iusta causa alienandi res Ecclesiæ.*
2 *Solemnitates quæ servanda in ea alienatione.*
3 *An inconsulto Pont. alienatio sit licita, & quatenus.*
4 *In dubio præsumuntur servatæ solemnitates.*
5 *Enormiter læsa Ecclesia restitui potest.*

IVsta igitur causa alienandi res Ecclesiæ est
1 quadruplex, Prima est Necessitas, cui aliter succurri nequeat, *Clement.* 1. *hoc t. cap.* 1. *inf. de pignoribus*: vt si Ecclesia ære alieno gravata sit, nec habeat res mobiles vllas, vnde solvat. Secunda, Vtilitas manifesta: vt si res aliqua Ecclesiæ alienatur ad aliam meliorem emendam, *dict. Clement.* 1. *& dict. can. Sine Exceptione, cap. Vt sup.* 8. *in fine h.t.* Tertia, Pietas, veluti ad redimendos captivos, pauperes, tempore famis alendos, *can. Aurum, can. Gloria* 71. XII. *q.* 2. Quarta est Incommoditas, vt si res Ecclesiæ sit sumptuosa, & parum vtilis; sed hæc revocatur ad secundam.

Solemnitas seu forma consistit in his qua-
2 tuor; Primò, vt à Prælato cum Capitulo vel Clero super re alienanda fiat tractatus, an expediat eam alienari, *cap. can. Sine exceptione*: & sufficit vnus tractatus. Secundò, vt Capitulum consentiat expressè in alienationem, saltem pro maiori & saniori parte, *dict. cap.* 8. *in fine hoc tit. & c. Quanto sup. de his quæ fiunt à Prælato sine cons. cap.* Tertiò, vt Capitulum subscribat: hoc tamen non requiritur, nisi in donatione, venditione, & permutatione. Imò iam consuetudine receptum est, vt sufficiat subscriptio Notarij. Quòd si alienetur res Ecclesiæ, habentis Rectorem vnum, eo quoque inconsulto vel invito, alienari res nequit, *cap. Placuit* 51. XII. *quæst.* 2. ne quidem vacante Ecclesiâ, *can. vlt.* X. *quæst.* 2. Quartò, vt Superioris accedat auctoritas, qui in non exemptis est Episcopus, à quo saltem in his dictionibus concedi facultatem alienandi res, ad Ecclesias sibi subiectas spectantes, testatur Zyp. *h.t. num.* 2. In exemptis est Prælatus, cui Ecclesia vel Monasterium immediatè subest. In alienatione tamen rerum Monasterij non tantùm opus est consensu Capituli & Abbatis, sed & Episcopi, qui cognoscat, an expediat Ecclesiæ fieri alienationem, *can. Abbatibus* XII. *quæst.* 2. *can. In venditionibus* XVI. *q.* 7. In patronatis tamen Ecclesiis consensum Patroni non necessariò requiri, tenet Abbas *in cap. vnico sup. Vt Eccl. benef. sine diminut. confer.* Piasec. *d. loco, num.* 16. nisi quoad bona, quæ ab ipsa patrono provenerunt: quo pacto intelligi potest Chop. *de sacra polit. lib.* 43. *cap.* 2. *num.* 28. vbi consensum requirit patroni.

Præter hanc formam Paulus II. *in d. Extra-* 3
vag. Ambitiosa statuit, sub gravibus pœnis, ne vlla fiat alienatio concessióque bonorum Ecclesiasticorum aut pij loci, inconsulto Romano Pontifice; & vt facta aliter nullius sit roboris & momenti. Hæc tamen Extravagans non videtur passim vsu recepta, præsertim quoad locationem & quoad pœnas. Sylu. *in Summa V. Alienatio*, §. 15. Navarr. *in Manuali, cap.* 27. *num.* 149. Covarr. *lib.* 2. *Var. res. cap.* 16. *num.* 6. Neque opus est hac consultatione in rebus exigui momenti: nec quando, de facili adiri & consuli Pontifex non potest, vel vbi constat alienationem esse necessariam & in mora periculum esset, veluti pro alimonia pauperum, vrgente fame vel alia necessitate, pro redemptione captivorum, *can. Gloria Episcopi* XII. *quæst.* 2. Piasec. *d. loco, num.* 28. Nec item in alienatione summæ pecuniariæ ad pium vsum, quantumvis ea magna sit, si ad mensam pertineat Prælati, Lessius, *de Iustit. & iure lib.* 2. *cap.* 24. *dubit.* 11.

In dubio autem præsumuntur servatæ so- 4
lemnitates, ex diuturnitate temporis. Nec id mirum, cùm temporis etiam diuturnitate nempe x l. annorum præscribi res Ecclesiæ possint.

Piasec.

Piasec. *ibid. numero 17. vbi alios citat.*

Nec obstat constitutio Pauli IV. quam refert Petr. Matth. *in suo VII. decretal. lib. 2. tit. 2. cap. 2.* quâ omnes alienationes bonorum quorumvis Ecclesiasticorum, sine requisitis solemnitatibus, & in damnum Ecclesiarum factas revocavit, nullâque temporis præscriptione validari posse decrevit: quia illam Constitutionem Pius IV. revocavit & reduxit ad terminos Iuris communis, Piasec. *ibid.*

Multò magis præscripta censebitur res Ecclesiæ, si à tempore alienationis intercesserit tempus immemoriale, vel centum annorum, etiam contra Ecclesiam Romanam, *cap. Ad audientiam sup. de præscr.* etiam in casu, quo lex prohiberet præscriptionem, quia talis prohibitio non excludit immemorialem, nisi & hæc expressè nominetur, Piasec. *d. loco, num. 18.* Si tamen ex instrumento alienationis appareret iniustus titulus, qui causaret malam fidem, tum non induceretur præscriptio, *cap. fin. sup. de præscript.* Navarr. *conclus. 3. & 5. de censibus.*

5 Observandum postremò hîc est, si quid in ritu & solemnitate, requisita ad alienationem rerum Ecclesiasticarum sit omissum, alienationem esse ipso iure nullam, etiamsi ex iusta causa fuerit facta, *cap. vlt. hoc tit.* Quemadmodum enim fit contra leges, iure civili habetur pro infecto, *leg. Non dubium, Cod. de legib.* ita & quod fit contra Canones est ipso iure nullum. Ac proinde alienatio, ipso quoque iure nulla erit, facta quidem secundum solemnitates, à iure requisitas, sed non ex iusta causa alienandi, puta necessitate vel vtilitate Ecclesiæ postulante, quia Canones coniunctim, vt dixi, requirunt hæc duo, vt & solemniter & ex iusta causa fiat alienatio, *cap. Vt super in fine hoc tit. & can. Sine exceptione* XII. *quæst. 2.* Quòd si verò subsistat quidem alienatio, quia facta sit & ex iusta causa, & solemniter, id est servatâ formâ à iure præscriptâ, si tamen per eam Ecclesia inveniatur enormiter læsa, poterit restitui in integrum, & rescindi alienatio, *c. Ad nostram 11. h.t.* exemplo minorum, quibus Ecclesia comparatur.

***

TITVLVS XIV.

De Precariis.

1 *Nomen contractus aliquando propriè, quandoque latiùs sumi.*
2 *Contractuum alij Nominati, alij Innominati.*
3 *Item alij bonæ fidei, alij stricti iuris.*
4 *Alij Re, alij Scripturâ, alij Verbis, alij consensu perficiuntur.*
5 *Precarium quid sit.*
6 *In quo à Commodato differat.*
7 *Sumi pro contractu, & pro re, quæ precario datur.*
8 *In quo à Precaria seu Precariis differat.*
9 *Precaria quinto quoque anno renovanda.*
10 *Et ex causa revocari potest.*

QVONIAM superiori Tit. dictum est, alienationem rerum Ecclesiæ regulariter esse prohibitam: ideò nunc sequitur de quibusdam alienationis speciebus seu contractibus, quibus fit alienatio; & quidem primò de Precariis, quia cùm per eas non transferatur dominium, sed solùm vtilitas, dubitari potest, an sint licitæ, an non. 1

Pro pleniori autem intellectu eorum, quæ hoc Titulo, & aliquot sequentibus dicentur, præmittendum est, Contractum aliquando sumi propriè pro obligatione vltro citróque; quam Græci συνάλλαγμα vocant, *leg. Labeo 19. ff. de verb. significat.* id est pro conventione, quæ vtrimque obligationem parit; nam obligatio non est propriè contractus; sed eius effectus: aliàs verò latiùs sumi nec distingui à Pacto, nihilque aliud esse, quàm duorum pluriúmve inidem placitum consensum, seu conventionem; sive pariat vtrimque obligationem, vt Emptio-venditio, Locatio conductio; sive ex alterâ parte tantum, vt Donatio, Promissióque accepta, Depositum, Precarium. Et in hac acceptatione Contractus in primis dividitur in Nominatum & Innominatum.

Nominatus contractus dicitur, qui certum & distinctum ab aliis contractibus non habet. Cuiusmodi sunt Emptio venditio, Locatio, conductio, Commodatum, Depositum, Mutuum, Pignus, Fideiussio, & nonnulli alij, *l. 1. §. fin. & l. 7. circa princ. ff. de pactis.* Quibus adiicitur Precarium, Precaria seu Precariæ, 2

Feudum

Feudum & Donatio, licet Feudum quidam numerent inter innominatos.

Innominatus contractus dicitur, qui quantumvis nomen generale habeat, vel circumscriptione aut circumlocutione aliqua designetur, tamen in certum aliquod & proprium nomen contractus non abiit; quamvis subsit causa, cur nascatur obligatio, puta quia alter alteri quippiam fecit aut dedit. Huius quatuor genera recensentur, Do vt des, Facio vt facias, Do vt facias, & Facio vt des, *d. l. 7.* de quibus in hoc iure Pontificio nihil peculiariter traditur. Huc referri potest Permutatio, de qua hic quoque agitur.

3 Secundò dividitur in contractum bonæ fidei & stricti iuris. Nam licèt ad omnem contractum bona fides requiratur, *l. Bonam 4. C. de oblig. & action.* tamen bonæ fidei contractus specialiter dicitur, in quo exuberat bona fides, & in quo potest multa Iudex ex æquo & bono arbitrari, nempè illa, quæ ex bona fide, ex æquo & bono alterum alteri præstare oportet, quamvis de iis nihil sit conventum, vt Emptio, Locatio, Societas, Commodatum, Depositum, & alij, qui in §. *actionum Institut. de actionibus* numerantur.

Stricti iuris sunt, in quibus Iudex ad verba contractus astringitur, nec alter alteri in plus obligetur, quam inter contrahentes actum est. Tales sunt omnes stipulationes, contractus emphyteuticus, feudalis, &c.

4 Tertiò, alius perficitur re, alius scripturâ seu literis, alius verbis, alius consensu. Re perfici dicitur, in quo obligatio non oritur ex sola conventione seu consensu, sed ex ipsa rei traditione. Huiusmodi sunt Commodatum, Depositum, Mutuum, Permutatio: nam hi contractus ante traditionem rei dicuntur nuda pacta, nec pariunt obligationem, nec in plus potest quis per hos contractus obligari, quàm acceperit. de Mutuo non agit Pontifex.

Scripturâ perficitur, qui ante scripturam ratus non habetur, vt emphyteusis, & omnis alius contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario, qui de eo instrumentum conficiat.

Verbis dicitur perfici, qui præter consensum requirit certam verborum formulam, vt omnes stipulationes, quæ constant præviâ vnius interrogatione & alterius subsecutâ responsione: vt, *Promittis dare centum? promitto; Facies? faciam; Fideiubes? fideiubeo*; & sic de cæteris. Et de his duobus generibus contractuum, nihil quoque specialiter tradit Pontifex, legibus contentus civilibus.

Consensu perficitur, ad cuius substantiam non requiritur interventus certæ formulæ verborum, nec scripturæ, nec rei traditio, sed sufficit consensus, *l. Consensu, ff. de obligat. & action.* vt Emptio venditio; Locatio conductio, Mandatum, Societas. Ideòque licet ad omnem contractum requiratur res aliqua, quæ in contractum deducatur non tamen contractus omnis dicitur re perfici, quia scilicet non est necesse, vt eius traditio ad substantiam contractus interveniat, provt intervenire debet ad substantiam contractuum, qui re ineuntur, seu perficiuntur.

Porrò tripliciter quæri de contractibus potest & solet; primò de ipsis ineundis & inter se distinguendis: secundò de eorundem accessionibus; & denique de iisdem dissoluendis atque finiendis.

His præmissis, accedamus iam ad ipsum Tit. 5 in quo Pontifex agit de Precariis, quia regulariter fructus rerum Ecclesiasticarum dari possunt precario. Estque contractus, quo alicuius rei vsus petenti gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus, *l. 1. & 2. ff. de de precario, c. fin. h. t.* Nam de natura precarij est, vt danti restituatur, quandocumque ei libuerit; pactumque in contrarium repugnat naturæ precarij, nec concedentem obligat, quò minùs pro arbitrio suo precarium revocare possit, *d. c. fin. l. Cum precario ff. eod.*

Atque ita in hac parte distinguitur Precarium à commodato, quod non nisi expleto vsu, ad quem datum est, repeti potest: sicut & in eo, quod Precarium concedatur sine præfinitione temporis aut certi vsus; & ideò durat, donec revocetur à concedente, vel dum moriatur, qui precarium accepit, *c. vlt. in princ. h. t. l. Cum precario 12. ff. de precario.* Commodatum verò datur ad certum & determinatum vsum, *Gloss. in c. 1. in V. commodatum inf. de commodato.* Quòd si verò is, qui precarium dedit, moriatur, tunc non finitur precarium, sed transit ad hæredem concedentis, *d. c. vlt.* in verbis, *non tamen concedentis, l. Quæsitum §. quod Titio ff. eod.* 6

Sumitur autem precarium non solùm pro 7 contractu, provt illud iam definivimus, sed etiam pro re ipsa, quæ precario datur & accipitur. Ita sumitur à Gloss. *in c. fin. in V. precarium h. t.* dum dicit precarium esse, quod precibus advtendum datur, quamdiu patitur is, qui concessit. Ita etiam sumitur, quando dicimus precari in danti esse restituendum, quandocumque ei libuerit.

Cum Precario affinitatem habet Precaria, 8

quæ tamẽ ab eo inter cætera distinguitur, quod non possit reuocari pro arbitrio concedentis, sirque contractus, quo veluti precarius vsufructus prædij Ecclesiastici alicui conceditur, quinto quoquo anno renovandus, *cap. 1. hoc tit.* Idque vel ad remunerandam donationem ab eo Ecclesiæ factam, vel in gratiam ministeriorum, quæ Ecclesiæ præstiterit, vel speretur præstiturus.

Et quamvis Hostien. distinguat Precarias in plurali numero à Precaria in singulari, quasi Precariæ sint contractus, quo veluti precarius vsusfructus prædij Ecclesiastici conceditur alicui, etiam vltra vitam quinto quoquo anno renovandus, *dict. cap. 1. can. Precaria* 10. *quæst. 2. & can. Longinquitate* 21. *quæst. 2.* Precaria verò sit contractus, quo conceditur alicui vsusfructus prædij alicuius Ecclesiastici in tempus vitæ dumtaxat, ad triplum vel duplum fructuum ipsius rei, quam Ecclesiæ dedit, *dict. can. Precaria & Glos. ibid.* qui de quinquennio in quinquennium non renouetur. Verius tamen est, non differre, Abbas *in dict. c. 1. n. 3. secundum communem DD. opinionem*: prout hæc duo, Precarias, inquam, & Precariam confundi etiam Cuiacius *lib. 1. de feudis tit. 5.* Quamquam variis modis, & potissimùm tribus, quos recenset Abbas *d. loc.* precaria fieri possit.

9 Dixi autem precariam seu precarias renovandas dè quinquennio in quinquennium: quod fit non tam de iuris dispositione, quàm secundum consuetudinem, vt patet ex *dict. cap. 1.* Idque ad perpetuam rei memoriam, ne scilicet, cùm ad hæredes & de persona ad personam precaria transeat (nisi ad vitam alicuius concessa fuerit, quod non constituit diversam speciem ab ea, quæ vltra vitam conceditur, sed modum dumtaxat diversum) facilè eius inducatur oblivio, *arg. dict. can. Longinquitate* 11. *quæst. 2.* dicátque tandem rem accipiens, vel eius hæres, eam esse propriam, & non Ecclesiæ. Idcóque sicut non petens inuestituram à nouo Domino, cadit iure suo: ita non petens renouationem precariæ, elapso quinquennio; etiamsi in diuturnius tempus concessa fuerit, Abbas *in d. c. 1. n. 5.*

10 Potest verò precaria, reuocari, si irrationaliter facta fuerit, & quidem ab ipso concedente. Est etiam singulare in alienatione rei Ecclesiæ præiudicium, vt possit alienans rem alienatam repetere, & contra factum proprium venire, *cap. Si sup. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Denique licèt precaria iure civili videatur incognita, tamen vestigium eius extare videtur apud Iustinianum in *nouella* 120. §. *si verò aliquis.*

TITVLVS XV.

De Commodato.

1 *Commodati acceptiones.*
2 *Definitio eiusdem explicata.*
3 *Commodatarius tenetur de dolo, de culpa, lata; leui, & leuissima.*
4 *Actio commodati directa & contraria.*

QVEMADMODVM ius percipiendorum fructuum ex prædio Ecclesiastico concedi alicui precario potest; ita & clericis singulis concessum est de fructibus beneficiorum suorum quosvis inire contractus, tam nominatos, quàm innominatos. Vbi primo loco occurrit Commodatum, quod cum Precariis multùm conuenit; cùm & Commodatum ad preces alterius, & recipientis gratia regulariter fiat. §. *Item is cui institut. Quibus modo re contrahitur obligatio.* * Et sicut Precarium diximus sumi quandóque pro ipsa re precario data, interdum verò pro contractu, quo aliquid precario datur: ita etiam ista vocabula Commodatum, depositum, Mutuum, Pignus, subinde accipiuntur pro ipsa re commodata (quasi ad commodum vtentis data: *Glossin cap. vnico in V. commodatum hoc tit.* vel quasi cum modo & præscripto fine data) deposita, mutuata, pignori data, interdum verò pro ipso contractu commodati, depositi, mutui, pignoris. 1

Et in hac posteriori acceptione commodatum est contractus nominatus, quo res aliqua gratuitò alicui vtenda conceditur ad tempus, finem, ac modum certum, eâ lege, vt eadem res in specie reddatur, *d. §. Is cui, l. 1. §. item is cui, ff. de oblig. & action.* Atque is quidem, qui sic rem suam alteri ad vtendum concedit, dicitur Commodator seu Commodans; qui verò accipit, Commodatarius. 2

Per particulam, *gratuitò*, excluditur locatio, quá quidem res vtenda datur, sed mercede constituta. Per particulam, *vtenda*, excluditur Pignus & depositum, & similiter contractus innominati, quia in his non datur res ad vtendum. Per particulam, *ad tempus, finem, ac modum certum*, excluditur Precarium, vt constat ex antedictis. Et quia commodatum datur ad certum

certum vsum, ideò res commodata, antequam vsus expletus sit, repeti non potest, quia commodatarium iuuari beneficio, non decipi oportet, *cap. vnico in fine hoc tit. ex l. In commodato §. sicut in fine ff. eodem* Paulus I.C. ait, commodatum quidem ab initio, id est, antequam contractum sit, esse voluntatis, id est, pendere ex libero arbitrio commodatoris, sed contractum esse necessitatis, quia scilicet repeti res commodata, nisi expleto vsu, non possit. Præterea quia res commodatur ad certum vsum, ideò si quis re aliter vtatur, quam commodati, sed etiam furti, *l. Si vt certo §. quin imò ff Commodati.*

Postremis verbis, *ea lege, &c.* excluditur Mutuum, in quo non eadem res, sed alia eiusdem generis & qualitatis redditur. A quo distinguitur insuper commodatum, quòd in mutuo transferatur rei dominium; in commodato verò nec rei dominium seu proprietas, nec etiam possessio, *l. Rei commodatæ 8. ff. eod.* sed tantùm vsus conceditur. Ideóque si res commodata casu fortuito, sine culpa commodatarij perierit, non Commodatario sed commodanti perit, quia res perit suo domino, *l. Pignus C. de pignorat. act.* & debitor speciei interitu eiusdem liberatur.

3 Cùm autem commodatum commodatarij tantùm gratia contrahi soleat, ideò etiam regulariter commodatarius tenetur de dolo, de lata, leui, & leuissima culpa, *dict. l. Si vt certo videndum.* In qua hæc regula traditur, vt si contractus ineatur solius dantis gratiâ & commodo, vti fit in deposito, tum præstetur dolus & lata culpa tantùm; exceptis quibusdam contractibus, nempe mandati, tutelæ, negotiorum gestorum, ob specialem in iis rationem: si verò solùm gratiâ accipientis, prout regulariter fit in commodato, tum præstetur & dolus & culpa omnis leuis & leuissima; excepto precario, in qua ad libitum concedentis reuocari potest, non nisi dolus & lata culpa præstatur, vt sic rem precario accipiens, grauatus in vno, releuetur in alio: si denique gratia vtriusque, vti in pignore, præstetur dolus, item culpa lata & leuis, non etiam leuissima. Hinc etiam in commodato præstabitur dolus & lata culpa tantùm, si detur gratia solius commodantis, v. g. ad excipiendos eius amicos. Casus verò fortuitus ex natura contractus regulariter non præstatur, nisi æstimatio rei in contractum venerit, vel conuentio aut culpa vel mora aliqua præcesserit, *dict. l. Si vt certo §. nunc videndum, l. Contractus 23. ff. de R.I. & dict. c. vnico h. t.*

Ex commodato duæ oriuntur actiones ciuiles, vna directa, altera contraria, quasi ex opposito respiciens directam. directa datur commodatori, vel eius hæredi, adversus commodatarium, & eius hæredem *l. In commodato §. si ex hoc facto ff. hoc tit.* ad rem commodatam, finito vsu, integram & saluam, & cum accessoriis, omnique vtilitate, si quæ contigerit, repetendam. Contraria datur commodatario, & eius hæredi, contra commodatorem, vel eius hæredem, ad id, quod sua interest, si res commodata ante vsum expletum aut non permittatur commodatarius ea vti ad eum vsum, ad quem commodata fuit: item ad consequendum damnum, si quod vitio rei commodatæ, celato à commodatore, illatum fuerit; & simul ad repetendos sumptus, in rem commodatam factos: exceptis tamen cibariis, & modicis impendiis, quæ naturali ratione ad eum, qui re vtitur, pertinent. Videatur Vvesemb. *ff. ad hunc tit.* 4

TITVLVS XVI.

De deposito.

1 *Depositum vnde dicatur, & quid significet.*
2 *Definitio.*
3 *Depositarium teneri de dolo regulariter.* 4.
5 *Actiones depositi, directa & contraria.*

PRECARIVM & Commodatum diximus esse contractus, qui fiunt gratia recipientis: sequitur Depositum, quòd fit gratiâ concedentis.

Depositum, inquit iurisconsl. *in l. 1. ff. hoc tit.* est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo, quod ponitur; præpositio enim, *de*, auget positum, vt ostendat totum fidei eius esse commissum, quod ad custodiam rei pertinet. Sed ibi sumit Iurisc. Depositum pro ipsa re deposita: hic autè illud sumimus pro contractu. 2

Depositum igitur est contractus, re initus, quo aliquid alicui custodiendum datur seu traditur, nullâ mercede datâ aut promissa. Ideóque cùm in deposito res alicui tantùm ad custodiam detur, si depositarius ea vtatur, actione & depositi & furti tenebitur; nisi pactus sit cum deponente, vt vti re possit, *l. Si sacculum 33. ff. depositi*: & deponens rem poterit eam repetere à depositario, quandocúmque libuerit; adeò vt exceptioni compensationis ad- 3

versus deponentem aut deductioni locus non sit, *l. vult. C. de compensat. cap. 2. hoc tit.* ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam referatur, *d. cap. 2. §. sanè.* Et propterea non obstat, quòd regulariter secus obtineat in aliis contractibus, *l. 2. & 3. ff. de compensat.*

§ Cùm autem depositum regulariter contrahatur gratia solius deponentis, ideò depositarius tenetur præstare dolum, *l. contractus 23. ff. de reg. iuris*; etiamsi pactus esset, ne de dolo teneretur, quia eiusmodi pactum contrarium est & bonæ fidei, in omnibus contractibus requisitæ, *dict. l. Contractus*, & bonis moribus, *l. 1. §. si conuenit ff. hoc tit.* Abesse verò bona fides tunc præsumitur, si verbi gratia, rebus tuis saluis depositas res amiseris, *dict. cap. 2.* Potest tamen dolus præteritus, etiam admissus, pacto remitti ab eo, cuius interest, quia hic periculum non est, ne depositarius inuitetur ad peccandum in rem depositam, vt in priori casu.

Tenetur etiam de lata culpa, quæ est, non intelligere quod omnes intelligunt. *l. Lata culpa 223. ff. de verb. sig.* Vt si aperto ostio, vbi res est deposita, dominum deferat, quia, vt Paulus I.C. ait *in l. magna negligentia 226. ff. de verb. signif.* magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est. Non quòd lata culpa sit verus dolus, sed quia in iure comparetur dolo, *l. 1. versic. sed etsi ff. si mensor, &c.*

4 De culpa leui ac leuissima depositarius non tenetur, quia depositum regulariter gratia deponentis, non depositarij, contrahitur, *dict. l. Contractus ff. de R. I.* Dico, regulariter, quia certis casibus etiam de leuissima vel leui culpa tenetur, contra depositi naturam. Nam primò, si aliquid mercedis sibi dari pro custodia pactus sit, aut receperit quid, tenetur de leui, culpa, *dict. cap. 2. hoc tit. l. Si vt certo §. nunc videndum ff. Commodati*; quia tunc non deponentis tantùm, sed & depositarij gratia contrahitur: de leuissima tamen culpa non tenetur. Secundò, si se vltrò deposito obtulerit, *dict. cap. 2. l. 1. sæpe ff. eod.* Tertiò, si conuenerit inter deponentem & depositarium, vt hic de leui ac leuissima culpa teneatur, quia pacta dant legem contractibus. Quartò, si sit in mora restituendi depositum, licèt fortuito casu res perierit, *dict. cap. 2.* Aliàs casum fortuitum nunquam præstat depositarius, nisi id conuenerit, *d. c. 2. & d. l. 1. §. si conuenit. ff. eod.*

De deposito apud clericum, si fortè dolo aut culpa eius perierit res, vel deterior redditta fuerit, non tenetur Ecclesia, cui clericus depositarius seruit, sed ipse clericus: sicut nec de mutuo, quod clerico datum fuerit, nisi quatenus probatur in Ecclesiæ vtilitatem versum, *cap. 1. hoc. tit. cap. penult. inf. de fideiuss.* ne hoc casu Ecclesia locupletior fiat cum alterius iniuria; *l. Nam hoc natura ff. de condict. indeb.* Aliàs delictum personæ non debet redundare in damnum Ecclesiæ, *cap. Cum venerabilis §. licet autem sup. de except. arg. c. 1. & ibi Gloss. in v. facturam de præscript. c. si Episcopum 16. q. 6.*

Ex deposito duæ similiter oriuntur actiones, directa & contraria. Directa est, quæ datur depositori, vel eius hæredi, adversus depositarium, vel eius hæredem, ad repetendam rem depositam, vel eius æstimationem, vel damnum, vel quid simile. Et hæc rursus est vel ciuilis, bonæ fidei, rei persecutoria & perpetua; vel Prætoria, Vvesemb. *ad ff. hoc tit.* Contraria datur depositario, adversus depositorem, ad repetenda impendia in rei depositæ custodiam facta. Vvesemb. *d. loc.* 5

TITVLVS XVII.

De Emptione & Venditione.

§ I.

Quid sit Emptio-Venditio, & requisita ad eam.

1 *Frequentia & vtilitas huius contractus.*
2 *Definitio & requisita ad hunc contractum.*
3 *Cur solo consensu contrahi dicatur.*
4 *De emptione-venditione scripo contracta.*
5 *In quibus à permutatione differat.*

VIsvm est de contractibus nonnullis, qui re ineuntur, & alterius partis tantùm gratia: deinceps videndum est de contractibus, qui consensu & vtriusque partis causa contrahuntur. * Et in primis de emptione venditione; quia is præ cæteris contractibus frequentior est & vtilior: nam lex 12. Tabb. emptionis nomine omnem alienationem complexa fuit, *l. Statu lib. ff. de statu liberi*; & veteres emptionis ac venditionis nomine promiscuè vtebantur, *l. Veteres 19. ff. de actionibus empti*, & ibi Gothof. omnisque hodiè mercatus præcipuè emptione & venditione sustinetur: 1

Licèt autem hic contractus sit vnicus, tamen diversa consideratione duplex nomen sortitus est:

est : nam respectu ementis dicitur Emptio; respectu vendentis venditio nuncupatur.

Emptio venditio igitur est contractus iuris gentium, nominatus, bonæ fidei, de re pro certo pretio habenda. Ad cuius substantiam tria hæc requiruntur. Primò, Res, quæ veneat, sive illa nunc existat, sive futura sit, vt fructus nascituri; sive etiam solùm sit spes futuram esse : nam sine re, quæ veneat, nec emptio nec venditio intelligi potest, inquit Pomponius, *l. Nec emptio ff. h. t.* Secundò, Pretium: nam & sine pretio nulla est emptio-venditio, *l. Inter Patrem 2. digestu eodem.* Et hoc consistere in pecunia debet numerata, §. *pretium instit. eodem.* Tertiò, Vt in rem & pretium venditor & emptor consentiant, verè, non simulatè, *cap. Ad nostram 5. h. t.* quia plus valet, quod agitur, quàm quòd simulatè concipitur, *tot. tit. C. Plus valere quod agitur*, &c. interdum & arrha interuenit in hoc contractu : datúrque vel in signum celebrati contractus, *l. Quod sapè 35. ff. de contrah. emp.* aut inchoati, postmodùm perficiendi: qua de re vide Vvesemb. *ff. ad h. t.*

3 Cæterùm licèt ad emptionis-venditionis substantiam requiratur res, vt diximus, rectè nihilominus solo consensu contrahi dicitur, quia non est necesse, vt ad eius substantiam & perfectionem interueniat rei traditio, aut verba, aut litteræ, sed mox atque de re ac pretio conuenerit, etiamsi non tradatur res, contractus hic accipit perfectionem suam, quoad vim scilicet obligandi & actionem producendi, quia tunc efficax nascitur obligatio & actio, nec potest alter, altero inuito, ab emptione discedere, *l. de contractu C. de rescind. vendit.* omnéque periculum ac commodum, quod rei venditæ accidit, ad emptorem pertinet, etiam re non tradita.

4 Aliud dicendum, si placuerit emptionem fieri in scriptis, vt plerumque fieri solet in emptionibus rerum immobilium : tunc enim non antè perfecta censetur, quàm instrumentum emptionis fuerit omnibus numeris suis absolutum, §. 1. *instit. eod.*

5 Ex prædictis facilè fuerit distinguere emptionem & venditionem à permutatione, nam in emptione res pro pecunia, in permutatione res pro re datur : in illa ex sola conuentione seu consensu nascitur obligatio, in hac non nisi re traditâ: illa venditor tantùm tenetur ad possessionem tradendam, in hac permutator ad dominium transferendum : illa potest consistere in traditione alienæ, non item hæc, prout ista patent *ex l. 1. ff. de rerum permutat.*

§. II.

Quæ res vendi possint, & ad quid teneatur vterque contrahentium.

1 *Vendi possunt res etiam alienæ.*
2 *Quo casu conditionem vsucapiendi transfert venditor.*
3 *Tenturque de euictione regulariter.*

QVarumlibet autem rerum, quas habere, possidere, quasi possidere, aut persequi possumus, rectè fit venditio, modò eas vel natura, vel ius gentium, vel mores ciuitatis commercio hominum non exemerint, *l. Si in emptione 34. §. omnium ff. eodem* vel nisi aliunde, sive statuto, vendi prohibeantur. Idcóque nihil interest, an res sit mobilis, an immobilis; an corporalis, an verò incorporalis, veluti hæreditas, seruitus, obligatio, actio, & similes, *l. 3. & ibi Gloss. in V. corporalia ff. de acquir. rer. dominio.* * an item sit propria, vel aliena. Neque enim qui vendidit necesse habet rem facere emptoris 1
propriam, seu transferre in eum rei dominium: sed satis, est, quòd faciat emptori rem licere habere, *l. Si ita distrahatur 25. ff. de contrah. empt.* Emptor verò soluendo rei pretium, dominium illius transfert in accipientem. Nec agere perfecta emptione potest ex empto aduersus venditorem, vt rem tradat, nisi pretium conuentum integrum offerat, *l. Iulianus 13. §. offerre ff. de act empti.*

Si tamen venditor sit rei Dominus, tradendo rem, transfert in emptorem eiusdem do- 2
minium, quia traditionibus ex iusta causa factis rerum dominia transferuntur, §. *per traditionem 40. instit. de rer. diuis.* Si autem rem vendiderit alienam, tradendo non nisi vsucapiendi conditionem transfert, id est, solùm facit, vt emptor eam rem legitimo tempore possit præscribere.

Teneturque hoc casu venditor emptori de 3
euictione, *d. l. Iulianus*; id est si contingat currente tempore præscriptionis rem à Domino euinci & auocari ab emptore, tenetur venditor quanti interest ipsius rem euictam non fuisse. Idque sive sciverit venditor esse alienam, sive ignorauerit : ignorantia enim hic non excusat venditorem, quia in culpa est, quòd alienam rem vendiderit, cùm scire vnusquisque teneatur conditionem rei, quam vendit, *cap. Quisque C. de rescind. vendit.* alioquin si vterque sciuerit esse alienam, ex neutra parte

contrahitur, obligatio, *dict. l. Si in emptione §. Item si & emptor.* Si verò emptor solus sciuerit, non tenetur ei venditor, nisi de euictione conuenerit, *l. Si fundum 27. C. de euictionib.* Imputare enim sibi debet, quod sciens rem emerit alienam. Alios casus, quibus venditor non tenetur de euictione, enumerat Pontifex *in cap. vltim. hoc tit.*

Primus est, si emptor in ius vocatus non denunciauerit venditori, sibi litem motam esse: potuisset enim venditor, facta sibi denuntiatione, emptori in iudicio adfuisse, & defendere rem cum emptore, ne euinceretur. Secundus, si denuntiauerit quidem, sed emptor ex propria contumacia condemnetur. Tertius, si per iniuriam iudicis condemnetur emptor: quia his casibus nulla interuenit culpa venditoris, quàm præstare teneatur.

§. III.

De rescindenda venditione.

1 *Lasus vltra dimidium iusti pretij quis dicatur.*
2 *Venditor vel emptor lasus vltra dimidium ad quid teneatur.*
3 *Quatenus contrahentibus alteri alterum circumuenire liceat.*

ALiquando verò recedi potest ab emptione venditione perfecta, rescisso contractu propter læsionem vltra dimidium iusti pretij. Nam licèt emptio venditio taliter contracta valeat ipso iure, tamen potest deceptus petere eam rescindi, siue is venditor siue emptor fuerit, vt habet verior sententia.* Verius quoque est, cùm emptorem tùm venditorem dici deceptum vltra dimidium iusti pretij, quando non accepit dimidium eius, quod dedit: vt verbi gratia emptor dicatur deceptus vltra dimidium, si rem, valentem decem, emerit viginti vno; venditor verò, si rem valentem decem, vendiderit tantùm quatuor, siquidem neuter his casibus accepit dimidium eius, quod dedit. Vnde facilè refellitur opinio volentium emptorem dici vltra dimidium deceptum, si rem, valentem decem, emerit sexdecim: nec enim potest dici tum deceptus vltra dimidium eius, quod dedit, cùm plus quàm dimidium illius acceperit. Igitur in æstimatione læsionis vltra dimidium spectari debet non solùm pretium, vt volunt, sed & res ipsa, eáque conferenda cum pretio dato: nam hac consideratione Patet emptorem, qui pro re, valente decem, dedit viginti vnum, esse deceptum vltra dimidium, quia non accepit dimidium eius, quod dedit; quamvis tum etiam dici possit deceptus vltra duplum, si solum pretium spectetur.

Attamen præcisè agi non potest ad rescindendam venditionem ex capite læsionis vltra dimidium, sed emptor deceptus potest vel rescisa venditione rem restituere, repetito pretio, vel, manente venditione, repetere partem pretij, quam vltra dimidium soluit. Similiter si venditor deceptus sit, in electione & arbitrio est emptoris, vel supplere, quod iusto pretio deest, vel rem restituere, *c. Cum dilecti versic. quia verò hoc tit.* 2

Porrò tametsi ob læsionem infra dimidium iusti pretij lex, vt dixi, non rescindat venditionem, sed talem læsionem toleret: tamen non ideò licet alterum contrahentium vsque ad dimidium iusti pretij circumuenire, sed iusto pretio res vendi & emi debet. Nec obstat *l. In causa 16. ff. de minor.* quia quòd ibi dicitur, licere contrahentibus naturaliter se circumuenire, intelligi debet infra latitudinem iusti pretij, quod est vel summum, vel medium, vel infimum. Neque enim licet vel pluris vendere, vel minoris emere, quàm valeat, ne quidem infra dimidium iusti pretij. Ideóque qui vel pluris vendit, quàm res summo pretio valeat, vel minoris emerit, quàm valeat infra infimum pretium, peccat proculdubio, & tenetur ad restitutionem, D. Thom. 2. 2. *quæst. 77. art. 1.* Vnde & Pont. *in cap. 1. hoc tit.* vetat, ne quis cariùs vendat transeuntibus, quàm aliis. Verùm neque lex, neque etiam canon, rescindit emptionem, licet supra summum pretium res vendita sit, dummodò non vltra dimidium iusti pretij. 3

§. IV.

Quæ res vendi non possint.

1 *Vendi non possunt res spirituales, sacra, publicæ, &c.*
2 *Res item dotalis regulariter.*
3 *Duplex ex hoc contractu actio nascitur, empti, & venditi.*

POrrò cùm antè dixerim, quamlibet rem vendi posse, nisi vel natura, vel ius gentium, vel mores ciuitatis eas commercio hominum exemerint, paucis hic quoque proponendum, quænam

quænam sint eiusmodi res. In primis itaque res, quæ non est, nec futura speratur, seruus vel equus mortuus, vendi non potest. Secundò, Res spirituales, vt iurisdictio Episcopalis beneficia, ordines Ecclesiastici. Tertiò, Res sacræ, religiosæ, sanctæ, vt vasa sacra, vestes, altaria, reliquiæ Sanctorum. 4. Homo lib. 5. Publicis vsibus destinata: seu res vniuersitatis, vt forum publicum, via publica: à priuatis scilicet hominibus; alioquin talia vendi ab vni-
2 uersitate ipsa possunt. 6. Res dotalis, vel donata ptopter nuptias, licèt vxor consentiat. Exceptis certis casibus: vti *in cap. Peruenit. hoc tit.* veluti si pretio æstimata sit dos, & maritus alia bona habeat; si vendat dotem ex causa necessaria, non voluntaria; si conuertat in vtilitatem vxoris, vel si vxor consentiat, iureiurando adhibito, sive per se, sive per procuratorem, cui ad hoc dederit speciale mandatum, *cap. vlt. de procurat. in* 6. aut maritus ad diuisionem fundi dotalis prouocetur à socio, qui habeat si fundum communem. 7. Litigiosa res, vel restitutioni obnoxia. 8. Venena, nisi alterius materiæ adiectione possint fieri salubria, *l. Quod sæpè* 35. §. *veneni ff. h. tit.* 9. Non licet iudici iudicium iustum vendere, vel testi testimonium. Aduocato autem permissum est vendere patrocinium iustum; & iurisconsulto consilium iustum, *can. Non licet* 11. *quæst.* 3. & sic de similibus, quæ breuitatis causâ omitto.

3 Denique ex hoc contractu duæ oriuntur actiones; vna dicta ex empto, quæ datur emptori contra venditorem, ad petendam rem venditam: altera dicta ex vendito, quæ datur venditori contra emptorem, ad petendum pretium: de quibus *in tit. ff. de actionibus empti & venditi.*

TITVLVS XVIII.

De Locatione & Conductione.

§. I.

Locatio-Conductio quid sit?

1 *Locatio-Conductio quid sit; quis Locator & quis Conductor.*
2 *In quibus distinguatur ab emptione-venditione.*
3 *Locator perfecto contractu ad quid teneatur.*
4 *Ad quid conductor.*
5 *Locationes, anticipatis solutionibus factæ sunt nullæ ex Conc. Trid.*
6 *Successor quando stare teneatur locationi sui prædecessoru.*

EMPTIONI-venditioni proxima est 1
Locatio-conductio, iisdémque fere iuris regulis constitit: adeò, vt in quibusdam quæri soleat, an sit emptio-venditio, an verò locatio conductio, *l. 2. ff. hoc tit.*

Est autem Locatio-conductio contractus solo consensu initus, quo aliquid vtendum, fruendum vel faciendum datur, certâ mercede constituta.

Dico, solo consensu initus, quia simulátque inter contrahentes conuenit de mercede seu pensione soluenda pro vsu alicuius rei vel opera hominis, iam perfecta est locatio-conductio, etiam si nec res, nec verba, nec litteræ interuenerunt; ita vt à contractu alter, altero inuito, non possit resilire. Locatorem existimant quidam esse illum, qui mercedem accipit; conductorem eum, qui dat: sed verius est, eum dici Locatorem, qui aliquid vtendum fruendum, vel faciendum dat; Conductorem verò, qui aliquid vtendum fruendum, vel faciendum suscipit, vtercumque det vel accipiat pecunias. Sic enim qui fulloni dat vestimenta polienda, locator dicitur, & tamen pecuniam dat. Similiter Dominus locat domum ædificandam, & pecuniam dat. E diverso qui vestimenta polienda vel domum ædificandam suscipit, conductor dicitur, & tamen pecuniam accipit.

Distinguitur Locatio-conductio ab emptione-venditione, quòd in emptione venditione transferatur dominium, secuta traditione, si venditor sit Dominus rei venditæ, non item in locatione, saltem ad modicum tempus; quódque in hoc solùm detur aliquid vtendum, fruendum, faciendum. Et ideò licèt clerico non sit permissum vendere bona Ecclesiæ, ea tamen locare potest ad modicum tempus, *cap. vt vestra hoc tit.* Præterea in emptione-venditione pretium consistere debet in pecunia numerata; in locatione merces potest consistere etiam in rebus fungibilibus, *l. Si olei* 22. *C. eod.* id est quæ pondere, numero, aut mensura constant, vel etiã in quota parte fructuum; vt si colonus pro prædio conducto soluat annuè certam partem fructuum, vt secundam, tertiam, aut quartam. 2

Non obstat *l. 1. §. si quis seruum ff. depositi*, vbi dicitur, mercedem locationis consistere in pecunia: quia ibi nomen pecuniæ sumitur generaliter,

generaliter, vt etiam comprehendat res fungibiles: vt & *l. fin. Cod. de constituta pecunia*, *l.1. §.creditum ff. de reb. creditis.*

3 Perfectâ itaque locatione tenetur & cogi potest locator rem locatam præstare conductori, vt eâ vtatur, fruatur ad tempus conventum: nec ante tempus conductionis finitum regulariter expellere conductorem licet, *cap.1. hoc titul.* Dico, regulariter; quia tres casus enumerat Pontifex *in cap. Propter §. verum hoc titulo*, quibus permissum est locatori cogere conductorem, vt ante tempus conventum emigret ex prædio conducto. Primus, si superveniat locatori necessitas aliqua, v.g. domum reficiendi, quæ tempore locationis non imminebat, vel si ipse habitare in prædio locato velit. Secundus, si conductor in re conducta malè versetur. Tertius; si, vni locatio plurimum est annorum, conductor toto biennio mercedem non soluat, *l. Ædes 3. Cod. eod.* etiamsi convenerit ab initio, ne intra tempora conductionis invitus pelleretur, *leg. Quæro 54. §. inter ff. eodem*, quia hoc pactum ita intelligitur, modò pensionem debito tempore soluat. Si verò locatio sit ad minus tempus, statim quoque decurso tempore, ob defectum solutionis, expelli conductor potest.

Aliàs si locator vel non præstet rem locatam, vel cogat migrare conductorem ante tempus locationis finitum, tenetur conductori præstare, quanti ipsius interest, non posse vti frui re conductâ, quódque migrare ante tempus conventum fuerit coactus, *leg. Si tibi alienam 7. ff. eod.* nisi conductori aliam habitationem non minùs commodam præstet, *leg. Si quis domum 9. ff. eod.* Et ideò locator, volens prædium locatum vendere, potest illud vendere eâ lege, vt emptor finat conductorem explere tempus suæ conductionis, *l. Si merces 25. §. qui fundum ff. eodem.*

4 Contra conductor prædij tenetur statis temporibus pensionem seu mercedem soluere. Cuius tamen subinde facienda est remissio: veluti si sine culpa conductoris seu casu fortuito, vel vitio rei contigerit sterilitas; quæ cum vbertate præcedentis vel sequentis anni, vbi plurium annorum est locatio, compensari non possit, *cap. Propter sterilitatem hoc tit.* veluti si vel tempestate, vel lue aliquâ, vel hostium incursu segestes vehementer corruptæ fuerint. Modicam tamen sterilitatem ac modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur *l. l. Si merces 25. §. vis maior ff. eod.* Neque enim ob magnam anni sequentis vbertatem augeri pensionem oportet, Castr. *ad d. §. vis maior.* Ratio autem, cur locator pensionem remittere pro rata damni debeat, casu fortuito dari, cùm casus fortuitus à neutro contrahente sit præstandus, est, quia casus iste seu sterilitas contingit in ipsa re locatoris, nempe in fructibus adhuc pendentibus, quorum est Dominus cùm sint pars fundi: ideóque casum illum ferre debet, *iuxta leg. Pignus Cod. de pignorib.* Aliud proinde esset, si fructus à colono percepti, & in horreum coniecti pereant aut perierint, *leg. Damnum 12. Cod. h. t.*

Obseruandum autem hîc, Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 11.* omnes locationes, anticipatis 5
solutionibus in præiudicium successorum, & quascúmque locationes rerum Ecclesiasticarum in damnum Ecclesiæ, contra Canonicas sanctiones factas, etiam confirmatæ sint à Sede Apostolica, decernere nullas & irritas.

Insuper notandum, successorem stare locationi prædecessoris sui non teneri, quando is 6
nonnine proprio & in suam vtilitatem locavit fructus & reditus suæ dignitatis, beneficij, vel officij; nisi in casu, quo res non esset integra: vt si consiti sint agri, si pendeant fructus, vel inchoatus sit annus. Latè Riccius *in Praxi decis. 112.* Vide varios citatos à Gallemaert *ad d. cap. 11.* Conc. Trid.

Denique ex hoc quoque contractu duæ 7
oriuntur actiones: vna, quæ dicitur ex locato vel locati, & datur locatori aduersus conductorem: altera ex conducto vel conducti, quæ datur conductori aduersus locatorem; de quibus vide VVesemb. *ff. h. t.*

§. II.

De Emphyteusi.

1 *Emphyteusis vnde dicatur, & quid sit.*
2 *In quo distinguatur ab emptione-venditione, à locatione conductione.*
3 *Emphyteuta amittit ius emphyteusios, si non soluat canonem.*
4 *Si item vendat rem non factâ denuntiatione Domino directo.*
5 *Cui propter alienationem soluitur 50. pars pretij seu laudemium.*

AD Tit. de locato retulit Pont. Emphyteusim, ob maximam eius cum locatione-conductione affinitatem.

Emphyteusis Græcè idem valet, quòd Implantatio seu insitio: dicitúrque ager dari in emphy

emphyteusin, quando datur, vt conseratur arboribus, vel segetibus. Inde verò accommodatum est hoc nomen ad significandum contractum, quo res in emphyteusin datur.

1 Definitur itaque Emphyteusis potest, vt sit contractus iuris ciuilis, bonæ fidei, quo scriptura interueniente, fundus aliquis alteri fruendus in plures annos, quàm decem, aut in perpetuum traditur, ea lege, vt eum meliorem, fructuosiorem reddat, sub onere annuæ pensionis, tradendi seu Domino directo soluendæ.

2 Est autem contractus hic veluti medius inter emptionem venditionem & locationem conductionem: adeò, vt cùm olim dubitaretur, esset ne emptio-venditio, an verò locatio-conductio, ob similitudinem, quam cum illis habet, tandem Zeno Imperator distinctum & specialem contractum fecerit.

Differt ab emptione-venditione, quòd in emphyteusi non transferatur dominium directum, vt in venditione: à locatione verò, quòd non tantùm vsus, sed etiam vtile dominium transferatur, directo manente apud Dominum. In cuius directi dominij recognitionem cùm emphyteuta soluat canonem seu pensionem annuam, non autem in compensationem fructuum, quos ex fundo percipit, vti conductor mercedem soluit; ideò propter sterilitatem non fit ei remissio, sicut fit conductori: nec potest emponemata siue meliorationes, quas fecit in fundum emphyteuticum, alteri vendere, nisi cum consensu Domini, à quo eum in emphyteusin accepit. Cùm enim is sit directus Dominus, nec interfit emphtyeutæ, à quo pretium meliorationum accipiat, an à Domino directo, an verò ab alio; meritò præfertur cuilibet alteri. Et ad hoc, vt secum deliberet, an eas velit emere, an non, habet spatium duorum mensium, *cap. potuit hoc tit. l. 3. Cod. de iure emphyt.*

3 Id quoque emphyteuta, solutionem canonis vltra biennium protrahens, emphyteusin Ecclesiasticam amittat, nisi celeri satisfactione moram soluendi canonis purgauerit, *dict. cap. potuit* § *fin.* Idque etiam, tametsi ei, vt canonem solueret, non fuerit nuntiatum; quia hoc casu dies pro homine interpellat. Ciuilem verò amittit, si per triennium cessauerit: nec in hac videtur posse mora postmodum oblatione purgari, quia longius tempus hic præstitutum meritò loco purgationis censetur.

4 Similiter excidit emphyteuta iure suo, si emphyteusin vendiderit nullâ denuntiatione factâ Domino directo, aut factâ quidem, sed non expectato termino duorum mensium, qui Domino conceduntur ad deliberandum, num velit oblato pretio emphyteusin recipere ad se, *dict. cap. Potuit. & dict. l. 3. Cod. de iure emphyt.*

Cæterùm quando emphyteusis ex consensu Domini alienatur, soluitur ei quinquagesimâ pars pretij, *dict. l. 3.* quæ pars vocari solet Laudemium. Videatur Iulius Clarus §. *emphyteusis quæst. 23. & 25.* & Georgius Frantzkius *tract. singulari de Laudemiis.* 5

TITVLVS XIX.

De rerum permutatione.

1 *Definitio Permutationis.*
2 *Quæ res permutari possint.*
3 *Permutari possunt beneficia cum beneficiis auctoritate superioris.* 4.
5 *Dummodo alia etiam concurrant.*
6 *Et nihil admisceatur temporale.*

POSTEAQVAM Pont. egit de nonnullis contractibus nominatis, aliquid etiam subiicit de innominatis, & nominatim de permutatione. Quod nomen licet videatur proprium, tamen generale est, nec significat aliquam certam speciem contractus, quandoquidem quilibet contractus, in quo aliquid vltrò citróque præstatur, permutatio quædam sit: nam in emptione res vendita verè permutatur cum pretio; in locatione merces cum opera; & sic de cæteris. Hic autem sumitur specialiter prout distinguitur ab aliis contractibus.

Quo pacto definiri potest contractus, iuris gentium, innominatus, bonæ fidei, re & consensu constans, in quo certa species cum alia specie commutatur. Nam si genus cum genere vel specie commutetur, existimant quidam esse contractum Do vt des, ex quo oritur actio stricti iuris, cùm ex permutatione oritur actio bonæ fidei. 1

Possunt autem permutari omnes certæ species, quæ sunt in commercio hominum, modò permutantium sint, nec permutari prohibeantur: non tantùm res tum corporales cum incorporalibus, dummodò merè temporales sint, vt v. g. fundus cum annua pensione permutari possunt. 2

3 Dico, dummodò merè temporales sint: nam temporalia cum spiritualibus absque simoniæ labe permutari non possunt, sed bene spiritualia cum spiritualibus, vt beneficia cum beneficiis inter personas idoneas, auctoritate tamen Superioris, *cap. Quæsitum 5. c. At quæst. 6. hoc tit.* Sic quoque aliæ res Ecclesiasticæ cum aliis item Ecclesiasticis permutari possunt, etiam addito pretio, ad æqualitatem fructuum & reddituum compensandam, *Ad cap. dict. quæstionis in fine.*

Quia verò permutatio species est alienationis, ideò in permutatione rerum Ecclesiæ eædem solemnitates requiruntur, quæ in earundem alienatione; & vbi alienatio permittitur, à fortiori permitti debet permutatio, modò ratio, cur alienatio permittitur, ad permutationem adaptari possit, *cap. 1. 2. 3. & 4. hoc tit.*

4 Dixi ante, spiritualium cum spiritualibus, & beneficiorum cum beneficiis permutationem fieri posse auctoritate Superioris; quia licèt beneficiati de suorum beneficiorum permutatione facienda agere & tractare valeant, tamen permutationem ipsam privatâ auctoritate facere aut concludere nequeunt, quia talis permutatio semper labem continet simoniæ; & proinde vterque suo beneficio permutato privari potest, *dict. cap. Quæsitum, & c. Cùm olim h. t.*

Neque obstat, quòd, Cùm beneficium datur pro beneficio, detur aliquid spirituale pro spirituali, quod dictum est esse licitum, *d. c. Ad quæstiones*; tunc verò simoniam contrahi, cùm spirituale datur pro aliquo temporali, *cap. vlt. h. t.* Nam is, qui ex pacto beneficium suum permutat cum alio beneficio, ideò incurrit simoniam, quia pro re spirituali, vt pro beneficio, dat aliud beneficium, spirituale quidem, sed habens aliquod admixtum temporale, scil. fructus: quo casu etiam contrahi simoniam constat, *cap. Præterea sup. de transact.* Neque in permutatione beneficiorum inter se dici potest, quod *in d. c. Ad quæstiones* rescripsit Pont. de permutatione duarum Parochialium Ecclesiarum inter se, attributis vtrimque possessionibus, supplero pretio pro minus valentibus, quia ibi duo ineuntur contractus permutationis, qui inter se nullo modo miscentur. Verùm beneficium datur pro beneficio, vnica initur permutatio, scilicet beneficij ad beneficium, non duæ permutationes, nempe vna officij & ministerij Ecclesiastici, cum alio officio ac ministerio, & altera fructuum vnius beneficij ad fructus alterius. Fructus enim beneficij Ecclesiastici se habent ad beneficium, vt accessorium ad principale, adeò vt à beneficio separari non possint.

Ad beneficiorum verò permutationem plura requiruntur, Primum, vt vterque permutantium ius habeat in beneficio, quod permutat; *c. Cum vniversorum 8.* in verbis, *prebendarum suarum hoc tit. l. 1. ff. eod.* Adeò vt alter, qui beneficium suum resignavit: ex causa permutationis, possit sine nova collatione ad illud redire, *d. c. Cum vniversorum, c. Si beneficia de præben. in 6.* Secundò requiritur, vt beneficia vtrimque resignentur in manibus Superioris; & vt is vtrimque ex causa permutationis resignatum & vacans alteri alterius beneficium conferat: alioquin si conferat alicui tertio, collatio est nulla *c. vnico hoc tit. in 6.* etiamsi is tertius haberet exspectativam ad primum beneficium vacans, quia beneficia ex causa permutationis resignata, non simpliciter resignata sunt, nec vacant, sed sub ea conditione dumtaxat, vt alter alterius beneficium consequatur, *d. c. vnico.* 5

Nec obstat, quòd resignatio beneficij debeat esse pura, absque vlla conditione vel pacto, *d. c. Quæsitum*; quia hoc verum est, quando adiiceretur conditio, modus vel pactum ab ipsis resignantibus, citra auctoritatem Superioris; & vbi conditio non admittitur à Iure, vt fit in permutatione, *Clem. vnica eodem t.* Quòd si resignatione ab vna parte factâ, alter nolit ex sua parte eam adimplere, prior ad beneficium suum redibit, *d. c. Vniversorum.* Vtrimque factâ resignatione, si vnus nolit alterius beneficium habere, alter vtrumque obtinebit. 6

TITVLVS XX.

De Feudis.

§. I.

Quid sit Feudum.

1 *Contractum feudalem esse nominatum.*
2 *Definitio Feudi.*
3 *In quo contractus feudalis ab emphyteusi differat.*

SVNT qui ad contractus innominatos referant contractum Feudalem, quia à Iure scripto proprium nomen non

non habeat; imò sit prorsus incognitus. * Verius tamen & communiùs obtinuit, esse nominatum; quia tametsi à iure scripto non habeat nomen, habet tamen à consuetudine, nempe hoc, Feudum. Quod licet frequentius ita sumatur, prout significat rem ipsam, quæ in feudum conceditur: tamen quandóque etiam sumitur, vt ipsum contractum designet feudalem, seu pro ipso contractu feudali.

2 Atque hoc pacto sumptum nomen Feudi definiri potest, quòd sit benevola & libera rei immobilis vel æquivalentis concessio, cum translatione vtilis dominij, retentâ proprietate seu directo dominio, sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi.

Dicitur, benevola & libera concessio; vt distinguatur à Locatione & Emphyteusi, in quibus vsus rei conceditur, sed propter pensionem & annuum canonem. In puro autem Feudo non soluitur pensio vel canon, sed obsequium tantùm personale exhibetur. Quòd si aliquando in Feudo aliquid soluatur in recognitionem directi dominij, ex ea parte declinat ad naturam emphyteusis, & deficit à natura Feudi.

Dicitur, rei immobilis; quia res mobilis in feudum dari nequit, *titulo 1. lib. 2. de vsibus Feudorum.* Nomine autem Rei continetur non solùm res soli seu fundi, sed quidquid solo seu fundo cohæret, vt ædificia, vineæ, arbores in superficie soli constitutæ: item ea, quæ immobilibus comparantur, vt seruitutes; nam & in iis quasi possessionem & quasi dominium esse dicimus, *l. Seruitutes ff. de seruit. vrban. prædiorum, l. Possessores 12. Cod. de fundis patrimon. lib. 11.* Item annui reditus, qui ex aliqua re immobili debentur, vel saltem ex perpetua aliqua negotiatione, vt cùm de cella vinaria feudum conceditur, *c. 1. §. sciendum de feudi cognit.* Si quis autem ignorans rem alienam, aut alteri obligatam, in feudum acceperit, potest agere, vt alia res eiusdem bonitatis & æstimationis sibi detur in feudum, cum prima evicta: secus si sciens; nisi speciali pacto sibi prospexerit, *c. 1. tit. de inuestitura de re aliena l. 2.*

Dixi, sic vt in eum transferatur vtile dominium, vt distinguatur ab vsufructu simplici, qui iure seruitutis debetur, & quo non transfertur vtile dominium; éstque seruitus personalis, quæ morte vsufructuarij extinguitur: cùm interim Feudum transeat ad hæredes masculos, imò etiam ad fœminas, si de his nominatim sit dictum. Quia verò in feuda transfertur dominium vtile, ideò res alienari prohibita in feudum nouum dari nequit, *c. 1. Per quos fiat inuestitura l. 2.*

Additum est, sub onere fidelitatis, &c. quia si res aliqua in feudum detur, eâ lege, vt nihil seruitij præstetur Domino, erit impropriè Feudum, quod Francum, id est; liberum appellant. Tenetur autem Vasallus Domino directo non solum fidelitatem promittere, sed & iurare re: de quo iuramento vide *tit. de noua forma fidelitatis lib. 2.* Illud tamen de substantia feudi non est, quia remitti potest, *Titulo 3. per quos fiat inuestitura §. nulla l. 2.*

Differt insuper contractus feudalis ab em- 3
phyteusi in eo, quòd, ortâ inter aliquos controversiâ de feudo, de ea Dominus cognoscat; non autem in emphyteusi. Præterea Vasallus seu feudatarius non potest sine consensu Domini feudi oppignorare; emphyteuta verò potest fundum emphyteuticum. Similiter feudatarius non potest alteri feudum absque consensu Domini dare, quia manet Domino obligatus, nec potest alium in suum locum subrogare; emphyteuta potest ius suum alteri cedere, quia non ipse, sed res emphyteutica est Domino obligata. In Feudo fœmina non succedit, nisi sit fœmineum, aut nisi id expressè actum sit, quia nequit personale obsequium æquè ac vir præstare: at verò rem in emphyteusin accipere potest, quia æquè ac vir rem meliorare potest, qui est finis emphyteuseos. Feudatarius non cogitatur Domino obsequium præstare, nisi isto petente; emphyteuta verò tenetur constituto tempore pensionem soluere. Feudatarius denique potest se abdicare feudo, sine voluntate Domini; non item emphyteuta emphyteusi.

§. II.

Quis in feudum dare; & quatenus alienari possit.

1 *Dare potest quilibet laicus, rerum suarum liber Dominus.*
2 *Clericus quoad bona Ecclesiastica non item.*
3 *Exceptio triplex.*
4 *Vasallus sine consensu Domini feudum alienare nequit.*
5 *Quid iuris de eo sit in Brabantia ac Flandria.*

COncessio feudi vnicuique laico, qui liberam rerum suarum administrationem habet, permissa est; etiam fœminæ, *cap. 1. Per quos fiat inuestitura, & arg. l. In re mandata Codice Mandati.* Quamquam non desint, qui rusticis 1

& plebeis eam negent, Fachin. 7. *Controvers. cap.* 84. aliis tamen id affirmantibus.

2 Ecclesiastico verò infra summum Pontificem, sine eius auctoritate, quoad bona Ecclesiastica, non ita permittitur dare in feudum, *c. vnico de rebus Ecclesiæ non alienan. in Extravag. commun. cap. Per tuas inf de donationibus cap. 2. sup. delocato*: licèt Abbas, Abbatissa, & præpositus id facere potuerint, vt patet ex *tit. 6. lib. 1. Feud.* Ratio est, quia in feudum datio est alienatio; imò donatio quædam, quæ facta à Prælato, in præiudicium Ecclesiæ, est ipso iure nulla. Adeóque Pius IV. excommunicavit omnes persuasores & mediatores infeudationum bonorum Ecclesiasticorum 4. Kalen. Aprilis 1566. apud Petr. Matthæum 7. *Decret. al. lib. 1. t. 1. cap. 6.* Et proinde non posset hodie Episcopus ius decimarum dare in feudum, vt colligitur *ex c. Prohibemus inf. de decimis*: vbi etiam prohibetur, ne laici decimas, quas ante Concilium Lateranense habuerunt transferant in alios laicos.

3 Excipiuntur tamen certi casus. Nam Prælatus Ecclesiæ, res in feudum dari solitas, si morte Vasalli vel aliter ad Ecclesiam redierint, priusquam factæ sint de mensa Ecclesiæ, potest iterum alteri in feudum dare, si modò id ex Ecclesiæ vtilitate esse arbitretur, *cap. 2. hoc titul.* etiamsi iurasset, se res Ecclesiæ de novo non daturum in feudum, inconsulto Romano Pontifice: quia illud iuramentum intelligi debet de iis rebus, quæ antea non sunt solitæ in feudum dari.

Secundò, si illicitè à Vasallo alienatum fuerit feudum, & sic ipso iure commissum, potest Prælatus idem alteri dare, etiam filio vel consanguineo eiusdem Vasalli.

Tertiò, Feudum Ecclesiæ in alienatum, vt facilè recuperari non possit, potest alicui laico potentiori concedi, qui illud recuperet & ab Ecclesia recognoscat.

Quin autem Clericus in propriis bonis, id est quæ non intuitu Ecclesiæ acquisivit, possit feudum constituere, non est dubitandum, *c. 1. in princ. de Clerico qui inuestituram, &c.* cùm hæc bona nihil à laicorum bonis distent. *cap. Quia nos c. Relatum inf. de testam.*

4 Non potest autem Vasallus feudum sine consensu Domini alienare vel oppignorare: &, si id fecerit, feudum amittit; sicut & qui feudum Domino negat. Cum consensu verò Domini potest illud alienare, vel etiam pignori dare, tam directo Domino, quàm extraneo, *cap. 4. hoc tit.* Quòd si directo Domino pignori det, Dominus abstinendo à vasalli servitio, fructus ex feudo perceptos non tenetur computare in sortem, id est non deducit eos de principali debito, quia scilicet eos percipit pro fidelitate & servitio, ad quod obligatus est Vasallus, *d. c. 1.* Licèt aliàs regulariter creditor fructus ex pignore perceptos computet in sortem.

5 In Brabantia potest quis ex indulto principali feudum, cui libuerit, testamento relinquere, vel aliàs inter vivos alienare. In Flandria verò non nisi iuratâ coram Feudalibus necessitate, quòd scilicet non possit iuxta suam qualitatem se exhibere, nisi feudo vendito. Vt proinde allodialia, si quæ habeat, præcedere debeant: adeò vt, si verè necessitas non fuisse probetur, alienatio debeat declarari nulla, prout in Parlamento Mechlinienſi anno 1617. factum fuisse testatur Zypp. *de iure Pontif. nouo lib. 3. h. t.* vbi subiungit, existere quandam Ordinationem Comitis Flandriæ Ludovici innovatam per Philippum Bonum 27. Augusti 1460. ne feuda alienentur sine indulto Principis, néve pro debitis subhastentur, nec à proximo agnato haberi possint, etiam quæ sunt ex providentiâ maiorum, nisi is hæres fuerit. Quòd si possidens feudum nobile, quod servitium personale debeat, monasterium ingrediatur, aliud statim amittit, *cap. vnico de Vasallo milite, qui bellica arma deposuit.* Allodia verò venerabilem domum sequuntur, si ab ea bonorum sit capax, *Novella 76. & 123. cap. 38.* Si verò feudum fuerit non nobile, nec servitium personale debeat, retinet vsumfructum ad vitam naturalem, & postea transmittit ad proximum agnatum, ita Zyp. *d. loco* ex Alvaroto & DD. *in d. c. vnico de vasallo milite.*

TITVLVS XXI.

De Pignoribus & aliis cautionibus.

§. I.

Quid sit Pignus, & quotuplex.

1 *Cautio multiplex est.*
2 *Pignus & Hypothecam sapiùs confundi, ac tripliciter vsurpari.* 3.
4 *Contrahi pignus vel expresse vel tacitè.* 5.
6 *Pignus aliud Prætorium, aliud Iudiciale.*
7 *De hypotheca obligatione ex moribus hodiernis.*

SEQVITVR

EQVITVR nunc de his, quæ contractibus perfectis, tam nominatis quàm innominatis, ad eorum maiorem securitatem adhiberi solent; cuiusmodi sunt, simplex promissio, & Iuramentum seu iuratoria cautio de solvendo vel adimplendo debito: item Pignus & Fideiussio; & quidem nominatim de duobus posterioribus, ac primo loco de Pignoribus, quia plus cautionis est in re, cuius accessione contrahitur pignus, quàm in persona, cuius accessione contrahitur fideiussio. *l. Plus cautione ff. de Regula iuris.*

1 Inscribitur autem Tit. *de pignoribus & aliis cautionibus*; quia præter pignus multiplex est cautio. Nam cùm cautio significet securitatem, quâ quis redditur securus de eo, quod sibi promittetur vel debetur, & hoc multipliciter contingere soleat, fit, vt multiplex quoque resultet cautio; alia simplex, quæ fit solâ promissione; alia iuratoria, quâ quis promittit se daturum vel facturum aliquid præstito iureiurando; alia fideiussoria, quæ fit datis fideiussoribus; alia hypothecaria, quæ fit cum hypotheca: & sic de aliis. Pontifex tamen hîc ferè agit de pignoribus tantùm, non etiam de aliis cautionibus in particulari.

2 Etsi verò nomina hæc Pignus & Hypotheca sic distinguantur, vt Pignus propriè dicatur rei mobilis, inspectâ etiam notione nominis: quia pugno id est de manu in manum traditur; Hypotheca verò rei immobilis, & non traditæ, quæque nudâ conventione contrahitur, §. *Item Serviana Instit. de actionib. l. Si rem* §. *propriè ff. de pignor. actionib.* tamen sæpiùs confunduntur.

3 * Et vtrumque tripliciter vsurpatur; Primò, pro ipsa re, mobili vel immobili, creditori in securitatem debiti obligata. Secundò, pro ipso contractu seu conventione, quâ pignus vel hypotheca contrahitur. Tertiò, pro obligatione seu iure, quod ex contractu in re nascitur, quóque creditor nomine eius, quod sibi debetur, rem obligatam tenet.

Secundò modò sumptum definiri potest, quòd sit contractus, iuris gentium, nominatus, bonæ fidei, quo creditori ius in re alicuius constituitur, vt debitum ei sit tanto tutius.

4 Contrahitur autem pignus vel Expressè, vel tacitè, Expressè iterum dupliciter, vel mutuâ partium conventione, quo casu non est opus præsentiâ vel traditione rei, *leg. 1. ff. de pign. action.* Vel citra conventionem; idque vel iussu testatoris, volentis rem aliquam creditori suo esse pignori, vel decreto Iudicis aut Magistratus, per missionem in possessionem & detentionem rei. Et hoc vel est Prætorium, vel Iudiciale.

Prætorium dicitur, quando Iudex ex primo decreto, nullâ præcedente sententiâ, mittit creditorem in possessionem rei. 5 Iudiciale, quando ex sententia præcedente vel re iudicata mittit agentem ex primo decreto. Ita distingui, convincunt diversi Tituli Codicis, *de Prætorio pignore*, & *Si in causa iudicati pignus captum sit.* Alioquin vtrumque largo modo dici potest Iudiciale, eo quòd à Iudice detur: vel etiam Prætorium vt colligitur ex *leg. 1. & 2. Cod. de Prætorio pignore*, & *leg. Non mirum ff. de pignorat. act.*

Tacitè contrahitur pignus, quando ex vi & dispositione legis vel statuti introducitur. 6 Hoc pacto omnia bona debitoris Fisci vel Principis, ratione sive contractus sive tributi, sunt ipsi tacitè oppignorata. Excepto minori, qui si aliquid emerit à fisco, sola res empta manet obligata pro pretio. Similiter bona tutoris, curatoris, administratoris Ecclesiæ, civitatis, sunt tacitè obligata pupillo, minori, Ecclesiæ, civitati, pro administratione. Item bona mariti, vxori pro dote restituenda, *c. Ex lit. 5. h.t.* bona item patris, filio pro administratione bonorum adventitiorum filij, bona defuncti, legatario pro legato; emptum pecuniâ pupilli, ipsi pupillo, pro pretio: idque cum privilegio prælationis ante omnes creditores, in re empta hypothecam habentes. Similiter fructus rei conductæ, Domino feudi, pro pensione: invecta & illata in prædium, pro pensione & damno rei locatæ conductæ; in vrbanum quidem indistinctæ; in rusticum, si domino sciente invecta sint: & sic de similibus: de quibus vide Negusant. *de pign. p. 1. memb. 4.*

Rursus vtrumque pignus seu hypotheca, id est tacita vel expressa, est duplex, nempe alia Vniversalis, alia Particularis. Vniversalis est in qua omnia bona, non modò præsentia, sed & futura, obligantur. Et hæc non impedit rei alienationem, quia in locum eius succedit pretium, Particularis est, quando res aliqua particularis obligatur. Et hæc semper afficit ipsam rem, ad quemcumque possessorem deveniat, donec debitum fuerit solutum, aut obligatio fuerit condonata vel præscriptione extincta.

Notandum verò hîc ex Zypæo *de Iure Pont. novo lib. 3. h.t.* hodie ex Edicto Caroli V. anno 1529. & multarum provinciarum moribus, non contrahi hypothecæ obligationem, nisi coram Magistratu loci, vbi res sita est; proinde non esse ordinem prælationis inter genera- 7

lem hypothecam habentes. Verùm Edictum illud locum habet dumtaxat in hypotheca conuentionali, non autem legali. Factáque obligatione coram iudice loci, non opus est alia rei apprehensione: prout nec rerum dominium acquiritur ex dicto Caroli Edicto, repetito per Edictum Alberti an 1611. 12. Iulij art. 14. & 15. & vsu hic inueterato, nisi coram Magistratu loci, adhibitis consuetis solemnitatibus.

§. II.

Quæ res oppignorari possint.

1 *Oppignorari possunt res omnes, alienari non prohibitæ.*
2 *Prohibentur res sacræ, sanctæ, religiosæ.*
3 *Res Ecclesiæ.*
4 *Ius patronatus.*
5 *Res pupillares, minorum, litigiosæ, &c.*

1 OBligari vel dari pignori possunt res omnes, quæ sunt in dominio vel quasi dominio debitoris, vel in quibus ius aliquod habet, sive eæ mobiles sint; sive immobiles, sive corporales sive incorporales, vt census, debita seu nomina, tam futura quam præsentia, vectigalia; & sic de cæteris: nisi á natura, vel lege, vel statuto, aut persona, alienari prohibeantur. Nam rem dare pignori est alienare, & oppignoratio est quædam alienatio: licet enim debitori proprietatem rei oppignoratæ non transferat in creditores, transfert tamen & alienat ius pignoris, quod est ius reale, afficiens & sequens ipsam rem, ad quemcumque demùm possessorem peruenerit; manetque saluum creditori ius pignoris, si modò non consenserit in alienationem, *l. Sicut 8. §. non videtur ff. Quibus modis pig. vel hypoth. sol.* Quinimò ipsum etiam pignus siue ius quod in pignore creditor habet, obligari alteri potest, quamvis res, in qua pignus constitutum est, sit debitoris, *l. 1. & 2. C. Si pignus datum sit.* Verùm simulatque solutionem acceperit, desinit secunda obligatio seu oppignoratio, quippe desinente primâ, in qua fundabatur secunda. Quòd si ager pignori datus sit, etiam fructus ipsi oppignorati censentur, licèt de iis nihil actum sit.

2 Dixi, nihil á natura, vel lege &c. Hinc enim res sacræ, sanctæ, religiosæ, quia in commercio non sunt, & alienari prohibentur, ei in oppignorari nequeunt, *l. 3. C. Quæ res pignori dari non pos. l. 3. C. de religios. & sumptibus funerum.* Similiter liber homo, *cap. 2. hoc. tit.* licèt sit filius familias, *l. Qui filios 6. C. Quæ res pignori, &c.* Potest tamen captus & redemptus ab hostibus seipsum tradere in pignus, pro pretio, quod alius eius nomine persoluit, donec pretium vel obsequio vel pecunia restituerit. Potest etiam dari obses, potissimùm in causa belli, vt pactis stetur.

Secundò, dari pignori nequeunt bona mobilia pretiosa, cultui diuino dicata, atque aliæ 3
res Ecclesiæ immobiles, alienari prohibitæ; nisi iusta aliqua causa subsit, & adhibeantur solemnitates, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ *c. 1. h. t.*

Aliàs si quid horum aut similium fuerit á Rectore & per consequens tutore Ecclesiæ oppignoratum, poterit Ecclesia vel repetere & vindicare pignus á possessore, vel, si maluerit, cogere hæredem eius, qui rem Ecclesiæ obligauit, vt eam redimat & restituat Ecclesiæ, *cap. 3. & ibi Glos. hoc tit.* Teneturque hoc casu hæres in solidum, ob dolum aut culpam defuncti, qui oppignorauerit & alienauerit res, quas sciuit esse Ecclesiæ: quomodo & hæredes tutorum in solidum tenentur, *l. 1. & 2. C. de hæredib. tut. vel curat.* Possunt tamen res Ecclesiæ obligari titulo generalis hypothecæ, pro obseruatione alicuius contractus, Panor. *in dict. cap. 1.* & colligitur *ex c. nulli sup. de rebus Eccles. non alien.*

Ius quoque patronatus licèt cum vniuersitate bonorum vendi possit, dummodò ratione 4
eius non exigatur maius pretium, tamen oppignorari non potest; quia non res, per quam debitum pecuniarum possit compensari. Ideóque si castrum, cui est annexum tale ius, oppignoretur, manet ius patronatus penes priorem patronum,

Tertiò, oppignorari nequeunt res pupillares minorum, litigiosæ, fundus dotalis, instrumenta rustica & ad cultum agri spectantia. Item, secundum aliquos, seruitutes prædiorum tam vrbanorum quàm rusticorum; inter quas tamen alij discrimen constituunt. Insuper res fideicommisso subiectæ, præmium directi domini: licèt fructus feudi pignori esse posse receptum sit, *Specul. de pignor. §. 1.* Res item alienæ, nisi ex voluntate domini. Si tamen debitor, qui rem alienam oppignorauit, 5
postea fiat eius dominus, pignus conualescet.

***

§. III.

§. III.

De pactis pignorum.

1 *Pactum antichreſios improbatur iure Pontificio.*
2 *Dominus directus ex feudo oppignorato rectè fructus percipit.*
3 *Pactum item legis commiſſoriæ in pignore vtrumque ius improbat.*
4 *Quod ſi tamen iuratum fuerit, ſeruandum eſt iuramentum. 5.*

1 REcipit contractus hic pactiones, conditionem ac diem, *l. Si conuenerit ff. de pignorat. act.* dummodò legibus vel canonibus non adverſentur. Quod addo, quia licèt pactum de lucrandis per creditorem fructibus, ex re pignorata perceptis (quos creditor, quando pignus datur in ſecuritatem tantùm debiti, imputare in ſortem tenetur, id eſt, deducere de principali debito; niſi fortè ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis vel ex alia cauſa eos retinere permittatur, *cap. 1. & 2. inf. de vſuris*) quod antichreſin vocant, legibus civilibus approbetur, id tamen improbant Canones: adeò vt, ſi fructus percepti adæquent ſortem teneatur creditor, nulla alia exſpectata ſolutione, pignus reſtituere, *cap. Cum contra 6. h. t.* Imò & pactio de lucrandis fructibus ex pignore vltra ſortem, ſub ſpecie ac pallio venditionis, tanquam vſuraria improbata eſt, *c. illo vos 4. h. t.*

Dixi, quando pignus datum eſt in ſecuritatem tantùm debiti; quia ſi datum ſit, vt etiam creditor eo fruatur interim, loci rei debitæ, non tenetur imputare fructus in ſortem, *cap. Salubriter 16. inf. de vſuris*: vbi gener non tenetur fructus pignoris, à ſocero recepti, pro dote promiſſa perceptos, in ſortem imputare, quia non fuit ea mens ſoceri, vt ratione horum fructuum minueretur dos, ſed vt gener illis frueretur ad ſuſtinenda onera matrimonij, donec illi dos repræſentaretur. Alioqui ſi conſtaret dediſſe pignus tantùm in ſecuritatem dotis, nulla ſubeſſet ratio fructus illos retinendi, niſi ratione lucri ceſſantis. Vide Couar. 3. *var. reſol. cap. 3.*

2 Sunt & alij caſus, quibus creditor fructus ex pignore preceptos in ſortem imputare non tenetur, ſed eos retinere poteſt, ſorte manente integrâ: nempe quando feudum directo domino à vaſallo eſt oppignoratum, & quando emphyteuta oppignorauerit directo domino rem emphyteuticam, *cap. 1. ſup. de feudis, cap. conſtitutus 8. inf. de vſuris.* Ratio eſt, quia contractus feudalis & emphyteuticus inter alias tacitas conditiones, cum quibus ſemper conſentur celebrari, niſi contrarium exprimatur, habent & hanc, vt ſi feudum vel fundus emphyteuticus oppignorentur directo domino, poſſit ipſe percipere fructus, ſorte non minuta; idque ne res apud directum dominum exiſtens fructificet alteri, quod non videtur rationi conſonum.

Non debet tamen hoc caſu, quo, inquam, vult percipere fructus directus dominus, exigere obſequium vel penſionem ſolitam, nec percipere fructus, quos res producit, qua parte ea melior eſt effecta per induſtriam emphyteutæ inſuper non debent feudum vel emphyteuſis eſſe comparata magna pecuniæ ſumma, vel magnis obſequiis antecedentibus, ſed bona ex parte conceſſa gratis. Videatur Nauar. *in* Manuali *c. 17. n. 217.* Couar. *d. loc. n. 4.* poſt Innoc. *in c. 1. de feudis*, & Molin. *ad conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 1. Gloſſ. 9. n. 11. quæſt. 3.*

3 Præterea licèt in emptione venditione pactum legis commiſſoriæ, id eſt, vt, niſi intra certum diem pretium ſoluatur, res fiat inempta, approbetur, *tit ff. de lege commiſſoria*: tamen in pignore tam à legibus, quàm canonibus, tanquam vſurarium, improbatur, *l. vlt. C de pact. pignor. cap. Siſignificanti 7. hoc tit.* veluti ſi data mutuò pecunia, eiuſque nomine pignore conſtituto, conueniatur, vt, niſi intra certum diem pecunia ſoluatur, pignus fit creditoris. Ratio eſt, quia cùm pignus plerumque pluris ſit, quàm debitum, pro quo eſt obligatum, creditor per tale pactum verè pacíſcitur ſibi aliquid vltra ſortem dari; quod eſt vſurarium.

4 Quòd ſi tamen iurauerit debitor, ſe, niſi intra certum diem pecunia debita ſoluatur, pignus non repetiturum, iſtud iuramentum ſeruandum eſſe non obſcurè indicat Pont. *in dict. c. Significante*, in verbis, *iuramenti debitum adimpleuit.* Ratio eſt, quia iure Pontificio omne iuramentum eſt, quod abſque præiudicio tertij & diſpendio ſalutis æternæ ſeruari poteſt. Sic enim ſervandum eſt iuramentum de ſoluendis vſuris, *cap. debitores ſup. de iureiur.* quia eas ſolucre non eſt peccatum, ſed accipere.

5 Non obſtat, quòd pactum legis commiſſoriæ in pignore ſit nullum, vtpote contra legem & canonem; ac proinde & iuramentum nullius roboris, tanquam illius acceſſorium, videatur, *arg. l. Cùm principalis ff. de reg. iur.* quia

quia præterquam quòd illa lex non habeat locum, vti diversa est ratio accessorij & principalis, vti hoc casu, vbi dictum pactum est prohibitum in odium creditoris, aliquid vltra sortem exigentis: iuramentum verò spectat ad reverentiam divini numinis, idcóque servandum, cùm non tendat in præiudicium tertij aut salutis æternæ: dicendum, est, iuramentum hic non tam esse accessorium, quàm principale, quia primaria obligatio per illud acquiritur Deo, secundaria parti, Couar. *ad c. quamvis de pactis in 6 §. 3 n. 3.*

§. IV.

De actionibus pignoratitiis, & quomodo pignus dissoluatur.

1 *Actio pignoratitia vel directa, est competens debitori.*
2 *Vel contraria, qua datur creditori adversus debitorem.*
3 *Hypothecaria actio qua sit.*
4 *In quo differat à pignoratitia.*
5 *Quando cumulari hæ actiones possint.*
6 *Quomodo dissoluatur pignus.*

1 COnstituto pignore, duplex ex eo oritur actio: vna, quæ propriè vocatur Pignoratitia; altera Hypothecaria. Pignoratitia vel est Directa vel contraria.

Directa datur debitori, persoluto debito, adversus creditorem, vt rem sibi pignoratam restituat, vna cum fructibus, & damnum dolo culpáve datum resarciat. Cùm enim pignus vtriusque gratia contrahatur, & vt creditori magis in toto sit debitum, & vt debitoribus magis pecunia credatur, ideò dolus, lata, & leuis culpa præstatur a creditore, non etiam leuissima: sicut vis maior aut casus fortuitus, *arg. l. Si ea res ff. de actionibus empti.* Nisi hoc casu culpa creditoris perisse rem debitor probet, Glos. *in l. Si creditor C. pignorat. act.* Et hæc non datur debitori, nisi priùs pignus sit traditum creditori, quia oritur ex interuentu rei, *inst. Quib. modis re contrah. obligatio*, vel saltem fingatur traditum, vt in locatore, cui finguntur tradita bona conductoris, quæ habet sibi obligata pro pensione, etiamsi verè tradita non sint, Negusant. *de pignorib. p. 7. memb. 1. n. 2.* Quæ autem veniant in actionem pignoratitiam, tradit idem auctor *memb. 3. eiusdem part.*

2 Contraria datur creditori, adversus debitorem, ad id, quod sibi pignoris nomine abest: vt si fortè sumptus in rem pignoratam fecerit, aut res aliena sibi oppignorata fuerit. Et hæc datur, etiamsi pignus ei traditum non fuerit, Negusant. *dict. loc. num. 3.* Varios verò casus, quibus pignoratitia contraria competit creditori adversus debitorem, vide apud eundem *dict. part. 7. memb. 3. à num. 13. & præsertim à num. 22.*

3 Hypothecaria actio datur creditori, ad vindicandum pignus à quocumque possessore, debito non soluto; vt ita rei pignoratæ incumbens, si non soluatur debitum, possit eam distrahere, & ex eius pretio, quod sibi debetur, decerpere: sive ea distrahenda nominatim conuenerit, sive non; imò etiamsi conuenerit, ne distraheretur, facta denuntiatione à legibus statuta seu seruato iuris ordine.

4 Differt insuper Pignoratitia ab Hypothecaria (quæ & Seruiana & quasi seruiana appellatur) quòd pignoratitia sit personalis, *l. fin. C. de distract. pign.* quia oritur ex contractu: bonæ fidei ac civilis; & cùm sit personalis, tollitur præscriptione 30. annorum, *l. Sicut C. de præscrip. 30. annorum.* Hypothecaria verò realis seu in rem, *l. Pignoris 18. C. de pignor.* stricti iuris, vel arbitraria, & Prætoria: tolliturque interdum decem annis, interdum 20. interdum 30. & interdum 40. vt *in l. 1. C. si adversus creditorem.* Latiùs Negusant. *dist. 6. in 2. memb. n. 1. & 2.*

5 Illud etiam obseruandum hic, quòd quando agitur contra debitorem, possint cumulari in eodem libello personalis & hypothecaria, vt in *nouel. de fideiussorib. §. sed neque*, latè Mynsing. *cent. 1. obser. 38.* non autem, si agatur simul contra debitorem & tertium possessorem, quia tum priùs agi debet contra debitorem & postea contra tertium possessorem, *Auth. Sed hodie C. de actionibus & obligat. Auth. Hoc ita si debitor C. de pignorib.* Nec potest agi contra tertium possessorem hypothecariâ, nisi priùs actum fuerit personali contra principalem debitorem, vel eius hæredes, vel hæreditatem iacentem, vel fideiussores, si existent, & nisi obtentâ priùs aduersus eos sententiâ Negusant. *de pignor. part. 8. memb. 1. num. 9. & 10.* Facta autem excussione, principalis potest creditor experiri in solidum aduersus quemlibet possessorem, etiam diuisim & pro parte possidentem, prout latè tradit Guido Papa *decis. 432.* Si tamen diuisim semel petierit, ampliùs solidum à singulis non petet, *arg. l. liberum fuit 16. C. de fideiussor.* Et si lite iam contestata debitor bona hypothecata alienauerit, possessor habens causam à debitore conueniri poterit ante ipsum debitorem,

debitorem, Negusant. *dict. memb.* 1. *num.* 10.

6 Denique dissoluitur pignus integrâ debiti solutione, remissione oblatione, consignatione & depositione, *l.* 1. *Cod. Qui potiores in pign. hab.* Item rei interitu, mutatione debitoris, novatione voluntariâ, dominij impetratione, tempore, sententiâ vel iureiurando: vt si iuratum vel iudicatum sit, pignus obligatum non esse. Vide VVesemb. *in Parat. tit. Quid. mod. pign. vel hypoth. soluitur.*

Quod si quæras, an re avocatâ per remedium *legis* 2. *Cod. de rescind. vendit.* resolvatur hypotheca, medio tempore ab emptore constituta? Resolui verius est.

TITVLVS XXII.

De Fideiussoribus.

§. I.

Quis dicatur Fideiussor.

1 *Fideiussor dicitur qui pro alio accessoriè se obligat.*
2 *In quo differat à Constitutore.*
3 *A Mandatore & Expromissore.* 4.
5 *A correis debendis.*

FIDEIVSSOR latâ significatione is omnis dicitur, qui alterius obligationem in se suscipit, & suâ fide esse iubet: indéque nomen existit, *leg. Quamvis, si mulier, ff. Ad S. C. Velleian.* sive sit fideiussor propriè dictus, sive mandator, sive constituens seu constitutor, sive expromissor.

1 * Propriè verò dicitur fideiussor, qui per stipulationem pro alio accessoriè se obligat.

Dico, pro alio; quia nemo pro seipso, id

2 est, pro eo, quod ipsemet debet, fideiubere potest. In quo differt in primis à Constitutore, quia potest quis constituere, quod ipsemet debet, §. *In personam Instit. de actionibus.* Sicut & in eo, quòd possit quis constituere sive pro se, sive pro alio, etiam nudo pacto, vel per epistolam; & constitutor principalem obligationem tantùm sequatur.

3 Differt à Mandatore, quia mandator nudo consensu constituitur, etiam absens: fideiussor non nisi per stipulationem & præsens, *l.* 12. *C. h. t.* Rursus mandator suo nomine obligatur, & obligationem principalem præcedit; nam mandator dicitur, qui mandat alicui credi, vel cum aliquo contrahi, & id suâ fide esse iubet, id est, promittit se soluturum, si is, pro quo mandat non soluat, *l.* 12. *si post creditam*, *D. Mandati.* Fideiussor autem solum alieno nomine obligatur, & plerumque sequitur obligationem principalem; quam tamen etiam præcedere potest, §. *Fideiussor Instit. h. t.*

Ab Expromissore verò differt, quòd ex-

4 promissor, etiamsi pro alio obligetur per stipulationem, ita tamen obligatus sit, vt rem principalem liberet. Vnde per expromissionem fit novatio, non etiam per fideiussionem, cùm principalis maneat obligatus.

Denique à correis debendi differt, quòd cor-

5 rei suo nomine, & quidem principaliter, promittant; fideiussor pro alio tantùm, & quidem accessoriè: vnde & adpromissor vocatur.

§. II.

In quibus obligationibus adhiberi possit fideiussor.

1 *Omni generi obligationum accedere fideiussor potest.*
2 *Etiam ex delicto descendentium, si ad pœnam agatur pecuniariam.*
3 *Fideiussor dotis quando detur.*

ADhiberi fideiussor potest in omni genere

1 obligationum, quomodocumque contractæ fuerint, §. 1. *Instit. hoc tit. l.* 1. 2. 8. §. 1. *l.* 26. *ff. eod.* Nec refert, an obligatio, cui accedit, sit civilis tantùm, an naturalis tantùm, an civilis & naturalis simul; an Prætoria, an principalis vel accessoria, cùm & fideiussori dari possit: an item sit contracta, an contrahenda, *leg. Stipulatus* 6. §. *adhiberi, ff. eod.* Nam licet fideiussio hæc de facto præcedat obligationem principalem, tamen quoad vim suspenditur, donec principalis obligetur.

Non refert quoque, an ex contractu, vel

2 quasi, oriatur. Saluo, quòd in criminalibus non aliter adhiberi possit, quàm si agatur ad pœnam pecuniariam, quia pro criminis pœna corporali exsoluenda (cùm nemo sit membrorum suorum dominus, *l. Liber homo, ff. Ad l. Aquiliam*) dari fideiussor non potest.

Similiter fideiussor dotis, vel pro conser-

3 vatione dotis, aliter dari nequit, quàm si maritus ad inopiam notoriè vergat, *cap. Per vestras inf. de donat. inter virum & vxorem*;

vel, vt aliqui volunt, nisi vltrò à marito offeratur. Et ideò dixi, fideiussorem rectè adhiberi in omni genere obligationum, quia non in singulis obligationibus adhiberi potest. Quando autem dicitur, posse adhiberi in omni obligatione, hoc ita intelligendum est, vt sit distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, vt loquuntur Dialectici.

§. III.

Quinam fideiubere possint.

1 *Fideiubere omnes possunt, qui obligari.*
2 *Etiam Clericus pro laico.*
3 *Non tamen religiosus.*

1 FIdeiubere possunt omnes, qui obligari: nisi specialiter prohibeantur, vt fœminæ, milites, serui, & similes. Vt autem laicus pro laico vel clerico fideiubere potest, *c. constitutus, h. t.* ita vicissim clericus pro clerico vel laico, si videat illum de fideiussore laborare, *cap. 2. eod.* quia mutuæ beneuolentiæ est clericos & laicos mutuas tradere operas.

2 Nec obstat *cap. 1. hoc tit.* vbi dicitur clericus ab Ecclesia abiiciendus, qui fideiussionibus inseruit: quia id accipiendum est de clerico, qui frequentibus fideiussionibus se immiscet, & consequenter se nimium inuoluit sæcularibus negotiis, *can. te quidem 11. quæst. 1. & tit. decret. ne clerici vel Monachi sæcul. neg. se immisceant.*

3 Religiosus tamen fideiubere nequit, nisi impetratâ facultate à suo Prælato, *can. penult. hoc tit.* quia velle aut nolle non habet, nisi auctoritate superioris, cui voluntatem suam subiecit. Adeò vt ne quidem sibi donatum aliquid accipere valeat, nisi Prælatus annuat, *can. Non dicatis 12. quæst. 1.*

§. IV.

Effectus fideiussionis.

1 *In plus obligari non potest, quàm principalis debeat.*
2 *In maiorem summam adsumptum teneri pro concurrente.*
3 *Etiam in partem debiti rectè adsumitur.*
4 *Accepti simpliciter, si plures sint, singuli in solidum tenentur.*
5 *Hodie tamen eis competit beneficium diuisionis.*
6 *Vt & beneficium ordinis, ne ante principalem conueniantur.*
7 *Fideiussor soluens habet regressum aduersus principalem.*
8 *Etiam aduersus clericum.*

DEbet verò fideiussor esse paris, aut saltem non deterioris conditionis, cum principali. Et ideò licet in æqualem quantitatem vel minorem, atque etiam efficaciùs se obligare possit, quàm principalis obligetur; veluti cùm interuenit pro naturaliter tantùm obligato, quo casu non modò naturaliter, sed etiam ciuiliter & proinde arctiùs obligatur: non tamen in maiorem quantitatem seu duriorem causam, vel in plus, quàm debeat principalis, se obligare potest. 1

Quòd si tamen ita fideiusserit aliquis, sunt, qui velint, fideiussionem in totum corruere, *arg. l. Græcè, §. illud ff. hoc tit.* vbi dicitur fideiussores in duriorem causam adhibitos omninò non obligari: nam *omninò non* idem est, ac nullo modo. Sed veriùs est obligari, saltem ad concurrentem quantitatem: vt, si pro obligato in quinque fideiusserit pro decem, obligetur in quinque; quia minor quantitas inest maiori, & qui interrogat decem, interrogat quinque, *l. 1. §. si stipulanti, ff. de verb. obligat. l. Regatus 33. ff. Mandati, & l. Si à reo 70. in princ. ff. hoc tit.* 2

Non obstat *dict. l. Græcè*: quia verba citata ita sunt conuertenda, & legenda, *non omninò obligari*: vel si retineatur vulgata lectio, ea intelligenda erit, conformiter ad alias leges, vt dicatur, omninò non obligari, id est, nullo modo, in plus scilicet, quàm debeat reus principalis.

Non obstat quoque, quod fideiubens pure, pro eo, quod principalis debet in diem vel sub conditione, nullo modo obligetur; quia non est par ratio. Neque enim inest dies aut conditio in obligatione pura, sicut minor quantitas inest maiori.

In partem debiti rectè quoque fideiussor adsumitur, si hoc ipsum exprimatur, *l. Fideiussores 9 ff. hoc tit.* sicut & in id, quod minus creditor à suo debitore consequetur: quo casu fideiussor, nisi excusso, principali, conueniri non potest, *l. fin. & ibi DD. ff. si certum petatur.* 3

Alioqui simpliciter acceptus, adeò in solidum obligatur, vt, licèt plures pro eodem debitore accepti sint, singuli ipso iure in solidum teneantur, *§. si plures instit. hoc tit. l. Reos, C. eod.* Et 4

ideò

ideò iure Pand. & Cod. liberum erat creditori
5 petere debitum, à quo vellet. * Verùm hodie Epistola D. Hadriani habent beneficium, vt vocant, divisionis, quo cogitur creditor dividere actionem, & accipere à singulis viriles partes, dummodò litis contestatæ tempore soluendo sint; idque ope exceptionis. Nec enim ipso iure creditoris dividitur actio, *l. Inter fideiussores 26. ff. hoc tit.* Ideóque, si omissa hac exceptione, vnus solidum soluerit, non repetet, *l. Si testamento 49. §. 1. ff. eod.* neque à creditore, quia soluit ei, quod debebat; neque à confideiussoribus, quia sibi imputet necesse est, quod soluerit, nec exceptionem D. Hadriani obiecerit.

Neque actione negotiorum gestorum repetere partem poterit, quia soluendo non tamen gessit negotium confideiussorum, quàm suum, solidum enim soluit, vt se liberaret ab obligatione.

Quòd si tamen, priùs quàm soluat, petierit à creditore cedi sibi actionem, quam habet, adversus confideiussores, poterit postea actione sibi cessa à confideiussoribus repetere partes, *l. Vt fideiussor 39. ff. eod.* Sin autem creditor cedere actionem nolit, non nisi ad partem soluendam compelli potest, doli exceptione creditori agenti opposita, *l. 2. C. eod.*

6 Est & aliud beneficium, fideiussoribus competens, quod vocant beneficium ordinis. Quia enim fideiussor æquè ac principalis obligatur, ad id scilicet, quod tempore fideiussionis erat in obligatione; *l. 4. & 10. C. eod.* (quod addo, quia ne vsurarum quidem nomine, vel ex culpa morave debitoris regulariter tenetur, nisi in omnem causam se obligauerit, *l. Quaro 54. ff. locati*) Ideò iure veteri etiam ante principalem conueniri poterat, *l. 2. 3. 5. C. hoc tit.* Hodie verò ex nouella Constitutione Iustin. 4. *cap. 1. & Auth Præsente, C. eod.* non nisi excusso principali, nisi is sit absens à prouincia, vt conueniri non possit, *d. nouel. 4.* aut notoriè non sit soluendo; aut ordinis beneficio renuntiauerit fideiussor; & potissimùm, si iuratò, Gaill. 2. *obser. 27.* Mynsing. *cent. 2 obser. 15.*

Iuuatur fideiussor hoc beneficio tantùm ope exceptionis, hoc modo, fideiussi quidem, sed non teneor soluere, quia non excussisti principalem debitorem. Eâque non opposita, valebit iudicium, Gaill. *d. loc.*

7 Quòd si verò debitor principalis vel absit, aut sit excussus, vel aliàs constet eum non esse soluendo cogitur fideiussor soluere: qui tamen solutione facta habet regressum adversus debitorem, vt repetat, quod soluit, & præterea omne damnum, expensas atque interesse consequatur, Bald. *in l. Si pro ea, C. Mandati.* Idque vel actione mandati, si soluerit pro principali, eo vel expressè vel tacitè mandante, vt puta præsente & patiente, *l. Inter causas 26. §. si is qui, ff. Mandati*; vel negotiorum gestorum, si pro absente fideiusserit, *l. Ex mandato 20. §. 1. ff. eodem tit.*

Et hæc etiam locum habent, si quis pro Cle- 8
rico fideiusserit, qui fideiussorem suum tenetur facere indemnem, & refundere, quod fideiussorio nomine soluerit: adeò vt, si nihil aliud habeat, quàm fructus sui beneficij, illi per iudicem assignari possint fideiussori, donec ipsi satisfiat. *c. 2. h. t.*

Nec obstat, quòd iure ciuili non liceat pignori obligari spem præmiorum eorum, quæ Athletis pro coronis pensitanda sunt, *l. spem eorum 5. Cod. Quæ res pignori oblig. poss.* quibus non absimiles videntur fructus beneficiorum: quia licèt dicta præmia obligari non possint, tamen capi ex iudicato possunt, *l. stipendia 4. Cod. de execut. rei iudicatæ.* Ideóque & fructus beneficiorum ex causa iudicati, id est, iam iudicato & condemnato clerico, vt fideiussori, *d. cap. 2. in fine.*

§. V.

Quibus modis extinguatur fideiussio.

1 *Extinguitur variis modis, sicut obligatio principalis.*

2 *Fideiussor, priusquam solutum sit, quando liberetur à fideiussione.*

EXtinguitur porrò iis modis fideiussio, qui- 1
bus stipulatio vel contractus principalis: quod multifariam fieri potest, *de quibus Tit. instit. Quibus modu tollit oblig.* veluti integrâ solutione principalis debiti, nouatione, actionis confusione, nempè si creditor succedat principali debitori; si etiam fideiussor succedat debitori, quia extincta accessoriâ obligatione fit ipse debitor principalis, vel contrà, si debitor succedat fideiussori; & similibus aliis, de quibus videatur Treutler. *selectar. disputat. vol. 2. disputat. 28. thes. 7.* Pet. Greg. Tholosan. *Partit. Iuris Can. lib. 3. t. 11. c. 7.*

Sed quæritur hic, an fideiussor, priusquam 2
soluerit, possit conuenire debitorem, vt se à fideiussione liberet, vel soluendo creditori, vel

aliter ei satisfaciendo? Et dicendum, regulariter non posse, *l. Si pro ea* 10. *vers. nullâ iuris ratione, C. Mandati*: tùm quia aliàs fideiussionis beneficium esset debitori inutile, si statim post fideiussionem possit agere ad liberationem: tum quia fideiubet pro alio, non tantum se pro eo obligat, sed etiam promittit se pro eodem soluturum, ac proinde quamdiu non soluit, nondum perficit, quod promisit. Attamen quatuor modis, quos enumerat Pont. *in cap. Constitutus, & cap. vlt. hoc tit.* compellitur debitor absoluere à fideiussione suum fideiussorem. Primus est, si debitor solutionem nimis diu protrahat. *l. Luc. Titius* 18. *vers. si diu ff. Mandati*; quod arbitrio iudicis relinquitur. Secundus, si debitor principalis bona sua dissipare incipiat, *dict. l. Luc. Titius*. Tertius, si fideiussor sit condemnatus soluere, *dict. l. Si pro ea, C. Mandati*; quia tunc perinde habetur, ac si soluisset, cùm sententia parata habeat executionem, possitque fideiussor quolibet tempore absque alio iudicio cogi ad soluendum id, in quod semel fuit condemnatus. Quartus, si ita conuenerit ab initio.

TITVLVS XXIII.

De Solutionibus.

1 *Nomen Solutionis generaliter & specialiter sumitur.*
2 *Debitor etiam est hæres debitoris principalis.*
3 *Quatenus Prælatus teneatur ad æs alienum sui prædecessoris.* 4
5 *Quatenus cogi possit ad soluendum, qui soluendo non est.*
6 *Et quid de clerico.* 7.
8 *De eo, qui errorem soluit indebitum.*

DICTVM est hactenus satis de contractibus quomodo ineantur, & quo pacto cautionibus, pignoribus scilicet & fideiussoribus, firmentur. Sequitur nunc de eorum solutionibus.

1 Solutio namque generaliter hic sumitur pro omni liberatione, quoquo modo contingat, *l. solutionis verbum* 54. *ff. hoc tit.* siue ipso iure, veluti solutione propriè dicta, nouatione, confusione, transactione, & similibus; siue ope exceptionis, veluti pacto de non petendo sententia, tempore, contingat liberari. Specialiter verò sumitur pro naturali præstatione eius, quod debetur, *l. Solutam* 49. *& l. penult. ff. eod.*

2 Debitor autem hic dicitur non tantùm principalis, sed & fideiussor & hæres: ille, quia sponte ad obligationem accedit; hic, quia succedit in locum & ius defuncti, quo debitum continetur, *fin. §. l. sin verò, ff. de deliberandi l. Hæredem* 59. *l. Hæreditas* 62. *ff. de reg. iuris.* Æquum verò est, vt ad quem deuenerint bona defuncti, idem & onera ferat, *l. secundum naturam* 10. *ff. eod. tit.*

3 Vnde etiam successor in Ecclesia vel beneficio, velut hæres Ecclesiæ aut beneficij, tenetur soluere æs alienum seu prædecessoris, pro necessitate vel vtilitate Ecclesiæ suæ contractum, *cap.* 1. *hoc tit.* Non quòd in Ecclesia seu beneficio sit verus hæres sui prædecessoris, sed quia in administratione rerum Ecclesiæ seu beneficij, quod debito obnoxium est, succedat.

4 Dixi, pro necessitate vel vtilitate Ecclesiæ; quia ipsa Ecclesia non tenetur pro alienis debitis. Imò Prælatus, qui Ecclesiam suam obligauit pro debito alieno, cùm sic abutatur officio boni administratoris, remouendus est ab administratione rerum Ecclesiæ, *cap.* 2. *hoc tit.* vt ne successor quidem eo nomine teneatur. Quamvis hæredem prædecessoris teneri suprà dictum sit, *cap. Ex præsentium sup. de pignoribus.*

5 Sed quid si debitor non sit soluendo? Olim qui non habebat in ære, luebat in corpore, & trahi in carcerem poterat; sed quia id satis durum erat, cùm afflicto non sit addenda afflictio, & benignitate quadam concessum fuit postea, vt bonis cedere posset, id est, permitteret bona omnia creditoribus suis distrahenda, vt inde consequantur, quod sibi debitum fuerit. Quo remedio duplex hoc beneficium consequitur creditor: prius, vt non possit in plus conueniri & condemnari, quàm facere potest, relicto debitori, qui cessit bonis, vndè honestè pro conditione sua ali possit, *toto tit. ff. & C. de cess. bonorum.*

6 Quid de clerico, qui soluendo non est? Plerique veteres, *cum Gloss. in cap. Odoardus hoc tit.* putauerunt teneri etiam clericum, ad euitandum carcerem, cedere bonis: quia scilicet iure Ciuili ita constitutum sit, nec vsquam iure Pontificio id expressim correctum in clerico reperiatur, vt proinde in hoc canones debeant imitari leges. *c. 1. inf. de noui operis nuntiat.* Attamen benignior est aliorum sententia, qui volunt Clericum non indigere hoc beneficio, quia comparatur militi, qui condemnatus eatenus tantùm soluere cogitur, quatenus facere potest,

test, nec trahi potest in carcerem ob debitum civile, *l. Miles 6. & ibi Zasius, l. item miles 18. ff. de re iudicata*, Franc. Viuius *decis. 29. num. 17.* vt proinde nec ob simile debitum clericus sit incarcerandus. Alioqui propter delicta incarcerari queat, dubium non est.

7 Probatur hæc sententia *ex dict. cap. Odoardus*, vbi summus Pont. iubet clericum, non habentem, vnde soluat, relaxari ab excommunicatione, recepta priùs ab eo cautione idonea (iuratoria scilicet) de soluendo, cùm ad pinguiorem fortunam peruenit, nulla facta mentione cessionis; quam tamen dubio procul expressisset si eâ fuisset opus.

Dixi, iuratoria; tum quia qui soluendo non est, quomodo fideiussorem aut pignus inueniet? tum quia qui pignus & fideiussorem dare potest, aut dedit, non potest dici non esse soluendo: quia si ipse non soluerit, fideiussor soluet, vel pignus distrahetur. Hinc Vlpianus *in l. nemo 95. ff. de reg. iuru*, nemo dubitat, inquit, soluendo videri eum, qui defenditur, quia scilicet idoneus defensor nemo est, nisi qui satisdederit, id est fideiusserit, §. *Si verò in personam, instit. de satisdationibus.* Vnde obiter notandum est, verba aliquando impropriè sumi pro subiecta materia, vt *in dict. cap. Odoardus* verba, *idoneâ cautione.*

Sane Philippus Pulcher, Rex Galliæ, referente Chopino *Politia sacra lib. 3. cap. 2. num. 2.* vetuit bona mobilia clericorum pro debito apprehendi, & venire publicè seu subhastari, quantumvis Pontificibus inimicus. Et Clemens VII. *per Bullam incip. Cùm ex mulorum*, decreuit causas cessionis vel discussionis bonorum, aut dilationis quinquennalis, expediendas infra brevem terminum. Paulus verò III. *per Bullam incipit. Nota* vetuit litteras moratorias per quoscumque iudices concedi. Zyp. *dict. tit.* vbi subiungit, Edicto anni 1540. presbyteros si adsistant, quos vulgò Bancæ-ruptos seu Fallitos vocant, eorúmve occultent bona, puniri per apprehensionem temporalium; ac solutiones hodiè non impediri per exceptionem non numeratæ pecuniæ: cui hodiè locum non esse, censuit Concilium Brabantiæ 4. *Septemb.* 1545.

8 Alioqui si quis per errorem indebitum soluerit, quin repeti solutum possit, dubium non est, *tot. tit. ff. de condict. indeb.* Sed quia hoc casu actor intendit se debitum soluisse, & reus negat, quæritur, vter probare debeat, quòd fuerit indebitum distinguit Pontifex. *in cap. vlt. hoc tit.* hoc modo: Si reus, idémque creditor, fateatur sibi solutum esse, sed neget fuisse indebitum, quod solutum est, tunc actori incumbet probatio, indebitum solutum fuisse, quia ei incumbit probatio, qui agit; contráque actorem præsumptio est iuris, cùm nemo præsumatur iactare suum, nec verisimile sit, quemquam tam esse supinum in rebus suis, vt soluat aliquid, quod non debet. Sin reus neget, sibi solutum esse, & actor probet, tunc rei erit probare debitum fuisse, quod solutum est; quia iam præsumptio iuris est contra reum, propter mendacium, *l. Cum de indebito 25. ff. de probationibus.*

TITVLVS XXIV.

De Donationibus.

§ I.

Quid sit Donatio & quotuplex.

1 *Donatio vnde dicta, & definitio. 2.*
3 *Duplex est, mortu causâ, & inter viuos.*
4 *Mortis causa donatio in quo legatu æquiparetur.*
5 *Donatio inter viuos qua sit.*
6 *Illam facilè reuocari; hanc non nisi ex certis causis. 7.*

QVAMQVAM verius sit, donationem de iure nouissimo esse contractum, & quidem stricti iuris, *l. Eum 22. & l. Hæreditatem 28. ff. eod.* (quamvis an contractus sit nominatus, an verò innominatus, disputent Interpp.) Bart. *ad l. iuri gentium 7. ff. de pactis*, Iason. *ad l. Cum mota 6. Cod. de transact.* tamen summum Pontificem imitati, rectè eam à contractibus separamus, & subiicimus Tit. *de solutionibus*: tum quia magis pertinet ad causam liberalitatis, quàm obligationis seu contractus, quandoquidem qui donat, non id agat, vt alterum sibi obliget, quod contractibus est proprium, vt donatarium, id est, eum, cui donat, beneficio afficiat; nec aliam ob causam det, quàm liberalitatem exerceat: tum vt paulatim à donationibus propriis, de quibus hic agendum, ad vltimas voluntates, quæ etiam sunt quædam donationes, sed impropriæ, perueniamus.

Dicitur autem donatio à Donando, quasi 1
Dono datum vel Doni datio, *l. senatus 35. §. 1. ff. de mortis causa donat.*

2 Definiri proinde potest libertas, quæ nullo iure cogente exercetur, *l.1. in princ. l. Donari 29. ff.h.t. l.Donari 28. de reg. iur.* Exercetur, inquam, donando vel remittendo: nam remissio certi alicuius iuris donatio est, *l.Si quis 12. ff.de novationibus & similibus.*

3 Donationum alia est mortis causâ, alia inter vivos. Mortis causa donatio, est quæ fit propter mortis suspicionem; ita scilicet, vt donator exprimat se mortis causâ donare, vel aliunde ita donare constet: aliàs enim præsumitur absolutè & inter vivos donare, licèt ægrotus & in extremis vitæ constitutus donet, *leg. Seia 42. in fine ff.de mortis causa donat.* Ac propterea impropria hæc donatio est, quia non fit ex mera liberalitate, vt perpetuò res fiat donatarij, sed vt certis casibus ad donatorem redeat, *l.1. ff.d.tit.*

4 Cùm verò fiat ob mortis suspicionem, ad exemplum legatorum, modus acquirendi dominij est civilis, quia dominium rei donatæ à morte donantis transfert in donatarium citra traditionem, sicut legatum transit in legatarium *leg.1. & 2. ff. de Publ. in rem actionib.* & ferè legatis exæquatur. Nam & eodem modo revocatur, & morte donatoris demùm confirmatur, & Lex Falcidia, quæ legatis modum imponit, etiam ad donationis mortis causâ porrecta est.

5 Dico, *ferè*; quia naturâ & substantiâ differt donatio causâ mortis à legato. Neque enim perficitur nisi consensu duorum, scilicet donatoris & donatarij, cùm legatum solius testatoris constet voluntate. Et qui donat mortis causâ, potest sibi hanc legem imponere, ne rem donatam revocare possit, *leg. Si alienam 13. §.fin. ff.de mortis causâ donat.* quod non potest, qui legat, *leg. Si quis 22. ff.de legat.3.*

6 Inter vivos donatio est, quæ fit sine vlla mortis suspicione, ex mera liberalitate, & eâ mente ac proposito, vt res donata statim fiat accipientis, nec vllo casu ad donatorem revertatur. Et ideò semel perfecta huiusmodi donatio temerè revocari non potest: in quo distinguitur à donatione causâ mortis, quæ facilè revocatur. Primò quidem, si factâ tali donatione in infirmitate, convaluerit deinde donator. Latè Costalius *ad leg. Non omnis 19. ff. si certum petatur.* Secundò, si donatarius ante donatorem decesserit, *leg. Si filiofamilias 23. de mortis causâ donat.* Tertiò, si donatorem pœnituerit donationis, *dict. leg. Non omn in princip. leg. Qui mortis 30. ff. dict. tit.* siquidem donans causâ mortis, mauult quidem donatarium habere rem donatam, quàm hæredem suum, magis tamen se, quàm donatarium. In quo posteriori rursus distinguitur à donatione inter vivos. Datur autem ad hanc revocandam condictio ob causam dati, vel vtilis in rem actio, *leg. Qui mortis 30. & leg. Senatum §.3. dict. tit.*

Dixi, non posse temerè revocari, quia ex 7
certis causis potest: veluti ob ingratitudinem donatarij probatam, vt si probetur impias manus, vel atroces iniurias, vel grave damnum donatori intulisse, vel vitæ eius insidiatum, revocari quidem tunc potest à donatore, non tamen ab eius hærede *cap.vltim. hoc titulo leg. fin. Codice eodem.* Idque obtinet, licèt adiecta esset clausula in instrumento donationis, de re non revocanda ob ingratitudinem. Quòd si tamen aliquid horum factum sit à donatario, & donator tacuerit; nec revocaverit donationem, non poterit postea donatoris hæres donationem eo nomine revocare, cùm revocatio illa fiat ad vindictam ingratitudinis, quæ vindicta cum persona donatarij extinguitur, *d.c.vlt. in fine hoc tit.*

Similiter probabile est, donationem omnium bonorum, vel maioris partis, (quam validam multi probabiliter existimant, per *l.8. Codice de revocan.donat. l.5. Cod. de inofficios. donat.*) revocari per supernascentiam liberorum, iustorum scilicet, vel per subsequens matrimonium, non etiam naturalium aut beneficio Principis natalibus restitutorum, *per text. in leg. Si vnquam Cod. de revoc. donat. ad quam latè* Tiraq. etiamsi facta esset Ecclesiæ, *canone, Licet & ibi Gloss.17.quæst.4.*

§. II.

Qualis in dubio fieri debeat interpretatio donationis inter vivos.

1 *Donationes huiusmodi plenissimè interpretamur.*
2 *Vltimas voluntates plenius.*
3 *Contractus plenè.*

QVoniam verò donatio hæc inter vivos 1
ex mera liberalitate proficiscitur donatoris, ideò in dubio, hoc est quando non constat satis ex verbis, quid donator senserit, latissima sit interpretatio pro donatario, *c. Cum dilecti 6. hoc titulo*, vt accipiatur id, quod donatario est commodissimum, nempe donatorem non id, quod est minimum, sed quod est

est summum, donare, voluisse. Et propterea si quis donaverit aliquem ex suis equis: nec appareat, de quo senserit aut quem donare voluerit, si optimus præstari debet, quia præsumit lex & Canon hanc fuisse mentem & intentionem donatoris, vt optimum donaret, cùm ex mera liberalitate donet, *d. c. Cum dilecti.* Pari modo si Episcopus cum consensu patroni vtatur hac simplicitate verborum, *Concedimus vobis illam Ecclesiam*, censetur vterque concedere totum ius, quod quisque habet in ea Ecclesia, patronus quidem ius patronatus, Episcopus verò quod temporaliter obtinet in eadem, *c. Pastoralis 7. h.t.*

2 Secus in vltimis voluntatibus, in quibus non plenissima, sed plenior fit interpretatio; *leg. In testamentis 12. ff. de reg. iuris.* Vnde si quis equum aliquem legaverit alicui ex suis equis, nec expresserit quem, datur quidem legatario electio, vt non cogatur pessimum accipere, non tamen potest eligere optimum, sed aliquem inter optimum & pessimum, *leg. Legato generaliter 37. ff. de legat. 1.* quia non intelligitur testator tam liberalis, quàm qui donat inter vivos. Nam testator donat tum, cùm morietur, & cùm ampliùs bonis suis frui non poterit, donator verò inter vivos etiam cùm ipse vti posset.

3 In contractibus autem non plenissima, nec plenior, sed plena fit interpretatio, id est contractus potiùs valeat, quam pereat, *l. Quoties 12. ff. de rebus dubiis.* Et ideò datur creditori electio: vt si, v.g. equum aliquem ex suis, quos domi habet, vendiderit, sine expressione illius, possit tradere, quem velit etiam pessimum, quia id sufficit, vt contractus subsistat. Et hoc est, quod habet Regula Iuris, Semper in obscuris quod minimum est sequendum esse, *l. Semper 9. ff. de R.I.*

§. III.

Quo pacto donatio inter vivos perficiatur.

1 *Iure veteri non nisi traditione rei perficiebatur donatio.*
2 *Iure novo etiam solo consensu.*
3 *Donatio excedens 500. solidos insinuari debet.*
4 *Exceptio.*

1 CÆterùm cum donatio inter vivos, propriè accepta, sit potiùs species traditionis, quàm obligationis, quæri hic quoque potest, an qui donavit aliquid, quod non tradidit, obligetur donatario, vt cogi possit dare quod promisit. Iure quidem veteri *ff. & Codice*, donatio huiusmodi non perficiebatur nudo pacto seu consensu, sed traditione rei: & hac solâ ratione dici poterat modus naturalis acquirendi dominij, iuxta §. *Per traditionem 40. Inst. de rer. divis.* nec aliter oriebatur actio ante traditionem, quàm si donatarius fuisset stipulatus, rem donatam sibi tradi *leg. Si tibi pecuniam 20. ff. de rebus cred. leg. 1. & leg. Quisquis Codice eodem.* * At verò Iustinianus Imp. hoc correxit, voluitque donationem solo consensu seu voluntate, quóvis modò manifestatâ, perfici, & habere in se necessitatem traditionis, ad exemplum venditionis, etiamsi fortè donatarius non fuisset stipulatus rem sibi tradi, §. *Alia autem Institut. hoc titulo leg. Si quis argentum Codice eodem*, idque conditione ex lege, vel ex stipulatu actione, si adiecta stipulatio fuerit. Quod etiam sequitur Pont. *in c. 1. hoc titulo*, fortè motus hac ratione, quòd ex communiori Interp. sententia, iure Pontificio etiam ex modò pacto detur actio, *vt dictum sup. ad Titul. de pactis.* Vnde patet, donationem inter vivos non esse modum acquirendi dominij, sed causam, quia est causa traditionis, per quam dominium proximè acquiritur. 2

Quòd si donatio hæc excesserit quingentos solidos seu aureos, insinuari actis intervenientibus apud Magistrum debet, ex eiusdem Iustiniani Constitutione, *in leg. penult. Cod. eod.* Nam olim, si excederet donatio ducentos solidos, opus erat insinuatione, ad obviandum fraudibus nullorum, ne possent subornare falsos testes, falsum producere instrumentum, aut chirographum. Idcóque simpliciter & nudè ei renuntiari nequit, *arg. leg. Nemo potest 55. ff. de legat.* Et facta absque insinuatione donatio est invalida, non quidem in totum, vt verius est, ne vtile per inutile vitietur, sed ex parte, quâ quingentos solidos excedit. 3

Ab hac tamen necessitate insinuationis, excipiuntur quædam donationes: vt in primis eæ, quæ fiunt in redemptionem captivorum, in refectionem ædium, ruinâ aut incendio consumptarum, vel à magistris militum factæ ipsis militibus, *l. penult. Cod. eod.* Secundò, donationes factæ à Principe, superiorem non recognoscente, alicui privato, vel contrà, *Gloss. in l. Sancimus & Authent. Item Ced. eod.* Sed & insinuationis defectum supplet iuramentum, Gaill. 2. *Obser. 39.* 4

§. IV.

§. IV.

De diuisione Donationis in Propriam & Impropriam.

1 *Donatio alia Propria est, eáque irrevocabilis regulariter.*
2 *Alia Impropria, quæ ex causa fit; veluti propter nuptias.* 3.
4 *Donatio causa dotis, remuneratoria.* 5.
6 *Et donatio, quæ fit sub modo vel conditione.*

1 DOnatio, de qua dixi, propriè donatio est, pura & simplex, quam scilicet donator sine vlla causa, ex mera liberalitate eâ mente peragit, vt nullo casu velit rem donatam ad se reverti.

2 Impropria donatio est, quæ fit ob causam aliquam sub modo vel conditione. Ob causam, vt Donatio propter nuptias, Donatio causâ dotis, Donatio remuneratoria, Donatio causâ mortis.

3 Donatio propter nuptias est, quâ vir aliquid vxori dat, in vicem & securitatem dotis, ab ea, vel alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonij, acceptæ. Et hoc olim vocabatur. Ante nuptias, neque post celebratas nuptias fieri poterat, cùm prohibita esset donatio inter virum & vxorem. Hodiè verò vocatur Propter nuptias, quia Iustinianus Imp. permisit donationem huiusmodi non solùm augeri constante matrimonio, sed etiam initium sumere: exemplo dotium, quæ constante matrimonio non solùm augentur, sed etiam fiunt de novo, *leg. vltim. Cod. de donat. ante vel propter nuptias*, §. *Est & aliud genus Instit. h.t.*

4 Donatio causâ dotis est, quæ fit marito ab vxore, vel ab alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonij, *leg. Pro oneribus & passim Cod. de iure dot.* Vnde & constante matrimonio revocari non potest, nisi maritus ad inopiam vergat, vel bona eius fisco inferantur, *leg. Si constante iunctâ, leg. Si marito ff. Soluto matrimonio.*

5 Donatio remuneratoria est, quæ fit in vicem præstiti officij, vnde irrevocabilis est, *leg. Aquilius, & l. Si pater* 34. *ff. hoc titulo.*

6 Donatio sub modo est, quâ aliquid cum certo modo, certáve lege donatur, *toto Tit. Cod. de donat. quæ sub modo, &c.* Et hæc priuato facta, si adiecto modo satisfactum non fuerit, à donatore impunè reuocatur, *l. vlt. Cod. eod.* Cæteróquin facta Ecclesiæ non reuocatur, ob modum non impletum, sed agitur ad eius impletionem: nisi ipsi modo adiecta sit clausula reuocatoria, hæc vel similis, Et si modo non fuerit paritum, res donata repetatur, *cap. Verum inf. de condition. appositis.*

§. V.

Quinam donare possint.

1 *Donare possunt rerum suarum plenè Domini.*
2 *Clerici proinde res Ecclesiæ donare non possunt.*
3 *Nisi fortè Episcopus construat & dotet Ecclesiam.*
4 *Limitatio huius.*

POstremò generaliter de donationibus quæritur, qui donare possint? Omnes scilicet & soli Domini, qui liberam bonorum suorum administrationem habent, cum potestate alienandi. Hinc furiosus, & prodigus, cui bonis est interdictum, propter furiosum exitum, quem talis in bonis suis facere dicitur, donare nequit. Similiter nec minor 25. annis, licet sit rerum suarum Dominus, Sed neque permissa est donatio coniugibus inter se, *toto Tit. Cod. de donat. inter vir. & vxorem*: nec invicem parentibus & liberis, in potestate constitutis, *leg. Cum de bonis* 11. *& leg. Sive emancipatus* 17. *Cod. h.t. l. Donationes* 25. *Cod. de don. inter vir. & vxorem.* Licet his duobus casibus donatio morte donatoris conualescat, *d. l.* 17. *Cod. h.t. leg.* 2. *Cod. Si quis alteri vel sibi emerit.* Sicut & iuramento, *cap. Cum contingat. sup. de iureiur.* Gaill. 2. *Obser.* 38. Quin etiam donatio parentis in filium emancipatione confirmatur, *d. l.* 11. *& 17. Cod. hoc titulo.* 1

De Clericis verò hîc specialiter quæsitum fuit: quibus quidem de bonis propriis seu patrimonialibus & quasi patrimonialibus donare licet, quantum velint, vel alio quocumque modo disponere, cùm eorum sint plenè Domini: verùm res Ecclesiæ, etiam cui seruiunt, donare non possunt, cum donatio sit species alienationis, vt dixi suprà *ad tit. de reb. Ecclesiæ non alienan.* Adeò, vt ne quidem Episcopus aut quilibet Prælatus eas donare possit, cùm non sit Dominus, sed tantùm procurator rerum Ecclesiasticarum, *c. Fraternitatem* 2. *hoc titulo*, ac proinde meliorem quidem Ecclesiæ 2

suæ

suæ conditionem possit facere, deteriorem non vtique. Nisi rei quantitas seu modicitas, vel loci consuetudo, à canonibus non improbata, donationem permittat; *cap. 3. hoc tit.* * vel nisi Episcopus in sua diœcesi Monasterium vel Ecclesiam aliquam construat: quo casu, illud quidem ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, vsque ad quinquagesimam partem reditum illius Ecclesiæ: hanc verò ad centesimam, & non vltra, dotare permittitur, *can. Bona 74. 12. quæst. 2. c. Apostolicæ h.t.* 3

Quamquam si per huiusmodi subtractionem fructuum Ecclesia cathedralis grauiter lædatur, talis donatio foret reuocanda, *dict. cap. Apostolicæ.* Et in his distingitur Prælatus Ecclesiæ à procuratore: cui à Domino permissa sit libera rerum administratio, nihil tamen earum, sive immobilium, sive mobilium, quæ seruando seruari possunt, alienare potest sine consensu Domini, *l. Procurator totorum 63. ff. de procur.* Res verò Ecclesiæ non exiguas nullus Prælatorum aliter donare potest, quam cum consensu Capituli, & ex iusta causa; adeò, vt ne quidem Episcopus Ecclesiam, in sua diœcesi sitam, pio alicui loco, veluti Monasterio, concedere possit sine consensu sui Capituli, *cap. Pastoralis 7. hoc tit.* Quomodo & Hospitalarij, id est Religiosi, qui hospitalibus præsunt, cum consensu Capituli domum aliquam suam alij loco religioso donare possunt, *cap. Inter dilectos 8. hoc. tit.* 4

TITVLVS XXV.

De peculio clericorum.

1 *Peculium quid sit.*
2 *Ex quibus constet.*
3 *Constat vel ex bonis propriis Clericorum, quorum sunt Domini.*
4 *Vel ex bonis Ecclesiæ, aut intuitu Ecclesiæ quæsitis.* 5.
6 *Clericos etiam illorum esse plenè dominos, probatur.*

NON importunè, vbi de dominationibus egit Pont. & quia de testamentariis dispositionibus deinceps acturus est, interiicit hunc Tit. *de peculio clericorum*, vt distinctiùs & melius intelligatur conditio bonorũ, quæ clerici sibi acquisiuerint, & quatenus ex iis donare, testari, aliter disponere valeant.

Dicitur autem Peculium, auctore Vlpiano *in l. Depositi §. 2 ff. de peculio*, quasi pusilla pecunia. Illudque inprimis clericis competit, si veteres canones spectemus, *can. clericus, can. duo sunt. 16. q. 1.* Verum cum hodie per recentiores canones clericis rerum possidendarum amplior facta sit potestas, idcò peculium eorum triplex solet statui. Vel enim constat ex propriis clericorum bonis, sive ea patrimonialia sint, sive quasi patrimonialia; vel ex bonis Ecclesiæ: vel denique ex bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, *tot. h. t. can. 1. & 2. 12. q. 3.* 1

Propria bona clericorum sunt, quæ vel successione hæreditaria, legato, fideicommisso, donatione, aut alio quocunque titulo, dummodo non occasione Ecclesiæ vel beneficij, clericis obuenerint. Ac proinde eorum nemine comprehenduntur quasi patrimonialia, quæ scilicet acquirunt ratione clericalis ordinis vel officij, sed alia ratione quàm beneficij, veluti celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo. Vicariæ temporali deseruiendo, aut alias similes actiones spirituales exercendo. Similiter ea, quæ proprio labore & personali industria lucrantur, ex aliis, quàm suorum beneficiorum, bonis. 2

Cùm verò clerici bonorum patrimonialium plenè sint domini, perinde vt laici suorum, *can. Episcopi & duobus seq. 12. quæst. 1. cap. Quia nos inf. de testam.* de iis etiam liberrimè, quantum volunt & cui volunt donare, aut alio quovis modo, sive inter viuos sive in vltima voluntate disponere possunt, *dict. can. Episcopi & aliis, c. 1. versic. Si autem cum seq. cap. relatum 11. cap. requisisti inf. de testam.* Idem dicendum de quasi patrimonialibus, *iuxta* Nauar. *de redditibus Eccles. quæst. 1. monito 29.* quia illa dantur clericis in mercedem laboris ac seruitij & operæ personalis præstitæ, vel liberaliter in sustentationem, absque vllo onere, tacito vel expresso dandi superflua pauperibus. Idem etiam dicendum de iis, quæ beneficiatus sibi subtrahit ex debita sustentatione, parciùs viuendo. 3

Bona Ecclesiæ dicuntur, quæ Ecclesiæ eiusdem Ministris consecrata vel destinata sunt, sive immobilia, sive mobilia, vt agri, domus, siluæ, calices, & alia; quæ quocunque titulo, sive donationis, sive emptionis, sive legati, &c. ad Ecclesiam peruenerint. Inter quæ censendi sunt fructus pendentes, cùm sint pars fundorum. Et hæc sunt in dominio Ecclesiæ: nec in iis quicquam iuris, præter administrationem, sibi vindicare clericus potest, *cap. 2. sup. de*

de donat. can. Episcopi, can. Manifesta, can. fin. 12. quæst. 1.

Bona intuitu Ecclesiæ acquisita sunt fructus & proventus beneficiorum, collecti & percepti, aliáque generaliter, quæ quâvis Ecclesiæ vel beneficij occasione Clericis acquiruntur.

4 Et de his, quid iuris in iis habeant Clerici, variant admodum Interpretes. Duæ sunt celebriores sententiæ. Prima asserit, Clericos fructuum eiusmodi tantùm esse vsurarios, id est posse eos sumere inde, quantum necessarium est ad commodam sui sustentationem; reliquum verò ex lege, non solùm charitatis, sed & Iustitiæ, & erogandum in pios vsus, & vsus pauperum, iuxta illud D. Hieronymi, *Tibi ô Sacerdos vivere de altari, non luxuriari permittitur*, referente Gratiano *dist. 44. in princ.* Idemque apertius *distinct. 42. in princip. Aliena capere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur.* Adeò vt Clericus non plus suum ex fructibus beneficij sui facere possit, quàm quod sufficiat ad victum, vestitum, cæteroſque vsus vitæ necessarios, *can. Episcopus 23. 12.* Panormit. *ad c. Cùm esses inf. de testam.* Altera & probabilior sententia est, Clericos fructuum & proventuum omnium, quos ex beneficiis suis percipiunt, sive sint distributiones, sive fructus alij, esse absolutè dominos; non solùm quoad partem, congruæ sustentationi necessariam, verùm etiam quoad redundantem: ita vt, si profanè expenderint, non teneantur ad restitutionem, licèt graviter peccent, sic expendendo, D. Thom. 2. 2. *quæst. 185. art. 7.* Hanc sententiam tenet Sarmiento *de reditibus Ecclesiast. part. 2. cap. 1. & 2. & plures alij.*

5 Quoad distributiones idem probatur ex *cap. vnico de Clericis non residen. in 6.* Concil. Trident. *Session. 22. cap. 3. de reformat.* Similiter quoad alios fructus probatur ex eodem Concil. *Session. 23. c. 1. de reformat.* & aliis tum eiusdem Concil. locis, tum Iuris Pontificij textibus, in quibus indicatur, Clericos facere tales fructus suos, vel certis casibus non facere suos. Ideóque non rectè æquiparantur vsurariis vel vsufructuariis, aut non nisi certo respectu & secundum quid; vt loquuntur: nam plus iuris in iis habent, quàm vsurarij, quia Clerici fructus omnes perceptione suos faciunt, *dict. cap. vnico de Cler. non residen. in 6.* etiam vltra necessitatem suam, erogandos in vsus pauperum & alios pios vsus. Et licèt sint domini fructuum; tamen minus iuris habent, quàm vsufructuarij, qui in vita & morte fructus suos, cuicumque voluerint, relinquere possunt, absque vllo paupertatis aut pietatis intuitu: hanc enim potestatem non habent Clerici vt constat ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 1. de reformat.* Vide Sarmiento *d. loco.*

TITVLVS XXVI.

De Testamentis & vltimis voluntatibus.

§. I.

Quid sit Testamentum, & quotuplex, eiusque solemnitas.

1 *Testamentum vnde dictum, & definitio.*
2 *Testamentum aliud Scriptum aliud Nuncupatiuum.*
3 *Vtrumque vel Paganicum vel Militare.*
4 *Testamenta hodierna esse nuncupatiua.*
5 *Forma testandi iure Pontificio præscripta.*
6 *Per hoc non videri derogatum iure ciuili.*
7 *Cur proprius Parochus requiratur.*
8 *Favor testamenti etiam non solemnis ad piam causam.*
9 *An testamentum eiusmodi sit validum in foro conscientiæ.*
10 *Favor testamenti inter liberos.*

ABSOLVTO tractatu de peculio Clericorum, id est de bonis, quæ Clericis ex propria industria vel amicorum liberalitate aut successione obveniunt, déque modis, quibus inter vivos de iis bonis disponere licet, sequitur vt videamus, quâ ratione de iisdem testamentis vel aliâ vltimâ voluntate disponere valeant.

Testamentum (ex eo appellatum, quòd sit 1 testatio mentis, quia declarat, quæ sit mens & vltima voluntas hominis, *Institut. h. t. in princ.*) est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, *l. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* Iusta sententia, id est, solemnis & legitima, vel secundum legum præscriptum de testamentis ordinata. Atque per hanc partem excluduntur cæteræ vltimæ voluntates, vt legata, codicilli, fideicommissa, donatio causa mortis, (quæ & ipsa inter vltimas voluntates refertur, quia morte confirmatur, *leg. Non videtur ff. de mortis causâ donat.* ad instar legati *l. vlt. in fine Cod. h. t.* licèt aliàs sit contractus)

contractus) quia non sunt sententiæ iustæ, id est solemnes, nec regulis de testamentorum ordinatione conformes.

2 Reiectis autem testamentorum generibus, quæ apud veteres in vsu fuerint, vt quòd calatis comitiis dicebatur, quod in procinctu, quod per æs & libram fiebat, tanquam antiquatis, & quæ in desuetudinem abierunt, dividi solet testamentum in Scriptum & Nuncupatiuum. Scripti testamenti solemnitas de iure Ciuili consistit in eo, quòd fiat vno tempore & contextu; ita vt nullus actus extraneus & alienus à testamento intermisceatur, *l. Heredes 21. in fine, ff. Qui testam fac. poss. l. Antiquitas. Cod. h. t.* quòd tem fiat coram septem testibus, ad hoc vocatis & rogatis, *d.l. Heredes, §. in testamento*; qui nomina sua subscribant, & signent testamentum annulo, vel proprio vel alieno aut alio signaculo, *§. Sed cum paulatim Institut. h.t.* Ac denique in hæredis institutione directa, hoc est vt nominetur aliquis, qui in vniversum ius defuncti sit successurus, *leg. Haredem 59. ff. de R.I.*

3 Nuncupatiuum dicitur, quo testator, non interveniente scriptura, coram septem testibus, ad hoc convocatis, nuncupat & exprimit palam nomen hæredis & legatorum dationem. *l. Hac consultissima 21. §. per nuncupationem, & leg. Iubemus 29. §. Quòd si, & §. Oportet. Cod h.t. & l. Heredes, §. penult. ff. eod. tit.* Atque ita distinguitur à testamento scripto, quòd ad substantiam huius non requiratur scriptura, nec testium subscriptio aut subsignatio, sitque ex mero iure Ciuili. Et propterea Prætor olim ex eo decernebat bonorum possessionem, *l. Si ita scriptum, ff. de bonor. possess. secundum tabb.*

4 Vtrumque testamentum, scriptum, inquam, & nuncupatiuum vel Paganicum est, vel Militare. Paganicum est eius, qui non est miles: & hoc regulariter requirit septem testes, eósque rogatos, *dictis ll. Hac consultissima & Iubemus, itemque DD.* Militare est militis: & hoc si à milite fiat in expeditione bellicâ, nullam requirit solemnitatem ordinationis, iure Ciuili requisitam, sed ad eius validitatem sufficit, quòd constet quoque modo de militis voluntate, sive scripta, sive non scripta, *leg. Ex testamento 5. l. Milites 15. Cod. de testam. milit. Institut. eod. tit. in princip.* quia arma magis, quàm leges scire præsumuntur milites, nec sinunt occupationes bellicæ Iurisperitos adhibere, aut quid leges iubeant inquirere. Quod quia facere possunt mulieres & rustici, etiamsi imperiti sint iuris, non gaudent simili privilegio, Vt neque militi competit, si testetur post missionem, aut extra castra, licèt militet adhuc, verùm tunc solemni iure testari eum oportet, *l. penultim. Cod. de testam. milit. §. 4. Institut. eod. tit.*

Hodie vero passim receptum est moribus, 5 vt testamentum fiat coram Notario, & duobus pluribusve testibus. Quod testamenti genus esse nuncupatiuum verius est, quia testator voluntatem suam nuncupat & declarat coram testibus; Notarius verò voluntatem nuncuparam excipit scripto: non ad substantiam testamenti, sed ad rei gestæ comprobationem, nempe testamentum nuncupatiuum factum fuisse.

Similiter iure Pontificio valet testamentum, 6 factum coram parocho & duobus tribúsve testibus, potissimùm si fiat ad piam causam, veluti si pauperes instituantur hæredes, vel Ecclesia aut Monasterium aliquod, *d. c. Relatum 11. h. t.* Quo casu ad validitatem testamenti, etiam in foro externo, non requiri vllas solemnitates, iure ciuili introductas, sed sufficere ea, quæ iuris sunt gentium, vt scilicet duo adsint testes, nec aliam qualitatem in testibus exigi, quàm quæ ex ipso iure gentium insit, docet Cou. *de testam. c. 11. n. 9.* Iul. Clarus *§. testamentum quæst. 6. n. 1.* & facit text. *in c. Relatum 11. h.t.* Quinimò ne quidem requiri duos testes, ad hoc, vt testamentum sit validum, dummodò sit potestas in disponente, capacitas in eo, in cuius favorem disponitur, & libertas in dispositione, docet Lessius *2. de Iust. & iure c. 19. dub. 2. n. 7.* Ita vt testes ad probationem dumtaxat sint necessarij; Idque obtinet etiam, vbi testamentum non fit principaliter ad piam causam; veluti vbi laicus instituitur hæres, vt in *c. Cum esset 10. h.t.* quia, inquit, Pont. scriptum est, quòd in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Quamquam hoc casu, quo, inquam, non fit ad piam causam testamentum, positá contrariá consuetudine & vsu, verius videatur, vtrumque ius in suo foro servandum esse: Ciuile quidem in foro ciuili, & terris Imperij; Pontificium verò in foro Ecclesiastico, & ditionibus Rom. Ecclesiæ, etiam quoad temporalem iurisdictionem, subiectis, Iul. Clarus, *ad §. Testamentum quæst. 57.* Nam decisio & responsio *in dict. cap. Cum esset* directa est ad Episcopum Hostiensem, qui in temporalibus subiectus est Romano Pontifici.

Nec obstat illud *Deuteron. 17. & 19. Ioan. 8. & 2. ad Corinth. 13.* quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, cuius meminit Pont. *in d. c. Cum esset & d. c. Relatum*:

nam hoc ita accipi debet, quòd non possit aliquis condemnari, nisi testes ad minimum duo vel tres contra eum testimonium dicant, non autem, quasi nullus actus celebrari queat, adhibitis pluribus, quàm tribus vel duobus testibus, & quasi hoc sit contra legem divinam. Etenim Pont. ipse, *in dict. cap. Cùm esses*, præter duos testes vult adhiberi presbyterum parochialem. Præterea non damnat consuetudinem Hostiensis Episcopatus, requirentem ad testamentum septem testes, quasi divino iuri contrariam, sed quia ea contra generale Ecclesiæ ius receptum non legitimè inducta esset.

7 Loquitur verò Pont. *in d.c Cum esses* de proprio Parocho, quia non est tanta præsumptio falsitatis in eo, atque in extraneo. Quòd si tamen loco presbyteri interveniant duo alij testes, valebit testamentum, quia duo idonei testes supplent vicem Parochi, maiorisque sunt auctoritatis, quàm solus Parochus, *arg. c. Licet ex quadam* 47. *sup. de testibus*, Abbas *in d. c. Cum esses num.* 7. Attamen alterius Confessarij, etiam à Parocho specialiter deputati, non sufficeret præsentia, *secundum* Chopin. *de sacra Polit. lib* 2. *tit.* 1. *num.* 14. Et Edictum Principum nostrorum an. 1611. art. requirit Notarium, Pastorem aut eius vicarium, certamque formam præscribit de testamentis ordinandis, de qua vide Zip. *de iure Pont. novo hoc tit. n.* 13. *&* 20.

8 Similiter licèt vltima voluntas pendere ex alieno arbitrio non debeat, improbetque ius civile dispositionem testamentariam in alterius arbitrium relatam, *leg. Illa institutio ff. de hared. instituendis*: de æquitate tamen Canonica, favore piæ causæ, is, qui extremam suam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus, *cap. Cum tibi* 13. *h. t.* Bart. *in l.* 1. *Cod. de sacro Eccles.* Marc. Anton. Genuen. *in Praxi cap.* 2. *num.* 13. *per l. Theopompus ff. de dote prælegat. leg. Quem haredi ff. de rebus dubiis.* Quamquam alij malint *dict. cap. Cum tibi*, intelligi de ipsa executione vltimæ voluntatis, non de dispositione. An autem testamentum ad interrogationem alterius factum, etiam ab infirmo, in extremis constituto, valeat, disputat, Alexan. *Consilio* 33. *incip. Ponderatis.*

9 Illud quoque hìc controvertitur, an testamentum ad causam non piam sit validum in foro conscientiæ, si desint solemnitates, iure positivo requisitæ? Negat Covarr. *c.* 10. *num.* 12. affirmat Less. 2. *ff. de iure & Iust. c.* 19. *per l. si inutiliter Cod. de fideicomm. &* §. *vlt. Instit. de fideicom. haredit.* Eâ ratione, quòd ex tali testamento, iuxta communem sententiam, oriatur obligatio naturalis, & solemnitas iuris tantùm requiratur in testamentis, vt fidem faciat in foro externo, & falsitas omnis deceptióque evitetur, *l. Quæstionem* 32. *Codice de fideicommissi.*

Nec obstat, inquit, *leg. Hac consultissima Cod. de testam. nec* §. *Ex eo Instit. Quib. mod. testam. infirmentur.* vbi tale testamentum dicitur esse nullum quia illi textus loquuntur de nullitate in foro externo, in quo iustis de causis ex tali testamento, perinde ac si nullum esset, non datur actio. Et si autem lex civilis tali testamento non adsistat, non tamen ei resistit; ideóque oritur saltem obligatio naturalis, sicut ex nudo pacto. Sic fideicommissum, si ex testamento nullo agnoscatur, solui debere, non vt ex testamento, sed quasi alia relinquentis voluntate, iudicatum refert Charondas *lib.* 3. *Resp.* 47.

Denique vt in testamento ad pias causas non requiruntur solemnitates iuris civilis, ita nec in testamento inter liberos vtriusque sexus, *d. l. Hac consultissima* §. *ex imperfecto*; sed tantùm attenditur dispositio iuris gentium, Ideóque sicut in testamento ad pias causas duo sufficiunt testes, etiam non rogati, ita & in testamento inter liberos. 10

§. II.

De Institutione hæredis.

1

1 *Institutio heredis est caput testamenti.*
2 *Codicillis institui hæres directè non potest.*
3 *Liberi, in potestate existentes, necessariò instituendi vel exheredandi.*
4 *Instituendi liberi in legitima portione, absque onere.*

TEstamenti basis & fundamentum est hæredis institutio, sine qua inutile est testamentum *Instit. de fideicom. haredit.* §. 2. Quod & in hac causa, sicut & in numero testium, distinguitur à Codicillis, in quibus sufficiunt quinque testes, * nec continent hæredis institutionem, saltem directam. Quod addo, quia per fideicommissum hæreditas codicillis iure relinquitur. *Instit. de codicillis in fine, l.* 2. *& leg. Si idem Cod. eod. tit.* sicut & legata, fideicommissa, & alia similia, *Instit. de sing. rebus per fideicom. relictis.* Vnde si quis hæredem in codicillis instituat, ea institutio flectitur in fideicommissum, 1 2

commissum, censeturque hæres successurus ab intestato, rogatus restituere hæreditatem instituto in codicillis.

3 Tametsi verò quis, quem velit, hæredem instituere possit, cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quàm vt suprema voluntatis liber sit stylus, *l.1.Cod. de sacrof. Eccles.* si tamen testator liberos habeat in potestate, qui etiam vivo patre rerum paternarum quodammodo domini existimantur, §. *Sui 2. Instit. de hared. qualit.* eos aut nominatim instituat necesse est, aut exhæredet nominatim & ex certa causa exhæredationis, per scriptum hæredem probanda, *Novel. 115. cap.3.* Alioqui ex causa præteritionis testamentum est ipso iure nullum; quoad institutionem scilicet, nam legata & fideicommissa firma manent, *dict. Novel. 115. cap. 3. in fine, & Auth. Ex causa Cod. de liberis præterit.* nimirum vt in eo puniatur testator, in quo peccavit. Si verò liberos præterierit emancipatos, testamentum quidem subsistet ipso iure, sed Prætor vel Iudex dabit præteritis bonorum possessionem contra tabulas testamenti, §. *Emancipatos 3. Instit. de exhæredat. liberorum.*

Non ignoro, existimasse quosdam, iure Pontificio non requiri necessariò, vt parens filium, quem in potestate habet, hæredem instituat vel nominatim exhæredet, sed valere eo iure testamentum, in quo filius suppositus potestati patriæ, fuerit præteritus, dummodò legitimam suam habeat portionem, relictam titulo vel legati vel donationis, vel alio quolibet; eo quòd *in cap. Raynutius hoc tit.* non dicatur, filias fuisse institutas, sed tantùm illis relictas legitimas suas portiones. Sed verius est, etiam iure Pontificio filios esse hæredes instituendos, & legitimam titulo institutionis relinquendam, cùm id nusquam illo iure decisum reperiatur, & propterea dispositioni iuris civilis stari debeat, *arg. c.1. inf. de novi op. nuntiat.*

4 Instituì proinde debent liberi etiam hoc iure vt minimùm in legitimâ sua portione: quæ olim fuit quarta pars, *Inst. de inoffic. testam. §. sed hæc ita:* hodie verò, si liberi sint quatuor aut pauciores, est triens, id est tertia pars, sint plures, quàm quatuor, est semis, id est, dimidia pars eius, quod habituri essent ab intestato, *Novel. 1.* Quod si minus quam legitima vel quantacumque pars eis fuerit relicta, tunc agere poterunt, non quidem querelâ inofficiosi testamenti, vt olim, *leg. Papinianus 8. §. quoniam, ff. de inoffic. testam.* sed ex Constitutione Iustiniani condictione ex lege, ad supplementum, *l. omnimodo 30. leg. Scimus 36. Cod. dict. tit.* quæ non finitur quinquennio, vt querela inofficiosi, sed durat triginta annis, vti omnes actiones personales, *d. l. Scimus.*

Hæc verò legitima portio nullo onere, veluti vsufructu, fideicommisso, conditione, modo, aliáve re gravari potest. Quod si secus fiat, onus pro non adiecto habetur, *l. Quoniam in prioribus 32. Cod. eodem, cap. Raynutius 17.* in verbis *ipsam in legitima non potuit aggravare, hoc tit.* Dicitúrque ibidem *legitima iure naturæ debita*: & *naturæ debitum in cap. Raynaldus 18. hoc tit.*

§. III.

De duplici detractione legitimæ & Trebellianicæ.

1 *Detractio hæc iure Canonico fieri potest.*
2 *Probatur etiam iure civili illi locum esse.*
3
4 *Gravatus legatis detrahit quartam ex Lege Falcidia.*
5 *Episcopus ex legatis Ecclesiæ detrahit portionem Canonicam.*

QVâ ratione si filius, à patre institutus hæres iussus sit hæreditatem alteri restituere, non solùm legitimam suam portionem ab hoc onere fideicommissi servabit liberam, sed præterea iure Pontificio quartam detrahet Trebellianicam, id est, quartam partem totius hæreditatis; quam iussus fuerit restituere; & vtramque portionem, cui voluerit, relinquere poterit, vel ab intestato ad legitimos suos hæredes transmittere, quia reliquum dumtaxat fideicommisso continetur, *cap. Raynutius, & cap. Raynaldus hoc tit.* Habétque locum duplex hæc detractio etiam in testamentis liberorum, respectu parentum, iis scilicet casibus, quibus permissum est liberis condere testamentum, *arg. d. cap. Raynutius, & c. Raynaldus, iunctâ l. Nam etsi parentibus 15. in princ. ff. de inoff testamento.* 1

Verùm, an vtraque hæc deductio seu detractio etiam iure civili obtineat, ad modum controvertitur. Non obtinere, probari videtur *ex l. in ratione 11. §. quod vulgo, ff. Ad L. Falcidiam,* vbi vnica quarta detrahitur; & *l. Iubemus, C. Ad S.C. Trebell.* vbi iubentur liberi, qui rogati sunt restituere hæreditatem, dodrantem, id est, novem vncias totius hæreditatis restituere. Igitur servare sibi poterunt dumtaxat vnicam quartam, id est, tres vncias reliquas. 2

3 Attamen verius videtur, filium, fideicommisso grauatum etiam iure civili posse detrahere vtramque quartam, sive sub conditione vel in diem rogatus sit restituere, vt vult communis Interpp. sententia, sive purè, id est, sive diversis temporibus quarta legitima & Trebellianica deducatur: legitima quidem, simulatque se filius paternæ hæreditati immiscuerit, Trebellianica verò tunc demùm, cum exstiterit conditio restituendæ hæreditatis: sive vno & eodem tempore deducenda sit vtraque quarta, vt si filius purè rogatus sit restituere alteri hæreditatem paternam. Etenim tamquam regulare traditur à DD. *ad l. Qui non militabat 78. ff. de hæred. instituen.* quòd, quando auxilia plura per leges promittuntur ex diuersis causis, competant singula, nec vnum per aliud excludatur, nisi per alias leges statuatur aliud. Ideóque, cùm filius habeat legitimam ex vna causa, nempè pro debito naturæ, ad excludendam querelam inofficiosi testamenti, & insuper Trebellianicam ex alia causa, scilicet pro præmio additionis, ad hæreditatem restituendam, poterit vtramque deducere: sicut filius, cui aliquid prælegatum est, si ita grauetur legatis, vt legi Falcidiæ locus sit, prælegatum suum retinet, & nihilominus de cæteris legatis quartam Falcidiæ detrahet, prælegato in Falcidiam non computato, *dict. l. Qui non militabat, iunctâ l. Ex facto proponebatur 35. ff. de hæred. instit. l. in quartam 91. ff. Ad L. Falcidiam*; quia hæc duo ex diversis causis competunt; prælegatum ex voluntate testatoris; Falcidia beneficio legis.

Et hoc quoque videtur indicare Iustinianus Imp. qui cùm *in l. Si pater, & in l. Quoniam in prioribus, C. de inoff. testam.* voluisset onere fideicommissi vniversalis grauatum, liberari ab eo onere, quoad legitimam, sic tamen, vt legitima querelam inofficiosi excludat; nihilominus postea *in l. iubemus, Cod. Ad S. C. Trebell.* eidem filio concedit quartam Trebellianicam, pro præmio additionis. Ideóque sicut rogatus hæres, idémque creditor, alicui alteri hæreditatem restituere, non alia bona ce nsetur rogatus restituere, quàm quæ, deducto per hæredem debito proprio, supersunt (iuris siquidem est notissimi, cuiusque ea demùm censeri bona, quæ deducto ære alieno supersunt) ita filius iussus restituere hæreditatem, non alia restituet bona, quàm quæ, deductâ legitimâ, tanquam sibi naturaliter debita, supersunt, cùm ea fideicommisso grauari non possit: & deducet Trebellianicam ex iis, quæ iussus fuerit restituere. Plura de hac quæstione vide apud Fach. 5. *Controuers. cap.* 20.

Quemadmodum autem grauatus fideicommisso detrahit quartam Trebellianicam, ita grauatus legatis vltra dodrantem, id est, novem vncias (omnis enim hæreditas cuiuscumque quantitatis in duodecim vncias à iure distribuitur, totáque hæreditas venit Assis nomine:) detrahit quartam Falcidiæ, *tot. tit. ff. & Cod. & Institut. Ad leg. Falcidiam.* Exceptis legatis piis, & nonnullis aliis, quæ deductionem illam non admittunt: de quibus latè DD. *ad l. in testamento cum Auth. seq. Cod. Ad L. Falcid.* 4

Denique obseruandum hic est, Episcopum de legatis Ecclesiæ, in sua dioecesi sitæ, detrahere portionem canonicam (quæ respectu consuetudinis cuiusque loci varia est, *Gl. ff. in cap. Requisisti 15. in V. quartam hoc tit.*) prout præscribitur *in cap. Officij 14. hoc tit. dict. cap. requisisti*: nisi citra fraudem legata fuerint Ecclesiæ pro ornamentis, fabrica, cereis, luminaribus, vel aliis similibus piis causis, vt pro alendis pauperibus, maritandis, aut in monasterio collocandis puellis pauperibus *cap. vlt. hoc tit. vbi fusiùs DD. sicut & in dict. cap. Officij* Vide & Piasec. 2. *praxi Episcopali, cap. 5. art. 4. num. 40. & seqq.* & quæ infrà dicentur *ad tit. de sepulturu, §. 6.* 5

§. IV.

De Substitutionibus.

1 *Substitutio alia directa, alia indirecta, seu obliqua.*

2 *Directæ alia est Vulgaris, alia Pupillaris; eaque Tacita vel Expressa. 3.*

4 *Alia item Exemplaris, Reciproca, compendiosa. 5. 6.*

POtest verò testator plures gradus hæredum & institutionum facere, sed quælibet post primam vocatur Substitutio, quæ nihil aliud est, quàm hæredis secundo gradu vel deinceps, in locum prioris, institutio. Estque Directa vel indirecta seu obliqua.

Directa est, quæ verbis fit directis, seu quâ hæreditas substituto defertur directè & immediata à testatore, absque alicuius ministerio qui illam alteri restituat, vt si testator dicat: *Titius hæres esto, si Titius hæres non erit, Caius hæres esto.*

1 Indirecta est, quæ verbis fit indirectis, obliquis, vel precariis, seu qua hæreditas substituto defertur, per alterum, qui illi eam restituat; vnde

vnde & Obliqua & Fideicommissaria appellatur: vt si testator institutum à se hæredem roget, vel fidei eius committat, vt hæreditatem alteri restituat.

2 Directa vulgò dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam & Compendiosam. Quibus addi potest Militaris. Vulgaris est, quæ concipitur in casum, quo institutus hæres non erit, sive quia noluerit, sive quia non potuerit: atque in vnum casum concepta etiam alium comprehendit. Dicitur Vulgaris, quia à quolibet testatore fieri potest cuilibet; & per eam substitutus fit testatori hæres.

3 Pupillaris est, quæ fit impuberi, in potestate testatoris existenti, nec per mortem ipsius in potestatem alterius recasuro, instituto in casum, quo hæres erit, & ante pubertatem decesserit: & per hanc substitutus non testatori, sed impuberi fit hæres. Vtraque hæc substitutio est vel Expressa vel Tacita. Expressa est, quando testator exprimit conditionem, quæ omni substitutioni vulgari vel pupillari inest: videlicet, *Si institutus hæres non erit*, aut, *si filius meus intra pubertatem moriatur*. Tacita est, quando conditionem illam non exprimit, sed subintelligitur ex præsumptione legis, præsumentis talem esse voluntatem testatoris. Vulgaris vtraque exspirat adita hæreditate; pupillaris verò non per aditionem hæreditatis, sed demùm cùm pubes fit, cui pupillariter facta est substitutio. Continet autem se mutuò vulgaris & pupillaris, quando casus vtriusque in eandem personam concurrere potest: vt in impubere, si ei vulgariter substituatur, continetur tacita pupillaris.

4 Exemplaris est, quæ fit liberis, furiosis, aut mente captis, in casum, quo adhuc furiosi aut mente capti decesserint. Dicitur exemplaris, quia ad exemplum pupillaris, intuitu humanitatis, introducta est, *l. Humanitatis, C. de impub. & aliis substi.* Vnde quasi pupillarem quidam vocant. Et hoc modo etiam mater & auus maternus substituere potest, licèt non pupillariter, quia exemplaris substitutio non dependet à patria potestate, vti pupillaris.

5 Reciproca, quæ & Breuiloqua dicitur, est, quando plures hæredes instituti sibi inuicem substituuntur, vt si testator dicat: *Caium & Seium hæredes meos instituo, & eosdem inuicem substituo*. Dicta proinde reciproca, quasi reflexa in se; & Breuiloqua quòd breuibus verbis fiat.

6 Compendiosa est, quæ plures quoad diversa tempora continet substitutiones, vt si dicat testator: *instituo filium meum hæredem, & quandocumque decesserit, substituo ei Caium*. Vnde distinguitur à Reciproca, quòd illa contineat plures substitutiones quoad personas, plurésque similes substitutionum species continere possit; Compendiosa verò plures quoad tempora, respectu vnius personæ & necessariò dissimiles, prout latiùs de his, & aliis discriminibus, videre licet *Glos. & DD. ad dict. cap. Raynutius hoc tit.*

§. V.

Qui testamentum facere possint.

1 *Prohibentur subiecti potestati alterius, filiifam. serui, Religiosi.*
2 *Quidam ob defectum animi vel corporis.*
3 *Quidam ob crimen.*
4 *Clericus de bonis patrimonialibus testari potest.*
5 *Item de iis bonis, quæ industria sua acquisivit.*
6 *Quæque viuendo parciùs congrua sustentationi subtraxit.*
7 *De bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis testari nequit.*
8 *Quatenus & quibus donare ex iis bonis possit.*
9 *Hodie de consuetudine clericis passim permissa facultas testandi.*

VIdeamus nunc, qui testamentum facere & testes in testamento esse possint. Testari possunt omnes, qui non prohibentur, *l. 4 ff. Qui testam. fac. poss.* Prohibentur autem quidam, vel quia potestati alterius subiecti sunt, vti filiusfamilias, extra castrense & quasi castrense peculium, etiam consentiente patre, *ff. eodem*, quia vult Lex 12. Tabb. vt qui testatur sit paterfamilias, & de re sua testetur. Et testamentorum iura per se firma esse oportet, non ex alieno pendere arbitrio, *l. Illa institutio 32. ff. de hæred. instituen.* Ideóque non obstat, quod filiusfam. consentiente patre donare possit causâ mortis, quia cùm donatio talis magis sapiat naturam cuiusdam contractus ab alterius arbitrio potest. 1

Similiter Religiosi professi, *Auth. ingressi, C. de sacros. Eccles. can. Quia ingredientibus, & seqq. 19. quæst. 3.* nisi ex concessione summi Pontificis. Vnde Couar. *de testam ad cap. 2. hoc tit. num. 17. & 18. & ibi.* Boer. Eponem. *num. 22.* Nauar.

in commentario 2. de regularibus n. 58.

2 Serui item, *l.* 16. 19. *&* 20. §. 7. *ff. Qui testam. fac. poss.* Quin etiam de statu suo dubitantes vel errantes, *l.* 14. 15. *ff eod.* Capti ab hostibus, §. *vlt. instit. Quib. non est permissum fac. testam.*

Vel prohibentur propter defectum aliquem; eúmque vel animi, vt impuberes, mente capti, furiosi, prodigi, quibus est interdicta bonorum administratio; vel corporis, vt surdi & muti à nativitate: item cæci, nisi certa aliqua obseruatione, quam præscripsit Iustin. Imp. *in l. Hac consultissima, Cod. h. t.*

3 Vel denique prohibentur propter crimen, vt si quis commiserit crimen aliquod, cui à iure annexa sit pœna, qua ipso facto sit intestabilis, *l. Is cui* 18. *&* *l. Cum lege.* 26. *ff. eodem.*

4 Præcipua hic difficultas est de clericis beneficiatis, Et dubium non est, quin de bonis patrimonialibus & quasi patrimonialibus testamentũ facere possint, *c.* 1. *c.* 4. *c. Quia nos* 9. *c. Relat.* 12. *h. t.* quemadmodum & donare ea possunt inter viuos pro arbitratu suo, vel reseruare consanguineis, & viuere ex bonis Ecclesiæ, quantumvis diuites sint, cùm nemo teneatur propriis militare stipendiis, *cap. Cum secundum* 14. *sup. de prabendis*, Piasec. 2. *part. cap.* 5 *art.* 4. *num.* 45. ne quidem Episcopus; qui tamen mensa victuque frugali, & suppellectili modesta vti debet, Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* seruata ratione qualitatis, personæ, nobilitatis, gradus, & consuetudine loci: quandoque enim quod vni sufficere honestè potest, non sufficeret alteri, *can clericum, iunctâ Glos. in V. necessitatem* 21. *quæst.* 1. Nauar. *de reddit Eccles. quæst.* 1. *num.* 92.

5 Pari modo testari clericus potest de iis bonis, quæ proprio labore personalique opera sibi comparauerit, etiam per eos actus, ad quos ipsum beneficium obligabat: vt si Curatus extra prouentus sui beneficij aliquid lucretur, celebrando Missas, concionando, audiendo confessiones, inseruiendo Capellaniæ. Vicariatus officio fungendo, administrando Sacramenta, quia taliter quæsita æquiparantur patrimonialibus, de quibus liberè disponere clericum posse, perinde ac laicum de suis, dictum est antè *ad dict. tit. de peculio cleric. per can. Episcopi* 12. *q. can. Fixumibi. q.* 5. *c. Quia nos* 9. *hoc tit.*

6 Idem dicendum de iis, quæ parciùs viuendo ex prouentibus sui beneficij congruæ sustentationi subtraxerit, Nauar. *dict. quæst.* 1. *num.* 59. *& dixi suprà ad dict. tit. de peculio cleric.* Quantum autem requiratur ad honestam sustentationem cuiusque, cùm non possit illud certa regula determinari, relinquitur arbitrio conscientiæ timoratæ, Piasec. *dict. loc. num.* 52. post Nauar. *dict. loc. quæst.* 2. *num.* 20. regulariter in beneficio modici valoris, vt ducatorum 30. vltra victum nihil præsumitur superesse; & ideò bona, quæ supersunt, censentur acquisita proprio labore, vt proinde de illis testari liceat.

Sed quæritur de bonis, quæ Clerici intuitu 7
Ecclesiæ, seu seruiunt, acquisierint, veluti de fructibus beneficiorum suorum, qui congruæ sustentationi supersunt. Et dicendum, quòd licèt eorum sint domini *cap. vnico de clericis non resident. in* 6. Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 3. *& sess.* 24. *c.* 12. *de reformat.* tamen iure Pontificio ne quidem ad piam causam testari possit, *cap.* 1. *&* 2. *Cùm in officiis* 7. *cap. Quia nos* 9. *cap. relatum* 12. *hoc tit. can. Episcopi* 12. *quæst.* 1. Adeò vt ne Pontifex quidem de reditibus sui Pontificatus testari consueverit, Piasec. *dict. loc. n.* 49. post Nauar. *dict. quæst.* 1. *num.* 27 *&* 73. Ratio est, quia Ius Pontificium voluit bona eiusmodi non alia lege cedere clericis, quàm vt inde sibi necessaria perciperent, & post mortem beneficiati rediret ad Ecclesiam, *dict. cap. in fine & dict. cap. Cum in officiis in fine.* Idque vt auerteret Ecclesiasticos ab accumulandis opibus, incitaretque ad eas res in vita liberaliter in pios vsus expendendas. Et ideo clericis donationem talium bonorum inter viuos ad pios vsus permisit, *can. Quod autem* 20. *quæst.* 7. non autem testamenti factionem vel quasi, id est, donationem causa mortis. Nisi facultatem de iis testandi à summo Pont. obtinuerint, qui eam concedere potest, & de facto sæpè concedit, Piasec. *dict. loc. in fine*, ex Nauar: & Staphilæo, *quos citat.* Neque locum habet hic regula, Quod licitum est inter viuos, licere etiam in vltima voluntate, *arg. text. Instit. de lege can. tollenda.* quia dominium fructuum beneficij post clerici mortem ipso iure redit ad Ecclesiam, cui seruiuit, *dict. cap. Cùm in officiis in fine.*

Possunt tamen Clerici, in ægritudine con- 8
stituti, ex fructibus beneficiorum suorum, non testamentariâ dispositione, sed modum eleemosynæ donare & erogare aliquid, etiam amicis vel familiaribus suis, ratione obsequij aut beneficij, sibi vel Ecclesiæ præstiti; moderatè tamen, *c. Ad hæc* 8. *d. c. relatum* 12. *h. t. & vtrobique* Boët. Epo: imò & intuitu sanguinis consanguineis, si egeant, ad decentem eorum sustentationem, *can. Non satis, can. Est probanda distinct.* 86. considerata qualitate, quam tales acquirunt per promotionem eius, qui donat, ad aliud beneficium vel dignitatem. Crescit enim

enim Clerici promotione etiam consanguineorum dignitas; & in tali gradu non sufficeret eis ad decentem sustentationem, quod antea sufficere poterat, Piasec. *d.loco n* 47. Attamen dari tantùm non debet, quo augeantur & diteſcant, Concil. Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* Vnde D. Ambroſ. 1. *Officior. cap.* 3. *Melius eſt*, inquit, *vt ipſe tuis ſubvenias, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere; non tamen vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu conferre potes in opibus.*

6 At verò hodie generali ferè consuetudine receptum videmus, vt Clerici de fructibus beneficiorum suorum validè testentur, etiam ad profanos vsus, vbicumque talis consuetudo legitimè præscripta est; dummodò fines illius non transgrediantur, & congruentem portionem erogent in pauperes & pios vsus. Ratio huius, quia prohibitio, ne Clerici de talibus bonis testentur, non est iuris divini, naturalis, aut gentium, sed iuris merè positivi, vt proinde contrario iure positivo, nempè contrariâ consuetudine, tolli possit.

Nec potest dici, talem consuetudinem testandi, in profanos vtique vsus, tacitè improbari *in d.c.Relatum*: quia eadem alibi saltem ex parte videtur probari *in c.Suscepti de elect.in 6.* Vide Covar. *ad d.c.Cùm in officiis*, Boët.Eponem *de iure provent.Eccleſ. ad c.*1.*n.*84. *& ſeqq. & ad c.Relatum,n.*42.Leſſ.2.*de iure & luſt.c.*19. *dubitat.*4.*à n.*42.

Planè licèt *cap.*1.*hoc tit.* prohibeatur Episcopo testari de rebus intuitu Ecclesiæ quæsitis; & Paulus III. Prælatos adeò fecerit inhabiles, vt ne locis quidem piis vltra decimam partem relinqui quocumque titulo velit, omnésque testandi contrarias concessiones eo reducat, vt refert Pet.Matth. *in 7. Decretal. lib.*2. *t.*14. *cap.*1. tamen & S. VVillibrordum, à quo initia nostræ fidei hæc regio suscepit, testamentum sine vllius Pontificiæ facultatis mentione condidisse, & se nullius Episcopi testamentum eo nomine, quod non habuerit facultatem testandi à summo Pontifice in Belgio irritatum scire testatur Zyp. *de Iure Pont. novo h.t.n.*2. Vide Boët. Eponem *ad d.c.*1. *num.* 104. *& ſeqq.*

§. VI.

Qui testes in testamento adhiberi possint.

1 *Prohibetur mulier teſtis eſſe in teſtamento.*
2 *Non in codicillis, remiſſivè.*
3 *Non in teſtamento patris inter liberos.*
4 *In teſtamento tamen ad piam cauſam rectè adhibetur.*
5 *Prohibetur & impubes, & ſervus, &c. item ipſe hæres.*
6 *Non verò legatarij & fideicommiſſarij ſingulares.*
7 *Denique prohibentur, quos leges inteſtabiles eſſe iubent.*

TEstes similiter in testamento adhiberi possunt, qui non prohibentur. Prohibetur autem in primis mulier: quæ quidem in iudicio dicere testimonium potest, non verò in testamentis, *l. Qui teſtamento* 20. §.6. *ff. Qui teſtam.fac.poſſ.& dixi ſup.ad tit.de teſtib.*§.2.*n.*23. non solùm ob iudicij infirmitatem; hic enim & à iudicio repellenda esset: sed quia iuris publici, à quo testamenti factio est, communionem non habet. Præterea testamenta olim calatis comitiis fieri solebant, in quibus mulieres ius suffragij non habebant. Tum etiam propter fraudes, quæ faciliùs in testamentis, quàm in iudiciis, etiam criminalibus, committi possunt. Vnde verius videtur, iure Canonico mulierem ne quidem in testamento, ad causas profanas condito, rectè adhiberi testem, Iul. Clarus, §.*Teſtamentum,q.*55.*n.*3. 1

An autem in codicillis testis esse possit dubitatum quoque fuit: verùm suprà ad *d. tit. de teſtibus*, *d.* §. 2. *num.*22. respondi, id veriùs videri, ex quo non reperiatur prohibitum, *ſecundum Gloſſ.in leg.fin. in V. cuique, Cod. de codicillis.* 2

Docui ibidem, etiam in testamento patris inter liberos admitti testimonium mulieris, *Gloſſ.in l. Hac conſultiſſima,*§.*ex imperfecto, Cod. de teſtamentis*: vt & in testamento militis in acie testantis; quia in his remissa est solemnitas iuris civilis, spectaturque solum ius gentium. 3

Sed quid de testamento ad pias causas? Communis opinio mulierem hîc quoque admittere videtur, quia & in eo ius gentium spectetur, *cap. Cum eſſes, & cap. Relatum* 11. *hoc t.* Contra tamen vrget, quòd *in d.c.Relatum*, exigantur duo legitimi testes, qualis non est mulier in testamento. Secundò, quòd, licet *in d.c. Relatum*, derogetur solemnitati iuris, quoad numerum testium, non tamen reperiatur ius civile correctum, quoad habilitatem, ac proinde servandum sit, *l. Sancimus, Cod. de appellat.* Tertiò, quòd mulier non possit esse testis in testamento, ob sexus fragilitatem; quæ ratio hic æquè militat, atque in quovis alio testamento. 4

Quartò, quòd si in testamento, in quo septem requiruntur testes, non possit cum aliis adhiberi (quo tamen casu numerus aliorum facilè suppleuerit eius fragilitatem, *l. Si quis ex argentariis, §. 1. ff. de edendo*:) multò minùs in hoc testamento, in quo minor numerus requiritur.

5 Nec est par ratio testamenti patris inter liberos: quia ibi causa intestati fouet causam testati, DD. *in d. §. ex imperfecto*, Facit *textus in l. 1. C. de his qui sibi ascribunt in testam.* in verbis, *si cùm testamentum scriptum non esset iustus successor futurus esset.*

6 Nec verum videtur in testamento ad piam causam solum attendi ius gentium, cùm vltra numerum duorum testium requiratur etiam præsentia Parochi, quam non exigit ius gentium.

7 Secundò, prohibentur, impubes, servus, furiosus, mutus, surdus, prodigus, cui bonis interdictum est: item hæres scriptus, & qui eidem vel testatori ratione patriæ potestatis coniunctus est, *§. in testibus 9. & § seq. Instituit. de testam. ord.* * Iure tamen speciali non denegatur testimonium legatario & fideicommissario singulari, eorúmque filiis puberibus, & aliis, in potestate existentibus, *§. legatarij autem Instit. eod.* cùm plerumque testibus aliquid relinquatur, vt fideliores existant & remunerandi causa, non debet destrui testamentum eo, quod ad confirmationem illius factum est. Neque hinc sequitur, eos esse testes in propria causa, saltem principaliter, & non nisi ex consequenti & secundariò: *de quo sup. tit. de testibus. §. 2. num. 6.*

8

9 Tertiò, prohibentur esse testes, quos improbos intestabilésque vocant, id est, quibus leges denegant testamenti factionem, aut testimonij dictionem, *l. is cui, §. vlt. ff. Qui testam. fac. poss.* Cuiusmodi sunt damnati ob crimen famosum.

Denique notandum hic est, Edicto Principum nostrorum, *can. 1611. art. 19.* cautum esse, ne probationes per testes fiant, tantùm in contractibus, excedentibus summam trecentorum florenorum, sed & in testamentis, quasi plus dictum, quàm scriptum appareat. Insuper *art. 12.* requiri, vt non solùm scribantur testamenta, sed & subscribantur à testatore & duobus testibus, ad hoc vocatis si scribere nouerint; cuius etiam mentio instrumento inserenda sit à tabellionibus vel pastoribus.

§. IV.

De executoribus vltimarum voluntatum.

1 *Executores alij testamentarij, alij datiui.*
2 *Intra quod tempus executio fieri debeat.*
3 *Nullo existente executore cogi potest hæres soluere legata.*
4 *Episcopi omnium piarum dispositionum sunt executores.*

EXplicato iure testandi, sive disponendi in vltima voluntate, supereſt ius testamenta exequendi sive mandandi executioni supremæ voluntatis elogia iudiciáque defunctorum. Igitur executores testamentorum, sive sint hæredes ipsi, *cap. Si hæredes 7. hoc tit.* sive alij, *cap. tua nobis 17. eod.* sive per testatorem dati (quos testamentarios non malè appellaueris,) sive à iure constituti, *l. Nulli, C. de Episcopis & clericis* (quos legitimos appellare licet) sive per iudicem aut magistratum, quos datiuos DD. vocant. *l. Solent iudices, §. 1. ff. de aliment. & cib. leg.* licèt ab initio & re adhuc integra liberum eis fit suscipere officium, tamen eo semel suscepto cogi possunt, vel ab Episcopo suæ diœcesis, eiúsve Vicario, vel etiam à Principe sæculari, exequi vltimam voluntatem defuncti, *cap. penult. hoc. tit. iuncta Nouel. 131. de Eccles. tit. c. 10. & l. hæredes 50. ff. de hæred. petit.* * idque intra tempus à testatore definitum: quod currit non à die facti testamenti vel mortis testatoris, sed à die aditæ hæreditatis, *l. Statu liberos 3. §. si quis 11. ff. de statu liberis.* 1 2

Alioqui nullo tempore à testatore ad exequendum testamentum definito, datur iure Pontificio anni spatium, eóque elapso, si executores vota defuncti non adimpleuerint, sed executionem protraxerint, ius exequendi deuoluitur ad Episcopum, *cap. Nos quidem 3. hoc tit.* nisi quòd ad pia legata dentur sex menses, secundum Panorm. *ad dict. cap. Nos quidem.*

Quòd si nullus etiam testamento executor nominatus sit, potest ipse hæres cogi ab Episcopo per censuram Ecclesiasticam, vt expleat defuncti voluntatem, & legata soluat: & nisi exequatur, potest ei interdici administratio bonorum defuncti; imò & priuari omni commodo, quod ex testamento fuerit consecutus, *dict. c. Si hæredes 6. h. t. Auth. hoc amplius. C. de fideicommissis, desumpta ex Nouel. 1. c. 1.* 3

Dixi,

Dixi, cogendos executores, vel hæredes defuncti, si executor non sit, ab Episcopo, eiúsve Vicario, vel Principe; nam Episcopum esse executorem vltimarum voluntatum, patet *ex d. cap. Nos quidem, cap. Si hæredes, cap. tua nobis, hoc tit.* ac statuit nouissimè Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8. de reformat.* vt Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, sint executores. De principe verò sæculari, etiam in piis causis, constat ex *dict. cap. Nouel. 131. de Eccl. titulo, cap. 10. & 11. & dict. l. Hæreditas, ff. de hæred. petit.* Ita vt hanc rem appareat esse mixti fori, sítque præuentioni locus, Sanchez *de matrim. lib. 2. disputat. 250. num. 1.* nihilque noui quoad huiusmodi pias dispositiones Concil. Trid. statuisse videatur.

TITVLVS XXVII.

De successione ab intestato

1 *Intestatus decedere quis dicatur.*
2 *Ab intestato vocantur primò descendentes, id est, liberi.*
3 *Secundò ascendentes.*
4 *Tertiò laterales.*
5 *Quartò, vir vxori, & contrà succedit; at postremo fiscus.*
6 *Clericus ab intestato quomodo succedatur.*
7 *Et quid de hac successione mores dicant hodierni.*
8 *Bastardis intestatis succedit hodie Princeps.*

SVccessio omnis iure ciuili vel ex testamento defertur, quæ ideò dicitur testamentaria, vel ab intestato & à lege, vnde & legitima nuncupatur: cui tunc demùm locus est, quando certum est, ex testamento succedi non posse, *l. Quandiu 39. ff. de acquir. vel omit. hæred.* Ideóque postquam dictum est de successione testamentaria; rectè sequitur de successione, quam ab intestato defert. Lex vel Canon.

1 Intestatus dicitur decedere, qui vel omninò testamentum non fecit: vel fecit quidem, sed non iure, id est, non adhibitis solemnitatibus à iure requisitis: vel cuius testamentum ex post facto ruptum irritumve factum est: vel denique ex cuius testamento nemo hæres exstiterit, *text. in prin. Instit. de hæred. qua ab intest. defer.*

2 Quòd igitur ad hanc successionem attinet in bonis sæcularium, deferuntur in primis bona defuncti intestati iustis liberis, id est, descendentibus eius, ex legitimo matrimonio procreatis, aut per subsequens matrimonium, etiam in articulo mortis, legitimatis: & quidem in capita, si primi gradus sint? sin vlteioris, in stirpes, omni agnationis emancipationisve discrimine hodie sublato, *Nouel. 118. cap. 1.*

Iustis verò liberis non exstantibus, deferuntur ascendentibus, saluâ gradus prærogatiua, ita scilicet, vt proximiores, excludant remotiores, v. g. pater auum paternum & maternum, Couar. *de success. ab intest. conclus. 3. & 4.* Et si plures parentes concurrant in eodem gradu, v. g. auus & auia materni generis, & auus paternus, distributio fiet in stirpes, non in capita. 3

An autem pater & mater ad filij intestati successionem æqualiter admittantur, variant interpretes. Bartolus quidem patrem ad bona paterna, vel patris intuitu acquisita, matrem ad bona materna, vel matris intuitu quæsita, admittit: Baldus verò, Cynus, Salicet, eos æqualiter admittunt, nullâ factâ bonorum distinctione; & hoc æquiùs est. Vt & in bonis per defunctum quæsitis omnes admittantur æqualiter. Vide Mynsing. *cent. 6. obser. 55.*

Quòd si defuncto sint fratres aut sorores, ex vtroque parente sibi iuncti, ij, exclusis aliis collateralibus vlterioribus, cum proximis gradu ascendentibus concurrent in capita, *dict. Nouel. 118. cap. 2.*

Deficientibus ascendentibus, primo loco fra- 4
res sororesve ex vtroque latere coniuncti, si soli existant, in capita; si verò cum fratrum filiis concurrant, in stirpes, ad defuncti hæreditatem vocantur. Quòd soli extent fratrum filij eos ad patrui intestati successionem vocari in capita potiùs, quàm in stirpes, verius est, Couar. *dict. loc.* & Fachin. *6. Controu. cap. 3.* Non exstantibus verò fratribus vtrimque coniunctis, vocantur vno tantùm latere iuncti; ita tamen, vt vterinis materna, consanguineis paterna bona deferantur.

Quòd si neque fratres neque fratrum liberos defunctus reliquerit, tum proximior quisque consanguineus succedet vsque ad decimum gradum, ex communi DD. sententia, *arg. §. fin. Instit. de success. cognat.* quamuis alij etiam remotioris gradus à latere iunctos admittant, ad exclusionem Fisci, sublato sexus, item cognationis atque agnationis discrimine, *d. Nouel. 118. c. 3. in fine & c. 2.*

Omnibus verò his deficientibus, succedit 5

vir vxori, & contrà, *leg. vnica C. vnde vir & vxor*; & postremò Fiscus, *l. 1. & 4. C. de bonis vacantibus*: nisi consortes eum excludant: veluti decurioni intestato succedit Curia; nauicu-lario corpus nauiculariorum. Et hæc quidem quoad successionem in bonis allodialibus sæcularium: nam in feudalibus alius ferè est successionis ordo, vt patet *ex cap. 1. de natura successionis Feud. & cap. 1. de successione Feudi.*

6 Clericis verò succedunt ab intestato, in bonis quidem patrimonialibus & proprio labore atque industria quæsitis primo loco liberi, si quos habeant ex legitimo matrimonio, vt si Clericus ante sacros ordines coniugatus vixerit. His deficientibus secundo ordine parentes vocantur vna cum fratribus & sororibus germanis, hoc est ex vtroque latere iunctis. Quòd si defunctus parentes superstites non habeat, tum tertio ordine succedunt à latere venientes, secundum gradus prærogatiuam, vsque ad decimum gradum. Consanguineis verò vsque ad decimum gradum deficientibus tum clerico ab intestato succedit Ecclesia, vel altare, cui seruiuit, *can fin 12. quæst. 5 cap. 1. & ibid. Glos. & DD. h. tit.*

In bonis autem intuitu Ecclesiæ quæsitis succedit Collegium Clericorum, vel successor ipsius clerici, si is bona separatim extra Collegium possidebat, vti Episcopus, Parochus, & similes, *cap. relatum 12. sup. de testam. cap. fin. de officio ordinarij in 6. Clement. 2. de elect.* Vide *cap. Quia sæpè 11. de elect. in 6. can. Quoniam quidam distinct. 75. can. Illud cum seq. 12. quæst. 2.* Latè Guil. Redoanus *de spoliis Ecclesiæ quæst. 8.*

Quod si appareat demortuum & suo labore industriaque quæsiuisse, & ex patrimonio habuisse bona aliqua, tum dividi ea debent in quatuor partes; quarum vnam Episcopus, alteram Ecclesia, tertiam pauperes, quartam consanguinei capient, *cap. 2. hoc tit.* vel circa hæc deber, Piasec. *2. part. cap. 5. art. 4. num. 31.*

7 Plerisque hodie locis clericis ab intestato decedentibus succedunt consanguinei hæredes, prout in tota Gallia obtinere, nisi sint bona comparata sub nomine & ad opus Ecclesiæ, testatur Zyp. *de iure Pontif. nouo lib. 3. tit. de testam. num. 1.* vbi subiungit, hic in Belgio Clericis intestatò defunctis quoad bona mobilia succedere Capitula aut Episcopos: licèt olim Comites Flandriæ Clericis testatis & intestatis in semissem mobilium successerint, vsque ad Robertum Frisium, qui hoc onus remisit, siue ob metum Vrbani II. siue vt scelera sua expiaret.

In Brabantia ac Comitatu Namurcensi bona clericorum bastardorum, etiam in sacris constitutorum, ex Concordatis *anni* 1541. 18. *Augusti* §. *bona verò*, nisi à Principe testandi licentiam obtinuerint, vel natalibus fuerint restituti, immobilia quidem spectant ad Principem, mobilia verò dividi debent inter Principem & Episcopum, donec de iure vel consuetudine aliter fieri debere constiterit, Zyp. *dict. loc.*

Et moribus ferè passim obtinuit, vt bastardis 8 seu naturalibus succedat Princeps, si modò sine testamento, sine legitima prole, sine matre, fratribus vel sororibus, ex eadem matre natis, decedant, qua de re fusiùs videre licet Griuel. *decis. dolana* 144. In Brabantia tamen non videntur habere testamenti factionem actiuam aliter, quàm inter liberos, nisi à Principe eam impetrent, vt testatur Zyp. *dict. lib. tit. 2 succes. qua ab intestato defer.* vt nec passivam etiam de iure habent, respectu patris, *Author. Ex complexu C. de incestu nuptiis*, Mynsius 1. *Obser.* 35. Zyp. & Griuel. *dictis locis fusè.*

TITVLVS XXVIII.

De Sepulturis.

§. I.

Quid sit Sepulcrum ac Sepultura.

1 *Quid sit sepulcrum & Sepultura. 2.*
3 *Olim ne in ciuitate quidem quis sepeliebatur.*
4 *Hodie in Cœmeteriis, in & apud Ecclesias. 5.*

IVs sepulturæ, vt & iura decimarum, primitiarum & oblationum, spectant ad bona clericorum externa, quæ non ab Ecclesia accipiunt, sed à laicis ratione ministerij Ecclesiastici. Sed & de sepulturis ideo sequitur, quia spectat ad Episcopum, quem diximus antè esse executorem vltimarum voluntatum, non solùm vt bona testatorum atque intestatorum legitimè distribuantur, verùm etiam,

etiam, vt corpora eorum, si Christiani & Catholici piè in Domino obdormierint, iuxta morem consuetum sepulturæ mandentur.

1 Obseruandum in primis hic, Sepulcrum dici locum concauum, quo corpus ossaque hominis condi, solent, à Sepeliendo; vt Simulacrum à Simulando, lauacrum à Lauando: eiusque appellatione omnis locus sepulturæ continetur, *l. Prater §. sepulcri ff. de sepulcro violato.*

2 Ipsa verò sepultura quandoque sepulcrum significat, *can. Aurum 12. quæst. 2. can. secundum 24. quæst. 8. cap. penult. h. t.* quandoque actum ipsum sepeliendi, seu officium, quod sepeliendis, corporibus impenditur, *can. Præcipiendum 13. quæst. 2. cap. Non satis inf. de Simonia,* vbi prohibetur venditio sepulturæ. Hinc Cicero in Verrem: *Dico mercedem funeris ac sepulturæ constitui nefas fuisse.* Quo pacto autem Sepulcrum à Monumento distinguatur, tradit Florentinus I. C. *in l. Monumentum 24. ff. de relig. & sumpt. funerum.*

Olim nec in Ecclesiis, nec in ciuitate quidem sepulcra fieri permittebantur: sic enim ait Lex 12. Tab. *Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neve vrito,* Cicero *lib. 2. de Legib.* Quod ipsum vetarunt Dioclet. & Maximian. *in l. Mortuorum 12. C. de religiosis & sumpt. funerum,* & Hadrianus, teste Vlpiano *in l. 3. ff. de sepulcro violato:* sed extra oppidum, more Græcorum, mortui sepeliebantur; &, si intro ferrentur, id summo honori concedebatur, vt notat Cicero *pro Flacco.* Videatur hac de re latiùs Petrus Gregor. Tholos. *Syntag. iuris vniuersi lib. 23. cap. 23.*

3 At apud Christianos hodie locus communis sepeliendis corporibus est destinatus, & Cœmeterium appellatur, à Græco verbo Κοιμάω quod sopio significat seu dormire facio, quasi Dormitorium, quia mortui in eo dormire dicantur, 1. *ad Thessal. 4. can. Aurum 12. quæst. 2. can. Vbicumque 26. & can. Qui diuina 13. quæst. 2.* donec scilicet in resurrectione generali à Deo excitati euigilent. Et ideo nimia mortuorum lamentatio ex pusillanimitate & desperatione futuræ resurrectionis quodammodo prouenit, *d. can. Vbicumque cum seq.*

4 Sunt autem Cœmeteria per Episcopum ab aliis locis profanis & puris dividenda ac consecranda, iuxta Ecclesias vel intra confinia earum, *can. Sicut. 17. quæst. 4.* ad sepeliendos Christianos, *d. can. Aurum 12. quæst. 2.* Idque iustis de causis; veluti vt mortuorum cadauera minùs ab immundis vexentur spiritibus, & mortui Sanctorum commendentur patrociniis, quorum nomini consecrata est Ecclesia, in qua vel cuius cœmeterio sepulti sunt, *can. Non æstimemus 13. quæst. 2.* Præterea vt defunctorum proximi, ad loca sacra venientes, suorum, quorum sepulcra contuentur, recordentur, & pro iis pias Deo preces fundant, *can. Cum grauia 12. quæst. 2.*

5 Vnde & sepulcra seu cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo disposita reperiuntur, in quibus Religiosorum fratrum conuentus sunt constituti, & orationes atque Missarum solemnia tam pro viuis quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur, *c. Fraternitatem 3. hoc tit.*

§. II.

Ius sepulturæ ad quam Ecclesiam spectet.

1 *Sepeliendus quilibet in Ecclesia parœciali.*
2 *Etiam cùm ruri agens ruralia exercendi causa, ibidem decesserit.*
3 *In loco interdicto nemo sepeliendus.*
4 *De peregrino, exteru & scholaribus.*
5 *De Prælatis & Religiosis.*
6 *De clerico.*

1 REgulariter autem sepeliendus est quilibet in Ecclesia Parœciali, vel cœmeterio eius, in qua recepit aut recipere debuit Sacramenta & audire diuina, *cap. 1. cap. in nostra 10. hoc tit. cap. Is qui eod. in 6.* Quòd si verò quis in vna Ecclesia audiuerit diuina, in alia perceperit Sacramenta, aut fuerit Parœcianus duarum Ecclesiarum, habentium ius sepulturæ (veluti si domicilia duo in diuersis habueri: parœciis, & in vtroque pariter habitauerit, aut habuerit domicilium partim vnius, partim alterius parœciæ *iuxta Gloss. in cap. Cum quis in 3. notab. eod. in 6.*) locus erit præuentioni, *arg. cap. duobus de rescriptis in 6. cap. Cum quis, & Gloss. ibid.* diuisa quartâ inter dictas Ecclesias, *d. cap. Cum quis, & ibi Glos.* Alioquin de sepultura alicuius contendentibus sese interponet Episcopus, & definiet, eo inspecto, vbi quis pro maiori tempore habitare fuerit solitus.

2 Habens domicilium in ciuitate vel castro, seque ad illam conferens ruralem recreationis aut ruralia exercendi causa, ibique inopinato interitu, non electâ, sepultura, decedens, non in Ecclesia parœciali dictæ villæ, sed sua seu ciuitatis, vel potiùs in sepulcro maiorum, si alibi habeat, sepeliri debet, dummodò absque periculo ad illud asportari valeat,

cap. Is qui hoc tit. in 6. quartâ tamen datâ Ecclesiæ rurali, in qua percepit Sacramenta.

3 Tempore verò interdicti Ecclesiastici, is, quem aliàs in sepulchro maiorum suorum sepeliri oportuit, sepelietur in Ecclesia parœciali, vel Cathedrali, si & ista sit interdicta. Quòd si hæ omnes interdicto subiaceant, in nulla earum sepeliri quis potest, *c. Vt privilegia sup. de privilegiis*, sed in Monasterio proximiori, Sylvester *in V. Sepultura n.* 8.

4 Peregrini, si deferri commodè ad sepulchra maiorum possint, in iis sepeliendis; sin minùs, aut si maiorum sepulchra ignorentur, præventioni locus erit Cathedralem & parœcialem Ecclesiam, nisi Sacramenta perceperint in parœciali, quia tunc tacitè censentur elegisse inibi sepulturam: quemadmodum & advenæ, qui primùm venerint, animo manendi in eo loco. Idem dicendum est de Scholaribus aut damnatis ad mortem nisi contraria sit consuetudo: deque exteris ac forensibus, habentibus hospitium in civitate, cùm in ea Sacramenta percipiant: imò etiam de viatoribus transeuntibus, nec habentibus hospitium. Nam licet hoc casu Gloss. & nonnulli alij ius sepulturæ asserant vendicentque Cathedrali: verius tamen est, spectare illud ad parœcialem Ecclesiam, præsertim si per Presbyterum Parœcialem fuerint administrata Sacramenta, Riccius *in Praxi decis. 659.*

5 Prælati Regulares sepeliri debent in Ecclesia suæ Prælaturæ, vel, si in duabus Ecclesiis Prælati existant, vbi moriuntur, Archid. *in d. cap. Cum quis hoc tit. in 6.* Religiosi verò non peregrini in loco suæ religionis, vel aliàs in Monasteriis sui Ordinis, si illuc commodè transferri possint, aut in Parœcia loci, in quo decedunt, *can.* 1. XVI. *q.* 1.

6 Denique Clerici in Ecclesia, in qua sunt beneficiati, quia ibi censentur habere domicilium, *c.* 3. *de tempor. ordinat. in 6.* maximè Prælati, qui habentur pro viris & coniugibus Ecclesiæ, *can. Si vir* VII. *quæst.* 1. *cap.* 2. *& 3. sup. de translat. Episcopi.*

§. III.

Electionem sepulturæ vnicuique liberam esse.

1 *Libera cuique electio est sepulturæ.*
2 *Etiam vxori, inconsulto marito, & filiofamilias.*
3 *Non verò Religiosis, aut condemnatis per sententiam.*
4 *In hac electione variare licet.*
5 *Pœna sepelientis alienum Parœcianum.*
6 *Electio sepulturæ alteri committi potest.*
7 *Ius funerandi quibus Ecclesiis competat.*

REgula superior, dictans quemque sepeliendum in Ecclesia parœciali, seu eius cœmeterio, in qua recepit aut recipere debuit Sacramenta, & audire divina, fallit, si vel elegerit alibi sepulturam, aut alibi sepulchra maiorum habeat: liberum enim est cuilibet, quo velit loco, dummodò vel ex iure communi vel ex privilegio ius funerandi illi competat, sepulturam sibi deligere, *c.* 1. *in V. nulli tamen negamus, &c. cum super hoc tit. c.* 2. §. *fin. hoc tit. in 6.* Sic Christus natus in Bethleem, nutritus in Nazaret, *Matth.* 2. sepultus fuit Ierosolymis in sepulchro Ioseph. 1

Adeò autem electio sepulturæ libera est, vt etiam vxor, inconsulto marito, & filius existens in potestate patris, modò si pubes, sine patris consensu hanc potestatem sibi vindicet, *cap. ad vxore hoc tit. & cap. penult. eod. in 6.* quia effectus electionis confertur in tempus, quo mulier soluitur à lege viri, & filius à patria potestate. In iis autem, in quibus attenditur effectus, paria sunt, disponere habili, vel inhabili, modò effectus in tempus habile conferatur, *leg. Quod sponsæ Cod. de donat. ante nuptias, leg. in tempus ff. de hæredit. instituendis.* Et propterea, sicut liberum viro est eligere sepulturam, ita & mulieri, *dict. cap. de vxore:* ob eandemque causam etiam seruus sepulturam eligere potest, Ioan. Andr. *in dict. cap. de vxore*, quia in spiritualibus cessat, patria aut dominica potestas, *cap.* 1. *infra de coniugio seruorum.* Filio verò impuberi ob defectum iudicij pater sepulturam elegit, si id ferat loci consuetudo: alioquin eâ cessante in sepulchro maiorum vel parœciali Ecclesia sepeliendus est, *d. c. penult.* 2

Religiosi quoque, cùm non habeant velle aut nolle, eligere sibi sepulturam nequeunt, nisi fortè adeò remoti à suis degant monasteriis, vt cùm moriuntur ad ea commodè transferri non possint, *cap. vltim. hoc tit. in 6.* 3

Similiter nec adiudicati morti per sententiam, Lælius Zechus, *de Republica Christiana cap.* 28. *versic. Secundò fallit*, licet Sacramenta percipere valeant, *Clement. de pœnit. & remissionib.* Vti nec furiosus, *arg. cap. fin. sup. de succeff. ab intest.*

Cæteroquin adeò libera electio est in cæteris adultis seu puberibus, sive masculis sive fœminis, vt etiam, antiquâ sepulturâ dimissâ, novam

novam eligere cuilibet liceat, & quidem in loco minùs religioso, veluti in Capella, in qua rariùs, aut semel tantùm in anno celebretur, *cap.2. §.fin. hoc tit. in 6.* modò id malitiosè non fiat.

4 Quin etiam in hac electione variare quis potest vsque ad extremum vitæ spiritum, licet promisisset antè se tali loco inhumandum, vel aliam Ecclesiam non electurum, *cap.1. hoc tit. in 6. de pactu in 6.* Imò verò districtè inhibetur Clericis ac Religiosis, ne quem inducant ad eligendum dum apud se sepulturam, vel iam electam vlteriùs non mutandam aliterque facta electio nullius firmitatis decernitur, iubetúrque defunctus deferri ad eum locum, in quo, cessante tali electione, sepeliendus erat, *d.c.1.h.t. in 6.*

5 Quòd si qui alienum parœcianum sepelierint, quem sepelire non debebant, vel quia canonicam portionem suæ Ecclesiæ non reliquerit *cap. Fraternitatem h. t.* vel quia ibi non elegerit aut potuerit sepeliri, *cap. In nostra 10. vers. Eisdemque h. t.* tenentur illi, quicumque demùm sint, ad restitutionem cadaveris cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodo libet acceperint, *cap. Ex parte 5.cap.Cùm liberum 6. hoc titul.* Quam nisi fecerint intra decennium, Ecclesia, in qua sepultus fuerit, simulque cœmeterium eo ipso Ecclesiastico subiicitur interdicto, quoisque restitutioni satisfiat, *c.1,h.t. in 6. & ibid. Gloss.*

Nec etiam in potestate consanguineorum est, vt defunctum extra parochiam aut maiorum sepulchrum sepeliant: excepto patre, qui pro filio impubere sepulturam eligit, *cap. de*
6 *vxore 7. h.t. & c.Licet eod. in 6.* * Posse tamen quem sepulturæ suæ electionem alteri committere tradit Ricc. *in Praxi decis.663. vbi dec. seq.* subiicit, electionem sepulturæ probari etiam per testes singulares, & sepulchrum familiæ vel hæreditarium probari ex inspectione literarum, ipsi sepulchro inscriptarum.

7 Dixi antè; quemlibet sepeliendum in Ecclesia, quæ ius funerandi habeat: nec enim ius illud omnibus Ecclesiis competit, sed tantùm habentibus populum seu parœcianos, vel ex privilegio aliquo, *cap. Nimis iniqua 16. & cap. seq. inf. ac excessibus Prælatorum, c. Vt privilegia 24. inf. de privilegiis.* Cuiusmodi privilegium Prædicatoribus & Minoribus competit, *Clement. dudum h.t.*

8 An autem hi possint de iure communi processionaliter intrare parochiam, & per se, invito Pastore, accipere funus, in sua Ecclesia sepeliendum, quæri potest. Posse tradit Emanuel Roder *Quæst. Canon. & regular. tomo 3.* & Oldradus *cons.252.* Nihilominus nuper consultus in hac causa contrarium respondi, motus text. *in can. Ecclesias 13. quæst. 1.* Idque etiam tradit & probat Oldrad. sibi contrarius, *cons.82.* Latè Rebuff. *Ad Constitutiones Regias de sent. Excomm.art.3. Glossa 1.num.3.* Si quæ verò sit hac in re consuetudo vel pactum, omninò seruari debet.

§. IV.

De Sepulchro maiorum?

1 *Conceditur etiam laicis habere sepulchra in Ecclesiis.*
2 *Sepulchra alia Familiaria alia Hæredit.*
3 *Pacisci non licet, vt quis solus in loco aliquo habeat sepulturam.*
4 *Qui veniant nomine Maiorum quoad sepulchra maiorum.*
5 *Filij apud quos sepeliendi.*
6 *Vxor vbi sepelienda.*

CEssante dicta electione, si quis sepulchrum maiorum habeat, in eo sepeliri eum oportet, *c.1. h.t. c.1. eod. in 6.* Sic Abraham, Isaac & Iacob, in remotis existentes, voluerunt sepeliri in sepulchro maiorum suorum, *Genes. 25.49. & 50.* Et licèt aliquando fuerit prohibitum laicos sepeliri in Ecclesia, *can. Præcipiendum 13.q.2.* tamen ex humanitate quadam conceditur in iis, vt etiam in Ecclesia aliqua vel cœmeterio sepulchra maiorum habeant, quæ alioquin ipsis tanquam res spirituales competere nequeunt, nec quoad proprietatem, nec quoad possessionem aut quasi, Abbas, *in cap. Quanto ad finem sup. de iudiciis.* 1

Hinc iuxta Caium I. C. *in l.Familiaria 5. d. de religiosis & sump. funerum*, distingui potest inter Familiaria & Hæreditaria sepulchra, quòd Familiaria sint, quæ quis sibi familiæque suæ constituit: quorum ius non transit ad cognatos vel affines, si non instituantur hæredes, *leg. Ius familiarum Cod.de relig.& sumptib. funer.* Hæredibus tamen, quamquam extraneis, competit, *leg. Is consequenter §.1. de Familiæ herciscundæ, leg. Ius sepulchri 13. Cod.d. tit.* Hæreditarium verò dicitur, quod quis sibi hæredibusque suis constituit, vel, vt Vlpian. ait *in l.6.ff.de religiosis, &c.* quod paterfamilias iuri hæreditario acquisivit. 2

Non potest tamen iniri pactum, vt in sacello aliquo præter posteros fundatoris nulli 3

alij

alij sepeliantur. Quin tali pacto, tanquam turpi, non obstante, poterit Prælatus vrgente necessitate, veluti si locus alius ad sepeliendum non sit, alios inibi sepelire, Archidiac. *in can. Præcipimus* 12. *q.*1. Lud. Rom. *Sing.*189. Cessante verò necessitate, vel iustâ causa, non debet Prælatus seu Rector Ecclesiæ electam vel propriam alicuius sepulturam eo invito alteri concedere, Bart. *in l.*2. §.1. *ff. de oper. publ. l.*2. *& l.Si plures ff. de relig. & sumptib. fun.* At deficiente familiâ concedi ea aliis potest, Zechus *de Republ. Christiana cap.* 28. *n.*16. dummodo insignia primi fundatoris non auferantur à sepulcro, vt ex aliis docet Zech. *d.loco.*

4 Cæterùm Maiores dicuntur pater, auus, & alij superiores, *l. Iurisconsultus* 10. §. *parentes* 7. *ff. de gradib. l. Quacumque* §. *parentes ff. de in ius vocando.* Hic verò Maior propriè dicitur pater & auus, eo quòd vnio sepulturæ procedat ex affectione, quæ inter vivos fuit, quæque maior esse solet inter filium & patrem, nepotem & auum, quàm inter alios superiores, Oldrad. *cons.*25. Ideóque si pater & auus sint sepulti in vno loco, proauus & tritauus in alio, sepelietur filius cum patre & auo: sin pater in vno loco sepultus sit, auus & alij maiores in alio, sepelietur cum auo, Zech. *d.loco.*

5 Frater autem & soror in eodem sepulchro sepeliendi sunt, *can. Vnaquæque* 13. *q.*2. * Filij verò naturales in sepulcro patris, nisi is fuerit in dignitate constitutus, *arg. l. Ex facto* § *Si quis* 4. *ff. Ad S.C. Trebell.* Spurij & legitimati à Principe sepeliuntur cum matre, nisi ea illustris fuerit, *l.*1. *ff. Ad municipalem*, aut aliud petierit pater. Legitimi verò & naturales cum patre, licet hæredes eius existant, *can. Ebron* 13. *q.*2. Oldrad. *d. cons.*25. & 257.

6 Quantum ad vxorem attinet, si sepulturam non elegerit, sepelienda est in sepulchro viri, *dict. can. Vnaquæque* 13. *q.*2. vt quos coniunxit vnum coniugium, quorumque mens vna fuit in vita, coniungat & sepulcrum, *dict. can. Ebron*, & *dict. can. Vnaquæque*, nisi à viro separata aut vir ipse excommunicatus fuerit. Quòd si plures habuerit viros, nec elegerit sepulturam, cum vltimo, cuius domicilium retinet & honorem, tumulanda est, *c. Is qui h. t. in* 6. licet vidua facta transtulerit se ad domum patris vel alium locum. Si verò declarat ante virum, statur consuetudini, vel sepelietur in sepulchro maiorum mariti sui, si is declaret se velle ibi sepeliri, vel alio loco, quem sibi elegerit pro sepultura. Si non constet, vbi velit sepeliri, sepelietur in sepulcro maiorum suorum, Abbas *in c. de vxore circa finem hoc tit.* vbi dubitat, an vir, non electâ sepulturâ, sepeliendus sit in sepulcro vxoris.

§. V.

De portione Canonica, parœciali Ecclesiæ debita.

1 *Portio Canonica ex quibus bonis detrahenda.*
2 *Quantitas illius.*
3 *Privilegiati an & quatenus exempti à Canonica portione.*
4 *Ex quibus non debeatur dicta portio.*

QVòd si quis extra Ecclesiam suam parœ- 1
cialem sepeliatur, vel quia sepulturam alibi elegerit, vel ob sepulcrum maiorum suorum, tunc ex bonis, quæ illi loco seu Ecclesiæ, in qua sepulturam elegit, etiam exemptæ, debetur portio, vt vocant, Canonica Ecclesiæ parœciali, in qua percepit Sacramenta, & audivit divina, vel percipere atque audire debuit, pro labore & cura animarum, quam Curatus gessit cùm sit æquissimum, vt consolationum sint socij, qui fuerunt passionum, iuxta Apostoli dictum, *c.*1. *c. Relatum* 2. *& ibi* Innocent. *Cum super* 8. *c. In nostra* 10. *hoc titul. c. Cum quis eodem in* 6. *c. Requisisti* 15. *sup. de testamentis.* Sed & cùm quis, in ægritudine constitutus, se suâque offert monasterio, debetur eadem portio Ecclesiæ parœciali, dummodò ex ægritudine illa decesserit, *c. de his* 7. *h.t.*

Portio autem Canonica quandoque est 2
quarta pars bonorum, quæ defunctus reliquerit Ecclesiæ, in qua vel iuxta quam sepeliri voluit, vt *in d.c. Cum super* 8. *hoc tit.* quandoque tertia, vt *in c.*1. quandoque media, vt *in c.*2. quandóque minor; ideóque in eius quantitate definienda loci cuiusque spectanda est consuetudo, *c. Certificari* 9. *& ibid. DD. h.t.* Notátque Abbas, sufficere consuetudinem decem annorum, quia non sit contra ius, sed præter ius; maximéque attendi hîc debent statuta & concordata, si quæ sint, *c. vltim. de actis in* 6. Et hinc Conc. Trid. *Sess.*15. *cap.*13. decernit, vt quibuscúmque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut parœciali Ecclesiæ solita fuerit persolui, eadem integro iure & eadem portione, vt ante, eidem Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

Estque

3 Estque hæc mens Pontificum, huiusmodi privilegia concedentium, vt iis privilegiati civiliter & vrbanè vtantur, vt scribit Zyp. *h.t. num.7.* Vnde quamvis á Pio V. & ante à Iulio III. & aliis, quorum meminit Chopin. *Monast. lib.2. tit.1. num.3.* per specialia privilegia Prædicatores, Minores, & cæteri Mendicantes Ordines; exempti videantur à quarta funeralium, quam ante de iure soluere tenebantur, *iuxta d. c. In nostra 10. hoc tit. & Clement. dudum versic. Verùm eodem tit.* vbi iubentur solvere quartam parœcialibus Ecclesiis tam de obventionibus quàm funeralibus (id est iis, quæ cum funere deferuntur) quibuscúmque, & quomodocúmque relictis, distinctè, vel indistinctè, ad quoscúmque certos vel determinatos vsus, etiam de quibus Canonica portio ab aliis Ecclesiis dari vel exigi non consuevit, vel non debet de iure, provt latiùs *in dict. Clement. Dudum Gloss. ibid. ad V. funeralibus:* vbi ostendit per *d. Clement.* corrigi *c.2. in Extravag. communib. h.t.* secundum cuius dispositionem etiam candelas sibi ex integro retinebant tamen idem Pius V. Pont. declaravit mentem suam fuisse hanc, invitandi scilicet Parochos, vt quoties eorum parochiani in Ecclesiis Mendicantium sepeliuntur, ipsi quoque præsentes intersint, ac propterea quartam partem consequantur omnium, quæ ab hæredibus defunctorum pro funeralibus dantur. Officia tamen mortuorum, & alia munia, quæ in huiusmodi monasteriis adhiberi solent, non à Canonicis, Parochis, aut Clero, sed ab ipsis Fratribus peragi debent. Mar. Antonius Genuen. *in Praxi Neapol. cap.62.*

4 Cæterùm Canonica hæc sive legitima parœcialis portio non debetur nec detrahitur ex
5 iis bonis, quæ relicta sunt aliis Ecclesiis seu piis locis, quàm vbi quis sepelitur, Gloss. & Abbas *in cap. 1. in dict. cap. Cum super in cap. Certificari 9. h.t.* ex legatis pro ornamentis, pro fabrica, luminaribus, anniversario septimo, vigesimo aut trigesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum relictis, modò non subsit fraus aliqua, nec iure suo privetur Episcopus vel Parochus, *c. fin sup. de testamentis, & ibi* Boët. Epo. *cap. Ex parte vestra 31. infr. de verb. significat.* Nec item ex donatis Ecclesiæ inter vivos, Hostiens. *in dict. cap. hoc titulo*, Non de equis & armis, quæ indulta sunt militibus Ierosolymitanis seu Hospitalariis, in subsidium terræ sanctæ, *cap. In nostra hoc titul.* Non de relictis pro incertis malè ablatis. Debetur enim portio hæc vltra legatum, relictum Ecclesiæ parœciali, ab eo, qui sepulturam sibi elegerit alibi. Cuius rei ratio est, quia non testator debet eam portionem parœciali Ecclesiæ, sed Ecclesia vel locus ille, vbi sepeliri voluerit, *Clement. Dudum de sepult.* Boët. Epon. *ad cap. Officij 14. sup. de testam. num.14. & seqq.* Videatur plenius de his tractans Lælius Zechius *de Repub. Christiana cap.28. num.18.*

§. VI.

De Canonica portione Episcopali.

1 *Canonica Episcopalis portio quanta.*
2 *Quatenus detrahere eam possit Episcopus.*
3 *Ex eo, quod Episcopo relictum est, quatenus Ecclesia debeatur sua portio.*
4 *Non detrahitur portio Episcopalis ex relicto pauperibus in genere.*
5 *Non ex relicto pro restauratione & ædificatione Ecclesiæ.*
6 *Non ex relictis pro ornamentis, luminaribus &c.*
7 *Non ex legato pro maritandis virginibus.*
8 *Non ex legato, quod sit Regularibus.*
9 *Non fit detractio, nisi deducto oneribus.*
10 *Consuetudine introduci potest, ne quarta Episcopo debeatur.*

REperitur & alia portio Canonica in iure Pontificio, quæ dicitur Episcopalis, quia Episcopo debetur, pro cura, quam in suam diœcesim impendit, ex relictis alicui Ecclesiæ, *cap. Conquerente in V. mortuariorum sup. de officio Ordinarij, cap. Officij cum seq. sup. de testamentis.*

Et hæc quoque nunc est quarta, nunc ter- 1
tia pars, *cap. Requisisti 15. sup. de testamentis, canone Vobis, canone Vulterana 12. quæst.2. dict.c. Conquerente:* quandóque media, *canone Antiques 10. quæst.1.c.2. h.t.*

Hanc autem portionem detrahere potest 2
Episcopus, licet testator seu defunctus expresserit, quòd non velit aliquid Episcopo relictum sed Ecclesiæ, quia privata testatoris dispositio generalem Canonis constitutionem immutare nequit, *dict. cap. Requisisti versic. secus autem.*

Quemadmodum verò Episcopo competit

3 sua portio, si quid Ecclesiæ relinquatur, ita si quid Episcopo relictum fuerit, ex eo Ecclesia parœcialis suam Canonicam detrahit portionem, nisi expresserit testator, quod velit illud esse Episcopi tantùm, aut præsumatur relictum Episcopo intuitu personæ, & non Ecclesiæ; veluti quia à coniuncto ac propinquo relictum ei sit, *dict. cap. requisisti vers. Si verò relinquatur.* Aliàs quando relinquitur aliquid Episcopo intuitu Ecclesiæ veluti ab extraneo, tunc ex eo portionem habebit Ecclesia Parochialis. Quod si coniunctim Episcopo & Ecclesiæ Cathedralis legetur aliquid, de eo inter ipsos Canonica est divisio facienda: quemadmodum & si istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relictum sit; nisi stare malint voluntati & dispositioni testatoris, *dict. cap. Requisisti, vers. si verò istud.* aut testator iusserit Episcopum sibi relicto contentum esse, *dict. cap. Officij.* Cum Ecclesiis verò inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum, quia non est illi tanta communio cum talibus Ecclesiis, sicut cum Cathedrali: quartam tamen ex iis, quæ hisce Ecclesiis relinquuntur, rectè detrahit, *dict. cap. Requisisti §. Seruus autem:* vbi de hac re plenius videre licet, vt & in Decisione Rotæ Romanæ, quam refert Piasec. 2. *part. cap. 5. art. 4. num. 40.* Vbi in primis dicitur regulare esse, * quòd de
4 iis, quæ relinquuntur pauperibus in genere, nulla debeatur quarta. Cuius ratio est, quia quando relinquitur aliquid pauperibus in genere, illud relinquitur personis, non autem piis locis: de relictis verò personis non detrahitur quarta Episcopalis, *cap. Ex part. 31. de verb. significat.* Nisi relictum esset pauperibus certi loci; quia legatum tunc videtur factum intuitu pij loci & ipsi loco.

In eadem decisione resoluitur de relictis
5 pro restauratione Ecclesiæ matricis, ædificatione & reparatione Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum, non deberi quartam, *per text. in cap. vlt.* ibi, *seu fabrica sup. de testam. & in dict. cap. Ex parte*, ibi, *vel ad fabricam.*

An verò si de præsenti Ecclesia non indigeat restauratione, debeatur hoc casu quarta, dubitatum fuit. Et aliis negantibus, aliis affirmantibus in eadem Decis. resolutum fuit, attendendam esse formam legati: v.g. si testator velit statim vel in singulos annos aliquid solui pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, vt tunc debeatur quarta: non si pro restauratione Ecclesiæ ita legauerit, quoties ea indigebit.

6 Et ita quoque dicendum de relictis pro subuentione luminarium, ornamentorum, & aliorum, ad cultum diuinum pertinentium, ex iis non deberi quartam, *dict. cap. fin.* nisi vsus esset indeterminatus, & non destinatus cultui diuino, *d. cap. Ex parte & d. cap. Requisisti.*

An autem debeatur ex relictis pro aliis piis 7
operibus in genere, pendet, inquit eadem decisio, à futuro euentu: quia si executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia diuinum cultum, non detrahitur quarta. *dict. c. fin. & d. c. Ex parte*: secus si in piorum locorum vsum non priuilegiatum.

Sed neque detrahitur ex legato relicto pro maritandis anno quolibet duabus puellis vel pro vna puella consanguinea: quia vel sunt pauperes, & constat non deberi quartam, cùm legatum sit factum personæ, & non loco; vel non sunt pauperes, & tunc quoque non debetur, cùm ob eandem rationem, tum quia tale legatum non dicitur pium.

Non deducitur quoque ex legatis, quæ fiunt Regularibus, *Extrauag. 1. hoc tit. in communib.* 8
De bonis verò relictis à Clerico intestato permittitur Episcopo retinere quartam, vbi talis est consuetudo, *arg. c. vlt. de officio Ordinarij in 6. c. Sancto, iunctâ Gloss. in V. morientium sup. de succeff. ab intestato.*

Sed & de bonis laicorum, & ab intestato decedentium, potest Episcopus ducere quartam, distribuendam in pios vsus, vbi consuetudo talis viget, vt de consuetudine regni Neapolitani testatur Genuens. *in praxi cap. 66.* vbi refert responsum sacræ Congregat. super tali dubio, & ex eo Piasec. *dict. cap. 5. art. 2. num. 42.*

Deducenda autem hæc quarta est, deductis 9
priùs oneribus, id est, solutis debitis si quæ sint, & impensis in pompam funebrem factis, cæterisque, quæ fuerint necessaria pro seruitoribus & ministris, *dict. c. vlt. §. porrò de officio ordinarij in 6.* Piasec. *dict. loc. num. 42. in fine.*

Potest denique consuetudine sive præscriptione legitimâ induci, ne quarta hæc Epis- 10
copo debeatur, *cap. de quarta sup. de præscript.* Consuetudo tamen, ne Ecclesia Parochialis aliquid capiat nomine quartæ, est irrationabilis, secundum Piasec. *dict. loc. num. 40. in fine ex* Hostien. *in Summa hoc tit. num. 8.*

§. VII.

§. VII.

Quibus deneganda sit sepultura.

1 *Sepultura fauorabilis, nec facilè deneganda.*
2 *Denegatur omnibus excommunicatis, vt hæretici, vsurarijs, &c.*
3 *Item Monachis proprietariis.*
4 *Quousque in peccato mortali sine contritione decessisse constiterit.*
5 *In loco interdicto nemo sepeliendus.*
6 *Pœna contrauenientium huic legi.*

1 QVamquam ab Ecclesiastica sepultura nemo arcendus videatur, iuxta illud *Eccles. 7. Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes morientur*, vt habetur *in can. In Ecclesiastico* 4. 12. *quæst.* 2. tantáque fuerit cura apud Romanos in sepeliendis corporibus, vt hæreditate indignum iudicarent eum, qui defunctum debitè non sepeliisset, *l. Hæreditas ff. de hared. petit. l. Milites C. eod.* * tamen ex iuris dispositione nonnullis iustè denegatur, imò planè interdicitur Ecclesiastica sepultura: veluti pœnis, *can. Ecclesiam* 26. *can. seqq. de consecrat. distinct.* 1. Iudæis, hæreticis, etiam post mortem damnatis, eorúmque fautoribus & acceptatoribus, *can. Sane* 24. *quæst.* 2. *c.* 2. *de hæret. in* 6. *cap. Excommunicamus* §. *credentes inf. de hæret.* cæteríque excommunicatis, quia quibuscum non communicamus viuentibus, cum eis nec mortuis communicare debemus, *cap. Ex part. cap. Sacris hoc tit. Clement.* 1. *eod. cap. Ad hæc inf. de privilegiis*: veluti vsurariis publicis, nisi pœnituerint, & cauerint, de restitutione facienda, *cap. Quia in omnibus inf. de vsuris, c. Quamquam eod. tit. in* 6. *Clement.* 1. *eod. tit.*

2 Insuper denegatur sepultura iis, qui sibi ex proposito & sponte manus mortémque intulerint, *can. Placuit* 23. *quæst.* 5. *can. Quibus* 13. *quæst.* 2. secus si casu aut fatuitate, *can. de occidendis* 18. *quæst.* 5. In duello item interfectis, Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de reformat. cap.* 1. *inf. de torneamentis.* Item blasphemis impœnitentibus. *cap. Statuimus inf. de maledicis.* Raptoribus, non satisfacientibus, *cap.* 2. *inf. de raptorib.* Furibus & latronibus, in flagranti crimine occisis: secus, si comprehensi aut vulnerati, & confessi Presbytero fuerint, *can. Fures*

3 *& latrones* 13. *quæst.* 2. *cap.* 2. *inf. de furtis.* * Monachis, qui in extremis cum peculio & habere proprium inuenti fuerint, *cap. Monachi* 2. *cap. super quodam* 4. *cap. Cùm ad monasterium* §. *quod si proprietas inf. de statu Monachorum.* Nominatim interdictis, *Clement.* 1. *de sepult.* Tutorem testamento constituentibus Presbyterum, *can. vlt. distinct.* 88. Ad hæc nec semel in anno peccata sua ritè confessis, quique ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint, *cap. Omnis vtriusque inf. de pœnit. & remiss.* Exenteratis item seu quorum ossa nudata & separata sunt â carne, alio transferenda, *cap.* 1. *de sepult. in Extrauag. communib.* Vltimo etiam supplicio damnatis, si moriantur impœnitentes; aliàs sepeliuntur, *can. Quæstum* 12. *q.* 2. *l.* 1. *& fin. ff. de cadaueribus punitorum*: accedente tamen Principis aut iudicis auctoritate, qui subinde iubet ad exemplum aliorum cadauera eorum in loco supplicij remanere, *l.* 2. *ff. dict. tit.*

Denique iis omnibus, quos in grauioribus peccatis impœnitentes decessisse constiterit, 4
can. Quibus. can. pro obeuntibus 12. *quæst.* 2. nisi signa contritionis dederint; ad quod probandum sufficere vnum testem notat Zech. *de Rep. Christiana c.* 28. *n.* 26.

Sed & tempore interdicti generalis omnibus in eo loco denegatur sepultura. Exceptis Clericis, qui si seruarint interdictum, sine campanarum pulsatione accessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio sepeliri in cœmeterio possunt, *can. Quod in te* 11. *inf. de pœnit. & remiss.* Similiter si Ecclesia, vel cœmeterium subiaceat interdicto, nemo inibi sepeliri potest. 5

Quòd si de facto sepeliantur, qui de iure prohibentur, Ecclesia vel cœmeterium polluitur, reconciliarique debet, priusquam alij Christiani ibi inhumentur, *cap. consuluisti inf. de consecrat Ecclesiæ*, & ossa eorum, si discerni queant, exhumari iubentur. *cap. Sacris* 12. *hoc tit.* 6

Qui verò huiusmodi personas, sepeliri prohibitas, contemptis Ecclesiæ clauibus, aut interdicti tempore in Ecclesia aut cœmeterio sepelire ausus fuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrit, à qua non priùs absolui potest, quàm ad arbitrium diœcesani Episcopi, eis, quibus iniuria irrogata est, satisfactionem competentem exhibuerit, nullo exemptionis aut alio priuilegio illi suffragante, *Clement.* 1. *hoc tit.*

Hæc tamen intelligenda sunt de iis, qui impœnitentes decesserint, nec in articulo mortis reconciliati Ecclesiæ fuerint: nam si quis, dum in extremis ageret, legitimè absolutus fuerit,

ei cœmeterium, aliáque Ecclesiæ suffragia minimè deneganda sunt, *dict. cap. Sacris hoc tit.* Et si tales damnum aliquod aliis intulerint, non obstante absolutione, hæredes eorum & propinqui, ad quos bona deuenerint, ad restitutionem damni illati conueniri compellique per censuras Ecclesiasticas poterunt, *dict. cap. Sacris, &c. In litteris 5. inf. de raptoribus.*

In eo verò, quem casus inopinatus oppressit, hanc regulam sequimur, vt cui communicabamus viventi, etiam defuncto communicemus, *cap. Ex part. 11. hoc tit.* nisi constiterit in peccato mortali cum improba & impœnitenti conscientia à vita migrasse, Glos. à Panormit. *ad dict. cap. Ex part. per tex. in can. Non æstimemus. can. obeuntibus 13. q. 2.*

§. VIII.

An exigi aliquid pro sepultura possint.

1 *Terram semel consecratam pro sepultura vendi non posse.*
2 *Quatenus consuetudo toleret pro sepultura exigi aliquid.*
3 *Vt & pro licentia sepeliendi quem alibi.*

TAmetsi quis terram, profanam adhuc & puram, seu nondum consecratam, sanctam aut religiosam factam (per inhumationem scilicet alicuius corporis humani, *l. Purum, C. de religios. & sumptibus funerum*) possit pro sepultura
1 emere, *can. aurum 12. quæst. 2.** tamen terram semel religiosam factam, seu cultui diuino dicatam auctoritate Episcopi pro sepultura vendere & emere absque Simoniæ labe non licet: neque pro exequiis aut sepultura aliquid exigere, etiam prætextu alicuius consuetudinis, *cap. Abolenda 13. hoc tit. cap. Suam nobis, &c. Audiuimus. cap. Non satis, cap. Ad Apostolicam inf. de Simonia, can. Questa, can. In Ecclesiastico, can. Præcipiendum, can. Postquam pretio 13. quæst. 2.*

Quod tamen intelligendum est de consuetu-
2 dine, proueniente ex coacta solutione: aliud enim dicendum de ea, quæ introducta fuerit ex pia & laudabili deuotione fidelium: nam illa seruanda est, & populus ad illius obseruationem cogi potest, si non iure actionis, saltem officio iudicis, *cap. Ex part. 18. inf. de censibus*, latè Riccius *in Praxi decis. 665. num. 4.* Quare si sepeliendus aliquid Ecclesiæ, in qua vel cuius cœmeterio sepulturam elegit, viuens tradi iusserit, aut post mortem parentes, proximi vel hæredes pro luminaribus vel eleemosyna vltrò dare voluerint, spontè oblatum accipi poterit, non etiam exigi, ne aut venalis dicatur Ecclesia, aut Clerici de hominum morte gaudere videantur, si ex eorum cadaueribus studeant quærere quolibet modo compendium; nisi, vt dictum est, pia & laudabilis consuetudo aliud dictauerit, *dict. cap. Ad Apostolicam.* Hæc enim in recipiendis muneribus circa spiritualia inspici debet, *can. Agatho, distinct. 63. can. questus 9. q. 3.*

An autem pro concedenda licentia sepelien-
3 di alibi eum, qui sepulturam non elegerit, aliquid exigi iure possit, quærit Riccius *in praxi decis. 665.* Et refert posse, itáque fuisse resolutum à Curia Romana, quia talis licentia peti soleat causâ consequendi honorabiliorem locum in alia Ecclesia; Ideóque propter eiusmodi præeminentiam posse honorem illum pretio æstimari & vendi, cùm hoc casu non vendatur sepultura, quæ gratis præstanda est defunctis. Videatur fusiùs Pet. Greg. Tholos. *Partit. Iuris Canon. l. 1. tit. 15. c. 5.* Zech. *de repub. Christiana cap. 28. num. 19. vers. Caueant etiam.*

§. IX.

De pœnis violantium sepulcra.

1 *Duplex in violatores est pœna, Ciuilis & Criminalis.*
2 *Quibus modis sepulcrum violetur.*
3 *Arma & insignia à sepulcris amoueri non posse.*

POstremò sepulcrorum violatores & civili-
1 ter & criminaliter puniuntur, *& l. de sepulcro, ff. de sepulcro violato.* Civilis pœna est pecuniaria; soluenda iis, quorum interest, vel denuntiantibus; estque centum aureorum, *dict. l. 3. §. & si quis in sepulcro, & dict. l. de sepulcro*, & quanti interest, *l. liberum, ff. de religiosis & sumpt. funerum.* Criminalis est modò mulcta, modo capitalis.

Violatur autem sepulcrum variis modis: vt
2 si quis in sepulcrum alterius, eo inuito, cadauer inferat: si dolo malo quis in eo habitet, aut ædificium, aliudve, quod causâ sepulcri factum non est, habeat: si ossa aliò transferat, non petita licentia à Pontifice, olim Principe, vel etiam à Magistratu, si causa rationabilis transferendi occurreret. Quod obtinet, quando cadaver ibi sepultum est eo animo, vt perpetuò illic maneat: alioquin si eo animo, vt postea

aliò

aliò transferatur, licebit illud transferre sine licentia, nec sepultura temporalis locum religiosum facit. Item si quis sepulcrum demoliatur: & si seruus id fecerit, iubente domino, pœna est metallum; si absque iussu, relegatio.

Actio etiam de sepulcro violato infamiam irrogat, prout hæc latiùs deducit & probat, aliáque eodem spectantia tradit Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi, lib. 33. c. 23. à n. 11.*

3 An autem affixio armorum in propriis sepulturis prohiberi possit, quærit Riccius *in Praxi decis. 667.* & resoluit non posse: subiungens, contra amouentes arma atque insignia ex sepulturis dari actionem iniuriarum.

TITVLVS XXIX.

De *Paræciis & Paræcianis.*

§ I.

Quæ dicatur Ecclesia Parochialis, & vnde.

1 *Ecclesiarum varia diuisiones & differentia.*
2 *Curata Ecclesia quæ sit.*
3 *Qua Parochialis.*
4 *Parochus & Parochia, item Paræcus & Paræcia vnde dicantur. 5.*
6 *Ratio instituendarum Ecclesiarum parochialium. 7.*
8 *Substantialia Ecclesiæ Parochialis.*
9 *Parochia distincta esse debent.*
10 *Item dotata pro decente sustentatione: & ratio dotandi.*
11 *Vnus dumtaxat præficiendus Ecclesiæ.*
12 *Parochianus seu Paræcianus quis censeatur?*

1 MISSIS Ecclesiarum variis diuisionibus, differentiis, nominibus, pro varia ratione dignitatis, loci, formæ viuendi, & similium (vt quòd alia dicatur Romana, alia Primitialis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis seu Cathedralis à Cathedra seu sede Episcopi; alia Collegiata, eáque vel regularis vel sæcularis, alia non collegiata; rursus alia Curata, alia Parochialis, alia Matrix, quæ subinde dicitur Parochialis Ecclesia, cui alia adiungitur in subsidium, vt *in cap. Ad audientiam 3. inf. de Ecclesiis ædificandis, c. ex transmissa 10. sup. de præscript.* subindè verò eo nomine appellatur Cathedralis Ecclesia, vt *in cap Venerabilis inf. de verborum significat.* estque principalis, primaria ac maior cæteris in loco aliquo, *Clement. 1. de sentent. excommunicat.*) breuiter hic dicendum de Parochiali, eò quòd superiori titulo tractatum sit de quodam eius iure, quod consistit in funerando, dubitarique posset generaliter de aliis ipsius iuribus.

Notandum verò Curatam Ecclesiam subinde 2
sumi, vt à Parochiali distinguitur, & tum dici Curatam, quæ curam habet animarum tam interiorem, quàm exteriorem, id est, tam in foro pœnitentiali quàm contentioso, Innocent. *in cap. dudum sup. de elect.* Et idcò præfectus Ecclesiæ curatæ hoc modo sumptæ potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, inquirere, facinorosos capere, & in carcerem mittere, aliáque huiusmodi, quæ ad morum spectant correctionem, exercere, *dict. cap. dudum, versic. Sed cum iure, vbi Gloss.* Et quidem Præpositus Regularis Monachos suos; sæcularis verò Clericos alios sibi subiectos habet.

Parochialis autem Ecclesia dicitur ea, quæ 3
habet curam animarum interiorem seu in foro pœnitentiali, non autem exteriorem seu in contentioso: & quidem sine aliqua prærogatiua vel prælatione: aliàs diceretur Dignitas vel Personatus.

Originem trahit à Græca voce vel παροικῶ, 4
quasi à præbendo, vel παροικία, quasi à vicinia seu accolatu. Siquidem nonnulli, vt Budæus *in Annotat. poster. ad l. fin. ff. de muner. & honoribus*, volunt *Paræcum* scribi & dici, à Græco παροικεῖν. Incola enim, inquit Pomponius *in l. Pupillus 239. §. 2. ff. de verb. signific.* est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Græco πάροικον, id est, iuxta habitantem vocant. Vt Paræcia dicatur, quasi vicinia. & Paræciani quasi vicini & incolæ, seu habitatores eiusdem viciniæ sacræ; & Paræcus, quasi præcipuus in eiusmodi sacra vicinia, seu in spiritualibus præpositus.

Alij verò existimant Parochum dictum à 5
παρέχειν, id est, Præbendo. Dicebantur enim apud Ethnicos Parochi, qui Legatis publicè Romam missis, & aliis alicuius dignitatis hospitibus, salem & ligna, cæteraque necessaria præbebant, vt notauit Acron ad illud Horatij *lib. 1. Serm. Sat. 5.*

Et parochi, quæ debent, ligna, salémque.

Hinc igitur præbendo seu subministrando Parochum apud Christianos dici malunt, eò quòd commissæ sibi plebi, populo sacrum

divini Verbi & Sacramentorum pabulum ad pascendas animas præbeat & ministret.

Cùm enim augeretur Romæ populus Christianus, distribuit Euaristus I. Pont. teste Platina *in eius vita*, Sacerdotes per singulas Vrbis curias, qui præberent Sacramenta & alia sacra populo, & vicissim ab illo necessaria ad victum acciperent; indéque partes illæ Vrbis sic distributæ dictæ sunt Parochiæ, & subditi Parochi.

6 Deinceps circa ann. Domini 266. Dionysius Pont. similem procurauit distributionem Parochiarum per vniuersum orbem, Curionibus seu Parochis, pro necessariis ad vitam, assignatis decimis, quæ intra terminos Parochiæ cuiusque continerentur, *can. 1. can. Ecclesias 13. quæst. 1. can. 1. distinct. 90. can. Episcopi, distinct. 18. cap Pastoralis, sup. de his, quæ fiunt à Prælato, &c.* Petrus Greg. Tholos. *Syntag. Iuris vniuersi. lib. 16. cap. 8. num. 33.* Idque ne quis alterius parochiæ fines aut ius inuaderet, sed quisque curam Ecclesiamque haberet sibi legitimè assignatam.

7 Vnde Abbas Parochiam dici vult, quasi portionem curæ, quia cuilibet presbytero parochiali detur certa pars civitatis vel diœcesis per eum curanda: qui inde & Curatus appellatur, & subinde Curio à Curia, id est, regione vrbis, cui proponitur in sacris, vt apud Varronem *lib. 4. de lingua Latina.* Erant enim Curiones Romæ olim Curiarum sacerdotes, qui in Curiis divina curabant, & ex lege Romuli Curiarum suffragio creabantur Dionys. Halicar. *lib. 2. Antiq. Roman.* Qui plura desiderat de Parœciarum origine, consulat singularem ea de re Tractatum Ioan. Filesaci Theologi Parisiensis.

8 Igitur licèt Parochia subinde accipiatur pro tota diœcesi, *can. Si quis ordinandus cum duobus seqq. distinct. 92. can. Licet in regulis 16. quæst. 4.* hic tamen sumitur pro certa alicuius diœcesis Ecclesia, quæ habet populum, certis limitibus distinctum, cum potestate fori pœnitentialis, id est, ligandi & soluendi, subditis Sacramenta administrandi, idque ex necessitate oneris Ecclesiæ impositi: hæc enim omnia simul requiruntur, vt Ecclesia dicatur & sit Parochialis, prout latiùs tradit Gonzales, *ad Reg. 8. Cancell. Glos. 6. à num. 34.* Chokier *in Scholiis ad Preces Imperiales primarias, sect. 2. in verbis, Cum cura.* Ideóque licèt Ecclesia aliqua fontem habeat baptismalem atque etiam ius sepulturæ, ex consuetudine vel authoritate Superioris Antistitis, non tamen dicetur Parochialis, nisi habeat populum certis finibus distinctum: quem si olim habuerit, nu... & non habeat, vel ob bellorum calamitatem, vel pestem sæuientem, vel loci inundationem, dicetur Parochialis habitu, non actu, donec redierit populus. Hinc etiam licèt Minoribus ac Prædicatoribus ex privilegio competat ius audiendi confessiones, non tamen Curati dicuntur. Aliquando etiam sumitur pro loco ipso, in quo huiusmodi populus, Ecclesiæ, deputatus, degit: vt cùm dicimus, hunc vel illum habitare in hac vel illa parochia.

Cæterùm Parochiæ esse debent distinctæ, ne ordo Ecclesiasticus confundatur, neve vna & 9
eadem Ecclesia duarum quodammodo fiat diœcesion, cum graui incommodo subditorum. Et ideò quoque parochia diœcesis vnius quacumque de causa alterius diœcesis beneficio, aut Monasterio seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuò vniri non potest, Concil. Trident. *sess. 14. c. 9. de reformat.*

Fines verò Parochiæ & distinctio populi probantur per testes, deponentes, quòd à tempore immemoriali tales fines fuerint obseruati. Et vbi de finibus, & his quæ finibus cohærent, constat, nequeunt præscribi, *cap. Super eo 3. hoc tit. dict. can. Licet in regul. 21. quæst. 4.* Si verò Ecclesia Parochialis certos & proprios non habeat fines, nec eius Rector proprium populum quem regat, sed promiscuè petentibus Sacramenta administret, mandat Synodus Trid. *sess. 24. cap. 13. de reformat.* Episcopis, vt distincto populo in certas propriásque parochias, vnicuique suum perpetuum, peculiarémque Parochum assignet.

Insuper requiritur ad parochialem Ecclesiam, vt sit fundata auctoritate Episcopi, qui fines designet plebem constituat, & Parochialem nominet, *can. Nullus omnino 16. quæst. 7.* Concil. Trident. *dict. loc.*

Præterea oportet eam competenter dotatam esse, *cap. 1. de prabendis in 6. cap. Quisquis* 10
sup. de vita & honest. Clericorum, habita scilicet ratione qualitatis, loci, personarum, & temporis. Si verò adeò tenues sint reditus, vt debitis oneribus nequeant sufficere, prouidebit Episcopus per vnionem beneficiorum simplicium, vel etiam curam habentium, quæ tamen regularia non sint, & sine obtinentis præiudicio, Conc. Trid. *sess. 21. cap. 5. de reformat. & dict. sess. 24. cap. 13.*

Quòd si id fieri nequeat, prouidebit per adfigationem primitiarum, ad quas populum posse cogi certis casibus, dicam postea, aut decimarum, etiam infeudatarum, secundum Chopin. *de sacra Polit. lib. 3. tit. 4. num. 19. 21. & 22.* Rebuff. *tract. de decimis, quæst. 3.* (quamquam secus

secus statuit edictum ad Synodum Cameracensem *anni* 1586. *art.* 12. & Mechlinienſem *art.* 15. & 16.) vel per Parochianorum ſymbola collectas, aut qua aliâ commodiori ratione, quâ neceſſitati rectoris aut Parochiæ decenter ſuccurratur.

Poterit etiam vnire duas Parochiales Eccleſias, vna non ſufficiente ad rectoris decentem ſuſtentationem, modò populus non ita ſit numeroſus, vt vnus ſufficere rector nequeat: vel etiam nouam parochialem Eccleſiam erigere, vbi id neceſſitas exigit, ob locorum diſtantiam & amplitudinem parochiæ, erectámque dotare ex fructibus Eccleſiæ matricis, ſi hæc abundet, Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. Piaſ. *part.* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *in fin.*

Refert autem Zyp. *hoc tit. num.* 10. Pium V. ſtatuiſſe, vt non infra quinquaginta & non vltra centum aureos hæc prouiſio extendatur: Synodum verò Mechlinienſem anni 1607. vt non infra triginta libras Flandricas & non ſupra quinquaginta, niſi Epiſcoporum iudicio Parochiæ amplitudo aliquid vltra requireret, computatis certis prouentibus, & incertis, quo dicta proviſio ad certam ſummam, inſpectis tribus aut quatuor annis vltimis, redigi poſſit.

Ibidem tradit, in hac prouiſione procuranda ſummariè & ſine ſtrepitu iudicij procedendum eſſe: & quando ad collectas deuenitur, implorandum ſubſidium Conciliorum prouincialium.

11 Rurſus Eccleſiæ Parochiali inſtitutæ debet præfigi vnicus Sacerdos, qui in ea baptiſmum & reliqua Sacramenta populo miniſtret, *cap.* 1. *& aliis hoc tit. can. Sicut in vnaquaque* 21. *q.* 2. curámque animarum proprio nomine, non alieno, exerceat. Alioqui ſi duo inſtituantur, neuter Curatus dicetur, Oldrad. *conſ.* 67. quia vt humana ſponſa duos coniuges habere nequit eodem tempore, *cap.* 1. *inf. de ſponſa duorum*: ita Eccleſia duos Clericos ſponſos, qui eiuſdem eodem tempore curam habeant, *dict. can. Si cui in vnaquaque.* Alioqui duo haberet capita, quod prodigioſum eſſet. Hinc cura animarum dicitur eſſe penes Prælatum non penes eius Vicarium, licèt is ſit perpetuus, Maſcardus *de probat. concluſ.* 489. *n.* 13.

Qualis autem, quâ forma & quo ordine quis præfigi debeat Parochiali Eccleſiæ, videatur Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat. & ibid. declarationes Cardd.*

12 Denique Parochianus ſeu Paroecianus dicitur & habetur alicuius Eccleſiæ, qui intra Parochiæ limites habitat, animo ibidem manendi, ita vt ſit verè tranſlatus, non iuris fictione, ſive audierit ibi diuina, ſive non, *can.* 1. *diſtinct.* 28. *cap.* 3. *de ſepulturis in* 6. Etiamſi ſit beneficiatus & Curatus alienæ Eccleſiæ, dummodo in ea non reſideat, Frederic. de ſenis *Conſ.* 254. Canonicus tamen vel alius clericus Cathedralis Eccleſiæ habitans in aliena parochia, vt reſideat in Cathedrali, non fit Parochianus Eccleſiæ Parochialis, ſed Cathedralis, Lapus *alleg.* 63. *ſup. finem verſ. Hoc dico.*

§. II.

De iuribus Eccleſiarum Parochialium, & munere Parochorum.

1 *Parochiani in Eccleſia ſua baptizandi.*
2 *Et quid circa hoc incumbat Paroche.*
3 *Peccata ſua confiteri & communicare debent in Paſchate.*
4 *Parochi circa ægrotos officium.*
5 *Nuptiæ in Eccleſia ſolemniter celebrandæ.*
6 *Miſſa & diuina in eadem audienda.*
7 *Mortui item ſepeliendi.*

IVs Eccleſiæ Parochialis conſiſtit in pluribus. 1
Et primò quidem in eo, quòd populus illi ſubiectus ſeu paroeciani debeant in ea baptiſmum recipere. * Et ad hoc incumbit Parocho, 2
fontem baptiſmalem diligenter mundéque cuſtodire, ac curare, vt ſemper adſit ſufficiens aqua, cautéque occluſa: cauere inſuper, ne ſua culpa quis decedat abſque baptiſmo ſub pœna depoſitionis, *can. Quicumque, de conſecrat. diſt.* 4. Habere librum, in quo nomina baptizatorum, parentum & patrinorum diligenter deſcribat, Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de refor. matrim.* notétque annum, menſem & diem, quo ſinguli baptizantur: vt & in alio libro nomina confirmatorum, parentum ac ſuſceptorum.

Subditos præterea Eccleſiæ parochialis oportet ſemel ſaltem in anno ſacram ſuorum peccatorum confeſſionem facere, ſacroſanctum Chriſti corpus quot annis in Paſchate percipere, *cap. Omnis vtriuſque inf. de pœnitent. & remiſſionib.* inſupérque iuſto ac debito tempore ſacri olei vnctionem petere, *clement.* 1. *§. dudum, de ſepulturis.* 3

Et ad eum finem incumbit Parocho diligenter viſitare infirmos, hortari ad pœnitentiam, ad bene moriendum: grauiterque punire debet, ſi appareat aliquos eius negligentiâ abſque ſuſceptione Sacramentorum mortuos eſſe, *can.* 4

Si

Si presbyter 26. quæst.6. Nullo siquidem casu excusari potest Parochus, quo minùs adsistat & ministret Sacramenta morientibus, ne quidem metu pestis vel alterius contagiosi morbi, vt ex Ripa, *tract. de peste num.* 147. & aliis, tradit Piasec. 2. p. *cap. 2. art 3. num.* 17. Et *num. seq.* refert Constitutionem Pij V. *an.* 1566. *die* 11. *Martij* innovantis Constitut. Innoc. III. quâ præcipitur Medicis, vt, cùm ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum medicos vocent, quibus omnia peccata sua iuxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ confiteantur.

5 Ad hæc quia clandestina matrimonia Ecclesia semper detestata est, *can. Non omnis, can. Honorantur & can. fin. 32. quæst. 2.* ideo nuptiæ eorum, qui matrimonio iunguntur, non nisi solemni ritu & coram proprio Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, in facie Ecclesiæ celebrari debent, Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* Mandat Conc. Parocho, vt librum habeat, in quo coniugum, & testium nomina, denique & locum contracti matrimonij describat; quem diligenter apud se custodire teneatur. Et sereniss. Princeps noster edicto an. 161 1, ad obviandum difficultatibus super probatione ætatis, temporis matrimonij contracti, aut obitus personarum, sive in ordine ad promotionem ad Ordines sacros, aut ad beneficia vel officia sæcularia, & alia similia, mandavit huiusmodi annotationis copiam authenticam quotannis in archivis Episcopalibus deponi. Eademque ex causa *art.* 21. decrevit, vt probationes Ordinum susceptorum, & votorum monasticorum, fiant per literas, & non per testes, Zyp. *h.t. n.* 6.

6 Diebus item Dominicis & Festis populus in Ecclesia sua parochiali rem divinam audire debet, *cap. Vt Dominicis 2. h.t.* Conc. Trid. *Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. cap.* 4. Vbi mandat Episcopis, vt moneant populum diligenter, teneri vnumquemque parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Quamvis cogi ad hoc nemo possit, quia Concil. vtitur verbo, *moneant.* Et ita responsum fuisse à sacra Congregat. & à Leone X. refert Piasec. *dict. loco num.* 21. nempe satisfieri præcepto Ecclesiæ, si audiatur Missa in Ecclesia Regularium.

7 Planè iam olim in Germania & Flandria ea de re fuisse controversiam inter Religiosos Mendicantes & Parochos, argumento est Constituto Sixti IV. *in Extravag. communib. Vices illius, de treuga & pace*, quâ eandem dedidit sub certis formis & modis. Quamquam ne sic, quidem, nostrâ etiam ætate, cessent lites propter privilegia à posterioribus Pontificibus concessa Mendicantibus, de quibus videre licet Azor 1. *part. Institut. Moral. lib.* 13. *cap.* 2. quæ quantum vsus probaverit, vel abusus prorogaverit, non facilè dictus est, inquit Zyp. *hoc tit. num.* 2. Videri interim possunt, quæ de Missa in Ecclesia parœciali audienda ex veteribus Canonibus & Conciliis plerisque collegit Ioan. Filesacus *in tractat. de parœciis c. 6. & 7.*

Denique, vt alia omittam, in parochiali Ecclesia sepeliendi sunt mortui. *Clement. Dudum* §. *verum de sepulturis*: nisi alibi sepulturam elegerint, iuxta ea, quæ tit. præcedenti de hac re diximus.

Quænam verò, vltra prædicta ex decretis Concil. Trid. incumbant Parocho, videre ibi passim licet, & colligit pleraque Piasec. *d. loco de visitatione Parochialis Ecclesia.*

TITVLVS XXX.

De Decimis, Primitiis & Oblationibus.

§. I.

Oblatio quid sit & quotuplex?

1 *Oblatio in genere complectitur etiam Decimas & Primitias.*
2 *Oblatio in specie quid sit.*
3 *Species illius sunt tres.*
4 *Oblationes certis casibus sunt de necessitate.*

RECTORIBVS Parochiarum debentur Oblationes, quæ diebus Dominicis & Festis in Missa offerri solent, insuperque soluendæ iis Decimæ ac Primitiæ: 3 de quibus nunc ordine agendum est. Et quidem primò de Oblationibus, tanquam generalioribus: nam Oblatio in genere videtur esse idem, quod alicuius rei non petitæ spontanea largitio. Quæ fit aut homini, & Donatio appellatur; aut Deo, & magis Oblatio in iure Canonico vocatur, quia cùm Deus sit rerum omnium dominus, nihil ei dari potest.

Oblatio in genere dividi potest in Oblationem

nem ſpecialiter dictam, contracta voce generis in ſpeciem, & in decimas ac Primitias: quæ tria in ſolis Eccleſiæ bonis præcipuè numerantur, *cap. cauſa Carpenſis 13. inf. de verb. ſignif.* & Dei cenſentur, *can. Saluator 1. quæſt 3.*

2 Oblatio ſpecialiter dicitur, quidquid à Chriſti fidelibus de propriis & licitis ad divinum cultum vel honorem Deo vel Eccleſiæ datur, *dict. cap. cauſa; Carpenſis*, ſive ſit res mobilis, vt monilia, pecunia ornamenta, & ſimilia, ſive immobilis, vt ager, prædium, fundus.

3 Et Oblationis huiuſmodi tres ſunt ſpecies ſive modis potiùs. Prima, quando aliquid donatur Deo vel Eccleſiæ inter viuos, de qua ſuprà *tit. de donationibus.* Secunda, quando aliquid datur Deo vel Eccleſiæ cauſâ mortis, de qua *in cap. officij & in cap. requiſiſti ſup. de teſtam.* Tertia, quæ fit ad altare vel manum Sacerdotis celebrantis, *can. Antiquos 10. quæſt. 1.* Et hæc ex conſuetudine ſpecialiter Oblatio dici ſolet: & ſine ea parochiani ad Eccleſiam diebus feſtis & Dominicis inter Miſſarum ſolennia facienda, iuxta conſuetudinem receptam, accedere non debent, *can. Quia Sacerdotes 10. quæſt. 1.* Eaque conſuetudo ex deuotione populi, non ex exactione clericorum, initium habuit.

4 Tametſi verò oblationes de ſui natura ſint voluntariæ, nemoque communi lege teneatur Dominicis Feſtiſve diebus ad offerendum: tamen ſubinde ſunt de neceſſitate: Primò, ratione conſuetudinis receptæ, cui ſatisfit communiter, quando maior pars populi, Capituli aut Collegij offert. Secundò, ſi miniſtri Eccleſiæ egeant: nec enim ſuis ſtipendiis militare tenentur, *cap. Cum ex officij ſup. de præſcript.* Tertio, ſi concedatur fundus vniuerſitati aut congregationi ſeu communitati, ea conditione, vt fiat oblatio Eccleſiæ, *can. Oblationes 13. quæſt. 2.* Quartò, ex deputatione aut promiſſione, vt ſi quis inter viuos vel in vltima voluntate aliquid relinquat, Eccleſiæ ſoluendum aut offerendum, *can. Nulli 12. quæſt. 2.*

§. II.

Quibus cedant oblationes.

1 *Cedunt Parocho vel Prælato Eccleſiæ.*
2 *Etiamſi Capellæ.*
3 *Niſi intuitu ipſius Capellæ fiant.*
4 *Quatenus Epiſcopo debeantur.*

QVæ quidem oblationes ſi fiant in Eccleſia Parochiali cedunt Parocho: ſi verò in alia Eccleſia, Prælato illius, *can. Quia Sacerdotes 10. quæſt. 1.* * Similiter ſi fiant Capellæ, intra limites Parochiæ, cedunt Parocho, non Sacerdoti Capellæ, Panormit. *in cap. paſtoralis num. 2. ſup. de hu quæ fiunt à prælato &c.* Azor. 1. *inſtitut. Moral. lib. 7. c. 27. quæſt. 13.* niſi Capella habeat bona diſtincta aut gubernationem ſeparatam ab Eccleſia, vt ex Felino tradit Vvamenſ. *conſ. 436. num 9.* Idem dicendum, ſi fiant picturæ in pariete domus priuatæ, intra parochiam ſitæ: niſi de conſuetudine ad diſpoſitionem ſpectent Epiſcopi.

Si autem offeratur quid altari ſeu Capellæ in Eccleſia exiſtenti, non intuitu Eccleſiæ, ſed intuitu ipſius altaris ſive Capellæ, habentis bona diſtincta, cedit illud vſui illius altaris ſive Capellæ, Felin *in cap. Dilectus num. 2. & 3. ſup. de officio Ordinarij.* Piaſec. 1. *part. cap. 5. art. 4. num.* 44. Cuius verò intuitu aliquid oblatum eſſe dicatur, ex coniecturis iudicandum eſt.

Sed & de oblationibus, quæ fiunt Eccleſiis, participare poteſt Epiſcopus, *can. Conceſſo. 12. q. 2.* nimirum vbi talis eſſet conſuetudo. Alioquin regulariter Parochus habet intentionem fundatam de iure, ſuper oblationibus, quæ fiunt intra fines parochiæ ſuæ, vel quæ fiunt circa benedictiones nuptiarum, purificationes poſt partum, in adminiſtratione Sacramentorum, celebratione Miſſarum *can. Statuimus 16. quæſt. 1.* etiamſi hæc per alium, & non per Parochum, exerceantur, quia per ſe facere videtur, qui per alium facit, *cap. Qui facit de R. I. in 6.* Piaſec. *d. loc.*

Si verò Epiſcopus ipſe celebret in Cathedrali vel in Parochiali Eccleſia, vel alia quacumque, oblationes ei ſoli cedent, *cap. ſuper eo ſup. de Parochiis* Hoſtienſ. *in Summa dict. tit. n. 2.* Sicut & Archiepiſcopo cedunt, quando celebrat in prouincia, niſi conſuetudo ſit in contrarium aut nimis frequenter ibi celebret. Vbi tamen Epiſcopo in parochia celebrante oblationes ex conſuetudine percipit Parochus, debetur Epiſcopo Canonica portio, *c. Conquerente ſup. de officio ordinarij*, Quòd ſi Epiſcopus vel Archiepiſcopus celebret in locis exemptis, oblationes cedunt ei, qui ius habet parochiale.

Porrò parochianis nolentibus conſuetas oblationes facere non ideò ſubtrahere Sacramenta Parochus debet; verùm iis miniſtratis,

potest officium implorare Superioris sui, nempe Episcopi, vt suas obeant partes.

§. II.

A quibus recipi, quique recipere oblationes non possint.

1 *Non ab hæreticis, excommunicatis &c.*
2 *Laici oblationum incapaces.*
3 *Et Religiosi regulariter.*

1 RECipi oblationes non ab omnibus promiscuè possunt: non ab hæreticis, excommunicatis, Simoniacis, oppressoribus pauperum, raptoribus, vsurariis manifestis, & aliis similibus, vt fusiùs videre licet apud Clem. Romanum, *lib.4.Constitut. Apostolic. c.6.* Idque in detestationem huiusmodi criminum: vt ita reiecti, resipiscant, neve Ecclesia videatur delictorum fautrix, oblationes ex maleficio percipiendo.

Insuper non à publicis pœnitentibus: nec item, secundum aliquos, à meretricibus: neque ab iis, qui aliena offerunt, *cap. Causa Carpensis*, in verbis, *de propriis inf. de verb. signif.* Sed & indignum est offerre Deo, quod non dignatur homo accipere, *canone fin. distinct. 49.*

2 Laicis autem interdictum est, sub pœna Papalis excommunicationis, oblationes percipere, vel aliis percipiendas committere, *can. Quia Sacerdotes 13. & seq. 10.q.1.* Conc. Trident. *Sess.22.c.15.* & cùm sint earum incapaces, non valet consuetudo in contrarium.

Sed nec Religiosi eas percipere possunt, nisi
3 de licentia Rectoris Ecclesiæ, vel per ordinationem Ecclesiæ, vel tanquam ministri altaris. Vide *can. Oblationes cum duobus seq.13.q.2. & can. In canonibus 16. q.7.*

§. III.

De Decimis, quid sint, & quo iure debitæ.

1 *Decima & in genere & specialiter sumitur.*
2 *Specialiter, prout est pars fructuum non taxata & taxata.*
3 *Decimas deberi solo iure Ecclesiastico.* 4.
5 *Multorum fructuum & insolitas non deberi decimas.* 6.

DEcima in genere nihil aliud est, quàm cuiusque rei decima pars, quæ Principibus, aut Sacerdotibus seu Ministris Ecclesiæ persoluitur, quâ detractâ relinquuntur novem. Hîc verò specialiùs sumitur pro decima sive decimis Ecclesiasticis, id est decima parte bonorum omnium mobilium seu fructuum, iure quæsitorum, Ministris Ecclesiæ quotannis persolvenda. 1

Dico, bonorum omnium mobilium; quia id colligitur ex *cap. Non est 22.* in verbis, *& de omnibus bonis decimæ*, &c. *Nuntios 6.* ibi *de apibus & de omni fructu, h.t.* Dixi, iure quæsitorum, *ex c.Transmissa 23.* ibi, *quia fidelis homo, &c. hoc tit.* Species enim furti est, de alieno largiri, & beneficij debitorem sibi acquirere, *l. Si pignore 54.ff.de furtis.* Dixi, pro decima parte *ex c.1.& per tot. hoc tit.* quia licet subinde soluatur duodecima, vigesima vel alia, tamen portio illa semper habetur pro decima.

Vt autem intelligatur, quo iure debita sit 2
decima, notandum est, decimam posse dupliciter considerari; primò quatenus est pars quædam fructuum, quos percipimus, non tamen certa & definita, sed tanta, quanta ad debitam Clericorum, nobis spiritualia ministrantium, & pro nobis preces Deo fundentium, sustentationem est necessaria, sive sit decima, sive octava, vigesima, vel alia pars. Et in hac acceptione satis convenit inter omnes, decimam deberi non modò iure naturali, sed & divino, quia vtrumque ius præcipit, vt Ministris Ecclesiæ, nobis spiritualia subministrantibus, necessariam sustentationem præbeamus, iuxta illud Pauli, *1. Corinth. 6. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnus est, si nos carnalia vestra metamus:* & illud Christi, *Dignus est operarius mercede.*

Secundò, considerari potest, quatenus est certa & taxata pars fructuum, déque hac tota est difficultas, an debeatur iure naturali & divino, an verò solo iure Canonico. Et quidem in veteri lege debitam & solutam fuisse decimam partem constat *ex Levit.22. & 27.*

An verò etiam in lege Evangelica iure de 3
beatur divino, non ita constat. Deberi eo iure communis est Canonistarum opinio; Primò ex *Matth.23. v. 23.* vbi cùm dixisset Christus, *Decimatis mentham & anethum*, subiungit, *Oportuit hæc facere & illa non omittere*: nam verbum, *oportuit*, indicat obligationem iuris divini. Secundò ex illo *Matth. 5. Nisi Abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum:* nam inde sequitur, quod si illi soluerint decimas

ex

ex præcepto divino, multò magis non teneri: Tertiò ex variis Capitulis *h.t.c. Parochianos 14. Tua 25. & seq.c. In aliquibus 32. in fine & aliis*; variisque Canonibus, vt *can. decimas, can. decima, & can. vlt. 16. quæst. 1. & similibus*: ex quibus colligi videtur, decimas deberi ex constitutione divina, quippe quæ non ab hominibus, sed ab ipso Deo sint institutæ, in signum, inquit Pont. vniversalis dominij, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit. *c. Cùm non 33. h.t.*

4 Attamen verior & receptior est contraria Theologorum sententia, istam quotam tempore legis Evangelicæ solo iure Ecclesiastico, iam indea temporibus Apostolorum debitam fuisse, & deberi: quam sequitur Covarr. 1. *Var. resol. cap. 17.* & Canis. *de decimis cap. 3. num 7. & seq.* quia in lege Evangelica nullum extat præceptum de huiusmodi quantitate fructuum persoluenda, sed dicitur dumtaxat, ministris rerum spiritualium congruam deberi sustentationem: nusquam autem habetur, an decima, vel alia pars fructuum debeatur. Deinde si iuris esset divini, non posset consuetudine tolli aut minui; & tamen tolli aut minui posse *ex d.c. In aliquibus 32. §. fin.*

5 Imò in quibusdam locis multorum fructuum, vt olerum, raparum, fabarum, & similium, sublatæ sunt decimæ. Et hinc Carolus V. Imp. *anno* 1520. edixit in Belgio, ne à subditis suis exigerentur decimæ eorum fructuum, de quibus à quadraginta retrò annis nullæ exactæ aut solutæ, fuissent, licet non incogniti essent fructus. Et postmodum declaravit, vt de insolitis fructibus soluerentur decimæ, si in aliis locis, vbi soliti sunt seminari & colligi, solitæ sint solui. Deficiente verò consuetudine ad ius commune recurrendum est, quo iure decimæ debentur de omnibus rebus, quas terra gignit. Huc facit, quod ex Boërio, *ad Consuet. Bituric.* refert Zypæus *h.t. n. 2.* Episcopum Abbiensem, cùm decimas exegisset crocorum, ac subditi solutionem detrectarent, eo prætextu, quòd antea eas non soluissent, sententiam pro se obtinuisse, ea ratione, quòd aliis in locis decimæ de croco soluerentur, Memorat idem, Brabantiæ Concilium 2. *Aprilis* 1545. pro Abbate Canonicorum Regularium S. Gertrudis Lovanij iudicasse, non censeri novas decimas lignorum, in locis, vbi ex lignis decimæ soluuntur, quamvis siluæ infra quadraginta annos plantatæ vel sponte enatæ essent. Addit ibidem, in materia panici iudicasse eundem Senatum contra incolas de VVillebroeck: eámque sententiam quoad omnes ius facere, cùm decidat qualitatem istius frumenti, scilicet quod sit decimabile.

Non obstat præceptum legis veteris de decima soluenda: quam cùm illud fuerit iudiciale, & non morale, morte Christi abrogatum fuit: licèt auctoritate Ecclesiæ de novo fuerit constitutum, vt decima pars solueretur. 6

Non obstat quoque, quod ex Matth. 23. allegatum fuit: quia Christus ibi loquitur de tempore illius legis, quo decimæ iure divino debitæ erant.

Pariter non obstat illud, *Nisi abundaverit iustitia vestra, &c.* quia debet esse maior, non in soluenda decima (alioquin deberemus plus quàm decimam soluere, quandoquidem illi accuratissimè decimam de omnibus soluerint) sed in reformandis internis affectibus, quia iustitia illorum solùm erat externa; putabántque sufficere, si non occiderent, aut non mœcharentur exteriùs, interiora verò negligebant,

Non obstant denique iura in contrarium allata, cùm aliis similibus: in iis enim decimæ dicuntur deberi ex constitutione divina, quia scilicet, quòd debeantur, ortum habet ex constitutione & lege divina in veteri Testamento, ad cuius imitationem Ecclesia eas solui præcepit in novo testamento. Vel dicendum, in iis non sumi decimas, prout sunt certa & definita pars fructuum, quo pacto dicimus deberi solùm iure Ecclesiastico, sed prout sunt pars fructuum, necessaria Clericis, ad congruam eorum sustentationem.

Dicuntur autem decimæ esse Dei & solui Deo, quia soluuntur ministris Ecclesiæ; quibus quod soluitur & datur, Deus sibi solui & & dari dicit.

Dicuntur etiam subinde non posse minui, quamdiu scilicet viget lex Ecclesiastica, quæ ad imitationem legis veteris hanc quotam iustissimis de causis taxavit, præceptum iam abrogatum renovando.

§. IV.

Ex quibus rebus decimæ debeantur & quotuplices sint?

1 *Debentur ex omnibus omninò fructibus, & lucro negotiationis.*

2 *Decima alia Prædiales, alia Personales, alia Mixtæ.*

3 *Differentia inter has species.*

1 IVre igitur communi debentur decimæ de omnibus fructibus terræ, veluti de frumento grano, fœno, vino, & leguminibus omnis generis, *cap. Ex multiplici 3. & c. Non est 22. hoc tit. 2. Paralip. 12.* de fructibus arborum, hortorum, pecorum, veluti de lana, apibus, gallinis, columbis, &c. *d.c. Non est, c. Cùm homines 7. d.c. Ex multiplici & aliis h.t.* de proventibus molendinorum; *c. Pervenit 5. & cap. Ex transmissa 23 h.t.* ex conductione ædium, prædiorum, & cuiuscúmque rei, *c. Ex part. 22. c. Anobis 24. eod.* à quocúmque teneantur; nisi se exemptum speciali iure doceat. Denique ex quacúmque lucrosa, honesta tamen & licita negotiatione, *c. Pastoralis 28. h. t.* atque adeò ex stipendio militiæ, *d.c. Non est.*

2 Hinc dividi decimæ solent in Personales, Prædiales & Mixtas. Prædiales sunt, quæ soluuntur de prædiorum aut arborum fructibus, obventionibus molendinorum, locatarum ædium aliorúmque similium.

Personales dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industriâ & operâ suâ acquirit, persoluuntur, *c. Ad Apostolica 20. & cap. Tua nobis 26. in fine h.t.* veluti ex lucro negotiationis cuiuscúmque honestæ, *d.c. Pastor* ex stipendio militiæ, ex venatione, aliáve professione, *d.c. Non est.*

Mixtæ dicuntur quæ partim prædiales, partim personales sunt. Huiusmodi sunt, quæ ex fructibus pecorum, veluti ex fœtu, lana, lacte, soluuntur, *c. Pervenit 5 cum seq. h.t.* Sunt tamen, qui malint huiusmodi decimas revocare ad prædiales, quando animalia in pascuis pascuntur ad personales verò, vbi domi porrecto pastu aluntur, & tum demùm constituere mixtum genus, quando vtrimque æquè pascuntur, *arg. §. Si Titius Instit. de rer. divis.*

3 Differunt autem prædiales à personalibus, quòd prædiales statim atque collectæ sunt, solui debeant, & quidem integræ, sine vlla expensarum deductione, quæ fieri solent in colenda prædia, in quærendos & colligendos fructus, *d.c. Cum homines 7. & d.c. Non est 22. h.t.* Et solui debent Parocho, in cuius parochia fructus crescunt & colliguntur, licet colonus alibi habitet, *c. Quoniam 13. h.t.* nisi consuetudine contrarium obtineat, quæ hoc casu seruanda esset, *c. Cum sint homines 18. h.t.* Personales verò soluuntur Ecclesiæ seu Parocho, in cuius ditione seu parochia quis percipit Sacramenta, deductis tamen expensis, in negotiatione factis, causâ quærendarum, emendarum & convehendarum mercium, *c. Ad Apostolica 20. & d.c. Pastoralis 28. eodem.* Ratio differentiæ, quoad deductionem expensarum, est, quod fructus prædiales sint & censeantur fructus, etiam non deductis expensis: secus in personalibus, quia in negotiatione nihil censetur acquiri, nisi quod supereft, deductis expensis, *l. Mutius 30. ff. Pro socio.* At in prædiis nulli fructus acquiruntur, nisi saluâ decimâ, quam, sibi Dominus in signum vniversalis dominij reservavit, *d. c. Pastoralis:* & ideò priùs soluendæ sunt decimæ, quàm census & tributa, *c. Cum homines 7. & c. Cum non sit in homine 33 h.t.*

§. VI.

Quibus debeantur decimæ.

1 *Decimarum incapaces sunt laici.*
2 *Decima primò debita fuerunt cœtui Clericorum in genere.*
3 *Postea singulis, ratione beneficij & tituli.*
4 *Ex lege iustitiæ debentur solis Curatis.*
5 *Qui ad eas de iure communi habent fundatam intentionem.*
6 *Prædiales decimæ debentur Ecclesiæ prædiali.*
7 *Personales Parochiali Ecclesiæ.*
8 *Licet quin in Monasteriis audiat divina & percipiat Sacramenta.*
9 *Habens plura domicilia vel in confiniis habitans cui decimas debeat.*
10 *Mixtæ decimæ cui debeantur.*
11 *Decimæ an debeantur baptismali Ecclesiæ: & quæ sit Baptismalis.*
12 *Decimæ quibus casibus Episcopo debeantur.*
13 *Et quando summo Pontifici.*
14 *Debentur autem Clericis, quantumvis divitibus.*

QVia verò ius decimarum est spirituale, cùm propter divina & Sacramentorum administrationem decimæ solvantur, ideò laicis eas possidere non licet, *c. Quamvis 17. cap. Tua 25. & cap. Dudum 31. h.t.* Quod intelligendum est de decimis acquisitis post Lateran. Concilium: nam acquisitas ante Concil. illud etiam hodie retinere possunt, *c. Prohibemus 9. h.t.* Quamvis laici iuris primarij decimarum (quod scilicet nascitur ex eo, quia ministris rerum spiritualium à populo vicissim debeatur sustentatio) tanquam spirituales, & fundati in titulo spirituali, nempe in munere Ecclesiastico administrandi Sacramenta & pascendi populum

cibis

cibis spiritualibus, sint incapaces, *can. Revertimini* 16. *q.* 1. sunt tamen capaces iuris decimarum cuiusdam secundarij, quod ab illo primario oritur. Et ideò laicis fructus decimarum ad firmam dari possunt, vel loquitur Pont. *in c.* 2. *sup. de locato & conducto, & c. fin. inf. Ne Prælati vices suas, &c.* Et huiusmodi ius subinde Pontifices Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus ob benemerita in Ecclesiam concesserunt: quas decimas Pragmatici vocant decimas infeudatas, Ioan. Imbert. *Instit. forens. lib.* 1. *cap.* 25. Extra quas laicis nullæ aliæ vel decimæ vel oblationes Ecclesiæ concedi possunt. Et Prælatus contra faciens graviter puniendus ac deponendus est, *cap. Quamvis sit grave* 17. *hoc tit.* Nec potest laicus transferre decimas in alium laicum, etiamsi cum titulo illas possideat, *dict. cap. Prohibemus* 19. *hoc tit.* nec etiam donare, licèt sit Rex: adeò vt nec ex eius titulo præstetur causa præscribendi, *d. c. Dudum* Vide Covarr. *lib.* 1. *Var. resol. c.* 17. *n.* 5. & Gutierrez *lib.* 1. *Q. civil. q.* 15. vbi late de intellectu, *d. c. Prohibemus*, vt probet laicos ante Lateran. Concil. capaces fuisse decimarum: & *q.* 16. asserit, si dubitetur, an decimæ titulo feudi à laicis possessæ, fuerint concessæ ante vel post dictum Concilium, probatá earum possessione à tempore immemoriali, præsumi concessas ante Concilium.

1 Videamus igitur nunc, quibus debeantur decimæ. Ex prima quidem Ecclesiæ ordinatione debebantur cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritualia administrabat, vel in hac administratione eidem adsistebat, vel pro populo preces fundebat: hos enim omnes Ecclesia voluit ali ex decimis, omniúmque eas impetravit relictâ distributione Prælatis, quorum auctoritate dabatur singulis, quantum opus erat, cùm ex decimis, tum aliis fidelium oblationibus.

2 Verùm postquam in Ecclesia divisio facta fuit beneficiorum, singulis Clericis debita est portio, titulo cuiusque beneficij attributa & annexa.

3 * Alioquin, sepositâ omni Ecclesiæ assignatione, præcepto & taxatione, ex lege Iustitiæ iis solis debentur decimæ, qui curam gerunt animarum, quia ius percipiendi decimas consequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Et ideò etiam his ante omnes vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel fidelium contributionibus, vel aliis bonis Ecclesiasticis, est providendum.

4 Hinc postquam Dionysius Pont. distinctis Parochiis, Ecclesias singulas & proventus earum singulis tribuit Presbyteris, *can. Ecclesiæ* 13. *q.* 1. *c. Pastoralis* 9. *sup. de his quæ fiunt à Prælato, &c.* quilibet Parochus habet intentionem fundatam de iure communi ad has decimas, vt non teneatur probare eas ad se spectare, postquam à iure sunt attributæ Parochis, *c. A nobis* 24. *c. Cum contingat* 29. *& c. seq. h. t.* Rebuff. *tract. de decimis q.* 7. *n.* 4. etiam contra Episcopum, *c. fin. sup. de Parochiis.*

Parochus quidem Ecclesiæ prædialis ad decimas prædiales, seu decimas solvendas ex fructibus prædiorum, intra fines suæ Parochiæ, licet non administret Sacramenta Domino prædij alicuius, si fortè is moreretur extra parochiam (tenetur enim orare parochus etiam pro illis, qui prædia in sua parochia habent, ideóque de fructibus provenientibus ex huiusmodi prædiis debentur eidem decimæ, Turrecrem. *in cap.* 1. §. *ad hæc* 16. *quæstion.* 1. (*) Parochialis verò ad personales; idque ratione perceptionis Sacramentorum, quia scilicet in ea Parochia quis audiat divina & recipiat Sacramenta seu recipere debeat, per totum anni circulum, *cap. Quæst.* 16. *quæstion.* 1. Rebuffus *quæst.* 6. *num.* 2. vel per maiorem anni partem. Alioquin si æqualiter in duabus Ecclesiis divina audiat, dividentur æqualiter hæ decimæ, aut aliàs pro rata temporis, Rebuff. *dict. quæst.* 6. *n.* 2. Alex. Moneta *de decimis c.* 7. *n.* 19. 5

Neque si quis in Monasteriis audiverit divina, aut etiam perceperit Sacramenta, vt hodie fit, ideò decimæ personales illis debitæ sunt, sed Ecclesiæ Parochiali, in qua domicilium habet, cùm in ea Ecclesia & divina audiri & Sacramenta percipi debeant, *cap.* 2. *sup. de Parochiis, & c. Cum quis* §. 1. *de sepulturis in* 6. pariáque sint, recipere, vel recipere posse, & per quem stare, quo minùs recipiat, *l. Quod te Digestis si certum petatur, cum similibus*: vt proinde cùm per Curatum non stat, quò minùs recipiat vel audiat, non sit ei imputandum, *l. In iure ff. de reg. iuru*, latiùs Moneta *d. loco n.* 20. 6

Quid si quis plura habeat domicilia in diversis Parochiis? Tunc illi Ecclesiæ soluet decimas, in qua principale domicilium habet, vt ex Bohic & Rebuffo docet idem Moneta *dict. loco num.* 21. Vbi subiungit, domo sitâ in confinio duarum Parochiarum, vtrique Parochiæ deberi decimam personalem. Sin dubitetur, cuius Parochiæ sit domus, inspiciendum esse situm ianuæ, & censeri domum illius Parochiæ, in qua posita est ianua anterior & nobilior. 7

8 Porrò decimæ mixtæ dividendæ sunt inter
9 prædialem & parochialem Ecclesiam, iuxta quod de reali & personali decima participant. Videri possunt hæc fusiùs tractata apud Monetam *d.loc.n.*21.& Rebuff. *d.quæst.*6.

10 Sed quid si controuersia oritur inter baptismalem Ecclesiam & Parochialem, quando ab ea est diversa? Pro resolutione notandum, Baptismalem Ecclesiam dici, in qua fons est baptismalis, & Parochiani baptizantur, Glos. & Abbas *in cap.Cum contingat 29.hoc.tit.* nec potest esse nisi vna; cum suis Capellis, in vna Parochia, *can. Plures* 16.*quæst.*1. Et hæc licèt regulariter sit quoque curata, non tamen necessariò, nec semper: & tunc per Parochialem intelligitur illa, quæ intra fines baptismales posita est, sic tamen, vt in ea administrentur Sacramenta: & ab aliquibus Capella vel Oratorium vel Succursus appellatur.

11 Hoc prænotato, dicendum, quòd, licèt seclusa consuetudine, conuentione, & privilegio, regulariter & in dubio, decimæ debeantur baptismali, *can.In diœcesi* 13.*quæst.*6. *can. de decimis, & can. Statuimus* 16.*quæst.*1. Moneta *dict. loc. num.* 27. *vbi alios citat*, hac distinctione vtendum videatur. Vel enim prædia, de quorum fructibus decimandis agitur, sita sunt infra limites Ecclesiæ baptismalis; & decimæ debeantur: vel sunt sita infra limites Ecclesiæ Parochialis, quæ non est sub limitibus baptismalis; & tunc quoque non est dubium, quin ad Ecclesiam spectent Parochialem, Neque eo casu contendere debet cum baptismali Ecclesia, sed cum Episcopo, Moneta, *dict.loco num.* 28. Vel Parochialis est sub baptismali, prædia verò sita sunt infra limites Parochialis; & tunc iterum distinguendum. Vel enim baptismalis erecta fuit in baptismalem post Parochialem, ita vt comprehendat sub se Parochialem, tanquam Capellam: & tum Ecclesia Parochialis habebit suas decimas antiquas, quia non censetur erecta cum incommodo & præiudicio iam antè erectarum. Et hæc quidem quoad decimas reales: nam personales dividendæ sunt inter Ecclesiam baptismalem, propter baptismum, & Parochialem, propter alia divina. Vel Ecclesia Parochialis est infra limites baptismalis, constátque baptismalem priùs fuisse erectam: & tunc, si etiam constet decimas assignatas fuisse Parochiali in eius constructione, eidem debitæ sunt, vt latiùs deducit & probat Moneta, *dict. loc.* Quòd si dubitetur, an priùs fuerit erecta Parochialis, an baptismalis, tunc baptismalis de iure communi habet fundatam intentionem. Si verò baptismalis Ecclesia consenserit assignationi limitum & fundationi Parochiæ, tum censetur remisisse ius decimandi, & alia iura Parochialia, quoad illam portionem limitum, qui nouæ Ecclesiæ assignati sunt: non tamen pro consensu huiusmodi accipere aliquid potest, Moneta, *d.loc.n.*30.*&* 31.

Attamen certis casibus decima de iure debetur Episcopo. Primò, quando prædium est situm in Parochia Ecclesiæ Cathedralis, & ad Episc. proximè Ecclesiæ Parochialis cura spectat. Alioquin alio illius Curato existente; ei decima debebitur Rebuff *quæst.*7.*num.*7. Moneta *dict.cap.*7.*num.*7. Secundò, quando prædium in nullius Parochia est situm, *cap. Quoniam* 13. *& ibi* Abbas *num.*2. *&* 4.*hoc tit.* Rebuff. *dict.loc. num.*8.& Moneta *num.*9. Tertiò, quando Parochiæ non sunt distinctæ, quia tunc tota diœcesis est Episcopi Parochia, *can. Omnes basilicæ* 16. *quæst.*7. Quartò, quando consuetudo id habet, vt ad Episcopum spectent decimæ, Moneta *dict. loc.n.*12.& Rebuff. *dict.quæst.*7. *num.*10. Quintò, decimis donatis Ecclesiæ Cathedrali, vel alio modo eidem debitis, tunc Episcopus de iure communi in illis habet fundatam intentionem, Moneta *ibid.num.*13. post Rebuff. *dict. quæst.* 7. *num.*13. subiungens, illas decimas inter fratres, qui sunt Canonici Cathedralis Ecclesiæ, dividendas. Sextò, Episcopus similiter est fundatus de iure communi in sua Canonica portione seu quarta decimarum, Moneta *dict.l. num.* 14. & Canis. *cap.*12.*per cap.Conquerente* 16.*sup de officio Ordinarij, & cap. de quarta* 4. *sup. de præscript. cap. Cum olim* 19 *inf. de censib.* subiungens, hanc quartam deberi Episcopo, ratione coniunctionis & vniversalis curæ, quam habet in Ecclesiis sibi subiectis per totam diœcesim. 12

Sed & summo Pontifici debetur decima, si ipse eam postulante necessitate, exegerit: prout exigere potest, triplici ex capite; nempe tanquam pastor vniuersalis omnium Christi fidelium; tanquam supremus administrator omnium bonorum Ecclesiasticorum; & denique tanquam supremus Princeps in spiritualibus. Vnde non solùm ab Ecclesiasticis omnibus, sed ab omnibus omninò Christianis, non decimam dumtaxat, sed & plures, & in summa eam contributionem, quæ necessaria est ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum, exigere potest. Videatur Lessius 2. *de iust.& iure, cap.*39. *dubitat.*5. 13

Porrò decimæ Clericis sive Parochis debitæ sunt, non intuitu personarum, sed intuitu Dei & seruitij, seu ministerij & officij Ecclesiastici, ideóque illis, quátumuis diuitibus, persoluendæ sunt, 14

sunt. *can. decima* 16. *q.* 1. nec enim ob divitias alicui auferri sua iura oportet, *can.* 1. 24. *quæst.* 1. vti nec Principi aut Regi opulento tributa, vel creditori copioso pecuniæ debitæ denegantur: licet etiam mali & improbi sint clerici vel Sacerdotes, *can. Si Episcopus* 16. *quæst.* 6. *cap. tua nobis, vbi Glos.* Abb. *& alij hoc tit.* vel in malos vsus conuertant. Vide Rebuff. *dict. loc. num.* 16. *& quæst.* 13. *in princ.* Mon. *loc. citat. num.* 32. *& duobus seqq.*

§. VI.

A quibus debeantur decimæ.

1 *Prædiales debentur ab omnibus, qui prædia possident & colunt.*
2 *Etiam Iudæis & Saracenis.*
3 *Modus eas soluendi.*
4 *Personales ab omnibus, qui diuina audiunt.*

1 DEbentur autem decimæ generaliter ab omnibus Christianis, cuiuscumque generis, ordinis vel gradus, etiam religiosis, nisi speciali iure, aut privilegio sint ab earum solutione exempti, *cap. Commissum* 4. *cap. nuntios* 5. *cap. Ex transmissa* 23. *cum seqq. & passim hoc tit. iuncto cap. fin. §. caterum eod. in* 6. Et quidem prædiales debentur ab omnibus, qui prædia possident, in Parochia aliqua, sive propria, sive
2 aliena, *cap. tua nobis* 26 *hoc tit.* * Quin & Iudæi de agris, quos sub ditione Principum Christianorum colunt, vel qui ad eos peruenerunt, cùm antea decimis essent subiecti, soluere eas tenentur, *cap. de terris* 16. *hoc tit.* Idem tradunt DD. de Saracenis & paganis, quia cùm decima sit onus annexum rei, transit illud vna cum re ad quemcumque possessorem, *can. si quis laicus, cum similibus* 16. *quæst.* 1. *cap. Cum non sit* 33. *hoc tit.* Fructúsque à solo separati, ad quemcumque transeant, simul cum onere transeunt decimarum, *cap. Pastoralis* 28. *hoc tit.* quia decimæ sunt onus fructuum, non prædiorum. Vt proinde in elocatis prædiis non domini prædiorum, sed eorum conductores conueniri debeant decimarum nomine, *c. dilecti* 8. *c. A nobis* 24. *& d. c. Tua nobis h. t.*

3 Quòd autem ad modum attinet soluendi decimas istas, Carolus V. 7. *Iunij* 1554. & Philipp. II. 1564. 6. *Iunij* sub graui pœna edixerunt, vt decimæ integrè soluantur, neque fructus ex agris auehantur ante vel post Solis occasum, vel non monitis decimatoribus, vel antequam in manipulos colligantur & vt decimis suis pacificè vti frui Ecclesiastici finantur, referente Zyp. *hoc. tit. num.* 3. Quod & plures, inquit, sanxerunt Galliæ Reges, quos refert Chopin. *de sacra Politia lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 3. déque vsu Germaniæ & agri Ingolstadiensis testatur Canis. *cap.* 7. *num.* 3. Et ita quoque de iure fieri oportere asserit Riccius, *in Praxi Episc. dec.* 544.

Ad personales decimas tenentur omnes & soli illi, qui diuina percipiunt vel audiunt, aut percipere vel audire debent, in aliqua Ecclesia, quia decimæ illæ onerant personas, non res, *DD. in c.* 2. *hoc tit.* latè Rebuff. *de decimis quæst.* 5. vbi *num.* 11. *aduersus Glos.* tradit, etiam iudæos teneri ad personales, quia quòd diuina non percipiant vel non stat per Ecclesiam, quæ nomini gremium claudit. Vt proinde potiori ratione & meretrices ex meretricio, & mimi atque histriones ex histrionio quæstu ad huiusmodi decimas teneantur: cùm solius dantis turpitudo hîc versetur, turpitérque faciat mulier, quòd sit meretrix, non etiam turpiter accipiat, cùm sit meretrix, *l.* 4. *§. sed quod meretur ff. de condict. ob turpem causam.* Vide Nauar. *in Manuali c.* 17. *num.* 31. *& seqq.* & Canis. *cap.* 4. *num.* 11. *& sequentib.*

§. VII.

Quibus modis quis eximatur à decimarum præstatione.

1 *Eximitur quis privilegio.*
2 *Limitatio illius.*
3 *Item consuetudo eximit.*
4 *Præscriptio.*
5 *Compositio.*
6 *Remissio.*

COnstat igitur ex iam dictis, regulariter 1 quemlibet teneri ad præstationem decimarum: id quod verum est, nisi quis specialiter sese exemptum docere possit, sive clericus sit, sive laicus, quatenus scilicet decimæ iuris sunt Canonici seu positivi, etiam iuxta antè dicta. Et primò quidem privilegio, non quidem Principis alicuius laici, *cap. A nobis* 24. *cap. tua* 25. *cap. dudum* 31. *hoc tit.* aut Episcopi, quo ius Canonicum relaxare nequit, sed Pontificis, *cap. Ex multiplici* 3. *cap. Suggestum* 9. *cum cap. seq. d. cap. A nobis, & aliis hoc tit.* Sic leprosi, communiter viuentes, eximuntur à solutione decimarum de hortis & nutrimentis animalium suorum, *cap.* 2. *inf. de Eccles. ædificandis.* Similiter Cistercienſibus,

Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis indultæ sunt decimæ laborum, id est, prædionum, non noualium, quæ propriis colunt manibus & sumptibus, *c. Ex part. 10. cap. ad audientiam 13. hoc tit.* modò acquisita sint ante Concilium Lateranense, *cap. penult. hoc tit.* Aliis verò Religiosis *in dict. cap. Ex parte* conceditur, ne soluant decimas de hortis & nutrimentis animalium suorum, id est, de animalibus, quæ ipsi nutriunt, vt exponit Glossa, & de noualibus, quæ propriis manibus & sumptibus excolunt.

2 Hoc tamen privilegium non extenditur ad decimas, in quarum perceptionis possessione fuerit antea Ecclesia parochialis, vel alia, Oldrad. *cons. 268.* Chopin. *l. 3. de sacra Polit. t. 2. n. 7.* Sicut non extenditur ad prædia ab aliis conducta, *cap. Dilecti 8. h. t.* Neque privilegium super decimis laborum extenditur ad terras, quæ aliis colendæ traduntur, *cap. Licet 11. eod.* nisi id ipsum exprimatur, prout refert Chop. *dict. tit. 2. num. 7.* privilegium Bonifacij VIII. quo indulsit Cisterciensibus, ne de terris suis, quas aliis colendas concederent, de quibus tamen nullus decimas vel primitias percepisset, soluerent decimas, aut earum cultores. Cuiusmodi privilegium eis antea ab Eugenio III. indultum fuit. Refert ibidem *num. 9* Bullam Martini V. qua ampliorem Cisterciensibus immunitatem à decimis concessit. Post Cistercienses verò similem immunitatem à decimis, quoad terras ab ipsis excultas, obtinuerunt omnes Mendicantes Ordines: maioremque libertatem Collegiis Societatis IESV concessit Gregor. XIII. *Constitut. sua incip. Pastorali 1. January 1578.* quam refert Piasec. *part. 2. praxis Episc. cap. 4. art. 9. num. 17.* Cæterùm privilegium hoc non soluendi decimas reuocatur, si ex post facto incipiat esse nocium, & cessante causâ privilegij, *cap. suggestum 9. hoc tit.*

Secundò, eximitur quis à præstatione decimarum per consuetudinem legitimè introductam. Hinc valet consuetudo, vt ex quibusdam fructibus vel bonis, vti minutis, v.g. oleribus, rapis, fabis, & similibus non soluatur decima, vel non integra, sed minor, v.g. duodecima, vigesima, trigesima, *cap. Commissum 4. c. Dilecti 8. cap. In aliquibus 32. hoc tit.* Guid. Papæ *Cons. 284.* Ideóque iura dicentia decimam soluendam esse cum integritate debita, *cap. Non est 12. & c. tua nobis 16. in fine*, intelligenda sunt de integritate solui solita. Hinc etiam valet consuetudo, vt clerici nullas soluant decimas, vt laici non soluant personales, vel non nisi in fine anni, aut vt decima vni parochiæ iure debita soluatur alteri, *cap. Ad Apostolicæ 20. cum similibus h. t.*

Planè personales decimas, seu ex lucro industriæ, nullibi ferè solui testatur Nauar. *in Manuali cap. 21. num. 31.* vsúmque in hac materia decimarum, si qua alia, valdè variare, notat Zyp. *h. t. sub n. 5.* nam alibi decimas deberi lignorum, alibi animalium, alibi leguminum. Sic, eodem referente, in maritimis locis harum dictionum consuetudo obtinere dicitur, quòd is, qui terram aliquam natantem, concedente Principe (in cuius alioqui regalia ea transit, dum mare aut flumen non recedit eodem impetu, sed longissimo tempore inundat, mutatque planè formam) vindicat à mari, & aggeribus munit, lucretur decimas, quando ab hominum memoria culta non fuit, & Ecclesia decimas nunquam habuit. Alioquin si Ecclesia semel decimas habuerit, & Princeps concedat prioribus dominis vindicationem, tunc sicut proprietas redit ad dominum, ita & decimæ ad Ecclesiam. Si tamen agri, ex quibus decimæ debebantur, maneant inculti per annos centum, & postea nascantur fruges, debebuntur decimæ, quia hoc casu non fuit mutata forma, vt in priori per inundationem. 3

Tertiò, præscriptione: nam licèt laici sint incapaces percipiendi decimas, ac proinde nulla præscriptione etiam immemoriali illud acquirere valeant, *cap. Causam sup. De præscript.* tamen nullibi habetur expressum, quòd sint incapaces exemptionis ab earum præstatione; & ideò illam præscribere possunt, sine titulo quidem tempore nominum memoriam excedente, quia iuris præsumptio est in contrarium, *cap. 1. de præscript. in 6.* cum titulo verò spatio quadraginta annorum, non minori tempore contra Ecclesiam currit præscriptio, *cap. 4. 6. & 8. sup. de præscript.* nisi fortè ob specialem aliquam rationem, vt in *cap. Si de terra inf. de privilegiis.* Vide Couar. *lib. 1. Var. resol. cap. 17. n. 10.* & Canis. *c. 17. n. 1. 4. & seqq.* 4

Quartò, compositione, *cap. Ex multiplic. 3. c. Nuper penult. h. t.* Sic inter clericos fieri potest compositio, vt vni, non alteri, decima soluatur, *cap. dilecti 8. hoc tit. & ibi* Abbas, modò nihil temporale ab altero præstandum intercedat, *cap. fin. sup. de rerum permutat.* Eritque talis compositio perpetua, & ligabit successores dummodò auctoritate Episcopi facta fuerit, *cap. Statuimus sup. de transact.* Nec tollitur per privilegium sequens, nisi de illa mentionem faciat, *d. c. Ex multiplici.* 5

Quintò, per remissionem. Sic clerici à præstatione

tione decimarum Episcopalium per remissionem Canonicè factam, id est, de consensu Capituli, & ex causa paupertatis eximi possunt, *can. Quia circa 22. inf. de privilegiis, can. fin. 16. quæst. 1.*

§. IX.

De decimis noualium, déque actione & cognitione decimarum.

1 *Quid sit Nouale. 2.*
3 *Decimæ noualiorum debentur Ecclesiæ parochiali.*
4 *Privilegium de percipiendis decimis non comprehendit nouales.*
5 *Præscriptio decimarum non extenditur ad nouales.*
6 *Præscripta vna decimabili etiam alia præscripta censentur.*
7 *Cognitio decimarum ad quem spectet.*

1 DE decimis quoque noualium hic aliquid subiiciendum est. Solet autem Nouale variis modis exponi: nam Iurisconsult. *in leg. Silua 30. §. nouale, ff. de verborum significat.* Noualem interpretatur terram præcisam, vel, vt legunt, prosciissam, quæ anno cessauit. Quam interpretationem sequitur Isidorus 15. *Etymolog. cap. 13.* Noualis, inquiens, ager est primùm prosciissus qui alternis annis, vacat, nouandarum sibi virium causâ. Vide illud Virgilij, 1. *Georg.*

Alternis idem tonsas cessare nouales.

Et confirmat Varro *lib. 4. de Latina*, ei opponens agrum restibilem, id est, qui restituitur ac seritur quotannis, interdum sumitur Nouale pro terra, quæ singulis annis semine renouatur. Valla *lib. 6.* iuxta illud Virgilij, *Eccl. 1.*

Impius hæc tam culta noualia miles habebit.

Alij Nouale vocant siluam, quæ extirpatis arboribus ad culturam redigitur, *per text. in l. vltim. in fine, ff. de termino moto.*

2 Nos hic in materia decimarum, vna cum Innoc. *in cap. Quid per nouale inf. de verbor. significat.* Nouale sumimus pro agro de nouo ad culturam redacto, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit. Non tamen pro quolibet tali agro hic specialiter sumitur, sed pro eo qui ante culturam vel modicum vel nullum fructum adferebat, *Glos. in cap. commissum 4. in V pascuu h.t.*

3 Debentur verò decimæ noualium, sepositò privilegio, præscriptione, consuetudine aut compositione, Parochiali Ecclesiæ, in cuius finibus exsurgunt, & quidem pro modo limitum, sicut & aliæ decimæ, *cap. Non est 22. cap. Cum contingat 29. hoc tit.* Ac proinde, si noualia appareant inter duas parochias, provt intra limites huius vel illius exsurgent, ad hanc vel illam pertinebunt ex illis decimæ, pro modo limitum: adeò vt si tres partes novalium exsurgant intra limites vnius parochiæ, & quarta pars intra limites alterius, illa tres partes decimarum, hæc quartam habere debeat. Si verò nulli appareant limites, quibus novalia regi possint, tum fiet inter eas diuisio, vt voluit Henric. Bohic. *per c. Pervenit 5. hoc tit.* aut Episcopus, cui volet, suo iudicio eas assignabit.

Nec privilegium concessum alicui, etiam 4
Clerico vel Monasterio, de decimis in aliena parochia percipiendis, comprehendit novalia, nisi rationabilis causa ostendatur, cur comprehendere debeat, *dict. cap. Cum contingat*; nam verius est, vt docet Rebuffus, *d. quæst. 14. n. 13.* illum textum intelligi generaliter de omni eo, qui vel præscripserit, vel consuetudine aut concessione, etiam à Papa acquisiverit in aliqua parochia, vt is novalium non habeat decimas, nisi has quoque ad se pertinere doceat.

Similiter si quis, sive Clericus, sive laicus, 5
sive Monasterium, præscripserit decimas in aliquo loco, & fiant ibidem novalia, decimam eorum non habebit, sed illius loci Curatus, *d. cap. Cum contingat, & ibi Glos. ac DD.* Ratio est, quia præscriptio in vno prædio non extenditur ad aliud, *cap. Cum in tua 30. hoc tit.* nisi etiam possediisset novalium decimas tempore immemoriali, sine titulo, aut cum titulo, quadraginta annis, vel nisi præscripserit decimam in vna parte prædij & alia pars fiat novalis, *d. c. Cum in tua*; modò scilicet appareat esse vnum prædium.

Vbi etiam notandum circa præscriptionem 6
decimarum, eum, qui præscripsit decimas frumenti in aliquo prædio, si ibi seminetur avena vel alia species, habiturum etiam avenæ vel alterius rei ibi seminatæ decimam, ne res diverso iure censeatur, *d. c. Cum in tua, l. Eum qui ff. de vsucap.* Et in dubio decimæ præscriptio est realis censenda, id est, terram concernens non speciem fructuum perceptorum: ac proinde qui in certa terra decimam præscripsit, videtur quoad omnes illius terræ fructus præscripsisse. Qui plura de decimis novalium desiderat, videat Rebuff. *d. q. 14.* & Alex. Monetam *de decimis c. 4. à n. 50.*

Denique circa actionem, quâ decimæ exigi 7

possunt, & modum procedendi in earum exactione, videatur Rebuff. *d.tract. de decimis quæst.* 9. Monet *cap.* 8. *cum aliis, quos citat.* Vbi tamen obseruandum ex Concordatis Brabantiæ, decimarum cognitionem in possessorio ad Principem, in petitorio ad Ecclesiam spectare, si non agatur de decimis infeudatis, etiam per Ecclesiam possessis, *ex §. in causis verè in Concord. Brabant.* vbi inter decimas infeudatas maximè censent referendas, quæ ad ipsum Principis dominium spectant, de quo priuativè Concilium solet cognoscere. Ita Zypæus *h.t.n.* 2. *in fine.*

§. X.

De pœnis detinentium vel non soluentium decimas.

QVemadmodum detinentes tributa multis afficiuntur pœnis, vt *in can. Si tributum* x 1. q. 1. *tit. Cod. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse, & tit. de annonis & tributis lib.* 10. ita etiam non soluentes aut detinentes decimas, quæ sunt tributa egentium animarum, *can. Decimæ* 16. *quæst.* 1. *c. tua* 26. *h.t.*

Ac primò quidem tanquam configentes Deum, humano more loquendo, *can. Reuertimini* 16 *quæst.* 1. digni sunt animaduersione diuini iudicij, *iuxta c. Quamuis* 17. *h.t.*

Secundò, semper in fame & penuria maledicti erunt: nam timendum est, vt quisquis Deo debitum suum substrahit, ne ei auferat Deus necessaria sua, *can. Admonemus* 14. *quæst.* 2. Contrà verò eas soluens diues erit & benedictus, *dict. can. Reuertimini in verb. & effundam* &c. Hinc maiores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem quia decessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accepit Christus. Ita Diuus Augustinus *can. Maiores* 14. *q.* 7.

Tertiò, decimas non soluens infirmitatem & ægritudinem, tandemque mortem etiam æternam incurrit: soluens verò sanitatem corporis & animæ ac cælestia dona consequetur, *d. can. decimæ.*

Quartò, non soluens decimam, ad decimam reuocabitur, *d. can. decimæ*, id est, tantùm decima pars Angelorum, associabitur *vt ibid. exponit. Glos.* & impio dabit militi, quòd dari non vult Sacerdoti, *d. can. decimæ.*

Quintò, res inuadit & rapit alienas: nam detinere iniustè, idem, est quod rapere, *Gloss. ad dict. can. decimæ*: imò sacrilegium committit, *can. fin.* 16. *quæst.* 1. *can. Quisquis ibid. quæst.* 4. *& can. decimas ibid. quæst.* 7.

Sextò, excommunicari potest & debet, *can. Omnes decimæ* 16. *quæst.* 7. *can. Statuimus ibid. quæst.* 1. *cap. Peruenit, cap. Ad hæc, & similibus, hoc. tit. Clement. dispendiosam de iudiciis,* Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de reformat.* Non verò ipso iure est excommunicatus, vt colligitur ex citatis iuribus, solùm comminantibus excommunicationem.

Denique indignus Ecclesiasticâ est sepultura, Rebuff. *de decimis quæst. vltim. num.* 15. *per cap. Prohibemus* 19. *hoc tit. vbi Gloss.* Abbas, *& alij.*

De pœnis Religiosorum grauantium vel fraudantium Ecclesias circa decimas, videatur *Clement.* 1. *de decimis.*

§. XI.

De primitiis.

1 *Primitiæ quæ dicantur.*
2 *Debitas esse ex præcepto.*
3 *Quantitas Primitiarum ex consuetudine definienda.*
4 *Debentur proprio Parocho.*

PRimitiæ distinguntur ab Oblationibus, quòd oblationes, vt diximus, sint, quæ- 1
cumque de propriis & licitis rebus à fidelibus Deo offeruntur: Primitiæ verò vocentur primi fructus agrorum & arborum Deo, vt largitori omnium bonorum, vel eius Ecclesiæ dati priusquàm alij eiusdem generis nostris vsibus deputentur. Æquum enim est, vt Deum, cunctorum bonorum largitorem, primorum oblatione in signum grati animi recognoscamus. Sic Abel, de pecoribus, Cain de fructibus terræ obtulit, *Genes.* 4.

Et quidem primitias olim lege diuina scripta debitas fuisse, constat ex variis Scripturæ locis, & nominatim *Malach.* 3. vbi conqueritur Deus de Iudæis, quòd decimas & primitias non soluerent.

At verò Iure Canonico quidam eas non de- 2
beri existimant; alij contra, *arg. can. decimas, & can. Reuertimini* 16. *quæst.* 7. Sed verior sententia aliorum, opinantium ex præcepto debitas esse duobus casibus, scilicet si sit consuetudo eas præstandi, & quando Ministri Ecclesiæ indigent:

gent: hisque duobus casibus eas retinentes excommunicari, *iuxta can. Præter hoc*, §. 2. *distinct.* 32. aliàs autem esse de consilio.

3 Quantum verò ad quantitatem primitiarum attinet, probabilius est, non esse speciali nomine definitam à iure, ac proinde arbitrio offerentium relictam, aut recurrendum ad consuetudinem, quæ optima legum est interpres, vt ea pars soluatur, quæ vsu & consuetudine præstari solet. Nam & paruam fuisse primitiarum quantitatem patet ex *d. can. Reuertimini*. Nec obstat *cap.* 1. *hoc tit.* quia quòd ibi dicitur non est definitio legis seu iuris, sed magistrorum dumtaxat traditio, ad occurrendum auaritiæ sacerdotum. Vide *can. fin.* 17. *quæst.* 4. *& can. diaconi, distinct.* 93. & Azor. *Instit. Moral. lib.* 7. *cap.* 27.

4 Quòd si magna sit penuria Parochi, seu eius, cui primitiæ debentur, nec aliqua inibi sit consuetudo, spectanda erit consuetudo, vicinioris loci, vt in *cap. Cum olim sup. de consuetudine*. Si verò vicinorum locorum diversæ sint consuetudines, eligenda erit mediocritas, vel quod minimum est, aut arbitrio soluentis standum. Latè Boërius *decis.* 236. *num.* 3. 4. 5.

Cæterùm licèt primitiæ Deo offerantur, tanquam bonorum largitori, *dict. can. Reuertimini*: tamen quia Deus suam partem dedit Sacerdotibus & Leuitis, cultui diuino inseruientibus, ideò soluendæ sunt & debentur proprio Parocho aut Clericis, qui pro offerentibus preces fundunt, *cap. Ecclesias*, §. *item cum decimus* 13. *quæst.* 1. *& similibus*. Quarum quidem primitiarum solutionem non tenetur Parochus statim maturis fructibus acceptare, sed nouem diebus esse apud matrem, id est, in spica, quæ est mater grani, *Gloss. in l. Stipulatio ista* 38. *in V. incertam, ff. de verbor. obligat.* maximè in primitiis & decimis vitulorum & agnorum, si voluerit Sacerdos, tempus in solutione exspectandum est, vt tamdiu sint apud matrem, quamdiu periculum est, ne pereant, si à matre separentur. Boër. *dict. decis.* 236. *sub num.* 2.

TITVLVS XXXI.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

§. I.

Qui dicantur Regulares, & Monachi.

1 *Regulares dicti à Regula speciali.*
2 *Monachi & Moniales à solitudine.*
3 *Mendicantes non propriè Monachos esse.*

CLERICI in genere alij sunt Sæculares, de quorum moribus & bonis externis expositum est hactenus; alij Regulares, de quorum etiam vita & moribus bonisque externis videndum est.

Regulares dicuntur à Regula speciali, quam profitentur; alitérque Religiosi appellantur, quia certæ Religioni adstricti sunt. Et inter hos alij sunt & dicuntur Abbates & Abbatissæ, alij Priores, iique vel claustrales vel conuentuales, alij Superiores, alij simplices Monachi seu Religiosi aut Moniales. Tales quoque sunt Canonici Regulares, milites Hospitalarij, Teutonici aliique, qui sub certa & approbata à Sede Apostolica regulâ ad tria vota substantialia, paupertatis scilicet, obedientiæ, & castitatis se obstrinxerunt, *c. fin. inf. de Religiosis domibus, iuncto s. vnico, eod. in* 6. 1

Monachi verò & Moniales à solitudine claustri, cui se adstrinxerunt, nomen sortiti sunt, *can.* 1. *&* 8. 12. *quæst.* 1. Monachus enim Græcè dicitur, qui Latinè est solitarius ac singularis, *dict. can.* 1. *&* 8. non quòd seorsim, extra aliorum fratrum consortium, viuat vel viuere debeat, cùm id sacri vetent Canones, *c.* 2. *de statu Monach. & similibus*: sed quòd semotus à vita & moribus sæcularium, quasi mundo mortuus, soli Deo viuat, *d. can.* 8. *iuncto can. Qui verè* 12. 16. *quæst.* 1. 2

Hinc nomen Monachi propriè non conuenit omnibus Religiosis, sed iis solis, qui vitæ contemplatiuæ dediti sunt. * Adeóque Mendicantes, cùm assiduè inter homines versentur, non sunt propriè Monachi. Multò minùs, qui ex instituto sunt Clerici seu Sacerdotes, vti Canonici Regulares & religiosi Societatis Iesv, Less. 2. *de iure & iustitia cap.* 41. *dubitat.* 1. Alia enim, vt ibidem ait, est Religio Clericorum, alia Monachorum, *cap. licet* 18. *hoc tit. can. Nullus, can. Mandamus* 19. *quæst.* 3. *& aliis iuribus*: quamquam in fauorabilibus nomine Monachorum veniant omnes Religiosi, vt docet Panorm. *in c. Ex parte sup. de postulat. Prælator.* & quæ de Monachis à iure statuta sunt, pertinent etiam ad Canonicos Regulares, Eman, Roderic. *Quæst. Regul. to.* 2. *c.* 52. *artic.* 5. 3

§. II.

Quo pacto fiant Monachi.

1 *Fiunt dupliciter vel parentum oblatione, vel professione.*
2 *Professio vel expresè fit.*
3 *Vel tacitè.*
4 *Decretum Conc. Trid. de tempore professionis Monasticæ.*
5 *Quatenus Conc. admittat tacitam professionem.*

1 FIunt autem Monachi vel parentum deuota oblatione, vel propria professione, *can. Monachum 20. quæst. 1. cap. Cum virum 12. h. tit.* Parentum oblatione, veluti si pater filium filiamve impuberem monasterio alicui tradat. Hoc tamen casu potest filius, maior factus & ingressus annos pubertatis, dissentire, & ad sæculum redire, *dict. cap. Cum virum, cum similibus*: nam professio Religionis Monasticæ ante pubertatem emissa non obligat, ob defectum iudicij, *cap. significatum 11. hoc tit. & cap. 2. eod. in 6.*

2 Professio propria duobus fit modis, expresè, vel tacitè. Expresè, si pubes nominatim se Religioni alicui deuoueat (quibuscumque verbis vtatur, modò illa intendat se Deo & Religioni obstringere, Less. *de iust. & iure c. 41. num. 57.*) in manibus Abbatis vel alterius Superioris, aut etiam simplicis Monachi, à Prælato mandatum habentis, præsentibus; aut si professionem antea factam expresè ratam habeat, licèt habitum non assumpserit nec assumat monachalem, quia Monachum non habitus sed professio facit, *cap. Porrectum 13. cap. Ad Apostolicam & c. Ex part. 22. hoc tit.* imò licet antea Monasterium nunquam fuerit ingressus, *c. Sicut nobis 17. eod.*

Nec obstat, quòd intra tempus probationis (quod arbitrarium est, quandoque annum quandoque biennium, & subinde triennium, prout prælato discreto visum fuerit expedire) professio nec fieri nec recipi debeat, *dict. cap. Ad Apostolicam* quia illud obtinet, vbi professio nondum facta est: alioqui facta & recepta tenet, iuxta illud, Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *dict. cap. Ad Apostolicam.*

3 Excipiuntur ordines Mendicantium, veluti Minorum, Prædicatorum, aliorumque similium in quibus singulari iure cautum est, ne quis intra annum probationis ad professionem admittatur: &, si secus factum fuerit, vt nec receptus alligetur Ordini, & ipsi recipientes à professione aliorum recipienda sint suspensi, aliáque pœna, pro grauioribus culpis infligi ipsis solita, puniendi, *cap. 1. & 3. eod. in 6.* Nam licèt Alexander IV. id statuerit tantùm in Prædicatoribus & Minoribus, tam Bonifacius VIII. ad omnes cuiusuis ordinis Mendicantes prorogauit, *d. c. 2. eod. in 6.*

Tacitè fit professio, quando quis non verbis & scriptura, sed alio indicio mentem suam religionis à se susceptæ declarat: veluti si masculus maior 14. annis, fœmina 12. Religionis habitum gestet per annum, vbi is habitus communis est & indistinctus nouitiis ac professis, hoc ipso censetur tacitè professus, *cap. 1. hoc tit. in 6. Clement. Eos qui eod.* vel, vbi distinctus & proprius est habitus professorum, si post annum 14. sciens & volens per triduum perseueret in eo habitu, *cap. 1. & 3. eod. in 6. cap. Ad nostram 7. hoc tit.* vel si actibus professorum propriis se vltrò ingesserit, *cap. Viduæ 4. hoc tit.* & Abbas *ibid.* vt si in Capitulo suffragium dederit: nec tunc requiritur triduum. Debent tamen ista fieri animo profitendi, & consentiente eo, cuius est admittere, Less. *2. de iust. & iure cap. 41. dubitat. 7. n. 57. in fine.* 4

Et ita quidem de iure communi: nam Concil. Trident. cuius constitutione hodie vtimur, *sess. 25. de Regular.* abrogando *dict. cap. Ad Apostolicam*, statuit, ne in quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio fiat ante decimum sextum annum expletum, neve, qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: & vt professio, antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicuius Regulæ vel Religionis vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. Et *cap. seq.* decreuit, vt nulla renuntiatio aut obligatio, antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque piæ causæ valeat, nisi cum licentia Episcopi vel eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem: nec aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione; aliterque facta, etiam cum huius fauoris expressa renuntione, vel iurata, sit irrita & nullius effectus.

Vnde patet, inter alia, per dictum decretum Conc. Trid. sublatam esse professionem tacitam, quæ intra annum probationis iure Decretalium 5

talium fieri poterat, veluti per gestationem habitus proprij professorum ad triduum, vel quòd deferens habitum sciens & vltrò opus faceret proprium professorum, *dict. cap. Ad Apostolicam, & cap. 4. hoc tit. & cap. Constitutionem eod. in 6.* exemplo matrimonij carnalis,
6 *cap. Is qui inf. de sponsal.** cùm Conc. integrum annum requirat. Nauar. *cons. 35. num. 5. de Regularib.* & Azor. *instit. moral. lib. 12. cap. 4.* Alioqui si quis, probationis & ætatis anno sexto decimo expleto, per alium annum detulerit habitum, professorum & nouitiorum, communem, & non manifestè distinctum, censebitur tacitè etiam nunc professus; nec enim hanc tacitam professionem Concil. excludit: sicut nec illam, quæ inducitur per taciturnitatem quinquennij, à die professionis inualidæ, modo sciuerit inualidam; sed eam approbat, *d. sess. cap. 10.* Et aliàs inualidè professus, nisi, sciens inualidam fuisse professionem, eam postea ratam habuerit vel tacitè vel expressè, potest absque scandalo habitum dimittere. Sed quia huic rei facilè fraus fieret, statuit Conc. *dict. cap. 19.* vt nemo audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, allegatis causis coram superiore suo & ordinario.

Mandat ibidem Conc. *dict. cap. 16.* ne ante professionem, excepto victu & vestitu, quocumque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus, aliquid monasterio ex bonis nouitij tribuatur; ne hac occasione discere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ, monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit.

Imò mandat, vt abeuntibus ante professionem omnia sua restituantur, sub pœna anathematis. Ideóque dicendum, si ante professionem quis moriatur, restituenda bona esse, quibus ea competunt, Zerola *part. 2. V. moniales* §. 11. post Nauar. & Gutierrez *can. q. lib. cap. 1. num. 107.*

Denique decreto Conc. Trid. *dict. cap. 15.* non comprehenduntur Ordine militares, *ex declaratione Sacræ Congreg.* quia non sunt in strictissimo rigore Religiosi, de quibus Conc. loquitur vti patet ex *cap. sequentib.* quod loquitur de Religiosis, qui veram paupertatem vouent, quales non sunt hi Ordines, Sanchez *de matrim. lib. 7. disputat. 44. num. 48.*

***

§. III.

De requisitis ad validitatem professionis.

1 *Religionem ingrediens debet esse sui iuris.*
2 *Episcopus relictâ Ecclesiâ ad Religionem transire nequit.*
3 *Profiteri nequit furiosus & illegitimus. 4.*
5 *Liber & voluntarius ingressus esse debet.*
6 *Conc. Trid. circa hoc decretum.*
7 *Requiritur & consensus Capituli.*
8 *Vt nulla adsit conditio, repugnans substantiæ Religionis.*
9 *Vt contineat tria vota, obedientiæ, paupertatis, & castitatis.*
10 *Begginas & Canonicas fœminas non esse Religiosas. 11.*
12 *Potest quis professus in una ad strictiorem Religionem transire.*
13 *Quod admitti possint ad monasterium.*

AD hoc verò, vt professio, sive expressâ sive tacita, sit valida & obliget profitentem, præter ætatem legitimam & annum probationis, plura alia requiruntur. * Atque in primis, vt Religionem ingredi volens sit sui iuris, & non alteri adstrictus. Hinc seruus absque consensu domini, vel eo ignorante, Religonem ingressus, imò etiam professus, cum iis, quæ secum introduxerit, intra triennium restituitur domino repetenti; fide tamen acceptâ de impunitate, *can. Si quis 17. quæst. 2.* Hinc etiam minùs valida est professio facta ab impuberis, id est, minoribus 15. annis, sine consensu parentum vel tutorum, quibus subsunt quoad vitæ dispositionem, *can. Puella 20. quæst. 2. cap. Ad nostram 8. & cap. 11. hoc tit.* Adeóque monasterium ingressi & professi absque illorum consensu revocari intra annum possunt, *cap. 2. hoc tit.* Pubetes autem facti, id est masculi maiores 14. annis, fœminæ 12. etiam illis invitis rectè ingrediuntur & profitentur, *cap. Cum virum 12. hoc tit.* quia per pubertatem, quoad statum & electionem vitæ, efficiuntur sui iuris & arbitrij. Vbi verò dura atque austera est Religio, requiritur plena pubertas, id est ætas 18. annorum, *c. Quia insulis 6. hoc tit.*

Secundò, Episcopi, relictis suis Ecclesiis, absque Romani Pontificis consensu & auctoritate ad Religionem nequeunt, *cap. Licet 18. in fine hoc tit. & arg. cap. Nisi cum pridem sup.*

de renuntiat. vbi inter causas concedendæ renuntiationis non numeratur ingressus in Religionem. Deinde quia Episcopi sunt adstricti suæ Ecclesiæ, sicut maritus vxori; & proinde vt maritus non potest deserere vxorem suam absque eius consensu, ita nec Episcopus Ecclesiam: quem consensum summus Pont. tanquam omnium Ecclesiarum curam habens, sibi reservavit.

Tertiò, Coniuges, consummato matrimonio: *de quo ad tit. seq.*

3 Quartò, Furiosus profitendo non obligatur, ob defectum iudicij, nisi factus sanæ mentis ratam habuerit suam professionem, *cap. Sicut 15. hoc tit.*

4 Quintò, Illegitimus non admittitur ad Religionem, in qua pater eius sive ante sive post nativitatem professus fuerit, si is adhuc sit superstes.

5 Sextò, Debet voluntarius esse ingressus, professio voluntaria & libera à metu, cadente in constantem virum, imò & reverentiali, quando minæ accedunt. Qua de re hæc statuit Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 18. de regularibus*, anathemati subiiciendo omnes & quoscumque, cuiuscumque qualitatis & conditionis, qui quomodocumque coëgerint puellam viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum monasterium, emittendam professionem, quique auxilium, consiliumve, favorem dederint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui volentes ingredi Religionem quoquo modo sine iusta causa impedierint. Metus verò ab intrinseco proveniens, vt in voventibus ob metum mortis naturalis, vel naufragij, & similiter metus levis, non cadens in constantem virum, attentâ ingredientis personâ & qualitate, non invalidat ingressum, Covar. *in 4. Decretal. 2. p. c. 3. §. 4.* Sicut etiam non irritatur, si cessante causâ metus, perseveret in Religione.

6 Sed &, vt liberior sit Virginum professio, mandat Conc. Trident. *d. Sess. 25. cap. 17.* vt si puella, habitum regularem assumere volens, sit maior duodecim annis, ante susceptionem habitus & rursus ante emissionem professionis, examinetur & exploretur virginis voluntas diligenter an non coacta aut seducta fuerit, an sciat, quid agat: idque extra septa Monasterij, in Ecclesia scilicet aut circa, præsentibus Notario & duabus gravibus matronis, non consanguineis, nec puellæ coniunctis, Zerola *ex Congregat. Card. Interp. p. 1. V. Moniales.* Teneturque præfecta Monasterio, ne professionis tempus Episcopus ignoret, eundem ante mensem finiti novitiatus certiorem facere, sub pœna suspensionis ab officio, quamdiu Episcopo videbitur. Conc. Trid. *d. loco.* Quòd si verò ea examinatio fuerit omissa, Ordinarius nihil à professa scisciari debet, sed eam sibi relinquere, & animadvertere in Præfectas, Zerola *d. loco.* Nullique permittitur professionem suam invalidam dicere & ad libertatem proclamare, nisi intra quinquennium à die professionis; nec aliter, nisi deductis causis coram Ordinario & Superiore suo, vt ex eodem Conc. *d. Sess. c. 19.* ante diximus. Sin autem Ordinarius sit simul superior, veluti si Monasterium sit Episcopatui vnitum, tunc ille solus de nullitate poterit cognoscere, quia Concil. dum coniungit vtrumque, supponit vtrumque adesse, nempe quem simul esse Episcopum & superiorem. Post quinquennium tamen ex causa iusta potest quis restitui adversus professionem à se emissam per vim aut metum, vel ob aliam causam invalidam, veluti durante vi aut metu aut alio reclamandi impedimento, vltra quinquennium, Riccius *decis. 657.* Et ideò quod Conc. statuit, post quinquennium non esse quem audiendum, intelligi debet de communi via, non autem de extraordinario remedio restitutionis in integrum ex iusta causa, Azor. *p. 1. Instit. lib. 12. c. 4. versic. Postremo.*

Septimò, requiritur consensus Capituli, nec sufficit adhiberi consilium, *c. Ea nascitur 6. sup. de his, quæ fiunt à Prælato, &c.* 7

Octavò, requiritur, vt fiat professio in Religione aliqua, per Sedem Apostolicam approbata, *c. vnico de voto in 6,*

Nonò, vt nulla adsit conditio, substantiæ 8 Religionis repugnans: qualis est, si profiteatur à lege, vt possit sua bona retinere, egredi suo arbitratu, ducere vxorem, & similes, Secus, si profiteatur absolutè, licet ante pactus esset, vt sibi liceret habere pecuniam, vel manere domi, vel habere vsum bonorum suorum; de licentia tamen seu dependentia ab arbitrio Superioris, *c. Insinuante 7. inf. Qui Clerici vel voventes, &c.* Verumtamen post Conc. Trid. talia pacta fieri nequeunt sine Pontificis auctoritate.

Decimò, requiritur, vt professio fiat de tribus votis substantialibus, Obedientia scilicet Paupertate & Castitate, & quidem in perpetuum, *cap. Cum ad Monasterium 6. inf. de statu Monach.* Sufficit tamen ea fieri expressè vel implicitè, vt latiùs deducit Leffius *lib. 2. de Iust. & Iure cap. 41. dubitat. 1.* Hinc qui in Monasteriis conversi & Oblati dicuntur, non sunt

sunt verò Religiosi, si prædicta vota non emittant.

10 Vti nec quæ Begginæ vulgò dicuntur, quippe quæ nullam approbatam regulam profitentur, neque obedientiæ aut paupertatis voto sint adstrictæ: quarum statum, quòd aliter de mysteriis fidei nostræ sentirent, licèt penitus abolendum decreverit Clemens V. *Clement. 1. de religiosis domib. & Clement. 3. de hæret.* tamen eâ Clementis abrogatione non contineri eas, quæ culpâ carent, nec suspectæ sunt, declaravit Ioan. XXII. *cap. vnico de relig. domibus in Extravag. communib.* Et *in dict. Clem. 1.* dicitur, quòd si fideles aliquæ mulieres, promissâ vel non promissâ continentiâ, in suis hospitiis honestè conversantes pœnitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis spiritu deservire, hoc eisdem liceat, provt Dominus ipsis inspirabit.

11 Similiter ob eandem causam Religiosæ non sunt fœminæ Canonicæ, seu Canonissæ, vt vocant, quæ viuunt exemplo Canonicorum sæcularium, nec renuntiant propriis, neque vllam professionem emittunt: vnde nec ad clausuram cogi possunt, Azor. *lib. 13. Institut. moral. cap. 9.* Exéuntque liberè & nubunt: exceptis paucis, vt Abbatissâ, Priore, Sacristâ, Præpositâ, Decanâ, quæ virginitatem vovent, vt dicunt. Et licèt harum status improbari videatur per Innoc. II. *in can. Pernitiosam 18. quæst. 2.* tamen eam vivendi rationem non esse damnatam, etsi nec approbata sit, tradit Azor. *d. loco* Item licèt Pont. *in Clement. Attendentes de statu Monachor.* velit eas per locorum Ordinarios, si exemptæ non fuerint, suâ, si verò exemptæ fuerint, Apostolicâ auctoritate visitari; non intendit tamen per hoc earum statum, Regulam seu Ordinem approbare: sicut nec *in cap. Indemnitatibus §. penult. de elect. in* 6. vbi decreta in Canonicis electionibus præscripta iubet servari in Abbatissarum seu alio nomine nuncupatarum Præfectarum. De his pleniùs videre licet apud Tolosan. *Syntag. Iuris vniversi lib. 15. cap. 17. num. 9. & apud* Zyp. *hoc tit.* vbi plura etiam tradit de earum origine, ac norma vivendi: quæritque *ibidem n. 7.* an tam Begginæ, quam hæ Canonicæ censeantur personæ Ecclesiasticæ & Religiosæ, eo

12 sensu, quo loca pia & congregationes religiosæ dicuntur, ad eum scilicet effectum, vt subsint Episcopo, & coram eo stare iuri teneantur, nec forum Episcopi declinare valeant.

Vndecimò, qui Religionem in monasterio aliquo professi sunt ad illud strictioris Regulæ & sanctioris vitæ transire possunt, non verò Religionis laxioris, *c. Sanè 10. & c. Licet 18. h. t.* Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 19. in fine de Regularibus.* Idque non nisi petitâ prius facultate à suo Prælato: qui si facultatem neget transeundi, poterit nihilominus ad aliam Religionem migrare, *d. c. Licet*: quia vnicuique, etiam Religioso, liberum est eligere vitam duriorem, vt magis Deo placeat: essetque imprudentis Prælati, hoc non admittere.

Denique, quod ad numerum attinet recipiendorum ad Monasterium aliquod Bonifac. VIII. *in cap. Periculoso §. sanè de statu Regular. in 6.* statuit, ne in monasterio fœminarum, quod proprios habet reditus, plures recipiantur, quàm de illius bonis sive proventibus possint sine penuria sustentari; alitérque factam receptionem decrevit irritam. Concil. verò Trid. *Sess. 25. cap. 3.* statuit, vt in monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Vide Zyp. *tit. de Regularib. n. 34.* Less. *de iure & Iust. l. 2. c. 35. dub. 12.* Gutierrez *lib. 1. can. quæst. 32. num. 61. & seqq.*

TITVLVS XXXII.

De conversione coniugatorum.

1 *Alter coniugum, invito altero, ingredi Religionem nequit.*

2 *Mutuo consensu, etiam consummato matrimonio licet.*

3 *Quando altero etiam invito. 4. 5. 6.*

NON tantùm cœlibes Monasterium ingredi ac Religionem profiteri possunt, sed & coniugati: de quorum tamen ingressu dubitari poterat, ex quo Religio votum contineat castitatis, quod matrimonij vsui repugnat. 1

Vnde dicendum, coniuges, postquam consummatum fuerit matrimonium, non posse absque mútuo consensu validè profiteri Religionem, adeò vt, si maritus invitâ vel ignorante vxore profiteatur, repeti ab ea possit cogatúrque ad vxorem redire ac debitum petenti reddere, licet illud exigere non possit, sed quantum in se est servare teneatur castitatem. Vnde

mortuâ

mortuâ vxore non quidem cogendus est redire ad idem monasterium, quamvis ei congruentius esset ad salutem, si rediret; verùm cum alia contrahere matrimonium non potest, propter votum continentiæ semel liberè emissum, *c. Quidam 3. & c. Placet 12. h.t.*

2 Mutuo verò & libero consensu coniuges ingredi Religionem possunt: ita tamen, vt maritus consentiente vxore ingredi nequeat, nisi ipsa Religionem aliquam profiteatur, si vtique iuvenis sit, vel talis, quæ in sæculo manens meritò de incontinentia possit fieri suspecta. Alioquin si senex sit & sterilis, aut talis, vt sine suspicione manere in sæculo possit, votum sufficiet continentiæ, in manibus Episcopi emissum, *cap. Cum sis 4. & seq. cap. Vxoratus, & aliis h. t.* Et hæc omnia fieri debent, auctoritate vel Episcopi, vel Archiepiscopi interpositâ, *can. Si vir 27. quæst. 2.* Quamvis irrita non sit professio, si aliter facta fuerit: & maritus, consentiente vel sciente ac dissimulante vxore suâ, Religionem ingressus & professus, eâ mortuâ redire ad sæculum nequit, vel aliam sibi matrimonio copulare, *cap. Ex parte 9. & c. Consuluit seq. h.t.* Vide Less. 2. *de Iust. & iure c. 41. dub. 3. n. 23.*

3 Potest tamen certis casibus alter coniugum, altero etiam invito & repugnante Religionem ingredi. Primò, si matrimonium necdum fuerit consummatum: & tum potest vnus ad Deum transire, & alteri in sæculo manenti licitum est ad secunda vota transire, *c. Verum 2. c. Ex publico 7. h.t.*

4 Secundò, etiam post consummatum, secundum probabiliorem sententiam, ingredi vxor potest, si maritus illud per vim consummaverit, ante expletos duos menses, qui ei à iure conceduntur, *d. c. Ex publico*: idque ob gravem iniuriam, quam eidem sic intulit; vt propterea iure suo privari non debeat, Sanchez, 2. *de Matrim. disput. 23. num. 6. vbi alios citat.* Item videtur dicendum, si per gravem metum extorserit consummationem, quia similis hæc iniuria est.

5 Tertiò, si alterver coniugum committat adulterium, tunc alteri innocenti licebit ingredi Religionem, *can. Agathosa 27. q. 2. & colligitur ex c. Constitutus, cum duobus seqq. h.t.* Vt tamen id ordinatè procedat, separatio illa auctoritate Iudicis & causâ cognita fiat necesse est, partim ad vitandum scandalum; partim ne repeti possit, & cogi ad redeundum. Quòd si alter quoque adulterium occultè commiserit, puta maritus, non poterit vxorem dimittere, vt Religionem ingrediatur, quia paria delicta mutuâ compensatione tolluntur, *cap. fin. inf. de adulteriis.* Idem dicendum, si cognitio vxoris adulterio, debitum petierit vel reddiderit, quia sic censetur eidem reconciliatus, ac remisisse ius suum, *can. 1, 32. q. 1.*

Quartò, si alter incidat in hæresin, & iudicio Ecclesiæ fiat separatio, potest innocens ad Religionem transire, etiamsi ille converti voluerit. Si verò non fuerit facta separatio iudicio Ecclesiæ tum tenetur emendatum recipere, nec potest Religionem ingredi, *c. fin. h.t. iuncto c. de illa inf. de divortiis.* 6

TITVLVS XXXIII.

De conversione infidelium.

1 *Infidelis quis hîc dicatur.*
2 *Infidelis conversus rectè contrahit cum fideli.*

PRÆTEREA non tantùm coniugati fideles, sed & infideles, id est pagani, subinde ad fidem Christianam convertuntur: de quorum proinde conversione dicendum quoque est aliquid. 1

Infidelis generaliter dici potest quilibet discrepans à fide, quia quidquid à fide discrepat Catholica, fidei Christianæ est contrarium, *l. Cælicolarum in fine C. de Iudæis & Cælicolis*, Hostiens. *in Summa hoc tit.* Hîc autem specialiter sumitur pro eo, qui nunquam fidem suscepit, qualis est Iudæus, Paganus, Saracenus. Et ideò hæreticus non dicitur converti, sed reverti.

Si igitur infidelis convertatur ad fidem, poterit contrahere matrimonium cum fideli, nisi cùm adhuc esset in infidelitate, machinatione & dolo maritum eius occiderit: alioquin si absque machinatione, veluti in bello, occiderit maritum, nihil prohibet, quo minùs illam conversus ad fidem in vxorem ducat, *c. 1. h.t.* Quod si verò alter infidelium inter quos potest esse matrimonium, vt contractus est civilis, non vt Sacramentum, *cap. Gaudeamus inf. de divortiis.* convertatur ad fidem Catholicam, communis proles assignari debet converso, ne ab infideli inducatur in errorem, *cap. 2. h. t.* Nam placuit summam esse rationem, quæ pro religione facit, *l. Sunt personæ 43. in fine ff. de relig. & sumptib. funerum.* Cæterum de matrimonio infidelium, cùm inter se, tum cum fidelibus, postea fusiùs agemus. 2

TIT.

TITVLVS XXXIV.

De Voto & voti redemptione.

§. I.

Voti definitio.

1 *Quid sit Votum.*
2 *Votum debet esse deliberatum.*
3 *Liberum & cum effectu.* 4.
5 *Qui vouere non possint.*

VIA antè dictum est de Regularibus & Religionem intrantibus, déque infidelibus, qui ad fidem conuertuntur, qui omnes votum quoddam emittunt; illi Religionis, quod Monachum facere dicitur & non habitus, *cap. Correctum* 13. *sup. de Regularib.* hi verò fidei: meritò nunc sequitur de voto in genere, eiúsque redemptione.

Votum autem est alicuius boni operis cum deliberatione liberè Deo facta promissio; cum animo scilicet obligandi se, & ab eo, qui se obligare potest.

1 Dico, alicuius boni operis; quale est peregrinari loca sancta, eleemosynam dare, *cap.* 1. & 2. *hoc tit.* quia in malis promissis frangenda fides potiùs, quàm seruanda, *can. in malu* 22. *quæst.* 4. Et si quid voueatur, quod corpori vel animæ certum adferat discrimen, non acceptatur à Deo, nec obligat, *cap. Inter cæteras sup. de iureiurando.* Hinc etiam votum debet esse de meliori bono, quàm sit eius oppositum; ideóque non obligat votum de non mutuando, de non dando eleemosynam, non ingrediendo Religionem, quia oppositum est Deo gratius.

2 Dixi, cum deliberatione; id est, cum perfecta & plena animaduersione eius, quod agitur, quia nemo censetur sibi alicuius obligationis vinculum, quale est votum, imponere, nisi plenè aduertat, quid agat. Hinc qui in ætate tenera, facilitate potiùs, quàm ex arbitrio discretionis, vouerat, facilè fuit à voto absolutus, *cap.* 2. *eod.* & feruore passionis vouens ingredi Religionem, non obligatur, *can. Gonsaluus* 17. *q.* 2. Sed neque furiosi vouendo aut profitendo obligantur, nisi sanæ mentis effecti votum in furore emissum ratum habuerint, *cap. Sicut tenor* 15. *sup. de Regularibus.* Idem dicendum de infantibus.

3 Dixi, liberè; quia votum metu vel dolo iniurioso extortum est irritum, *cap.* 1. & 2 *sup. de his quæ vi metúsve, &c.* Idem dicendum de voto per errorem emisso.

Dixi, Deo facta promissio; quia votum fit & reddi debet Domino; adeóque homini facta promissio non est votum, *c. Magna* 8. ibi *Vouete & reddite Domino Deo nostro hoc tit.* nam Vouere est aliquid Deo sanctè promittere, vt constat ex auctoribus Latinis, licet aliàs sumatur pro Desiderare, & Votum pro Desiderio.

Dicitur verò promissio; quia ex sola boni faciendi conceptione seu proposito, quatumvis deliberato, non obligatur quis, tanquam ex voto si vlteriùs ad promissionem non sit progressus, *canone. Qui bona* 17. *quæstion.* 1. ne quidem eo casu, quo quis Religionem intrat animo & proposito in ea perseuerandi ac perpetuò Deo seruiendi, Nauar. *in Manuali c.* 12. *n.* 26. *& communiter Theologi*: & colligitur *ex c. Litteraturam* 3. *h.t.* vbi expressè dicitur, eum, qui vltra propositum mutandæ vitæ non est progressus, voto non teneri. Item ex Conc. Trid. *sess* 25. *c.* 13. vbi concedens nouitiis annum probationis, vult eos toto ex tempore manere liberos ad egrediendum, si putent disciplinam sibi non conuenire.

Non obstat *cap. Statuimus, & c. consulti sup. de Regularib.* quatenus ibi statuitur, nouitios posse liberè ad sæculum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare & in Religione perpetuò Domino seruire; nec similiter *cap. beneficium eodem tit. in* 6. vbi dicitur, beneficium ingressi Religionem posse alteri dari, si constet absolutè voluisse vitam mutare: quia illis locis agitur de proposito, quod promissione seu voto firmatum est, licet exteriùs verbis vel nullis vel nullam voti speciem præ se ferentibus fuerit expressum.

Addidi, cum animo se obligandi; quia actus agentium ex intentione non operantur vltra intentionem.

4 Denique additur, ab eo, qui se obligare potest; quia quidam sese voto obligare non possunt; vel absolutè, vt infantes & furiosi, ob defectum iudicij; vel non ita validè, quin votum eorum ab alio, in cuius sunt potestate, irritari possit, vt impuberes, sine consensu parentum aut tutorum, *can.* 1. 2. *& 3.* 20. *q.* 2. Item coniuges post consummatum matrimonium sine mutuo consensu.

Sic nec Episcopus vouere peregrinationem

poteſt, abſque conſenſu ſuæ Eccleſiæ, *c. Magna 7. hoc tit.* nec Clericus, abſque licentia ſui Epiſcopi, licet ſine eius conſenſu Religionem ingredi poſſit. Similiter Monachus ſine conſenſu Superioris, quia velle aut nolle non habet, *c. Quorundam cap. Si Religioſi de elect. in 6.* Denique ſervi, coloni adſcriptitij vel originarij, in præiudicium ſuorum dominorum, vovere nequeunt, *can. Generalu dist. 54.*

§. II.

Diviſio voti.

1 *Votum aliud Solemne & Simplex.*
2 *Aliud expreſſum & Tacitum.*
3 *Aliud purum & Conditionale: item Perſonale, Reale, Mixtum.*
4 *Aliud Perpetuum & Temporale.*

1 VOtum variè dividi ſolet. Primò in Solemne & Simplex. Solemne generaliter dici poteſt, quod fit publicè, certis ſolemnitatibus, v.g. teſtibus aut iuramento, adhibitis. Vel ſpecialiter, quantum ad matrimonium poſt contractum dirimendum. Solemne votum dicitur, quod ex decreto Eccleſiæ annexum eſt ſuſceptioni Ordinis ſacri: & profeſſione vel expreſsâ vel tacita Religionis, per ſedem Apoſtolicam approbatæ, continetur, *cap. vnico hoc tit. in 6.* Simplex verò votum hodie eſt omne aliud votum, licet profeſſione Religionis non approbatæ contineatur.

2 Secundò dividitur in Expreſſum & Tacitum. Expreſſum eſt, quod verbis diſcretis exprimitur. Tacitum, quod eo ipſo fieri cenſetur, quo voluntariè aliquid agitur, cui ipſum votum eſt annexum vel ſupponitur, Huiuſmodi eſt, quod fit ſuſceptione Ordinis ſacri.

3 Tertiò, dividitur in Purum & Conditionale. Item in Perſonale, Reale, & Mixtum. Perſonale eſt, dum promittitur, quod perſonam ſolam attingit, v.g. aliqua actio vel omiſſio, vt peregrinatio ad viſitandum ſepulchrum Domini, *c. 2. h. t.* Tale etiam eſt votum Religionis aut ieiunij. Reale eſt quo res externa promittitur, vt *in c. Ex parte 18. inf. de cenſib.* Mixtum, quo vtrumque, veluti peregrinatio cum oblatione, vel profectio Ieroſolymam ad eam armis liberandam, *cap. Non eſt, & ſeq. hoc tit.*

4 Denique dividitur Votum in Perpetuum & Temporale.

§. III.

De effectu ſeu obligatione voti.

1 *Votum ab initio voluntatis eſt, ex poſt facto neceſſitatis.*
2 *Soluitur votum defectu materiæ.*
3 *Et Conditionis.*
4 *Irritatione.*
5 *Commutatione.*
6 *Quilibet commutare poteſt, qui diſpenſare.*
7 *Diſpenſatione.*

EFfectus autem voti, ſive ſimplicis ſive ſolemnis, eſt vt fides ſemel Deo data ſervetur. Tametſi enim ab initio liberum ſit vovere, vel non vovere, tamen non eſt liberum, voto ſemel emiſſo reſilire, abſque propriæ ſalutis diſpendio, niſi eius ſolutio intervenerit, *c. Licet 6. cum cap. ſeq. h. t. can. 1. & ſeqq. 17. q. 1.* quia ſi fidem homini datam non oporteat frangere, multò magis fidem Deo datam ſervare oportet: adeò vt ne quidem causâ convertendi aliquem ad fidem liceat infringere votum, *can. Non ſolùm 32. q. 8.* Quinimò hæres etiam defuncti votum adimplere tenetur, ſi tale ſit, quod per alterum impleri poſſit, vti eſt votum reale: aliàs paternâ ſucceſſione ſe indignum reddet, & reum anathematis, *d. c. Licet & c. Si hared. 6. ſup. de teſtam.* 1

Solui ſeu redimi votum poteſt quinque mò- 2
dis. Primò, defectu materiæ, ſi materia voti legitima eſſe deſinat, vel abſolutè vel reſpectu voventis: vt ſi turpe votum fuerit, ſi quid incautiùs quem voviſſe contigerit, vel ſi propter infirmitatem, aut paupertatem, vel aliam iuſtam cauſam votum non poſſit vtiliter adimpleri, *can. 5. & alij 22. q. 4. cap. Quod ſuper 8. in princ. cum cap. ſeq. hoc tit.*

Secundò, defectu conditionis: vt ſi quis 3
voverit ſub certa conditione, quæ non eveniat, aut ſi cauſa voti ceſſet, *cap. Magna 7. §. fin. hoc tit.*

Tertiò, irritatione: vt ſit oblatio voti per- 4
fecta pendeat aliquo modo ab alterius voluntate, qui non velit eam approbare: nam tale votum vel ex natura, vel ex iuris diſpoſitione hanc tacitam habet conditionem, niſi ſuperior vel alius, cuius intereſt, contradixerit. Ita omnia vota Religioſorum, præter votum arctioris Religionis, poſſe à Prælato, irritari docet Navar. *in Manuali c. 12. n. 65.* Similiter vota impuberum

impuberum irritari possunt à parentibus & tutoribus, *cap. Si quis 2. sup. de regularib.* Vota item servorum à dominis, quatenus eorum obsequiis obesse possunt. Hinc quoque maritus omnia vota coniugis, quæ sibi incommodent, & ad familiæ administrationem pertineant, cuius ipse, vti & mulieris, caput est, irritare potest, vt passim docent Canonistæ.

5 Quartò, communicatione: nam in primis quilibet auctoritate propriâ votum suum in id, quod manifestè est melius & Deo gratius, commutare potest, *cap. Pervenit 3. sup. de iureiur.* Nec obstat *cap. 1. hoc tit.* vbi dicitur, communicationem voti pendere ab arbitrio eius, qui præsidet, seu superioris: quia huius requiritur auctoritas, quando non constat, id, in quod fieri debet commutatio, esse melius. Et ideo votum peregrinationis vel aliud quodlibet mutari potest in votum Religionis, *c. Scriptura 4. h.t.* Non obstat etiam, quòd debitor solvens creditori, rem etiam meliorem, non liberetur, sed teneatur solvere, quod debet: quia creditori solui potest melius quando id ipsi gratius est. Non obstat, denique, quod quis in propria causa nequeat esse Iudex: quia potest parte consentiente non autem invitâ.

6 Præterea quilibet votum commutare potest, qui in eo dispensare, sive potestate ordinariâ, sive delegatâ; licet non è diverso. Ratio est, quia commutatio voti est quædam veluti imperfecta dispensatio seu relaxatio, *arg. c. 1. h.t.* Nam dispensare in voto nihil aliud est, quàm nomine Dei absolutè condonare obligationem: Commutare verò est condonare cum onere, vt scilic. loco prioris obligationis aliam suscipiat. Iam autem regula Iuris habet, quòd cui licet id, quod est plus, licet vtique, quod est minus, non contra. In commutatione voti haberi debet ratio expensarum, quæ in expletione voti fuissent faciendæ, habitâ personarum ratione, vt illæ impendantur in aliquod opus pium. In voto autem de dando, faciendo, videndum, an inde non sit ius quæsitum alteri, quia tum dispensare ampliùs non posset Episcop. sine illius assensu, cui ius esset quæsitum: nisi sit illius dominus superiorve tam absolutus, vt possit ipsi auferre rem quæsitam, & dare alteri, Piasec. *2. p. c. 1. art. 3. n. 8. vers. In commutatione.*

7 Quintò, dispensatione: nam Episcopus, & qui Episcopalem iurisdictionem habet, potest dispensari in omnibus votis suorum subditorum: exceptis iis, quæ summo Pontifici reservata sunt, nempe *iuxta communem sententiam*, voto castitatis perpetuæ, voto approbatæ Religionis, voto peregrinationis ad Terram sanctam, ad limina Apostolorum, & Compostellam ad S. Iacobum. Nam licet Iuris textus aliquis non reperiatur, qui hæc quinque vota soli Papæ specialiter reservet, præter votum transmarinum, *cap. Quod super & cap. Ex multa h.t.* ex stylo tamen Romanæ Curiæ, qui satis colligitur *ex Extravag. Etsi Domini de pœnit. & remissionib. in commun.* omnia hæc reservata sunt summo Pontifici. Ex causa tamen dispensare Episcopum oportet: nam sine causa dispensare nequit, *can. Non potest, & seq. 1. q. 7.* contra verò si non dispensaret, cùm adest causa iusta, peccaret, Piasec. *d. num. 8. vers. Et generaliter.*

TITVLVS XXXV.

De statu Monachorum & Canonicorum Regularium.

1 *Status sumitur & generaliter & strictè.*
2 *Ad statum Monachorum spectat servare Regulam quam professi sunt.*
3 *Proprium habere aut possidere non possunt.*
4 *Quatenus circa hoc dispensare valeat Pont.*
5 *Quatenus ab vno monasterio ad aliud migrare liceat.*
6 *De clausura Monialium, remissivè.*
7 *Monachi ad Ecclesias parochiales adsumi nequeunt, vt Regulares.*
8 *Singulis triennij instituenda Concilia Regularium provincialia.*

PLERVMQVE votum emittentes Religionis, fiunt & dicuntur Monachi ac Canonici Regulares, de quorum proinde statu, id est conditione vivendique ratione deinceps tractatum instituit Pontifex. Notandum verò est ex Lessio *2. de Iustit. & iure c. 41. dubit. 1.* Statum sumi & generaliter, & strictè Generaliter pro quavis vitæ, conditione, in qua homo ad tempus vel perpetuò stat & permanet. Sic dicitur Status innocentiæ, Status legis naturæ, legis Mosaicæ, Evangelicæ, Status huius vitæ vel futuræ, Status Ecclesiasticus, sæcularis, servorum, liberorum, viduarum, & sic de similibus. Strictè verò sumitur pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus; vt firmitatem quandam denoter.

Et hoc modo tres dumtaxat Status in Ecclesia constituuntur à D. Thoma, scilicet Episcoporum, Religiosorum, & Coniugatorum. Nam Episcopi perpetuo vinculo obstricti sunt obsequio suæ Ecclesiæ, Religiosi obsequio divino, Coniuges obsequio mutuo. Ex his duo priores sunt spirituales, & vocantur Status perfectionis, tertius est sæcularis.

Status autem Religiosus seu Religiosorum vel Monachorum rursus sumi potest dupliciter, nempe vel in actu primo, vt loquuntur, sive in habitu, & sic nihil est aliud, quàm debitum religiosè seu monachaliter, vt ita dicam, vivendi, vel in actu secundo, & sic est ipsa religiosa seu monachalis vita. In hoc igitur Tit. Status sumitur strictè pro ipsa conditione, vitæ Monasticæ immobili, per quàm suis Superioribus obstringuntur, & Regulæ, quam professi sunt.

2 Ad statum & mores Monachorum ac Canonicorum Regularium pertinet in primis, vt ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componunt, *cap. Cum ad monasterium 6. h. t.* Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 1. de Regularib.* vbi præcipit, vt diligenter observent, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis & castitatis, & si quæ alia sint suæ Regulæ & Ordinis peculiaria, quæ emiserint vota vel præcepta. Ac proinde, cùm Religio sit status pœnitentiæ ac tristitiæ, & contemptus divitiarum fastúsque ac gloriæ mundanæ, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 187. *artic. 6.* vilibus indui & vti vestibus debent, quemadmodum pœnitens exemplo Regis Ninives, qui *Iona 3.* indutus fuit sacco; & Achab. qui *3. Reg. 21.* operuit cilicio carnem suam. Qua de causa vetuit Innoc. III. Pont. ne quis Monachorum lineis camisiis vteretur, *d. cap. Cum ad monasterium 6. h. t.*

3 Item districtè inhibetur, ne quis Monachorum proprium quoquo modo possideat, *can. Non dicatis 12. quæst. 1. d. c. Cum ad monasterium, & c. Ioanes 5. sup. de Regularib.* & Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 2.* Sin autem aliquid habere proprij deprehensi fuerint, regulari præuiâ monitione, expelli è Monasterio debent, nec vlteriùs recipi, nisi pœniteant, *d. c. Cum ad Monasterium.* Quinimò si Monachus vel Canonicus Regularis post mortem inveniatur aliquid proprij habuisse in vita, illud cum eo extra monasterium in loco non sacro humari debet, *dict. cap. Cum ad monasterium*, ibi *interquilinio.* Et quod amplius est, sepultus in loco sacro effodi iubetur, & proiici ab Ecclesia, *cap. Super quodam 4. hoc tit.* Ex permissione tamen Prælati peculium aliquod pro administratione rerum habere Monacho licet, *cap. Monachi 2. vers. Qui verò peculium hoc titul.* non etiam proprietate, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò annexa est Regulæ Monachali, * vt aduersus eam ne summus quidem Pontifex possit licentiam indulgere: quod passim intelligunt DD. remanente statu Monachali seu religioso, cui repugnat habere aliquid proprium, provt eo nomine significatur dominium & vsus, independens ab arbitrio Superioris. Alioquin vt Religiosus possit habere dominium alicuius rei, quod assiduè à Superioris nutu dependeat, dispensare potest. Pont. quia tale dominium statui religioso non repugnat, neque proprij nomine comprehendi solet, quando dicitur Religiosus non posse proprium habere, vt tradit Less. 2. *de Iustit. cap. 4. dubitat. 5. n. 22. & c. 41. dubitat. 9.* Ratio autem, cur Religiosus, solemniter professus, nihil omninò possit habere tanquam, proprium est quia per solemne votum paupertatis non solùm se spoliavit omni dominio, idque vi voti solemnis, quod eam vim habet ex ordinatione Ecclesiæ, vt docet Less. *d. c. 4. dubit. 5.* Verùm quid de his distinctius deque bonis in communi possidendis à Monasterio, statuat Conc. Trident. ibidem videre licet, *dict. Sess. 25. cap. 2. & 3.* & apud Less. *d. dubit. 5.* 4

Cavere etiam debent Monachi, ne propria 5
auctoritate ab vno Monasterio ad aliud migrent. *c. Ioannes 5. sup. de Regular.* vel ne in diversis monasteriis locum Monachi habere præsumant, *c. fin. h. t.* Petitâ verò à Prælato licentiâ, licèt non obtentâ, ad arctiorem Regulam & frugem melioris vitæ transmigrare permittitur, *c. Sanè 10. & c. Licet 18. sup. de Regularib.* Exceptis tamen Religiosis Ordinum Mendicantium, qui omninò, quocumque quæsito colore, ad alium quemcumque Ordinem, præter Cartusianorum, convolare vetantur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, tam ex parte receptorum quam recipientium, absque speciali gratia Sedis Apostolicæ, *c. 1. regularib. in Extravag. communib.* Quo etiam casu, migrantes ab Ordine Mendicantium ad non mendicantium ex Constitutione Clementis V. *Clement. 1. eod. tit.* à Prioratibus, administrationibus, officiis, vicariatibus, & aliis similibus, repelluntur, nec vocem aut locum habent in Capitulo.

Quo pacto autem Moniales è Monasteriis 6
suis egredi, vel ad breve tempus, valeant, vel non, ex quibus causis, ab Episcopo approban

approbandis, vide Conc. Trident. *Seſſ. 25. cap. 5. de regularib.* vbi renovat Conſtitutionem Bonifacij VIII. *in cap. Periculoſo hoc titul. in 6.* Adde Conſtitut. Pij V. *incip. Circa Paſtoralis officij*, & aliam eiuſdem, *incip. Doctori & honeſtate*, quarum ſeriem exhibet V. CL. Steph. VVeymſ. *in ſua Analyſi ad d.c. Periculoſo, n. 9. & ſeqq.* recitatque eaſdem Piaſec. *2. p. c. 3. art. 7.* & Azor. *1. p. Inſtit. Moral. lib. 12. c. 11. q. 7.* Quatenus verò ingredi liceat vel non liceat clauſuram Sanctimonialium ſeu ſepta Monaſterij, Vide Conc. Trid. *Seſſ. 25. cap. 5.* VVeymſ. *d. loco n. 23. & ſeqq.*

7 Præterea cùm Monachi ſolitariam profiteantur vitam, à populo omninò ſemotam, & plangentis potiùs quàm docentis officium habeant, vt D. Hieronymus ait, *can. Placuit. & can. Monachus 16. quæſt. 1.* non poſſunt per villas & oppida ſinguli ſeu ſoli Parochialibus præfici Eccleſiis, *cap. 2. hoc titul.* Quod tamen Canonicis permittitur, Regularibus, tanquam regulæ laxiori inſervientibus, *cap. Quod Dei 5. hoc titul.* Eóque magis, quia antiquitus etiam Monachis idem ex cauſa permiſſum fuit, *can. Nullus, Diſtinct. 58.* cum moderatione tamen Conc. Trident. *Seſſ. 14. cap. 11. de reformat.* quâ hodie prohibentur Canonici Regulares, ſi tranſlati fuerint de vno Ordine ad alium, promoveri ad beneficia curata ſæcularia.

8 Denique cùm, vbi gubernaculum contemnitur diſciplinæ, nihil reſtet, quàm vt Religio naufragetur, *Clem. Attendentes in princ. hoc titul.* ideò Monaſteria, quæ generalibus Capitulis aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent viſitatores Regulares, quolibet triennio ſeſe in congregationes redigere debent, id eſt, ſingulis trienniis inſtituenda ſunt Concilia Regularium provincialia, *c. in ſingulis in princ. hoc tit.* Concil. Trid. *Seſſ. 25. c. 8. de Regularib.* in quibus corrigantur, quæ videbuntur corrigenda. Viſitatores etiam creandi, qui viſitationis officium diligenter exequantur, omniáque & ſingula obſervari fideliter curent, quæ de ſtatu Monachorum conſtituta ſunt *in dict. Clement. Attendentes.* Iuxta quam ordinationem refert Chopin. *lib. 2. Monaſtic. titulo 2. num. 17.* Benedictinos exemptos in pleriſque Galliæ provinciis, ſeſe in congregationes redegiſſe, ac varia condidiſſe Regularis diſciplinæ ſtatuta quæ à Sixto V. & Gregorio XIII. confirmata ſunt, teſte Zyp. *tit. de Regularib.* Quòd ſi id negligant Regulares, cogere eos ad hoc poteſt Metropolita ſeu Archiepiſcopus, eóque negligente Epiſcopus, in cuius diœceſi ſunt Monaſteria, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, Conc. Trid. *d. cap. 8.* Zerola *p. 2. Monaſteria*, §. 2.

TITVLVS XXXVI.

De Religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ.

§. I.

Domus Religioſæ quæ dicantur.

1 *Hoſpitalium nomine quæ veniant.*
2 *Monaſteria, vt & Eccleſiæ omnes, ſubiectæ Epiſcopo loci.*
3 *Item Hoſpitalia omnia.*
4 *Dummodò exempta non ſint.*
5 *Quæ tamen viſitari ab Epiſcopo poſſunt.*

DE Monachis ac Religioſis duo expedivimus, nempè de ingreſſu ac profeſſione, déque ſtatu, id eſt, regulis, & inſtitutis vitæ monaſticæ ac religioſæ. Sequitur tertium de rebus, id eſt, de domibus & monaſteris, aliiſque religioſis ac piis locis. Cuiuſmodi ſunt Hoſpitalia, quæ pietati exercendæ ex profeſſo dedicata ſunt, & plerumque Eccleſiis cohærent, *toto hoc titul. & eodem in 6.* Dicuntur ab hoſpitibus piè excipiendis & tractandis; próque eorum varietate varia fortiuntur nomina. Alia enim ſunt Xenodochia, quibus peregrini; alia Orphanotropia, quibus orphani; alia Gerontocomina, quibus ſenes alia Brephotrophia, quibus egentium infantes; alia Noſocomia, quibus ægroti excipiuntur; alia denique Ptochotrophia, in quibus pauperes aluntur; alia aliis atque aliis nominibus appellantur, de quibus *in can. In qualibet 23. quæſt. 8. leg. Illud 17. leg. Sancimus 18. Codice de ſacroſanctis Eccleſiis*, & plenius apud Tholoſan. *Syntag. Iuris vniverſi lib. 15. cap. 28.* 1

De his autem omnibus quæſitum fuit, quibuſnam ſubiiciantur? Et in primis dicendum, Monaſteria, ſicut Eccleſias omnes, ſubiici Epiſcopo loci, in quo ſita ſunt, *cap. 1. 3. 7. & vlt. hoc tit. can. Quidam, cum ſeq. can. Monaſteria 18. quæſt. 2. can. Omnes baſilicæ 16. q. 7.* Qui etiam quoad hoc de iure communi habet fundatam intentionem ſuam, *dicto cap. 7. hoc tit.* etiamſi 2

alterius loci aut diœcesis Monasteriis atque Ecclesiis sint vnita, quia per vnionem nihil deperit Episcopo loci, in quo situm est Monasterium, *c.2. h.t.*

3 Idem dicendum de Hospitalibus, & aliis piis locis, auctoritate Episcopi erectis, *dict. cap. 3. cap. 4. & aliis hoc tit.* Ita vt ad Episcopum loci, in quo sita sunt, spectet, prouidere, ne talia loca ad alios vsus, quàm ad quos fidelium largitate & auctoritate Episcopi destinata sunt, conuertantur, ne res eorum dissipentur, neve in beneficium cuiquam sæculari Clerico concedatur, (nisi fortè vel in eorum fundatione aliter constitutum fuerit, vel per electionem de Rectore huiusmodi loci sit prouidendum:) sed vt gubernatio eorumdem committatur viris prouidis ac boni testamenti, qui instar tutorum & curatorum iuramentum præstent, repertorium siue inuentarium bonorum faciunt, atque Ordinariis, vel aliis, quibus huiusmodi loca subsunt, vel ab iis deputandis, quotannis administrationis suæ rationem reddant, *Clem. Quia contingit 2. hoc tit.* vbi pleniùs de huiusmodi locorum administratione, & in Analysi D. Steph. Vveymsij *ad dict. Clem.* Concil. Trid. *sess. 7. c. 15. de reformat. sess. 22. c. 8 & 9. & sess. 25. c. 8. de reformat.* Chopin. *de politia sacra lib. 3. tit. 5. n. 2.* vbi latè tradit eiusmodi piorum locorum curam iam olim quoque spectasse ad Episcopum, vt proinde Concilium Tridentinum non adeò quidquam noui quoad hoc statuisse videatur.

4 Et hæc quidem procedunt, dummodò talia pia loco non probentur exempta, vel priuilegio, vel præscriptione XL. annorum, *cap. Cum dilectus 8. h. tit. c. Cum olim. 18. & seq. sup. de præscript.* Sic tamen, vt si priuilegio exempta sint, priuilegium huiusmodi, tanquam iuri communi derogans, ac proinde strictè accipiendum, *cap. vlt. in fine de filiis presbyterorum in 6.* non producatur vltra loca ipsa, & iura sua Episcopis inuiolata seruentur, *cap. Porrò 7. cap. petitis 20 inf. de priuilegiis.* Et ideò si Parochiæ vel Capellæ alicui Monasterio exempto subiectæ sint, non tamen ideò & ipsæ exemptæ censeri debent, *cap. 1. hoc tit. cap. Ex ore 17. inf. de priuil.* nisi & in his quoque legitimâ præscriptione aut priuilegio derogatum sit iuribus Episcopalibus, *dict. capite cum olim.*

5 Vt autem huiusmodi loca probentur exempta à iurisdictione Ordinarij, poterit nihilominus Ordinarius auctoritate Apostolica visitare ac reformare, si reformatione aliqua opus fuerit: ita tamen vt per hoc nullum exemptionibus seu priuilegiis, quoad alia, præiudicium generetur, *dict. Clement. 2. in princ.*

Prædicta etiam non habent locum in Hospitalibus militarium Ordinum, aut Religiosorum, *dict. Clem. 2. §. Præmissa.* Et si quæ sint Hospitalia, in quibus consueuerint ab antiquo exerceri spiritualia & exhiberi Sacramenta pauperibus, ea consuetudo seruanda est, *d. Clement. in fine.*

§. II.

De visitatione Domuum Religiosarum & locorum piorum, à laicis regi solitorum.

1 *Hospitalia à laicis regi solita etiam à laicis visitari possunt.*
2 *Hospitalia, superstite fundatore, non subsunt Ordinario.*
3 *Post mortem tamen visitari ab eo possint.*
4 *Vt & Confraternitates qualibet.*
5 *Vltra triennium non committenda vni administratio Hospitalium.*
6 *Ex Concord. Brab. visitatio Hospitalium est mixti fori.*

CÆterùm circa decretum Conc. Trid. quoad propositam materiam, obseruandum est, quòd, licèt tribuat Concilium Episcopis facultatem visitandi Hospitalia & alia pia loca; non tamen prohibeat, quin etiam iudices sæculares eadem visitare possint, si hoc eis aliàs legitimè concessum sit. Insuper Episcopum non habere potestatem visitandi Hospitalia & Confraternitates, quæ à laicis regun- 1
tur, nisi in casibus à iure communi permissis.

Et ideo hæc potestas non extenditur ad Hos- 2
pitalia, & alia similia loca, absque auctoritate Episcopi erecta, superstite fundatore, cùm non dicantur propriè loca religiosa, sed subsint omninò dispositioni ipsius fundatoris, ita vt ab eodem destrui, & de illis pro arbitratu suo, prout & de aliis bonis, disponere valeat, *Glos. in can. In Ecclesiasticis 13. quæst. 2.* Sylvester *V. Hospitalia.* Zerola *part. 1. V. Hospitale* §. 1. Piasec. *p. 2. cap. 3. artic. 5. n. 12.*

Quamquam Episcopus talia post mortem 3
fundatoris visitare possit, ad hoc, vt videat, an & quomodo satisfiat ordinationi defuncti: audire item, inspicere atque examinare computum, & administrationem Rectorum ac procuratorum: idque, vt tradit Zerola *d. loc.* §. 2.

& 3. virtute decreti Concil. Trid. *seſſ. 22. cap. 9.* vbi ſtatuitur, vt adminiſtratores, tam Eccleſiaſtici, quàm laici, fabricæ cuiuſvis Hoſpitalis, Confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario, niſi ſecus ſit cautum in fundatione, cui non derogauit Concilium. Ideoque ſi in fundatione cautum ſit ne Epiſcopus ſe viſitationi vel rationibus immiſceat, id ſeruandum erit, Zerola *dict. loc.* §. 3.

Nec obſtat quòd non ſint loca religioſa: quia ad hoc, vt viſitari poſſint, ſufficit, quod ſint loca pia. Non obſtat quoque, quòd *dict. cap. 9.* tollat privilegia, ſtatuta & conſuetudines quaſcumque in contrarium: quia non tollit fundationem.

4 Verùm quòd quoad Confraternitates laicorum, ſive regendas, ſive viſitandas attinet, exſtat inſignis Conſtitutio Clementis VIII. 24. *Dec.* 1604. quem refert Piaſec. *dict. loc. num.* 8. per quam, vt ſummariè dicam, ſtatuit, ne vllæ eiuſmodi Confraternitates erigantur, niſi de aſſenſu Ordinarij loci: vt Confratrum ſtatuta ab eodem ordinario examinentur, approbentur, & corrigantur: vt indulgentias concedendas priùs cognoſcat & promulgandas decernat: vt eleemoſynæ & collectæ non niſi arbitrio eiuſdem in pios vſus Confratres erogent: vt Confeſſarij Confraternitatis ab Ordinario approbentur, qui nec à caſibus reſeruatis abſoluere poſſint.

5 Inſuper ad hoc quoque ſedulò aduigilare & prouidere Epiſcopus debet, ne hoſpitalium, & aliorum ſimilium locorum, adminiſtratio ſeu gubernatio vni & eidem vltra triennium committatur, niſi aliter in fundatione cautum reperiatur, Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 8.*

6 Sed nec illud hic prætereundum eſt, quod refert Zypæus *hoc tit. in princ.* ex Concordatis Brabantiæ §. *Si Magiſtri fabricarum*, contineri inibi hanc diſtinctionem, vt ſi Rectores Hoſpitalium & Fabricarum ſint laici, & à laicis inſtitui ſoleant, correctio & deſtitutio, & rationum, exactio, præſente tamen Curato, à laicis fiat; &, ſi negligentes fuerint, pro illa vice Epiſcopus in omnibus ſupplet: ſi autem Eccleſiaſtici ſint, aut laici ab Eccleſiaſticis inſtituti, omnia faciat Epiſcopus. Quamquam dici poſſit etiam priori caſu, ſaltem poſt Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 9.* vbi Epiſcopo diſertè auctoritatem facit exigendi rationes ab adminiſtratoribus, tam Eccleſiaſticis quàm laicis, quorumcumque piorum locorum, Epiſcopum eiuſve delegatum ſuam quoque auctoritatem poſſe interponere. Quod & in Belgio eſt receptum. Imò Sereniſſ. Principes noſtri in edicto pro feliciori exitu & & executione Conc. Mechlin. *an.* 1607. maiorem etiam poteſtatem Epiſcopis & ab eis deputatis conceſſerunt. Sed hoc intereſt, quòd dum proceditur iuxta concordata, Epiſcopi iure ſuo nitantur; dum ex edicto, tanquam Principis delegati, veluti ex eius commiſſione: quodque ſi à decretis appelletur, ad laicos cauſa deuoluatur; illo autem caſu ad ſuperiores Epiſcopi, iuxta ius commune. Dictis verò concordatis non videri derogatum per illud edictum docet Zyp. *ibid.* ea ratione, quòd generi per ſpeciem non vice versâ derogatur.

TITVLVS XXXVII.

De capellis Monachorum & aliorum Religioſorum.

1 *Capella, & Capellania vnde nomen habeant.*
2 *Diſtingui vulgò Capellaniam & Capellam.*
3 *Capella habens populum, cum cura animarum, à ſaculari regi debet.*
4 *Aliàs duo treſve Monachi Capellis præficiendi.*
5 *Nouam Religionem quis propria auctoritate conſtituere non poteſt.*

NOn ſemper Monachi omnes habitant 1
in Monaſteriis, ſed quidam ex iis ſæpè ad Capellas ac Prioratus mittuntur, dependentes ab ipſis Monaſteriis, quæ ſunt domus principales Religioſorum.

Capellæ non vna eſt etymologica ratio ſeu deductio, de qua Tholoſan. *Syntag. Iuris Vniverſi lib. 15. num. 29.* Azor. 2. *Moral. Inſtitut. lib. 3. cap. 8.* Veriùs videtur nomen eſſe Gallicum, dicique à ſimplici tecto, quo Reges Francorum, exuſtis à Normannis ac Solauis ſacris ædibus Oratoria campeſtria lateribus vndique patentibus & patulis tegebant: nam tectum Gallis ſimpliciter *Chapelle* dicitur; indéque alia nomina formata ſunt. Et quia eiuſmodi tectum fieri ſolebat ex pellibus caprarum, inde Capellam à caprinis pellibus dici quidam volunt, Gloſ. *in can. Concedimus de conſecrat. diſt. 1.* & Sacerdotes, qui in huiuſmodi oratoriis ſeu tentoriis præfecti erant Capellani dicti ſunt. Factúmque, vt iure Canonico Capellæ nomine ſignificetur aliquando

quando Altare, in aliqua ſacra æde conſtructum *can. Quæſitum can. Altare 1. quæſt. 3.* aliquando Oratorium, ſeu ſacra ædicula, à templo ſeiuncta; interdum etiam Oratorium, extra templum quidem poſitum, ſed eidem templo annexum & adhærens; ſubinde etiam locus ſacer in templo, ferreis aut ligneis cancellis clauſis, vnum vel plura altaria continens.

2 Cæterùm Practici Romani Capellam à Capellania diſtinguunt, vt Capella ſit corpus, & Eccleſia per ſe; Capellania vero dicatur altare, in aliqua Eccleſia exiſtens, teſte Rebuffo *in Praxi benefic. tit. Sæculare benef. quotuplex num.* 14. Et ita Capella hic ſumitur, pro Eccleſia ſcilicet minori, exiſtente per ſe & ſeorſim ab Eccleſia maiori vel Monaſterio.

3 Capella itaque hoc modo ſumpta vel habet populum aliquem ſubditum, & curam animarum, vel non habet. Si habet, & ſpectet ad Monaſterium, non poteſt regi à Monachis, ſed in ea Epiſcopus Capellanum ſæcularem, qui populum regat, conſilio Monachorum inſtituet: ita vt ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio eius, quàm depoſitio, & totius vitæ pendeat conuerſatio, *c. 1. h. t.*

4 Sed & ad curam ſpectat Epiſcopi, vt Abbates vel aliorum Religioſorum Prælati in huiuſmodi Capellis vel Prioratibus ſingulos Monachos aut Religioſos non conſtituant, qui ſoli in iis commorentur, ſed tres vel ſaltem duos. Nec proderit Prælato reſcriptum, ſi quod habeat à ſummo Pont. quòd ſingulos imponere veleat, fortè ob paupertatem Capellæ aut Prioratus, niſi reſcriptum mentionem faciat Conc. Lateranenſis, *cap. Ex part. 3. hoc tit.* quod aliàs habebitur obreptitium vel ſubreptitium.

Quòd ſi verò Abbas aliquis Monachum ſolitarium in Capella conſtituerit, poteſt Epiſcopus eum dein cogere, vt vel reuocet illum ad clauſtrum vel ſocium ei aut ſocios adiungat, *cap. Ad audientiam 4. hoc tit.* Idque ne ſibi relictus ad peiora diffluat. Væ ſoli, inquit Sapiens *Eccleſ. 4.* quia cùm ceciderit, non eſt, qui ſubleuet eum, *c. Monach. 2. in princ. ſup. de ſtatu Monach.*

5 Illud etiam *in cap. fin. eod. tit.* conſtituitur, ne quis nouam Religionem conſtituat ſine auctoritate ſummi Pont. neve in diuerſis monaſteriis quis ſit Abbas vel Monachus.

***

TITVLVS XXXVIII.

De iure Patronatus.

§ I.

Quid ſit, & quibus modis acquiratur hoc ius.

1 *Quid ius Patronatus.*
2 *Præter præſentationem an ius aliquod competat patrono in beneficio.*
3 *Acquiritur hoc ius fundatione, conſtructione, donatione.*
4 *Item præſcriptione & privilegio.*

QVÆ deinceps traduntur in hoc libro de iure Patronatus, de Cenſibus, Sacramentis, de Eccleſiis, earumque immunitatibus, communia ferè ſunt Clericis Regularibus & Laicis, vel ſunt loco appendicis & ſupplementi cuiuſdam ad ſuperiora: veluti ius patronatus ad præbendas & dignitates, in quibus nonnunquam fit inſtitutio ad præſentationem patroni. 1

Eſt autem Ius patronatus, prout ei correſpondet inſtitutio, ius præſentandi inſtituendum ad beneficium vacans. Ita vt eius ſic ſumpti tres ſint termini, Præſentatio, Admiſſio, & inſtitutio, Ricc. *in Praxi poſt deciſ. 230. in 2. notab.* Alioquin etiam in Prælaturis, quæ ſine inſtitutione per electionem conferuntur, ius patronatus locum habet non quidem vt patronus priùs præſentet eligendum, ſed vt vel electioni faciendæ interſit, *cap. nobis 25. verſ. niſi aliter hoc tit.* vel factam electionem ſuo aſſenſu comprobet, *dict. cap. nobis, cap. Cum terra 14. cap. Sacro ſancta 51. ſup. de elect.*

Dixi, præſentandi; quia patronus non poteſt auctoritate aliquem in beneficium intrudere, vel in eo inſtituere, *cap. Præterea 4. cap. Cum laici 10. & aliis hoc tit.* Vt neque in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum, vllatenus vllave ex cauſa vel occaſione ſeſe ingerere; ſed illos liberè Rectori ſeu beneficiato deſtruendos dimittere debent, Conc. Trid. *Seſſ. 25. cap. 9. de reform.* & colligitur *ex dict. cap. Præterea hoc tit.* Multò minùs patroni immiſcere ſe iis poſſunt, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant: viſitationi verò ornamentorum Eccleſiæ aut bonorum ſtabilium ſeu fabricarum 2

bricarum prouentibus non aliter, quàm quatenus id eis ex institutione ac fundatione competit, Conc. Trid. *Sess.24. cap.3. in fine*, Riccius *decis.165*.

An autem in alienatione rerum Ecclesiæ patronatæ, vt ita loquar, consensus requiratur patroni, tractat idem Riccius *decis. 178.* vbi negatiuè resoluit, cùm quia id nullo iure cautum reperiatur, tum quia ius patronatus ad actum præsentationis limitatum sit. Competit tamen patrono ius sese opponendi, si res Ecclesiæ dissipentur, aut sine causa distrahantur, *can. Filiis 16. quæst. 7.* Cæteráque patrono competentia his versibus comprehendit Glos. *in d.c. nobis.*

Patrono debetur honos, onus vtilitasque.
Præsens vt præsit, defendat, alatur egenus.

Debetur enim patrono honor & primus locus in Ecclesia, cuius est patronus. Item si ad inopiam sit redactus ali debet ab Ecclesia, quam fundauit & dotauit, *cap. nobis 25. hoc tit. can. Quicumque 16. quæst.7.* Dico, si ad inopiam sit redactus; nam aliàs ab Ecclesia amplius exigere non potest, quàm ab initio fuerit sibi reseruatum, *c. Præterea 23. h.t.*

3 Tribus autem potissimùm modis acquiritur ius patronatus, Primò, per fundationem; si prædium donetur, aut relinquatur Ecclesiæ extruendæ, *can. Abbatem 4. 18. quæst. 2. cap. Quoniam 3. & ibi Gloss. hoc tit.* Secundò, per constructionem, cùm quis Ecclesiam suis sumptibus construit, *can. Monasterium & similibus 16. quæst.7.* vel etiam planè dirutam ac destructam reparat, licèt ex iisdem lapidibus, & eadem materia, & altare intactum manserit: secus, si non planè dirutam repararit. Tertiò, per donationem; si congruam & sufficientem dotem Ecclesiæ suis assignet, vel ministris Ecclesiæ & luminaribus necessaria constituat, *can. nemo de consecrat. distinct. 1.* Vt tamen vbique Episcopi accedat consensus, *dict. cap. nobis hoc tit. & ibi DD. Piamentis, can. Filiis, can. Considerandum 15. quæst.7.* Garz *part.5. cap.9. num.71.* quia non spectat ad laicos, imponere onus aliquod Ecclesiis, *cap. Ecclesia 10. sup. de constitut.* Quamvis sufficiat ex post facto superuenire, Riccius *decis.143. num.3.* & in dubio ex diuturnitate temporis interuenisse præsumatur, Garz. *d. loc. n.72. 73. & 74.* Alioquin Vicarius Episcopi absque speciali mandato in reseruationem huius iuris consentire non potest, Garz. *d. loc. n.75.* Capitulum verò Sede vacante potest.

4 Cæterùm per fundationem vel extructionem acquiritur demùm ius patronatus, quando extructa & dotata est sufficienter Ecclesia siue ab ipso fundatore seu constructore, siue ab alio: atque ita patet posse ius patronatus acquiri pluribus, *c.1. 2. 3. & c. Cum q. 27. h.t.* etiam æqualiter, licet inæqualiter contulerint, *c. Ad audientiam 3. inf. de Eccles. ædificandis.*

Dixi, tribus, potissimùm modis acquiri ius patronatus: nam & aliis modis acquiritur, veluti per immemorialem præscriptionem, vtique contra Ecclesiam ab initio liberam, *c. Querelam 24. sup. de elect.* & contra non liberam, sed patronatam, seu potiùs contra eius patronum, spatio 40. annorum, Couar. *ad c. Possessor. p.2. §.10. de R.I. in 6.* Fachin. *lib.8. Controuers. c.24.* Item per privilegium summi Pontificis, ob summam eius in omnes Ecclesias & beneficia potestatem, *c.2. de prabendis in 6.* non etiam per privilegium inferiorum Antistitum, vel Episcopi, *c.2. de reb. Eccles. non alienandu in 6.* latè Garz. *5.p. c.9.n.128.* Prædictis autem modis potest etiam fœmina acquirere ius patronatus, *c. Ex litteris 7. h.t. c. fin. sup. conces. prabenda* non tamen iudæus, paganus, hæreticus, quia iura tantùm mentionem faciunt fidelium & Christianorum.

Porrò de acquisitione vel probatione, vide Concil. Trid. *Sess.14. c.12. de reformat. & Sess.24. c.9. de reformat.* & Piasec. *d. loc. n.21. & seq.*

§. II.

Quotuplex sit ius patronatus.

1 *Aliud est Ecclesiasticum, aliud Laicum.*
2 *Vera ratio appellationis cuiusque.*
3 *Cur hoc ius laico competat.*

EST autem duplex ius patronatus, aliud Ecclesiasticum, aliud Laicum, addunt aliqui Mixtum. Ius patronatus Ecclesiasticum vocant nonnulli, quod Ecclesiæ vel Clerico competit, Laicum, quod laico; Mixtum, quod partim Clerico partim laico: ita vt a qualitate illud obtinentis denominetur, sive ab initio fuerit Ecclesiasticum, siue laicum. 1

Sed verius est, Ecclesiasticum dici illud, quod competit ratione Ecclesiæ, licet originem habuerit ex patrimonio laici: sufficit enim postea quovis modo translatum esse in Ecclesiam vel Capitulum, vel Monasterium, vel alicui dignitati aut beneficio fuisse annexum, *cap. vnico hoc tit. in 6.* latè Garz. *5. cap. 1. num.553.*

Similiter Laicum, quod alicui sive laico sive Clerico 2

Clerico competit ratione proprij patrimonij, non verò ratione Ecclesiæ, vel beneficij, Garz. *dict. cap. 1. num. 592. vbi alios citat*, Riccius *decis. 169.* Quòd si non appareat, qua ratione competat attenditur ius successionis: nam si per successionem deferatur, præsumitur laicum, iura Ecclesiastica iure successionis non deferuntur, nec dantur, *cap. 1. sup. de prabendu.* 3

Conformiter Mixtum dicitur, quod partim ratione patrimonij, partim ratione Ecclesiæ competit. * Tametsi autem de rigore iuris laicus ius patronatus, de quo hic agimus, habere non possit, cùm sit spirituale, seu potiùs ius temporale annexum, *cap. de iure 16. hoc tit. cap. Quanto sup. de iudiciis* (antecedenter scilicet, quia ordinatur ad præsentandum Clericum ad beneficium, vt in eo instituatur) & laicus spiritualia tractare nequeat, *cap. decernimus sup. de iudiciis, cap. causam sup. de præscript.* tamen ex benignitate quadam à sacris canonib. conceditur illi hoc ius, remunerationis cuiusdam causâ, vt hac ratione magis prouocentur laici ad fundandas, extruendas & dotandas Ecclesias.

§. III.

In quo differat ius patronatus Ecclesiasticum à laico.

1 *Patronus Ecclesiasticus habet semestre; laicus quadrimestre.*
2 *Quod currit à die notitiæ vacationis.*
3 *Pœna patroni, non præsentantis aliquem intra dictum tempus.*
4 *Ecclesiasticus variare non potest in præsentando; laicus potest.*
5 *Legatus summi Pont. beneficia iuris patronatus Eccles. conferre potest; laici non potest.*

1 PRæter discrimen, quod ex definitionibus colligitur, differunt in his. Primò, quòd patronus Ecclesiasticus habeat tempus semestre, id est, sex mensium ad præsentandum; laicus quadrimestre dumtaxat, *cap. Eam te 22. cap. Cum propter 27. & aliis hoc tit. cap. vnico eodem in 6.* Quando autem simul sunt patroni Ecclesiastici & laici, omnes ratione communionis habent semestre. *Gloss. in dict. cap. vnico §. verum* Garz. *5. part. cap. 9. num. 28. & duobus seq.* nec intra hoc tempus potest intelligi negligentia patroni, *dict. cap. vnico.* Et ideò intra quadrimestre, concessum laico, collatio beneficij vacantis est nulla, siue facta sit ab Ordinario, vel eius Vicario, *cap. Quod autem 5. in fine hoc tit.* siue à Papa, via ordinaria, *dict. cap. vnico*: ita vt nec patrono, nec ei, qui ex præsentatione patroni institutionem obtinuit, præiudicet.

Currit verò hoc tempus, non à die, quo 2
vacat beneficium, vt olim, obseruatum fuit in Rota, *Rota decis. 1. alias 38. in antiq.* sed hodiè à die notitiæ, quia in nulla materia, quantumvis leui, tempus currit ignoranti, *l. 2. Cod. Qui admitti ad bon. poss. possunt*, latè Riccius *in Praxi decis. 172.* notitiæ, inquam, non interpretatiuè, sed verè vel præsumptè determinandæ per iudicem Ecclesiasticum, consideratâ qualitate beneficij, modo vacationis, longitudine temporis, distantiâ locorum & fama: nec scientia vnius patronorum nocet alteri, sed scienti tantùm.

Quod si patronus intra tempus à die notitiæ 3
sibi concessum non præsentauerit aliquem, vel quia neglexerit, vel quia, si plures sint, inter eos, fit lis de iure patronatus statim, lapso eo tempore pro illa vice deuoluitur collatio ad quem spectat institutio, licet is sit Episcopo inferior; ab exemptis verò ad Papam.

Secundò, Patronus Ecclesiasticus, si aliquem 4
idoneum præsentauerit, non potest intra idem tempus præsentare alium: quod si fecerit, nihilominus præferetur prior tempore, tanquam iure potior, *cap. Cum autem 24. hoc tit.* Et hinc fit, quòd ei potiùs dentur sex menses ad præsentandum, quàm laico, vt, cùm in illo grauetur, in hoc releuetur. Nam laicus, præsentato vno aut etiam pluribus, potest adhuc intra idem quadrimestre alium vel alios præsentare; non quidem recedendo à prima præsentatione sine causa, *cap. Pastoralis 29. hoc tit.* sed accumulando posteriorem priori, *cap. Quod autem 5. & dict. cap. Cum autem 24. hoc tit.* & quidem toties, quoties voluerit, *iuxta Gloss. in Clement. Plures §. fin. in V. Præsentare hoc tit.* Atque ex his Episcopus instituet, quem maximè idoneum iudicabit; vel, si omnes idoneos iudicet, quem voluerit, *dict. c. Quod autem.*

Tertiò, Legatus summi Pontificis beneficia 5
iuris patronatus Ecclesiastici conferre potest, absque consensu & præsentatione patroni Ecclesiastici, non etiam beneficia iuris patronatus laici, sine consensu patroni, Garz. *5. part. cap. 1. num. 571.* Ratio diuersitatis est, quia patronus Ecclesiasticus subest iurisdictioni Legati, non autem patronus laicus, *cap. Cùm dilectus 28. hoc tit.* Huic etiam nequit conferre beneficia iuris

iuris patronatus mixti ; sine patronorum consensu , ne ex societate præiudicetur laico , eaque ratione laici auocentur à fundatione & dotatione Ecclesiarum. Quæ ratio cùm cesset in beneficiis iuris patronatus, Ecclesiastici , ex privilegio sive speciali sive generali , vel præscriptione aut consuetudine , ideò Legatus illa conferre potest absque derogatione iuris patronatus, etiam nulla eius factâ mentione, Garz. *d.c.*1.*n.*573.

§. IV.

Quomodo ius patronatus transferatur.

1 *Transfertur venditione , etiam in emptorem rei singularis.*2.
3 *Donatione.*
4 *Permutatione.*
5 *Successione.*

QVatuor potissimùm modis transfertur ius patronatus in tertium aliquem , venditione , donatione , permutatione , & iure hæreditariæ successionis , sive ex testamento , sive ab intestato.

1 Venditione , non quidem per se , quia sic vendi nequit absque Simonia, *cap. Quia Clerici 16.cap.de iure 16.hoc tit.* Conc. Trid. *sess.25.cap.9. de reformat.* sed cum vniuersitate bonorum, veluti si villa aliqua vendatur , cui annexum sit ius patronatus , vel hæreditas, quæ iuris intellectum habet , *l. Hæreditas 50.de hæredit. petit.* etiam ius patronatus ad emptorem transit, tanquam accessorium , Riccius *decis.* 179. nisi nominatim in contractu exceptum fuerit, *cap. Ex litteris 7. cap. Cùm sæculum 13. hoc tit.* Garz. 5. *part. cap. 9. num.* 11. *& sequentib.* modò tamen eius intuitu maius pretium non exigatur : nam sic quoque saperet simoniam.

2 Verius quoque est , transire hoc ius in emptorem ei particularis , veluti fundi , palatij, vel domus , cui accessoriè adhæret, Garz. *d.cap. 9. num.* 33. *& sequentib.* Item in emphyteutam , vel conductorem ad longum tempus, ratione dominij vtilis , quod in emphyteutam & conductorem eiusmodi transit. Vnde aliud obtinet in creditore vniuersitatis oppignoratæ, *cap. Cum Beroldus sup. de sent. & re iudicata.*

3 Titulo verò donationis legati ita transit, modo , si donetur vel legetur laico , adsit vel ex interuallo consensus accedat Episcopi ; qui non requiritur , si Ecclesiæ vel loco pio donetur , *cap. Nullus 17. & ibi Gloss. ac DD. hoc tit.* latè Piasec. *in Praxi Episc. lib.2.cap.5.art.1.n 36.* Ratio diversitatis est, quòd laici magis grauent Ecclesias , quàm Clerici , *can. Laicos . can. Laici 11. quæst.* 7. quódque Clerici , si excesserint terminos , facilius compesci possint , quàm laici.

Titulo permutationis , modò cum alio spirituali permutetur , *iuxta c. Ad Quæstiones sup. de rer. permutatione.* 4

Denique titulo & iure successionis , *can. considerandum 16.quæst.7.cap. Quoniam 3.hoc tit.* non tantùm in hæredes consanguineos , sed etiam ex testamento in extraneos , sive masculos sive fœminas , sive adultos sive pupillos, idque mox aditâ hæreditate , etiam ante captam possessionem , Garz , *dict. cap.9.num.* 143. licet contrariam doceat Riccius *decis.*162. Et quidem in solidum, quia ius patronatus est individuum, *cap.1.hoc tit.* quemadmodum iure ciuili seruitutes , quæ idcirco ad hæredes in solidum transeunt , *l.2.§. Ex hic igitur ff. de verb. obligat.* in stirpes tamen , non in capita : vt si ex pluribus patronis vnius defuncti plures sint hæredes, hi omnes in præsentando vnam vocem habeant, ob personam defuncti , quem vnum omnes repræsentant , *Clem.1 hoc tit.* Non tamen quilibet ab alio seorsim præsentare potest , sed omnes communiter : quamvis vt Ecclesiæ prouideatur facilius , paciscí possint, vt alternis vicibus præsentent. 5

§. V.

De Præsentatione.

1 *Præsentatio quid sit.*
2 *Patrono negligente ad ordinarium deuoluitur collatio.*
3 *Patronus seipsum præsentare non potest.*
4 *Tutor præsentat pro minori septem annis.*
5 *Quid iuris sit , si plures sint patroni.*
6 *Nominatio Vicarij est quædam præsentatio.*

PRæsentatio hoc loco est personæ per patronum Episcopo , vel alteri, ad quem institutio pertinet , legitimè facta exhibitio , vt ei de beneficio vacante prouideat. Vacante enim Ecclesiâ, quæ sit iuris patronatus , debet patronus intra tempus debitum præsentare clericum quem confidit idoneum, ei, ad quem spectat institutio, eo tamen discrimine inter patronum laicum & Ecclesiasticum. 1

2 * Nam laicus inidoneum nominans ac præsentans, iubendus est intra idem tempus præsentare alium idoneum: aliàs, lapso eo termino & nullâ idonei factâ præsentatione, potest is, ad quem spectat institutio, beneficium liberè, id est, absque præsentatione, idoneo conferre. Si verò Clericus, vel Monasterium, vel Capitulum scienter aliquem inidoneum præsentaverit, ipso facto pro ea vice privatur iure præsentandi, & is, ad quem spectat institutio, potest liberè beneficium conferre, *c. 2. sup. de concess. prabenda, Clement. vnica de suppl. negleg. Prælat.* Sin ignoranter, non aliter intra semestre præsentare alium poterit, quam si priùs præsentatus suam præsentationem repudiaverit.

3 Cæterùm tametsi pater filium idoneum præsentare possit, quia quoad hoc non censetur in iure eadem persona cum patre, non potest tamen præsentare seipsum, *cap. Per nostras 26. hoc tit.* tum quia tanquam ambitiosus esset repellendus; *can. In scripturis 8. quæst. 1. l. Si quemquam Cod. de Episcopis & Clericis:* atqui non ambitione, sed labore convenit vnumquemque ad honorem pervenire, *leg. Contra publicam Cod. de rei militari, & facit can. Miramur distinct. 61.* tum quia inter præsentantem & præsentatum debet actualis esse distinctio, *cap. vlt. sup. de institut.* Riccius *dec. 197.* Si tamen sint plures patroni eiusdem beneficij vel Ecclesiæ, poterunt ex seipsis præsentare vnum, *Gloss. in c. Consuluit*, Riccius *decis. 197.* Et, si vnicus sit patronus, potest ei quoque de patronato beneficio provideri, non tamen per præsentationem, sed per spontaneam provisionem eius, ad quem spectat institutio, Panorm. *in d. cap. Per nostras n. 3. h. t.*

4 Quòd si patronus sit pupillus minor septennio, præsentabit tutor, si verò sit maior, tunc ipse etiam sine tutoris auctoritate præsentare potest, ab eóque præsentatus præferendus est. Præsentato à tutore, quia vt penes illum est dominium iuris patronatus, ita & præsentatio, *can. decernimus 16. q. 7.*

5 Si plures sint patroni, & ius patronatus spectet ad eos, vt singulos, provt in dubio spectare præsumitur, possunt singuli separatim præsentare, aliis non vocatis vel requisitis: secus si spectet ad eos, vt vniversos seu iure collegij. Ratio prioris est, quia eo casu non requiritur simultaneus omnium consensus, nisi fortè vigore statuti aut consuetudinis alicuius soliti sint simul convenire. Et tunc præsentatio simoniacè facta per vnum, non præiudicat præsentationi aliorum, quia tot sunt præsentationes, quot patroni. Ratio posterioris est, quia tum requiritur simultaneus consensus: & ideò præsentatio simoniacè per vnum facta, præiudicat aliis, quia tunc est vnica præsentatio, Riccius *decis. 225.* Vide Garz. *d. c. 9. num. 222.* & Riccium *decis. 177.* Sin autem plures patroni eiusdem Ecclesiæ vel beneficij concurrant & discordent in præsentatione, aliis hunc, aliis alium præsentantibus, ille præficietur Ecclesiæ, qui maioribus iuvatur meritis, & plurium approbatur adsensu, modò hoc fieri sine scandalo possit; alioqui ipse Episcopus liberè absque præsentatione aliquem instituet, *cap. Quoniam 3. vbi Gloss. hoc titulo.* Riccius *decis. 191.* Quod si nec hoc absque scandalo vel turba fieri possit, Episcopus Ecclesiam claudet & tollet inde reliquias, donec inter patronos conveniat, *c. 12. hoc titul.* In paritate vocum & meritorum est locus gratificationis, *c. Cum autem 24. hoc tit.* nec ab ea gratificatione appellare licet, Riccius *d. decis. 191.* vbi etiam notat, quòd civis extero, & senior iuveni præferri debeat.

6 Ad præsentationem reducitur nominatio Vicarij, facta per eos, in quorum Ecclesiis vnitis is constituitur: nam & illa dici præsentatio potest & solet, inquit Garz. *d. locon. 26.* qua de re vide eundem *p. 9. c. 2. dub. 19. an. 285.* de nominationibus Vniversitatum ad beneficia vacatura, quarum privilegio Lovanij gaudemus, & quarum in Gallia vsus est, vide citatos per Garz. *p. 4. cap. 1. num. 27.*

§. VI.

De Institutione.

1 *Quid hoc loco sit Institutio.*
2 *Præsentatus aliquomodò idoneus, necessariò instituendus.*
3 *Per quem fiat institutio.*
4 *Tempus ad instituendum præstitutum non est.*

1 INstitutio in Iure Canonico interdum sumitur pro collatione Ecclesiæ seu beneficij, *vt passim tit. decret. de institutionib.* subinde verò pro deductione in possessionem Ecclesiæ seu beneficij Ecclesiastici, quæ iure communi ad Archidiaconum spectat, *cap. Ad hæc, cap. Vt nostrum 9. sup. de officio Archidiac.* Hoc verò loco & quidem propriè sumitur pro translatione iuris Ecclesiastici, quæ fit ad præsentationem patroni Ecclesiæ seu beneficij, *c. 4. 5. 7. 8. & similibus h. t.*

Præsentato

2 Præsentato itaque idoneo, tenetur is, ad quem spectat ius instituendi, velit nolit conferre illi beneficium, ad quod est præsentatus: aliàs institutio, spreto patrono intra tempus ei datum ad præsentandum, est ipso iure nulla; idque ex defectu potestatis conferendi illud beneficium intra id tempus.

Fit autem institutio vel per Episcopum, *cap. 3. sup. de Instit.* aut sede vacante per Capitulum, *c. 1. hoc tit.* aut denique per eum, cui aliàs vel ex privilegio vel præscriptione ius illud competit, *c. Auditis 15. cap. Cum olim 18. sup. de præscript.* Et ideò, si institutio spectet ad inferiorem Episcopo, ipsius Episcopi erit, curare, vt is instituat: alioquin, eo negligente, ad Episcopum devoluitur institutio.

3 Quòd si patronus ius patronatus vltrò in Episcopum transtulerit, & institutio spectet ad inferiorem Episcopo, tunc quidem ius præsentandi competet Episcopo, ius verò instituendi manebit penes inferiorem Episcopo. Alioqui si institutio ad solum spectet Episcopum, confundetur eo casu præsentatio cum institutione, & proinde liberè, id est absque præsentatione, beneficium confert; dummodo solus sit patronus. Nam si cum eo sint alij, tunc cum aliis præsentabit sibi ipsi, priusquam instituat.

4 Observandum autem hic, nullum esse tempus constitutum Ordinario ad instituendum, vti nec instituto ab Ordinario, ad capiendam possessionem, nisi de Parochiali agatur: nam tum fieri institutio debet intra duos menses, ex Bulla Pij V. de concursu; aliàs devoluitur institutio ad Papam, vel potest simpliciter appellari, Zerola *h.t.* §. 8. *dub. 3.*

§. VII.

Quomodo amittatur ius patronatus.

1 *Amittitur ex capite & ob crimen ipsius patroni variis modis.* 2. 3. 4.
5 *Si cedatur ius illud Ecclesiæ patronatæ.*
6 *Dirutâ Ecclesiâ patronatâ.*
7 *Per confiscationem bonorum, quibus accessoriè cohæret.*
8 *Non autem per non vsum, aut per præsentationem compatroni.*
9 *Regalia instar iuris patronatus.*

1 POrrò amittitur ius patronatus variis modis. Primò, si patronatus Rectorem, vel alium Clericum eiusdem Ecclesiæ, per se, vel per alium, occidere vel mutilare nefariè præsumpserit; & quidem vsque ad quartum gradum, quoad posteros eius, *c. In quibusdam inf. de pœnit.* Eóque casu ius patronatus cedit Ecclesiæ, cui iniuria illata est.

2 Secundò, si hæreseos vel læsæ Maiestatis reum se fecerit. Et hoc casu ius patronatus, vnà cum vniversitate bonorum, vel alia re particulari, cui adhæret, cedit fisco, *c. Vergentis 10 inf. de hæreticis.*

3 Tertiò, si iurisdictiones, bona, census, & iura Ecclesiæ quacúmque arte aut quocumque quæsito colore patronus sibi vsurpet, Conc. Trid. *Sess. 22. c. 11. de reformat.* Estque talis excommunicatus ipso iure, non nisi à summo Pont. absoluendus.

4 Quartò, amittitur ipso quoque iure, si quis venditionis, aut alio quocumque titulo, contra Canonicas sanctiones, ius illud in alium transferre præsumpserit, *cap. Quia Clerici 6. hoc tit.* subiicitúrque pœnis excommunicationis & interdicti, ex decreto Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 9. de reformat.* Eóque casu Ecclesia reddit ad libertatem, Piasec. 2. *p. c. 5. art. 1. n. 37.*

5 Quintò, si ius illud cedatur Ecclesiæ patronatæ, vel si quis Ecclesiam iuris patronatus absque reservatione sui iuris patiatur fieri Collegiatam.

6 Sextò, si Ecclesia incendio consumpta fuerit, aut terræ motu vel vitio suo corruerit: vel si patronus ius patronatus præscribi patiatur.

7 Septimò, per confiscationem bonorum, si illis accessoriè adhæreat, etiam extra casum læsæ Maiestatis aut hæresis, transit ius patronatus vnà cum bonis confiscatis in fiscum, etiam quoad exercitium; bonísque deinde per fiscum divenditis, transit simul in emptorem. Dico, si illis accessoriè adhæreat; quia si sit personale, & per se principale, non includitur in confiscatione bonorum, nec Iudex laicus potest illud per se addicere & adiudicare fisco, ex defectu iurisdictionis, & incapacitate. Ideóque eo casu remanebit penes delinquentem, donec per Iudicem Ecclesiasticum tanquam indignus privetur eo iure. Sententiâ autem Iudicis privatoriâ secutâ, si ius patronatus sit sanguinis, & spectet ad familiam seu consanguineos, vel eos, qui sunt de genere, ad illos transibit, iuxta dispositionem fundatoris: si verò sit hæreditarium, & ad extraneos transmissibile, evanescit ius patronatus, & Ecclesia remanet libera. Non secutâ sententiâ Iudicis privatoriâ, ius patronatus hæreditarium transit ad hæredem, vel ex testamento, vel ab intestato, præterquam in crimine hæreseos. Ita latè Garzias *de benef. cap. 9. à num. 25. vsque ad 32.*

8 Quando autem priuilegium præsentandi per non vsum amittatur, videtur apud Puteum, *decis.379.* Veran. *decis.130. part.2.* Riccium *decis.* 204. *num.* 242. vbi tradit ius patronatus non amitti per non vsum. Vt neque amittitur præsentatione facta per vnum ex compatronis, sed saluum manet reliquorum ius, modò omnes fuerint in possessione, & eodem iure veniant, aliàs secus. Riccius *decis.*209. qui *decis.*226. quærit, an præsentatus, cui mouetur lis, possit aliquid soluere aduersario, vt à lite discedat? Et posse, certis limitationibus & conditionibus, decidit.

9 Denique ad instar iuris patronatus, seu ex eo natum esse ius Regaliæ, notat Zyp. *hoc tit. in fine*: verùm in Brabantia & alibi in his Belgicis ditionibus non habere locum Addit, Clerum Flandriæ ante exemptionem à corona Franciæ non admisisse regaliam, excepto Episcopatu Tornacensi cuius tamen Episcopo Ludouicus an. 1357. eam restituerit, donec certiùs de ea sibi liqueret. Sed rursus extortam fuisse sub Philippo Pulchro, Rege Castiliæ, ad quem scribit eam: aliásque causas, cum Franco bellum noluisse, sed ad Hispaniam anhelasse: nec fuit, inquit, idem Clerus subiectus Ecclesiæ Gallicanæ aut Pragmaticæ sanctioni, aut nominationibus Parisiensibus, sed semper seorsim res suas sibi habuit.

TITVLVS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.

§. I.

De Censibus.

1 *Census quid hic significet.*
2 *Episcopo nomine Cathedratici debentur duo solidi.*
3 *Patrono Ecclesiæ vel beneficij debetur census ab initio impositus.*
4 *Ex post facto census imponi non potest, ne quidem Prælatis.*
5 *Ne quidem etiam iurato.*
6 *Is quâ monetâ soluendus sit census.*

1 CENSVS in generali & communi acceptione significat, quidquid annuatim in quantitate seu summa persoluitur, *l. Ætatem ff. de censibus*, eáque ratione etiam Tributum & Pensionem comprehendit. Hic autem sumitur pro annuo reditu, qui ex prouentibus Ecclesiæ soluitur vel Superioribus, in signum subiectionis, vt Episcopo, *cap. constitutus 6. sup. de religios. domibus*, & interdum summo Pontifici, *cap. Recepimus 8. inf. de priuilegiis*, vel etiam inferioribus Clericis, *c. Querelam 24. sup. de elect. cap. Cùm canonicis penult. hoc tit.* quandoque patronis, siue Clericis siue laicis, *cap. Præterea 23. sup. de iure patronatus.*

2 Etenim Episcopo à qualibet Ecclesia suæ diœcesis debentur duo solidi, nomine Synodatici siue Cathedratici, in signum subiectionis & honorem Cathedræ, *cap. Conquerente sup. de officio iud. ordin. cap. Pastoralis, & ibi* Glos. Innoc. & Panormit. *sup. de donat. can. Placuit 10. quæst. 3.*

3 Item patrono debetur census seu reditus, quem in fundatione & dotatione Ecclesiæ ab initio sibi auctoritate Episcopi reseruauerit, *dict. cap. Præterea sup. de iure patronat.** Dico, ab initio; quia, postquam Ecclesia iam donata & consecrata est, noui census imponi non possunt, nec veteres augeri, *cap. Scientes 3. cap. Prohibemus 7. cap. Significauit 13. hoc tit.* non modò à patronis, siue Clericis siue laicis, *cap. Cum Clerici 11. & cap. Quamuis 15. hoc tit.* sed ne à Prælatis quidem Ecclesiarum, *c. Præterea 8. & c. sequenti, hoc. tit.* quia impositio census est quædam alienatio iurium Ecclesiæ & impositio seruitutis cuiusdam, quâ Ecclesia grauatur, Abbas *in decis. Præterea hoc tit*, iura autem Ecclesiæ nequeunt, nisi ex iusta & rationabili causa & adhibita solemnitate alienari, *can. Sine 12. quæst. 2 & dixi sup. t. de rebus Eccles. non alienandis.* Hanc autem solemnitatem adhibere Prælatus non potest, dum nouum censum in suam vtilitatem vult imponere Ecclesiæ, cùm nemo in proprio facto sibi auctor esse queat, *Clement. 1. de rebus Eccles. non alienandis*: licèt possit ad vtilitatem alterius Ecclesiæ subsistente iustâ causa, quando in eo loco iurisdictionem habet Episcopalem, secundum Abbatem *in d. c. Prohibemus.*

4 Sed neque fideiussoria vel iuratoria cautio de nouo censu imponendo & soluendo, aut veteri augendo quicquam operabitur, verùm tale iuramentum omninò relaxandum erit, *cap. Grauis 15. & d. c. Sisignificauit 13. h. t.* cùm vergat in detrimentum Ecclesiæ.

5 Permittit autem Episcopo, quando Ecclesiam suæ diœcesis cum consensu sui Capituli exemptione donat. *cap. Pastoral. 7. in fin sup. de donat.* in eadem sibi reseruare censum aliquem, *cap. Constitutus 6. sup. de religiosis domibus, cap.*

cum venerabilis 21. h.t. Sic enim & Pontifex, cùm Ecclesiam à iurisdictione eximit Episcopi, & in suam tutelam recipit, solet oblatum eo nomine censum recipere, *dict. c. Constitutus vers. Nos quoque, cap. Si Papa de privilegiis in 6.* Sic etiam permittitur patrono Ecclesiæ tempore fundationis aut donationis moderatum reditum pensionis nomine constituere, *d. cap. Præterea, & ibi* Gloss. & Abb. *sup. de iure patronat.*

Inferiores autem clerici Ecclesias, quibus præsunt, non possunt absque auctoritate & assensu Episcopi censuales facere, seu censu aliquo onerare; cum auctoritate verò Episcopi possunt.

6 Sed cùm hic census annuus, de quo agitur, solui plerúmque soleat in Moneta, quæ sæpè vel augetur, vel minuitur, quæri potest, quâ Monetâ solui census debeat. Respondet Pontifex *in cap. olim 20. & cap. penult. hoc tit.* soluendum esse ad antiquam Monetam, id esse secundum æstimationem Monetæ, quæ tunc cursum habuit, quando constitutus fuit census: nisi præscriptum sit, vt soluatur ad alterius monetæ æstimationem.

§. II.

De Exactionibus.

1 *Subditi ab Episcopo non grauandi exactionibus.*
2 *Exigi tamen potest charitatiuum subsidium.*

1 EXactionem nomine intelligit hic Pont. tributa, vectigalia & tallias, *cap Omnis 2. hoc tit.* * Prohibet autem *in cap. Cùm Apostolus 6. §. Prohibemus hoc tit.* ne subditos suos talliis & exactionibus Episcopi grauare præsumant.

2 * Peruenit tamen, vt superueniente iustâ & rationabili causâ, cur subsidio opus habeant, valeant cum charitate moderatum ab eis auxilium postulare: quod ideò interpretes solent appellare Charitatiuum subsidium, *dict. §. Prohibemus & cap. Conquirente 16. in fine sup. de officio Iudicu Ordinarij*, Piasec. *part. 2. cap. 2. art. 2. num. 12.* de quo latè Chassan. *ad Cons. Burg. Rub. 1. §. 4. vers. Et sur les hommes subiets, num. 11. & multis sequentib.* Boërius *decis. 138.* extántque de eodem singulares Tract. Bartholomæi de Bellenzinis & Remigij de Gonnij. Cæterùm *in dict. §. Prohibemus in fine*, vetat quoque Pontifex, ne Archidiaconi siue Decani vllas exactiones siue tallias in Presbyteros seu Clericos exercere præsumant.

§. III.

De Procurationibus.

1 *Procurationum nomine quid hic veniat.*
2 *Nulla Ecclesia ab hu libera, ne quidem præscriptione.*
3 *Modus visitationis & procurationis.*
4 *Visitatio à Cathedrali Ecclesia inchoanda.*
5 *Forma & ordo visitationis, remissiuè.*

PEr Procurationes hoc tit. intelligitur necessariorum sumptuum exhibitio, quæ ratione visitationis debetur ab Ecclesia vel Monasterio, ei cui ex officio incumbit ius & onus visitandi, siue is sit Episcopus, siue Archidiaconus, siue Decanus, siue Legatus S. Pontificis, *c. Cum Apostolus 6. in princ. c. Cum instantia 17. c. Procurationes 23, h.t.* 1

Ab his autem procurationibus nulla Ecclesia aut Monasterium excusatur, & ne quidem præscriptione tolli possunt, *d. cap. cùm Apostolus §. Prohibemus, dict. cap. Cùm instantia hoc tit. & cap. Conquerente sup. de officio ind. ordin.* tum quia exhibeantur in signum subiectionis & obedientiæ, quam contra Prælatum subditus nequit præscribere, *cap. Cùm non liceat sup. de præscript.* tum quia, cùm nemo cogatur Apostolo teste, 1. *ad Corinth. 9.* suis militare stipendiis, meritò qui spiritualia seminat, & carnalia metere debeat. Ideóque licet Ecclesia aliqua steterit diu, nec vnquam procurationem visitanti exhibuerit, tamen nunc demùm petenti exhibere cogitur, *cap. Venerabili 24. hoc t.* nisi per privilegium speciale summi Pontificis probet se ab ea exemptam, *dict. cap. Cum instantia.* 2

Quantum ad modum visitationis & procurationis attinet, eum quidem præscripserunt olim Concil. Lateranense, in *dict. cap. Cum Apostolus, &* deinde Lugdunense, *in cap. 2. hoc tit. in 6.* verùm hodie tota hæc res reuocanda est ad decretum Conc. Trid. *sess. 24. cap. 3. de reformat.* ex quo & *can. decernimus, can. Episcopum 10. q. 1.* tenetur Episcopus totam suam diœcesim circumire ad minùs semel quolibet biennio: & quidem per se, nisi legitimè impeditus fuerit, nam tunc ei permittitur, vt visitationem alteri committat, *dict. can. Episcopum, cap. Inter cætera sup. de officio Ordinarij, cap. Si Episcopus eod.* 3

in

in 6. Conc. Trid. *dict. loc. in princ.* Non tamen cogitur Episcopus præcisè visitationem suam absoluere & concludere intra prædictum tempus, sed id relictum est arbitrio ipsius, moderato tamen & discreto *ex rescript. sacræ Congregat.* Piasec. *2. p. c. 3. art. 1. n. 1.*

4 Hanc verò visitationem à Cathedrali incipere debet, *cap. Romana h. t. in 6.* nec aliqua exemptione, consuetudine, sententia, iuramento, aut concordia (nisi ea à Sede Apostolica fuerit confirmata, ex certa scientia, *iuxta declarat. sacræ Congregat.*) Capitula huius, vel aliarum maiorum Ecclesiarum, illorúmque personæ, sese ab hac visitatione subducere vel tueri possunt, Conc. Trid. *Sess. 6. cap. 4. de reformat.*

5 Quâ autem forma & quo ordine visitationem instituere, & de quibus inquirere debeat Episcopus, sive Cathedralem visitet Ecclesiam, sive Collegiatam vel Parochialem, sive Seminaria, Confraternitates, Hospitalia, vel denique Regulares ac Sanctimoniales, quia id fusè tradit Piasec. *2. part. Praxis Episc. tot. cap. 3.* eiúsque rei Praxin compendiosam libro singulari complexus est Paulus Salodius, Canonicus Mediolanensis, à sanctissimo Card. Carolo Borromæo per diœcesim Mediolan. deputatus Visitator: ideo breuitatis causa ad eos lectorem remitto.

§. IV.

A quibus debeantur procurationes & victualia.

1 *Procurationes & victualia deberi à Clerico & Ecclesiis.*
2
3 *Cætera iura Episcopalia in qua moneta soluenda.*
4 *Procuratio, Cathedraticum & charitatiuum subsidium præscribi non potest.*
5 *Facultas visitandi datur Episcopo cumulatiuè.*
6 *Quæ datur Ordinariis, censeri datam Abbatibus vel aliis Prælatis.*
7 *Quæ præstanda sint visitantibus.*

1 NOtandum verò, procurationes & victualia, de quibus Conc. Trid. loquitur, de iure solùm debere, á Clero, Ecclesiis, & locis piis, non autem à laicis, quamvis simul visitentur, quia nullus iuris textus laicos ad hoc onus expressè, sed solum Clerum, Ecclesias, & pia loca, dum visitantur, vt passim videre est, & maximè *in cap. Cùm instantia §. Sanè in his exigendis hoc tit. Extrau. vnica §. ita quod expensa & §. nostra hoc tit. in communib. can. intra cætera & can. Illud 10. quæst. 3.* vbi tantùm Clericorum & Ecclesiarum fit mentio; & in Glos. *in cap. 1. in princ. in V. laicos hoc tit. in 6.* vbi testatur de consuetudine.

Nec obstat, quòd textus videantur velle, 2
vt sumptus victualium præstentur à visitatis, *cap. Romana §. deinde hoc tit. in 6. cap. Si Episcopus sup. de officio iud. Ordin. can. Cauendum 10. quæst. 3.* Conc. Trid. *d. loc.* quia id intelligi debet de Clericis visitatis, vt patet ex allegatis iuribus, & præsertim *ex cap. Exigit de censib. in 6.* in verbis, *quoſque de duplo huiusmodi grauatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, & c. Felicu eod. in 6.* vbi Glos. *loca visitata* interpretatur Ecclesias, *in V. persoluendum.* Videatur hac de re pleniùs differens Griuel. *decis. Dolana 119.* vbi refert in hanc sententiam rescriptum Principum Belgij ad Senatum Dolanum.

Quantum ad alia iura Episcopalia, ea quo- 3
que solui debent secundum antiquam taxam, *dict. cap. Prohibemus*, & mensuram, *cap. Ex part. 18.* & antiquam monetam, nisi in alterius monetæ solutione præscriptum sit, *cap. Olim 20. hoc tit. & cap. Conquerente sup. de offic. iud. ordin.* vbi taxatam ad duos solidos mutari & excedi non debet. Verúm quia solidorum valor conformis non est, sed varius, attentá varia prouinciarum taxatione, *secundum* Couar. *1. variar. resolut. cap. 2. & 3.* ideo in eius solutione spectanda erit diversarum Cathedralium legitima consuetudo, Zerola *in Praxi 1. part. in V. Ius Cathedraticum*, vbi pleniùs vide. Verùm hæc tempora vix antiquos nummos ferunt, ob nouas artes circa monetam, non tam nouiter repertas, quàm nimis exercitas, inquit, Zyp. *hoc tit. n. 9. in fine.*

Deinde notandum, quòd sicut contrà pro- 4
curationem non potest præscribi, *cap. Ex officij sup. de præscript.* ita nec contra ius Cathedraticum aut subsidium charitatiuum: quamuis contraria consuetudine introduci possit, ne soluantur, vt constat ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 3.* vbi vult visitationem gratis fieri, vbi ea consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur: si quidem multa per consuetudinem tolli possunt, quæ nequeunt per præscriptionem, Zerola *dict. loc. ad 4.* cum multa etiam requirantur ad præscriptionem, vt v. g. titulus, bona fides, &c. quæ non requiruntur ad consuetudinem.

Notandum tertio, quòd facultas visitandi, quæ datur à Conc. Trid. *Sess. 6. cap. 4. sess. 25. cap. 6.*

cap. 6. detur cumulatiuè, non verò priuatiuè, id est cum aliorum exclusione. Ideóque si qui ex iure vel ex consuetudine potestatem habeant visitandi, poterunt ea vti, si velint, aut cum Episcopo aut seorsim ab eo, quando voluerint visitare, *ex Congregat. Interpp. Conc.* Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell.* §. *proœmialu 2. num.* 21.

6 Notandum quartò, quòd dum *Sess. 7. cap. 8. & Sess. 21. cap. 8.* datur Ordinario potestas visitandi quotannis quascumque Ecclesias, etiam quomodoliber exemptas, auctoritate Apostolica, sub nomine Ordinarij intelligantur Abbates similésque Monasteriorum Præfecti, vt proinde visitare suas Ecclesias possint; quia sub nomine Ordinariorum etiam inferiores Ecclesiarum præfecti intelliguntur, qui iurisdictionem habent, non itidem sub nomine Diœcesani, vt ex Azorio *Institut. moral. lib. 12. cap.* 18. notat Zyp. *hoc tit. num.* 7. Vbi subiungit, quòd cùm videatur esse repugnantia quædam inter *cap. 8. Sess. 21.* cui congruit *cap. 10. Sess 24.* vbi statuitur, ne vlla exemptio visitationi Episcopi obstare possit, & inter *cap. 20. Sess. 25. de Regularib.* vbi contrà statuitur, vt Abbates, qui sunt Ordinum capita, & alij prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subditis, quibus est in alia inferiora Monasteria Prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa subdita sibi Monasteria & Prioratus suo quique loco atque ordine ex officio visitent, etiamsi commendata existant: Clemens 8. *ex sententia Sacræ Congregat. 20. Iunij* 1595. pro Monasteriis Cistercienfis Ordinis vtriusque sexus datis litteris declarauit, non licere Ordinariis Monasteria dicti Ordinis visitare, nisi iuxta præscriptum decreti, *sess. 21. c. 8.*

7 Denique ex eodem Concil. Trident. *sess. 24. cap. 3.* §. *Interimque caueant*, videndum, ne Episcopi, dum visitant, & qui in eorum sunt comitatu, inutilibus sumptibus cuiquam graves onerive sint, neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procurationis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id, quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quódcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili. Exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatéque, pro temporis tantùm necessitate, non vltra, erunt ministranda: sic tamen vt sit in optione eorum, qui visitantur: an malint soluere id, quod erat ab ipsis antè certâ pecunia taxata consuetum solui, an verò prædicta victualia subministrare: saluo item iure conuentionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Cathedralibus initio, quæ illæsum permanere debeat.

TITVLVS XL.

De consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

1 *Ecclesia & Altaria consecranda non Episcopo.*
2 *Et semel impensa consecratio non repetitur.*
3 *Quo pacto probetur Ecclesiam consecratam esse.*
4 *Quibus casibus iterari possit consecratio vel non.*
5 *Quibus casibus reconcilianda sit Ecclesia.*
6 *Ecclesia pollutâ, censetur pollutum cœmeterium, non contrà.*

AD plenum ius patronatus non sufficit, Ecclesiam esse fundatam, constructam, & dotatam, sed insuper requritur, vt sit consecrata iusta proinde ratione hic Tit. subiicitur, *de consecratione Ecclesiæ vel Altaris*; præsertim cùm immunitates & census, de quibus antè egit Pont. concedi & imponi soleant in ipsa consecratione.

Ecclesia igitur legitimè exstructâ, priusquam 1
sacris ministeriis seu mysteriis deputetur, ne divino cultui mora iniiciatur, quantocius consecranda est à diœcesano Episcopo, *can. Ecclesias 16. quæst. 7. cap. 1. sup. de religiosis domib.* vel ab alio, de diœcesani mandato, *cap. Aquâ penult. hoc tit.* non autem à simplici aliquo sacerdote, ne quidem de mandato Episcopi: quia consecratio Ecclesiæ est ordinis Episcopalis, & proinde nequit demandari Clericis inferioris gradus, *d. c. penult.* Pari modo consecranda quoque sunt Altaria lapidea, in Ecclesia constituta, sive plura, sive vnum, sive eodem die & simul cum Ecclesia, sive diversis & seorsim; sicut eodem die licet plures, Episcopos consecrare, *cap. 5. hoc tit.* Neque enim ex consecratione Ecclesiæ sequitur Altarium consecratio, *cap. 1. hoc tit.*

Debet autem hæc consecratio fieri inter Missarum solemnia, *can.2. & can. de fabrica de consecrat. dist. 1.* & ritus omnes in Pontificali præscripti necessariò adhibendi sunt, Piasec. 1. *p.cap.2.art.4. num.9.* Idque ex Ecclesiæ præcepto aut consuetudine: & propterea rata & firmata manebit consecratio, facta sine Missæ sacrificio. Quolibet verò die, sive festo sive profesto, consecrari Ecclesia potest, *c. tua Fraternitas 2. hoc tit.*

2 Semélque impensa consecratio, instar baptismi, non repetitur, *can. Ecclesiis 20. d. dist. 1.* ne quidem eo casu, quo Ecclesiæ, illæsis parietibus, vel in toto vel pro maiori parte corruit, *cap. Ligneis 6. & ibi Gloss. hoc tit.*

3 Quòd si de Ecclesiarum vel Altarium consecratione dubitetur, nec de ea scripturæ appareant, vel testes existant, consecrari eas oportet, *can. Ecclesia 18. d. distinct. 1.* Creditur verò dicto vnius testis, qui dicat fuisse consecratam, sive de visu, sive de auditu. Vel si appareat nota aliqua in libris Ecclesiæ, vel in pariete, seu aliqua tabula marmorea, iudicatur fuisse consecratam. Huiusmodi enim semiplenæ probationes tunc sufficiunt, quandocumque nemini sit præiudicium aliquod, *can. Solemnitates 16. iunctâ Gloss. in V. scriptura de consecrat. distinct. 1.* Piasec. *d.loco num. 5. & 6.* Sin autem dubitetur, à quo consecranda aut dedicanda sit Ecclesia, seu in cuius sit diœcesi, consecrabitur ab eo, Episcopo qui ibidem priùs Episcopalia exercuerit, *can. 1. sup. de religiosis domibus.*

4 Ecclesiâ verò exustâ (ita scilicet, vt parietes combusti, diruti, vel totaliter aut pro maiore parte decrustati sint) aut dirutâ (ita vt parietes ex toto vel pro maiori parte corruerint ac deinde in eandem vel similem formam ex iisdem lapidibus restitutâ, iteranda consecrationis est solemnitas, *d.can. Ecclesiis 20. & can. de fabrica 24. distinct. 1.* Secus si tectum dumtaxat, aut de parietibus, quid modicum fuerit exustum aut dirutum, *d. c. Ligneis 6. h.t.* Piasec. *d.loco*, vbi tradit, id totum pendere à iudicio Episcopi: quia consecratio consistit in parte exteriori parietum, qui chrismate liniuntur, & in quibus signum Crucis apponitur.

Sed neque iterùm consecranda est Ecclesia, si successivis temporibus partes eius exemptæ fuerint & reparatæ, sed sufficit aspersio aquæ benedictæ, *d. can. de fabricâ*: quia semper eadem intelligitur Ecclesia, idque ne facilè contingat iterari consecrationem. Altari verò violato, id est, si vel loco motum fuerit, vel lapis illi impositus, qui sigillum continet, confractus aut diminutus, ipsum Altare, non Ecclesia, iterùm consecrari debet.

Quòd si Ecclesia consecrata per iniuriosam sanguinis, etiam Martyris, aut seminis humani, effusionem, sive licitam sive illicitam, Piasec. *d. loco num. 7. versic. Item polluitur per cap. fin. hoc tit.* aut per sepulturam pagani, hæretici, excommunicati, polluta fuerit, cadavere eiusmodi exhumato, si discerni possit, non quidem iterum consecranda, sed reconcilianda est ab Episcopo aspersione aquæ, solemniter cum vino & cinere per eundem benedictæ, quò divina officia in ea resumi possint, *c. Proposuisti 4. cap. Aqua 9. & aliis h.t. cap. vnico eod. in 6.* Piasec. *d. loco num. 7.* Quod receptum est in terrorem delinquentium: & ideo ob occultam pollutionem Ecclesia non indiget reconciliatione, Piasec. *ibid. vers. In omnibus* Ecclesiam verò, in qua cadavera infidelium sepeliuntur, consecrare non licet, sed si apta videatur ad consecrandum, non nisi euulsis inde corporibus, erasis parietibus & tignis, reædificanda & consecranda est, *can. Ecclesiam 28. de consecrat. d. distinct. 1.* 5

Dixi, per iniuriosam sanguinis effusionem; quia sola talis Ecclesiam polluit, *dict. cap. vnico eod. in 6.* non si casu aliquo percussus fuerit quis ad sanguinis profluuium, aut si modicus fluat sanguis, ex naribus puta percussi, Piasec. *d. n.7. in princ.*

Dixi, etiam Martyris, quia licet sanguis Martyris Ecclesiam non polluat, sed ornet: tamen Ecclesia polluitur propter persecutoris actionem, quæ Deo displicet, non ob Martyris passionem, quæ Deo est gratissima.

Porrò Ecclesiâ pollutâ, etiam, cœmeterium, eidem contiguum, censetur esse pollutum, non è converso, ne minus dignum & accessorium trahat ad se magis dignum & principale, *d. cap. vnico, iuncto cap. Accessor. de R. I. in 6.* Duorum verò pluriumve cæmeteriorum, sibi cohærentium, sed pariete subiunctorum, polluto altero, alterum propterea non censetur pollutum, licet ab vno aliud detur accessus *d. c. vnico vbi plenius Gloss. ad V. pollui*, Vt autem Ecclesia polluta reconciliari debet. ita & altaria in ea existentia, Panormit. *& alij in d. cap. Proposuisti hoc tit.* 6

Notandum hîc quoque, diem anniversarium consecrationis ex iusta causa posse in alium diem transferri, provt respondit Sacra Congregatio Episcopo Brixonensi 19. *Februarij* 1585.

TITVLVS XLI.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

§. I.

Quid sit Eucharistia, & de materia huius Sacramenti.

1 *Definitio huius Sacramenti.*
2 *Materia est panis & vinum.*
3 *Panis verò triticeus, azymus, non fermentatus.* 4.
5 *Vinum autem de vite & purum.*
6 *Cur vinum aqua misceatur.*

1 CONSECRATIO Ecclesiæ vel Altaris, de qua proximè dictum est, ordinatur ad celebrationem Missarum, aliáque divina officia ac principaliter ad confectionem Eucharistiæ, quæ non nisi in Ecclesia vel altari consecrato celebrari debent. Acturúsque de his Pont. exorditur ab excellentissimo & augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quia illud est Missæ fundamentum & caput.

Nomen Missæ dicitur à Mittendo, id est vel à dimittendo cœtu Christianorum ad sacrificandum communicandúmque congregato, vel à transmissa in cœlum hostia, pro nobis apud Deum patrem propitiatoria, nempe ipso Christo redemptore nostro pro nobis oblato. Itaque Missa pro Missione dicitur; sicuti Collecta pro Collectione, Proba pro probatione. Alij vocabulum Missæ volunt esse Hebraicum vel Chaldaicum, & significare oblationem: quod non videtur verisimile Boëtio Eponi, *in sua de antiquitate Missæ Relatione.*

Quod ad sacrosanctam Eucharistiam attinet omissis variis nominibus, quibus hoc Sacramentum ob varios respectus, quos habet, nuncupatur, definiri potest, esse Sacramentum, continens sub specie panis & vini, vel alterius eorum, verum corpus & sanguinem Christi, vt colligitur *ex c. Matth.* 6. *h.t.* & decreto Concil. Trid. de hoc Sacramento *sess.* 13. *cap.* 1. *&* 3. *& can.* 1. *&* 3. Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animámque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quia partes Christi Domini inter se copulantur; divinitatem verò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem, provt expressè declarat Conc. Trid. *d. loco cap.* 3. Vide *can. Species & plures alios, de consecrat. dist.* 2.

Materia huius Sacramenti est panis triticeus vinum de vite, modicè aquæ mixtum, *can.* 1. *can. non oportet* 4. *can. Cum omnes* 7. *& aliis de consecrat. dist.* 2. nam Christus in vltima cœna hoc Sacramentum instituens, hanc materiam adhibuit, *can. In Sacramento dist.* 2. Concil. Trident. *sess.* 22. *can.* 9. vbi ait: Si quis dixerit, aquam non esse miscendam vino in Calice offerendo, eo quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit. * Panis quidem triticeus, cùm quia illo communiter vtimur, tum quia cæteris melius nutrimentum præstat. Hinc panis ex farre, oryza, fabis, castaneis, & id genus aliis fructibus vel leguminibus, non est materia huius Sacramenti vti nec puls, vel farina elixata friata & spissata in panem, vt satis inter omnes convenit. Similiter nec panis confectus ex aqua rosacea, aut alia species distincta à naturali, nisi tam modica fuerit admixta, quòd in naturalem transierit. 2 3

De siligineo verò pane sitne materia huius Sacramenti, dubitatur. Ita existimat D. Thom. quia solo accidente differat siligo à tritico, & ex tritico nasci soleat siligo in sterili & macra terra: Aliud dicendum de lolio, etiam nato ex tritico, quia mutat naturam & desinit esse triticum, vt notatur *in d. can. in Sacram.*

Græci vtuntur pane fermentato, Niceph. *lib.* 3. *c.* 18. melius Latini pane vtuntur azymo, seu non fermentato, *c. vlt. h.t.* quia Christus in eo consecravit, nempe 14. Lunâ Martij, quo tempore non nisi azymi panes comedi poterant, vt patet *Exodi* 12. & ex aliis locis veteris Testamenti tum quia meliùs significatur sinceritas vitæ, requisita in accedentibus ad hoc epulum: tum quia meliùs designatur, quod verbum vniverit sibi naturam humanam purissimam ac sine vlla virilis seminis permixtione. Si tamen Latinus vteretur pane fermentato, verè conficeret hoc Sacramentum, iuxta communem Theologorum sententiam, *adversus Gloss. in can.* 2. *de consecrat. d. dist.* 2. sed graviter peccaret. 4

Requiritur etiam vinum de vite, vt loquitur Conc. Florent. *in instruct. Armenor.* quia in eo Christus Sacramentum hoc confecit, *Luca* 22. *d. can. in Sacramento.* Et hoc solum vinum est 5

propriè vinum. Hinc lac non est materia huius Sacramenti, *d. can. Cum omne dist. 2.* vti nec acetum ex vino confectum, cùm non sit vinum, sed vini corruptela: nec etiam omphacinum, quod ex vuis immaturis exprimitur, quia non tam vinum est, quàm vini quidam embrio. Aliud dicendum de vino acescente, ac tendente ad acritudinem, quamdiu manet substantialis forma vini; licet in tali vino consecrans peccaret, ob irreverentiam Sacramenti. Similiter aliter dicendum de musto: nam Iulius Pontifex *in d. can. Cum omne*, permittit in necessitate vuas in calice premi. Non tamen integræ sunt sacramento miscendæ, *can. didicimus d. dist. 2.* cum quia ibi aliquid est præter vinum; tum quia vna non est moraliter vinum potabile, vti nec vinum congelatum.

6 Cur autem vinum debeat esse permixtum aquæ, tres adfert rationes Conc. Trid. *d. sess. 22. cap. 7.* Prima est, quod Christum Dominum ita fecisse credatur. Et hæc ratio adfertur à plurimis Patribus & Conciliis, vt videre licet apud Azor. *1. p. Instit. Moral. lib. 10. cap. 30.* Secunda, quia è latere eius simul aqua cum sanguine exierit, *d. can. 1. de consecrat. dist. 2.* ac proinde ad vtrumque exprimendum modica aqua permiscetur, sic vt à vino absorbeatur, *cap. Pernicioſus penult. hoc tit.* Alioquin licet quidam existiment aquam in calice admixtam vino non converti in sanguinem Christi, nisi ante fuerit in vinum conversa nihilominus contraria sententia est probabilis, vt patet *ex d. c. Cum Matth. hoc tit.* Confirmaturque ex eo, quòd sæpè non possit tam celeriter aqua vino admixta naturali actione converti in vinum, præsertim quando vinum est debile, & multum aquæ admiscetur, veluti tertia pars, *iuxta can. 19. Conc. Triburienſis.* An autem aqua sit permiscenda vino ex Christi præcepto, an verè ex institutione Ecclesiæ, quæri potest. Et probabilius esse posterius colligitur ex Concil. Trident. *dict. loco*, Azor. *dict. capite 30. vers. Altera quæstio.* Tertia, vt repræsentetur vnio Christi cum Ecclesia: nam vinum significat Christum, & aqua populum fidelem, *d. can. Cum omne vers. Ergo dist. 2.*

§. II.

De forma & Ministro Eucharistiæ.

1 *Forma quibus verbis consistet; & effectus illius.*

2 *Minister huius Sacramenti est solus Sacerdos, licet malus; &c.*

3 *Confici debet in Sacrificio Missæ.*

4 *Et semel in die tantùm regulariter.*

FOrma consecrandi à Christo tradita *Matthæi 26. Marci 14. Luca 22. 1. ad Corinth.* 1 in pane est hæc, *Hoc est corpus meum:* & in vino, *Hic est calix sanguinis mei*, seu *Hic est sanguis meus.* Quâ probatâ seu accedente ad prædictam materiam per debitum Ministrum, fit conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis (quæ conversio convenienter & propriè ab Ecclesia Transubstantiatio est appellata, Concil. Trident. *dict. sess. 13. cap. 4.*) ita vt eodem prorsus instanti, quo desinit esse substantia panis, sub speciebus incipiat esse corpus Christi & sanguinis: ad eum modum, quo docent Philosophi, idem esse instans, quo desinit esse forma aëris, & producitur forma ignis. Remanentque post consecrationem solæ species sine vllo prorsus subiecto, cum sola sua existentione, à se formaliter tantùm distincta, non etiam cum quantitate substantiæ, vt probabilius existimo.

In hoc autem Sacramento tria reperiuntur, quæ diligenter distinguenda sunt, videlicet forma visibilis panis & vini, veritas corporis, & virtus spiritualis, prout distinguuntur & explicantur *in dict. cap. Cum Matthæ §. distinguendum h. t.*

Minister conficiens hoc Sacramentum est 2 solus Sacerdos ritè ordinatus, *cap. 1. sup. de Trinit. can. Perlectis §. ad presbyterum dist. 25.* sive bonus sit sive malus, etiam irregularis, interdictus, suspensus ab Ordine, depositus, degradatus, Simoniacus, publicus & notorius peccator. Nam licet hi à iure consecrare prohibeantur, si tamen consecrent de facto debitâ formâ & intentione, verè efficiunt corpus Christi, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, *can. Et dixit 26. in fine, can. Quia corpus 35. vers. Recedat, can. Panis est 55. & can. Corpus 60. de consecrat. dist. 2.* & virtute Spiritus S. *can. Verum 72. eod. dist.* atque vt meritis bonorum virtus Sacramentorum non amplificatur, ita nec malorum vitiis attenuatur, *can. Multi sæcularium 1. q. 1.*

Conficere verò hoc Sacramentum tenetur 3 Sacerdos in sacrificio Missæ, ac toties illud sumere, quoties celebrat, & quidem sub vtraque specie, *can. Relatum 11. d. distinct. 2.* Alioquin simulans se conficere, & non conficiens, peccat gravius, quàm qui conficit, sciens in peccato

cato mortali se constitutum, quia primo casu Deo illudit, & proximum decipit, altero solum offendit Deum, *c. de homine 7. h.t.* Consecrans autem & non communicans ab Ecclesiæ arcetur liminibus, *can. Peracta 10. d. distinct.* & à celebratione suspenditur per annum, *d. can. Relatum.*

4 Tenetur item Sacerdos quilibet, quanto frequentiùs potest Missarum solemnia celebrare, *c. Significatum 11. sup. de prabendis*, Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 14.* semel tamen in die dumtaxat, *c. Consuluisti 3. h.t.* quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: felixque in primis est, qui vnam dignè celebrare potest. Quia tamen quotidie peccamus, saltem iis peccatis, sine quibus mortalis vivere infirmitas non potest, ideò iteratur quotidie hæc oblatio, vt quia quotidie labimur, Christus quotidie mysticè pro nobis immoletur, & recidiva delictorum peccata relaxet, *can. Iteratur 71. de consecrat. distinct. 2.* Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam, inquit D. Ambros. *can. Si quotiescumque 14. d. dist.* Excipitur dies Nativitatis Dominicæ, quo tres, & casus necessitatis, quo duas, non etiam plures, celebrare Missas licet *c. Consuluisti 3. & c. Ex parte 5. h.t.* modò tamen post sumptionem corporis Christi in prima vinum perfusionis seu ablutionis non acceperit, *d. c. Ex parte*: quia hoc Sacramentum à ieiuno sumi debet, *can. Nihil. 16. in fine 7. q. 1.* Casus autem necessitatis, & cur tres Missas in Nativitate Domini celebrare liceat, vide apud Gloss. *in d. c. Consuluisti*, & Navarr. *in Manuali c. 15. n. 87.*

§. III.

De aliis non conficientibus hoc Sacramentum, illud tamen sumentibus.

1 *Quilibet Christianus sumere illud debet, saltem semel in anno.*
2 *Quinam removeantur à communione.*
3 *Laici & Clerici non celebrantes sub vna specie communicant.*
4 *Solus Sacerdos erogat hoc Sacramentum regulariter.*

1 NOn solùm Sacerdos, hoc Sacramentum solus conficiens, illud sumere tenetur, sed & quilibet alius Christianus, vbi ad annos discretionis pervenerit. Et quidem olim circa prima fidei incunabula frequentissima erat apud fideles eius susceptio, verum postmodum, tepescente paulatim Christi ardore, statutum fuit, vt nisi quis fortè maioribus criminibus impediretur, ter saltem in anno, nempe in festo Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini, communicaret, *can. Etsi non frequentius 16. can. Omnis homo 21. de consecrat. distinct. 2.* ac tandem eo decursum est, vt quisque saltem ad minus semel in anno, & quidem in Paschate, suscipiat Eucharistiæ Sacramentum, arcendus alioqui ab ingressu Ecclesiæ & Ecclesiasticâ privandus sepulturâ: nisi fortè quis de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus duxerit abstinendum, *c. Omnis vtriusque 12. inf. de pœnit. & remissionib.*

Quod præceptum de communicando in Paschate currit à Dominica palmarum vsque ad octavam Paschatis inclusive, vt ex aliis, quos eam in rem citat, tradit Zerola, *in Praxi 1. part. V. Eucharistia §. 7.* ita vt, qui communicat intra hoc tempus, satisfaciat præcepto, nec incurrat pœnas, quæ passim à Prælatis imponuntur non communicantibus in Paschate. Quinimò satisfaciunt, qui communicant quolibet die Quadragesimæ, vbi de hoc legitima & præscripta est consuetudo. Navar. *in Manuali c. 21. num. 45.* licèt olim, sub Marco Aurelio, à Sotere Pontifice statutum fuerit, vt in cœna Domini communicaretur: nam postea hæc angustia temporis ad duas hebdomadas laxata est, 2

Debet autem quisque, ad hoc Sacramentum accedens, peccata sua omnia legitimè fuisse confessus. Item, ieiunus, exceptâ causâ extremæ infirmitatis, in qua, ne sine viatico hoc infirmus decedat, etiam à cibo sumpto rectè communicat, *canone Presbyter 93. de Consecrat. distinct. 2.* Debet abstinuisse ab vxore & Venere ante sacram communionem tribus, quatuórve aut octo diebus; ex honestate tamen, non de præcepto, *can. Omnis homo 21. dict. distinct. 2.* Non excommunicatus aut interdictus, *can. Tribus gradibus 23. §. præcipimus & similibus*, non hæreticus aut infidelis, *can. penultim. & fin. 24. quæst. 1. can. Quia passus 36. d. dist. 2.* non histrio aut scenicus, quamdiu huiusmodi artes improbas exercent, *can. Pro dilectione 95 cum can. seq. eadem distinct.* sed demùm peractâ confessione ac pœnitentiâ. In causa tamen necessitatis, id est morientibus, sed pœnitentibus, etiam ex graviissimis sceleribus, viaticum Eucharistiæ 5

non est negandum, licèt in vita denegari debuerit, *can. Pœnitentes distinct. 50.* etiam excommunicatus, modò satisfecerint, *can. tanta 24. distinct. 86.* Similiter nec denegari debet infirmis, qui postquam illud petierint, priusquam accipere potuerint, oppressi infirmitate obmutuerunt aut in phrenesin lapsi sunt, habito testimonio eorum, qui petentem ac pœnitentem audierint, *can. Is qui 26. quæst. 6.* Sed nec occultum peccatorem, quem Sacerdos pro certo scit esse reum alicuius criminis & impœnitentem, publicè accedentem ad communionem nominatim repellere potest, *c. Si Sacerdos 2. sup. de officio iud. ordin.* sed debet eum secretò monere, ne se ingerat communioni: quam nec Christus ipsi Iudæ, quamvis eius occultam proditionis cogitationem noscet, negauit, *dict. cap. Si sacerdos, & can. Sicut Iudas 68. de consecrat. distinct. 2.*

Cæterùm licet Sacerdos celebrans Sacramentum hoc sub vtraque specie participet, tamen ab Ecclesia receptum est, vt laici & Clerici, illud non conficientes, sub vna tantùm specie panis sumant, Concil. Trid. *sess. 21. cap. 1. in doctrina de communione,* sub qua non minùs totus atque integer Christus verúmque Sacramentum, quàm sub vtraque, sumitur, Conc. Trid. *ibid. cap. 3. & can. 3.* sicut etiam in singulis portionibus hostiæ consecratæ totus & integer est ac sumitur, *can. Qui manducat. & aliis dict. dist. 2.* Conc. Trid. *sess. 13. can. 3.* vbi anathemate ferit secus sentientes.

4 Præterea quamvis olim communicantes propriis manibus hoc Sacramentum acciperent, postmodum tamen id vetitum fuit, statutumque, vt, sicut solus Sacerdos illud conficit, ita & solus eroget, aliis; adeò vt si aliter quàm per semetipsum præsbyter infirmum vel alium communicet, sui gradus periculo subiaceat, *can. Peruenit 29. de consecrat. dist. 2.* Absente tamen Episcopo & præsbytero potest Diaconus conferre, *can. Diaconos 13. distinct. 93.* imò etiam præsente præsbytero, si necessitas vrgeat, *dict. can. Diaconos, & can. Præsente ibid.* qua de re vide latiùs Azor. 1. *part. Institut. moral. lib. 10. cap. 23.* Religiosi verò absque licentia speciali presbyteri parochialis vel concessione summi Pontificis Clericis aut laicis hoc Sacramentum administrare non possunt sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, absolutione summo Pontifici reseruata, *Clement. 1. de privilegiis.*

***

§. IV.

De effectu Eucharistiæ.

1 *Confert gratiam ritè sumentibus,*
2 *Non sibi conscius peccati alicuius.*

IN primis per illud seu in ipso recolitur memoria Passionis Christi, *can. Iteratur, & aliis pluribus de Consecrat. distinct. 2.* Ritè sumentibus confert gratiam. Estque cibus & potus spiritualis, non corporis, sed animæ substantiam fulciens *can. Non iste panis 56. dict. distinct.* & quo restauratur, quod ex calore concupiscentiæ per venialia peccata deperditur: cuiusque sumptione transimus in carnem eius, qui caro nostra factus, scilicet Christi, *can. In quibus 38. d. distinct.* illique vnimur atque incorporamur, vnum cum illo efficimur, ac de illius spiritu viuimus, *can. Christus 57. cum duobus seqq. dict. distinct. 2.* & æternæ vitæ simul participes, *dict. cap. Christus & aliis dict. distinct.* Peccata etiam venialia relaxat, *can. Si quotiescumque & pluribus aliis ead. distinct.* * Alioquin si quis conscius sibi alicuius peccati mortalis, ac habens adhuc voluntatem peccandi, illud accipiat, nihil proficit ad mundationem, nec salutem acquirit eius perceptione, sed damnationem, & grauatur magis, *can. Qui sceleratè cum can. sequent. dict. distinct. 2.* 1 2

Denique, vt alios effectus omittam, conseruat hominem à peccatis futuris, cùm quatenus est cibus, cor hominis interiùs corroborans, augendo in eo habitum charitatis & gratiæ, tum quatenus, tanquam signum Passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, dæmonum repellit insultus.

TITVLVS XLII.

De Baptismo & eius effectu.

§. I.

Quid sit Baptismus & quotuplex.

1 *Vnde dicatur Baptismus, definitio illius. 2.*
3 *Materia.*
4 *Forma.*
5 *Diuisio.*

POSTQVAM

1 POSTQVAM actum, est de Sacramento Eucharistiæ, quo in sacrificio nihil esse maius potest, *can. nihil 8. de consecrat. distinct. 2.* meritò subiiciendum est de Baptismo, eiusque effectu, quandoquidem sit omnium aliorum Sacramentorum fundamentum, & ianua vitæ spiritualis, *cap. Veniens inf. de presbyt. non baptizato*, quippe per quem transimus in numerum credentium, Christo incorporamur, eiusque membra efficimus *can. Quia passus 36. de consecrat. dist. distinct. 2.*

Baptisma autem Græcè idem est, quod apud Latinos Mersio seu Tinctio aut etiam Ablutio, à verbo βαπτίζω quod abluo seu mergo significat; nam à peccatis originali & actuali abluit, *can. Regenerante 136. de consecrat. distinct. 4.* nec confertur ordinariè, nisi per mersionem aquæ, *can penult. hoc tit.* Vnde in sacris litteris passim vocatur Lauacrum regenerationis, & à Patribus Flumen gratiæ, Diluuium peccatorum.

2 Omissis autem aliorum definitionibus, in Catechismo Rom. definitur Baptismus esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, *ex Ioan. 3. & Paul. ad Ephes. 5.*

3 Per particulam, *regenerationis* distinguitur à reliquis Sacramentis, saltem veteris legis, quæ non iustificabant animas.

Per particulam, *per aquam*, apertè distinguitur à reliquis Sacramentis novæ legis, & simul exprimitur materia huius Sacramenti, quæ est aqua, non quælibet, sed vera & naturalis, sive calida sive frigida, *dict. cap. penult. hoc tit.* Conc. Trid. *sess. 7. cap. 2. de Baptismo.* Ideóque per aquam rosaceam aut aliam stillatitiam, aut per saliuam, lacrymas, sudorem, lac, vinum, vel alium similem liquorem, ab aqua naturali differentem specie, iuxta communem DD. sententiam, non confertur Baptismus. Quòd si verò dubitetur, an sit aqua vera, vti est nix, glacies, pruina, priusquam liquefiat, non licet extra necessitatem extremam ea vti absque sacrilegio. Cur verò potiùs *per aquam*, quàm per aliam materiam conferatur, plures adferuntur rationes, è quibus tres refert Cathechismus Rom. quarum prima est, quia cùm Baptismus omnibus omninò ad salutem sit necessarius, conueniens fuit, vt conferretur per aquam, quæ est omnibus communis & facilè ab omnibus haberi potest, Secunda, quia aqua effectum Baptismi maximè significat; vt enim aqua sordes abluit corporis, ita Baptismus maculas seu peccata animæ delet. Tertia, quia vt aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic Baptismo cupiditatum ardor, maxima ex parte extinguitur.

Per sequentem particulam, *in verbo vitæ*, exprimitur forma, quæ est verbum spirituale 4
viuificans: non enim sanat aqua, nisi in eam Spiritus sanctus descenderit, & aquam consecrauerit, *can. per aquam 9. de consecrat. distinct. 4.* quod fit accedente verbo ad aquæ elementum, *dict. cap. penult. & aliis hoc tit.* & explicitè his verbis exprimitur: *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, cap. 1. hoc. tit.* Effici tamen Baptismum etiam hac forma, qua Græci vtuntur, *Baptizetur talis seruus Christi In nomine Patris & Filij, &c.* vel, *Baptizatur manibus meis In nomine Patris, &c.* declarat Conc. Florent. *in instruct. Armenorum de Baptismo.* Idem dicendum de hac forma, *Baptizat te Christus In nomine Patris, &c.* Hæ tamen formæ, cum sint contra præceptum Ecclesiæ, non sunt à Latinis vsurpandæ.

Adeò autem necessaria sunt ad Baptismum aqua & verbum, vt altero omisso non sit Baptismi Sacramentum. Error tamen in pronuntiatione syllabarum per ignorantiam recti sermonis aut linguæ impedimentum non officit, *can. Si non 72. & can. Retulerunt 86. de consecrat. distinct. 4.*

Ablutio seu mersio in aquam an vnica sit, quæ vnicã Christi passionem significat, an trina, quæ Trinitatem, non interest. Et satiùs est seruare aut retinere Ecclesiæ cuiusque consuetudinem, *can. de trina 80. de consecrat. distinct. 4.* Necessum tamen est, vt aqua tangat immediatè corpus: quamvis sufficiat minimam guttam aquæ tangere quamcumque veram partem corporis viuam, etiam minimum digitum imò & capillos, secundum quosdam, quamvis hoc postremum satis incertum sit. Debet verò ablutio seu mersio fieri, dum verba proferuntur, quia verba & forma in collatione Sacramentorum coniungi debent. Et cauendum, dum trina fit ablutio vel immersio, ne de vnaquaque ablutione tota forma repetatur, sed vt sub vna formæ prolatione tres fiant ablutiones. De aliis cæremoniis, ab Ecclesia adhiberi solitis, vide Bellarm. *2. Controuers. lib. 3 de Sacramento Baptismi. cap. 25.* de earum verò significatione, vide *can. Postea 68. vsque ad can. Venit. de consecrat. distinct. 4.*

Dividitur autem Baptismus in Baptismum fluminis seu aquæ, quem antè definiuimus, 5
Baptismum flaminis seu spiritus, qui fit per contritionem & conuersionem ad Deum & Baptismum sanguinis seu Martyrij qualis fuit Innocentium, & Latronis, in Cruce Deum confitentis,

tis, *can. Baptiſmi* 34. *can. Catechumenum* 37. *de Conſecrat. diſtinct.* 4. Primus propriè dicitur Baptiſmus: reliqui ratione effectum, quia ſcilicet Baptiſmi effectus habent, deletionem nempe peccati originalis, & in adultis actualis gratiæ collationem, quando Baptiſmus aquæ haberi nequit, *dict. can. Baptiſmi, & aliis ſimilibus.* Si quis autem baptizatus fuerit Baptiſmo flaminis, opportunitate tenetur ſuſcipere Baptiſmum aquæ.

§. II.

De miniſtro Baptiſmi, deque ſuſceptoribus ſeu patrinis.

1 *Miniſter huius Sacramenti eſt ſolus Sacerdos.*
2 *Et in neceſſitate alius quilibet.*
3 *Patrini ſeu ſuſceptores cur neceſſarij in Baptiſmo.*
4 *Sufficere ac ſummum duos ſcilicet vnum & vnam.*
5 *Qui prohibeantur eſſe patrini.*

1 MIniſter Baptiſmi ex officio eſt ſolus Sacerdos, id eſt, Epiſcopus & præſbyter, etiam Diaconus, niſi ex commiſſione ſacerdotis, Parochi, vel Epiſcopi, *can. Diaconos* 23. *diſtinct.* 93. *can. conſtat.* 19. *de conſecrat. diſtinct.* 4.

2 In caſu tamen neceſſitatis extremæ etiam Diaconus, imò & laicus Baptizare poteſt, *d. can. conſtat. can. in neceſſitate* 21. *de conſecrat. diſt.* 4. atque etiam mulier, abſente viro, *can. mulier eod. diſt.* Quin & paganus iudæus, Sciſmaticus, hæreticus, & facinoroſus quiſque, vt *patet ex variis canonibus dict. diſtinct.* 4. modò formam Eccleſiæ ſeruent, & facere intendant, quod facit Eccleſia: & ſpeciatim de hæretico definitum exſtat in Concil. Trident. *Seſſ.* 7. *cap.* 4. Idque receptum eſt, ne quis ſine lauacro regenerationis, decedat, *dict. can. conſtat in fine.* Quam ob cauſam etiam pater proprium filium, in extremo vitæ poſitum, & nondum Baptizatum, Baptizare poteſt, nec ideo à matrimonio vel copula vxoris arcetur, *can. Ad limina* 30. *quæſt.* 1. Nemo tamen ſeipſum Baptizare poteſt, quia inter baptizantem & baptizatum debet eſſe diſcretio, vt indicat pronomen, Te, in aſſignata antè forma, *c. Debitum* 4. *hoc tit.*

3 Præter miniſtrum Baptiſmi, niſi Baptizandi alium vrgeat neceſſitas, ſolent & alij adhiberi, nempe ſponſores, qui Patres luſtrici, Patrini, Matrinæve vulgò vocantur, vel ſuſceptores, quorum fide & profeſſione, qui per ſe credere vel loqui neſcitur, vt paruuli, muti, & ſurdi, & ægrotantes, qui pro ſe reſpondere non poſſunt, baptiſmum ſuſcipiunt, *can. Paruuli* 74. *cum can ſeq. dict. diſt.* 4.

Et quidem de iure communi non niſi vnus, 4
ſive vir, ſive mulier, ſuſcipere Baptizatum de ſacro fonte poteſt, *can. Non plus* 101. *d. diſtinct.* 4. *cap. final. de cognat. ſpirituali in* 6. vel ad ſummum vnus & vna, vt nouiſſimè ſtatuit Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 2. qui tanquam proprij parentes debent Baptizatum inſtituere in neceſſariis ad ſalutem, in Symbolo, Oratione Dominica, mortuis vel id facere negligentibus parentibus.

Ab hac ſuſceptione infantis in Baptiſmo ar- 5
centur in primis hæretici, iudæi, infideles, *can. In Baptiſmate* 102. *dict. diſt.* 51. Item Abbas, Monachus Monialis vel religioſa perſona, *can. Non licet* 103. *can. Monachi*, 104. *eod. diſt.* Regulariter etiam pater & mater naturalis reſpectu filij ſui, *can. penult. & vlt.* 30. *quæſt.* 4. Qua ratione autem ex huiuſmodi ſuſceptione & inter quos contrahatur cognatio ſpiritualis lib. 4. explicabitur.

§. III.

Quinam baptizandi, & in quo loco.

1 *Baptizandi etiam parvuli, ægri, muti & ſurdi.*
2 *Non verò dormientes aut amentes.*
3 *Infans in vtero matris quatenus Baptizandus.*
4 *Baptiſmus in Eccleſia conferendus.*

VT in veteri lege Circumciſio tam parvulis 1
quàm adultis ad ſalutem neceſſaria erat, ita etiam Baptiſmus, qui in eius locum ſucceſſit, *cap. Maiores* 3. *hoc tit.** Et quidem parvuli, licet adhuc loqui vel credere neſciant, ſicut etiam ægri, muti & ſurdi, qui pro ſe reſpondere non poſſunt, aliis vice illorum profitentibus & reſpondentibus de fide, rectè baptiſmum ſuſcipiunt, *can. Paruuli* 74. *& ſeq. can. Cum pro paruulis* 77. *& aliis ſimilibus, de conſecrat. diſtinct.* 4. Maiores verò qui per ſe & pro ſe reſpondere poſſunt, propria fide & profeſſione eundem ſuſcipiunt. Ideóque neceſſe eſt, vt habeant intentionem recipiendi id, quod dat Eccleſia, vel Chriſtus inſtituit: imò ad effectum gratiæ habere quoque debent fidem, iuxta illud

illud Christi : *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit* : item dolorem de peccatis cum proposito melioris vitæ, iuxta illud *Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissione peccatorum.*

Quidam tamen expressè prohibentur baptizari : nam in primis adulti dormientes vel amentes non aliter baptizari cum effectu possunt, quàm si ante somnum vel amentiam baptizari voluerint, *dict. cap. Maiores §. Item quæritur.* * Non baptizatur etiam infans, existens in vtero matris, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest : neque reperiri potest regeneratio, vbi generatio non præcessit, *can. Qui in maternis* 115. *dict. distinct.* 4. Materque prægnans baptizata nihil in hoc participat infans, qui nascitur, quia vniuscuiusque propria voluntas in confessione fidei spectanda est, *can. Si ad matris* 114. *can. Si qua mulier* 116. *eod. distinct.* Si tamen infantis in vtero existentis aliquod membrum ex vtero appareat, in eo, si modò vivat, vrgente periculo baptizari poterit, iuxta probabiliorem & tutiorem sententiam. Existente verò dubio, an quis sit baptizatus, baptizandus erit his verbis, *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es ego te baptizo, In nomine Patru, &c. c. 2. h. t.*

Quod ad locum attinet, in quo quis baptizandus, constituit Clemens V. ne quis in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, vbi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare : nisi Regum vel Principum liberi fuerint, aut talis necessitas emerserit, ob quam ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi nequeat. Qui secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigandus erit, vt alij attentare simile non præsumant, *Clement. vnic. hoc titul.* Similiter in Abbatiis & Monasteriis prohibentur esse baptisteria, *can. Pridem* 18. *quæst. 2.*

§. IV.

De effectu Baptismi.

1 *Baptismus iterari nequit, & pœna iterantium.* 2.

Effectus proprius & principalis baptismi est, delere originale peccatum, atque etiam in adultis omne actuale præcedens, *can. Firmissimè, & aliis de consecrat. distinct.* 4. Concil. Trident. *Sess. 5. de peccato originali.* Præterea gratiam & virtutes infundere, atque aperire regnum cœlorum, *cap. Maiores hoc tit.* causare spiritualem quandam cognationem, de qua dicetur libro sequenti : imprimere characterem indelebilem; * eóque fit, vt sine sacrilegio reiterari non possit, *cap fin. hoc tit.* Conc. Trident. *sess. 7. can.* 11. Adeóque habet odio rebaptizatos Ecclesia, vt qui non ignoranter rebaptizantur, iterum Christum crucifigere dicantur, *can. Qui bis dict. distinct.* 4. & ab Ordinibus arceantur; quamvis etiam ignoranter, ignorantiâ scilicet iuris, rebaptizati fuerint, *d. can. Qui bis.*

Qui verò ausu temerario baptismum reiterare conati fuerint, mucrone excommunicationis percussi ab omni officio & beneficio deponuntur : imò & iure civili vltimo supplicio afficiuntur, *leg. 2. Cod. Ne sanctum baptisma reiteretur.*

TITVLVS XLIII.

De Præsbytero non baptizato.

1 *Ordinis characterem non imprimi non baptizato.*

Cvm, vt suprà dictum est, Baptismus sit ianua & fundamentum omnium Sacramentorum, & ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum, *c. 3. h. t.* satis inde colligitur, quid statuendum sit de Presbyteris non baptizatis, nempè tales non suscipere Ordinis characterem, ac proinde baptizandos, & tum demum ordinandos, *c. 1. & d. c. 3. hoc tit.*

Quòd si tamen quis non baptizatus crediderit probabiliter se baptizatum, fidémque Catholicam amplexus, in ea vsque ad extremum vitæ diem perseveraverit, omissio baptismi ei non nocebit, quia, vt D. Augustinus ait ; Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit, *cap. 2. hoc titul.*

TITVLVS XLIV.

De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

1 *Eucharistia in Ecclesiis parochialibus adseruanda.*
2 *In pixide argentea vel eburnea.*
3 *Non in Capella vel aliis Ecclesiis non parochialibus.*
4 *Quomodo & quando deferenda ad agrotos.*

QVM Baptismus, in quo Chrismate vtimur, omnibus ad salutem sit necessarius; Eucharistia verò ideò instituta, vt nobis sit cibus cœlestis & viaticum, ne in ipsa via deficiamus, & in certamine succumbamus, vt in omnem casum necessitatis haberi possit copia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum: rectè hic subiicitur de custodia Eucharistiæ & Chrismatis. * Variisque Conciliis ac Canonibus cautum fuit, vt in omnibus 1
Ecclesiis Parochialibus pro infirmis Eucharistia semper parata habeatur; diligenter & mundè in loco, compisco, honorificè ac decenter exornato, iuxta facultates Ecclesiæ cuiusque, sub clauibus (penes Parochum vel Capellanum custodiendis) conseruetur, cum Chrismate, ne temeraria alicuius manus ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda extendi queat: & contrà facientes, si nimirum vel incautiùs custodierint, per tres menses ab officio suspenduntur, vel grauiori subiacent vltioni, si per eorum incuriam aliquid nefandum contigerit, *cap. 1. hoc tit.* Concil. Trident. *sess. 13. cap. 6. in Decreto de obseruando sacra Euchar. Sacramento.*

In tabernaculo seu loco, quo deponitur & cu- 2
stoditur Eucharistia, oportet esse pixides duas, in quarum altera conseruetur, altera deferatur ad infirmos; eásque argenteas vel eburneas, non ligneas, ob periculum fractionis; nec lapideas, ob humiditatem & ponderositatem: atque ita obseruat vbique praxis, Zerola *part. 1. V. Eucharistia ad 1.* Quæ quidem pixides seu vasa non nisi super altari viatico vel ad minus super corporali poni debent. Videndumque, vt saltem singulis octo diebus Eucharistia renouetur, etiam tempore interdicti, & in Ecclesia specialiter interdicta, *per cap. Permittimus inf. de sent. excommunicat.* Zerola *dict. loc. vers. Aduertium*, Piasec. 2. *part. cap. 3. art. 3. num. 25.*

Cæterùm in Capellis vel aliis Ecclesiis non 3
Parochialibus sacra Eucharistia retineri non potest, nec quidem de licentia Episcopi, sed ex auctoritate & concessione Papæ dumtaxat, prout Sacram Congregat. respondisse refert Piasec. *dict. cap. 3. art. 5. num. 7.* Sed & Conc. Trid. *sess. 35. cap. 10.* vetat, ne sacro-sanctum hoc Sacramentum intra chorum vel septa monasterij Monialium conseruetur, quamquam possit ex causa, vt in die aliquo festo, cum licentia Prælati illic exponi ad deuotionem Monialium, Emanuel Sa *in V. Eucharistia. §. 35.*

Deferri autem debet in decenti habitu, & 4
non nisi cum lumine, à Capellano vel Parocho, stola & superpelliceo induto, & sonante campana: tenetúrque populus in eleuatione eiusdem & delatione ad infirmos se reuerenter inclinare; & transgressores grauiter sunt puniendi, *can. Sana 10. sup. de celebrat. Missarum.* Non esse verò deferendum per plateam, in qua Iudæi habitant, respondisse Sacram Congregat. tradit Piasec. *dict. cap. 3. art. 3. num. 25.* Vt neque ad infirmos deferendum est, qui fortè ob tussim vel aliud aliquod impedimentum communicare nequeunt, nisi vt adorent tantùm, vel ex declaratione eiusdem Congregationis, tradit Zerola *d. loc. §. 5.*

Denique præcipiunt quoque Canones, vt cætera vasa ministerij Ecclesiastici, & vestimenta ministrorum munda & nitida conseruentur: vt supellectilia vel propria Clericorum vel aliena in Ecclesiis non admittantur, nisi necessitas vrgeat, propter hostiles incursus vel repentinum incendium, vel quid simile, *cap. 2. h. t.*

TITVLVS XLV.

De Reliquiis & veneratione Sanctorum.

1 *Quæ dicantur Reliquiæ Sanctorum.*
2 *Venda non possunt, nec passim ostendi.*
3 *Quando publicè venerari eas liceat.*
4 *Venerari aliquem pro Sancto publicè non licet sine licentia Papæ.*

1 Reliquiæ quoque Sanctorum diligenter in Ecclesiis adseruandæ sunt, sicut Eucharistia & Chrisma; cùm nullum Altare erigi possit, in quo non sit aliquid reliquiarum Sancti alicuius conditum, *can. Placuit 26. de consecrat. dist. 1.*

Nomine Reliquiarum intelliguntur hic, *iuxta Azor. 1. part. Instit. moral. lib. 9. cap. 8.* Sanctorum corpora ac corporum quælibet partes, capilli, ossa, carnes, dentes, cineres, pulueres, vestes, &, alia, quibus ipsi sunt, dum in terris versarentur: item panni & vela, quæ eorum ossibus vel corporibus admota fuerint, vel quæ ipsos tetigerint, aut pertinuerint ad eosdem.

2 Reliquiæ autem Sanctorum antiquæ exponi venales prohibentur: nec passim etiam ostendi debent, & quidem extra capsam nullatenus, ne facilè populus circa illa decipiatur. * Non 3 licet quoque de nouo inuentas publicè venerari, nisi priùs auctoritate summi Pontificis fuerint approbatæ, *cap. 2. hoc tit.* antiquas verò licet, etiam absque noua Rom. Pont. auctoritate. Similiter reliquiæ alicuius, qui iam pridem fuerit in Sanctorum numerum adscriptus, inuentæ de nouo recipi & coli possunt, etiam publicè, sed non nisi recognoscente & approbante Episcopo, iuxta Conc. Trid. *Sess. 25. decreto de inuocat. veneration. & reliquiis Sanctorum*, quod hac in parte videtur modificasse, *dict. c. 2. hoc tit.*

4 Pari modo non licet pro Sancto publicè venerari absque licentia & auctoritate Rom. Pont. etiamsi miraculis clarus sit, *cap. 1. hoc tit.* quia quandoque etiam per prauos homines fiunt miracula, Abbas *ibid. & can. teneamus 56. 1. q. 1.* Sic enim, teste Zyp. *hoc tit. in princ.* Tacitus *lib. 4. Histor.* refert duo non sacra miracula à Vespasiano patrata, nempè eius attactu ægro conuersam fuisse ad vsum, manum, & cœco reluxisse diem. Pluráque alia videre licet apud Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi lib. 48. cap. 15. num. 12. & lib. 34. c. 16. n. 6. & c. 17. n. 2.*

Dixi, publicè; quia potest quis priuatim fundere preces ad eum quem credit sanctum, *arg. d. c. 2. hoc tit. in v. publicè, à contrario.* Qui verò iustum dicit iniustum, aut sanctum non sanctum, vel iniustum dicit iustum, aut non sanctum asserit sanctum, abominabilis est apud Deum, *can. Si quis dixerit 57. 11. q. 3.* & Christum violat, *can. Si quis ibid.*

Postremò mandat Synodus Trident. Episcopis & Parochis, cæterique docendi munus curámque sustinentibus, vt diligenter iustruant populum de Sanctorum intercessione, & vtili ac necessaria inuocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum vsu. Conc. Trid. *d. sess. 25.* vbi pleniùs vide.

TITVLVS XLVI.

De obseruatione Ieiuniorum.

1 *Qui ieiunare teneantur.*
2 *Consistit obseruatio ieiunij in abstinentia à cibis vetita.*
3 *In abstinentia à pluribus refectionibus.*
4 *Licita tamen collatiuncula est.*
5 *Item consistit in certa refectionis hora.*

Ad deuotionem & propter veneratio- 1
nem Sanctorum, de qua proximè diximus, indicta ab Ecclesia sunt ieiunia, de quorum obseruatione hoc titulo agitur. * Sunt autem huiusmodi ieiunia ab omnibus, cuiuscumque perfectionis aut dignitatis existant, qui ad annum ætatis vigesimum primum peruenerint, nec sexagesimum excesserint, nisi iustâ aliqua causâ excusentur, diligenter obseruanda, *cap. 1. & 2. hoc tit.* idque sub reatu peccati mortalis, iuxta communem, vt probatur *ex can. 68. Apostolorum*: vbi violatores ieiunij, si Clerici sint, iubentur deponi; si laici, excommunicari. Ratio huius obligationis quoad omnes est, quòd omnes, saltem vt primùm, egeant castigatione carnis, vt spiritui subsit; satisfactione pro peccatis, & aptitudine mentis ad adorandum: ad hæc autem instituta & præcepta sunt ieiunia.

Obseruatio verò ieiunij, prout ab Ecclesia 2
præcipitur, in tribus potissimùm consistit. Primò, in abstinentia à cibis certi generis, veluti à carnibus: item ab ouis & lacticiniis, & cæteris, quæ à carnibus originem trahunt, in Quadragesima, *can. Denique dist. 4.* Dico, in Quadragesima; quia extra eam ius commune oua & lacticinia permittit. Cæterùm quia pro varietate locorum quoad oua & lacticinia varia est consuetudo, ideò generatim dicendum, ab illis cibis abstinendum esse quorum vsum consuetudo non permittit.

Secundò, consistit in abstinentia à pluribus 3
refectionibus; ita vt intra diem naturalem non nisi semel corpus cibo reficiatur. Dico, cibo; quia Ecclesia non prohibet crebriorem sumptionem potus tempore ieiunij: ea

ratione, quia potus magis ordinetur ad cibi per corpus distributionem & sitim sedandam, quàm ad alendum corpus: & si alat interdum, id per accidens est, nec tantum alit quantum cibus. Hinc licèt excedens in potu peccet contra temperantiam, non tamen soluit ieiunium.

4 Sed dubitatur de vespertina collatiuncula, sit ne licita, non modò ne potus noceat, & somni conciliandi causa, vt olim, sed & alendi causa, & absque potu. Et dicendum, licitam esse ex consuetudine, quæ in ieiuniis magnam vim obtinet. Huius autem quantitas est, quam pro diversitate locorum & personarum consuetudo recepta tenet: nec enim eadem omnibus ob regionum & personarum diversitatem præscribi potest. Non licèt tamen hanc collatiunculam sumere mane aut meridie, cœna in vesperam dilatâ, nisi subsit aliqua iusta causa: v.g. si iter aliquod sit suscipiendum, negotium peragendum, aut debilitas moram non patiatur.

5 Tertiò denique consistit observatio ieiunij, in certa refectionis hora, quæ hodie ex consuetudine passim recepta est circa meridiem: non quidem quasi tunc necesse sit cibum sumere, cùm possimus, & quidem cum maiori merito abstinere toto die; sed quia non liceat ante illam horam notabili tempore cibum sumere. Quanquam probabilius sit, talem anticipationem, sepositò contemptu, tantùm veniale esse peccatum *iuxta* Innoc. Ioan. And. Ancharan. *in c.1.h.t.* quia non violatur substantia ieiunij, quæ consistit dumtaxat in abstinentia ciborum vetitorum & secundæ refectionis; sed solùm circumstantia quædam accidentalis, quæ, manente substantia ieiunij, variari potest, & successu temporis magnam varietatem in Ecclesia habuit. Vide Convar. *lib.4.var.resol. cap.*20. vbi doctissimè de ieiuniorum, quæ Ecclesia Catholica Christianis indixit, ordinatione & origine tractat.

TITVLVS XLVII.

De purificatione post partum.

1 *Lege Mosaicâ mulier post partum purificari debuit.*
2 *Hodie id consilij est, non præcepti.*

VEMADMODVM ieiunia ob deuotionem & venerationem Sanctorum inducta fuere, ita & purificatio post partum inducta fuit ob reuerentiam Ecclesiarum. * Et quidem lege Mosaicâ mulier post partum immunda habebatur; ideóque, si masculum enixa esset, arcebatur à templo triginta tribus diebus; si puellam, sexaginta sex, *Leuit.12.can.1.dist.5.* 1

Cæterùm lex illa Mosaica, quippe cæremonialis, per mortem Christi sive legem Euangelij abrogata fuit: & ideò hodie statim à partu mulier actura gratias ingredi Ecclesiam potest, si voluerit; ne pœna, quam in pariendo patitur, vertatur illi in culpam, quasi in pariendo peccaret, *cap. vnico hoc.tit.can. Si mulier distinct. 5.* Si tamen ex veneratione voluerit aliquamdiu abstinere ab Ecclesia, deuotio eius non est improbanda, *dict. cap. vnico.* Bonarum quippe mentium est, ibi culpas suas agnoscere, vbi culpa non est, quia sæpè sine culpa agitur, quod venit ex culpa, & vt ait D. August. Vnde etiam cùm esurimus, sine culpa comedimus, quia culpa primi hominis factum est, vt esuriremus, *can.vlt.d.distinct.5.* 2

TITVLVS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis vel reparandis.

§. I.

De ædificandis Ecclesiis.

1 *Ecclesia nomine quid hic veniat.*
2 *In Oratoriis priuatis Missam celebrare non licet.*
3 *Ecclesia de nouo erigi non debent sine auctoritate Pont. vel Episc.*
4 *Et nisi eis dos competens adsignetur.*
5 *Ecclesia noua electione noceri non debet vicinis adibus.*
6 *Nec præiudicium inferri antiquæ Ecclesiæ.*
7 *Leprosis permittitur Ecclesiam propriam habere.*
8 *Item Episcopo Ecclesiam nouam construere ex rebus Ecclesiæ suæ.*
9 *Episcopatus de nouo institui possunt.*

PRÆCEDEN

PRÆCEDENTIBVS Titulis actum est de Ecclesiarum sive templorum consecratione, earúmque & Sanctorum veneratione: non abs re fuerit, si aliquid etiam dicamus de ædificandis & reparandis Ecclesiis. Nam & hæc cura ad Clericorum officium refertur, si vel loca quædam careant Ecclesiis de novo ædificandis, vel si eæ corruant, vt reparari debeant.

1 Ecclesiæ nomen Græcum est, & generale, significans quamlibet congregationem & conuentum: item collectionem Christi fidelium, eámque vnam sub vno capite, Catholicam seu vniuersalem. Sumitur verò hic Ecclesia materialiter pro æde publica divino cultui exercendo ac præcipuè sacrificio Missæ auctoritate Episcopi deputata: vocatúrque etiam Templum & Basilica, id est domus Regia, Vveyms. *in Analysi cap. Ad audientiam 3. hoc tit. num. 1, & 2.* Nam sicuti non alij, quàm Deo sacrati Sacerdotes, possunt Missas cantare, sacrificium super altare offerre: sic nec in aliis, quàm divino cultui mancipatis locis Missas cantare aut sacrificia offerre licet; nisi quis super hoc speciali privilegio munitus sit, aut summa coëgerit necessitas, *can. sicut de consecrat. dist. 1.* veluti si Ecclesia sit combústa: quo casu donec ea restauretur, in Capellis cum tabula consecrata celebrare interdum permittitur, *canone. Concedimus eod. dist.*

2 Hinc licet permissum cuilibet sit domi suæ habere oratorium, orationis causa *can. Vnicuique 33. eadem distinct.* dummodò in eo campana publicè exposita non pulsetur, *cap. Parentibus 10. inf. de privilegiis*: non tamen ad sacrificium Missæ peragendum; nisi oratorium ad divinum tantummodò cultum dedicatum, & ab Ordinario designatum, ab eodémque visitetur, Conc. Trid. *sess. 22. in decreto de observandis & euitandis in celebratione Missæ §. Neminem.* Aliàs si quis in Oratoriis, intra priuatos parietes constitutis, absque consensu Episcopi celebrare præsumpserit, deponendus erit, *can. clericos & similibus d. dist. 1.*

3 Nemini autem liberum est Ecclesiam de novo ædificare; in locis quidem exemptis citra auctoritatem Papæ, *can. auctoritate de privil. in 6.* in locis verò Episcopo seu Ordinariæ iurisdictioni subiectis absque auctoritate ipsius Episcopi, qui in loco exstruendæ Ecclesiæ, vel per se vel per alium, crucem figat, atrium publicè designet, lapidémque primarium ponat: ab eo, qui ædificare intendit, priùs constituta dote pro luminaribus & ministris Ecclesiæ atque oneribus Episcopalibus persoluendis, *can. nemo Ecclesiam dict. distinct. 1. nouell. 67. Vt nullus adificet, &c.* Tholosan. *Partit. iuris Canon. lib. 1. tit. 4. cap. 5.* Quamvis sufficiat si post constructam Ecclesiam tacitè consentiat Episcopus. Quòd si Episcopus sine iusta causa consentire nolit, aut primarium lapidem ponere vel positionem eius alteri delegare, compellendus erit auctoritate Superioris, *cap. nullus 17. sup. de iure patronatus*, Piasec. 1. *part. cap. 2. art. 4. in prin.* Si præter consensum Episcopi quis Ecclesiam construxerit, nec alteri noceat, destrui quidem illa non debet, sed iacturam patietur iuris patrono debiti, Ecclesiáque cum dote sua iuribus Episcopalibus applicabitur.

Vnicuique verò Ecclesiæ pro dote attribui 4
debet mansus vnus, liber ab omni seruitute & onere temporali, id est prædium, quod sufficiat duobus bobus in anno ad laborandum, *cap. 1. iunctâ Gloss. sup. de censib.* Sin omissa dote Ecclesia extructa sit, nihilominus qui extruxit dotis nomine rectè conuenitur, *cap. Cum sicut 8. sup. de consecrat. Eccles.* aut in subsidium ad Episcopum consecratorem, recurritur *arg. cap. 2. sup. de prabendis*, Piasec. *dict. loc. num. 3.*

Prospicere etiam oportet Episcopum dili- 5
genter, vt quisquis desiderat ædificare Ecclesiam, id faciat pietatis intuitu, non quæstus cupiditate, *can. Si quis basilicam dict. distinct. 1.* & ne vicinis ædibus noceatur, puta luminibus earum officiendo, aut non legitimum spatium relinquendo: nam licet religionis fauor sit summus, tamen ad iustitiæ normam reuocari debet, ideóque operis nuntiatione facta ex vicinis ædibus, sive iure sive iniuriâ, id; quod extructum fuerit, diruendum est, *c. 1. & 2. inf. de noui operis nuntiat.*

Videndum etiam, ne ædificetur de novo 6
Ecclesia, etiam Parochialis, in præiudicium antiquæ, *cap. Quicumque 44. 16. quæst. 1.* nisi fortè ex iusta causa, iuxta arbitrium Episcopi, veluti si Ecclesia Parochialis ita creuerit, vt vna omnibus non sufficiat, vel ob nimiam distantiam aliquorum Parochianorum, qui sine magno incommodo & difficultate Ecclesiam adire non possint, *cap. Ad audientiam 3. hoc tit.* aut si tam frequens sit populus, vt pluribus egeat oratoriis & pastoribus, *cap. vltim. hoc tit.* cum enim auctoritate Episcopi nova Ecclesia extrui potest, etiam inuito Rectore: imò & portio competens ex prouentibus Ecclesiæ antiquæ, si ea abundet, arbitrio eiusdem Episcopi assignari novæ, *dict. cap. Ad audientiam versic. quia igitur*, Conc. Trident. *sess. 2. cap. 4. de*

reformat. non obstante iuramento, quod Episcopus antiquæ Ecclesiæ præstiterit de rebus eius non alienandis, *dict. cap. vltim.* si vtrique non adsit modus dotandi aliunde, & id fiat sine præiudicio possidentis, vt declaravit Sacra Congregatio, teste Piasec. *d. loco num.* 2. Vide Riccium *decis.* 554. Imò si necesse fuerit, potest Episcopus compellere populum ad subministranda novo Parocho, ea, quæ sufficiant ad eius sustentationem, Concil. Trid. *d. c.* 4 Vbi etiam statuit, quòd Episcopus in huiusmodi procedere possit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Hoc tamen casu antiqua Ecclesia acquirit ius patronatus in novam, & eius matrix dicitur, *d. cap. Ad audientiam*; eique à nova honor exhibendus est: pars verò populi, quæ novæ Ecclesiæ supponitur, à iure prioris absoluitur, *canone Præcipimus* 16. *quæst.* 1. Cæterum congruenter iam dictis de Ecclesiis novis ædificandis statuit Conc. Trident. *Sess.* 25. *c.* 3. *de Regularib.* ne de cætero vlla Monasteria ac domus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, priùs obtenta licentia erigantur, quâ de re vide Zyp. *de iure Pontif. novo lib.* 3. *tit. de regularib. num.* 35. vbi etiam notat Carolum V. *anno* 1520. 29. *Octobr.* edixisse, ne in Brabantia novæ Ecclesiæ aut Capellæ ædificentur, sub pœna ædificatori infligenda & demolitionis, *iuxta cap.* 1. *inf. de novi operis nuntiat.* quódque, vti non oportet novos Ordines sine Pontificis auctoritate institui, ita Confraternitates & Collegia censeantur illicita, quæ non sunt à Superioribus approbata, ex Charonda *lib.* 12. *Respons.* 64.

Leprosis verò sub communi vita simul congregatis permitti debet propriam habere Ecclesiam cum cœmeterio & presbytero, sine præiudicio tamen antiquarum parochiarum, *cap.* 2. *h. t.* * Episcopo quoque pro sepultura propria Ecclesiam ædificare aut Monasterium construere, atque ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, dotare licet: hoc tamen discrimine, vt, si Monasterium, construat, non nisi quinquagesimam partem; si verò aliam Ecclesiam, non monasticis formandam regulis, sed ob aliam causam, non nisi centesimam partem census Ecclesia, cui præsidet, conferre debeat, *cap. penult. de donationibus.*

Porrò obtinuit consuetudo ab antiquo recepta, vt versus Orientem Ecclesiæ ædificentur: de qua consuetudine testatur Clemens *lib.* 2. *Apostolic. Constitut. cap.* 61. Piasec. *d. loco num.* 3.

Quæque de novis parochialibus Ecclesiis exstruendis ex necessitate & gravi causa, etiam absque Rectoris consensu, iam diximus, obtinent quoque in Episcopatibus, ex simili necessitate & gravi causa de novo instituendis, *arg. cap. Sicut vnire inf. de excessib. Prælator.* & ex Bernardo *Epist.* 131. docet Zyp. *hoc titul. num.* 14. subiungens, summo Reipubl. ac Religionis bono, ad instantiam Regis Philippi II. Pium IV. Pont. 4. Idus Maij 1559. erexisse novos Episcopatus in Belgio, & eorum districtus in diœceses erigendas separasse ab Episcopatibus, Leodiensi, Vltraiectensi, & Cameracensi, aliisque, erectis Sedibus Episcopalibus Cameracensi & Vltraiectinâ, ac Collegiata Ecclesiâ Mechlinienſi, in Archiepiscopales. Addens, Archiepiscopum Mechlinienſem, licet Belgij Primas non sit, tamen inter cæteros esse primum, & in exsequiis Rudolphi Imp. Mechlinienſi Cameracensem cessisse, vindicias ei addicente Sereniſſimo Principe nostro Alberto.

§. II.

De reparandis Ecclesiis.

1. *Ecclesia habet tacitam hypothecam in bonis eius, qui damnum ei intulit.*
2. *Tenentur ad reparationem alij ex consuetudine, alij ex conventionibus.*
3. *His cessantibus, ex fabrica reparari Ecclesia debet.*

AD Ecclesiæ reparationem tenentur in primis, quicúmque suâ culpâ damnum intulerint, tam iure divino & naturali, quàm positivo, sive civili sive Canonico: adeò vt Ecclesia, ex æquitate iuris Canonici, in bonis eorum tacitam habeat hypothecam, & quidem potiorem tacitâ hypothecâ mulieris quam ea habet pro dote in bonis mariti, atque etiam fisci. Sic & Prælatus vel Magistratus, ex cuius negligentia damnum accedit, tenetur. 1

Secundò, tenentur ij, ad quos consuetudo legitimè introducta (nisi laici sint) hoc onus transmisit: cuius probatio, cum in facto consistat, alleganti incumbit, qua de re vide Zyp. *h. t. n.* 12.

Tertio tenentur, quibus ex specialibus locorum statutis & conventionibus huiusmodi reparatio incumbit: qualia statuta & conventiones particulares plurimæ sunt in his regionibus. 2

Quartò, cessantibus statutis & consuetudine, 3

dine, reparatio Ecclesiæ fieri debet ex ea portione, quæ à iure vel consuetudine ad fabricam deputata est. Quòd si verò vel nulla sit à iure aut consuetudine assignata portio huiusmodi, vel ea non sufficiat ad reparationem, interpellandus est Prælatus, qui decimas percipit, quia non est ferendus, qui lucrum amplectitur, & onus ei annexum contemnit. Etsi verò decimæ Feudales in manu laica iam ante Concil. Lateran. existentes, sint immunes ab onere reparandarum Ecclesiarum & alendorum Parochorum, quasi Feudi propriam naturam habeant, *provt declaravit decisio Hollandica 16.* non tamen illæ quæ Dominum aliquem Ecclesiasticum agnoscunt, provt tradit Zyp. *tit. de feud. n. 3.* vbi refert sententiam ea de re in Concilio Brabantiæ latam. Quamquam secus videatur, si Ecclesiasticus decimas percipiat, quæ non per se reversæ sint ad Ecclesiam, sed in consequentiam bonorum laicorum, quæ possidet, quorum aut sunt pars, aut ab iis dependent, & quorum proinde naturam sortiuntur & accessoriè sequuntur, vt post Molin. notat Zyp. *h.t. n. 13.*

Quintò, prædictis non sufficientibus, Episcopus, Canonici, cæteríque Clerici omnes in eadem Ecclesia beneficiati, pro rata suorum beneficiorum & fructuum, conferre debent, deducto eo, quod ad victum & vestitum decentem est necessarium, *cap. 1. c. de his 4. h.t. can. Si Monachus 16. quæst. 2. can. Decernimus 10. quæst. 2.* Capella Tholos. *decis. 499.* facit *leg. Si quis à liberis §. de alimentis ff. de alendis liberis.* Sic enim nec privata debita aliter soluere tenetur Clericus, quàm ne egeat ideóque nec cedit foro, nec incarceratur, *c. Odoardus sup. de solutionib.*

Sextò, si ne ista quidem sufficiant, eundum est ad populum, qui ibi Sacramenta percipit, nullâ habitâ differentiâ inter nobiles & ignobiles, etiamsi commodo Ecclesiæ renuntiare vellent: nec enim est in potestate Parochianorum, cui Ecclesiæ subsint & vbi Sacramenta percipiant ac divinis intersint, *cap. 2. sup. de Parochiis.*

Septimò, prædictis adhuc non sufficientibus, potest Episcopus fructus ac proventus Capellarum, sub ipsa Ecclesia existentium, ad eius refectionem deputare, Capellanis, vnde honestè vivant, reservatâ congruâ & competenti portione. Vide Concil. Trid. *Sess. 22. cap. 7. & declarat. Congreg. Conc. quam refert* Zerola *p. 3. V. Visitatio dub. 9. incip. Si populus nolit.*

Potest etiam eo casu Episcopus, quæ pro malè partis incertis accipit à testatore aliquo, in reparationem Ecclesiæ convertere. Eodémque modo potest concubinarios condemnare ad aliquam summam pro reparatione Ecclesiæ. Videatur Concil. Trid. *Sess. 25. cap. 14.* VVeymf. *in Analysi c. Ad audientiam num. 21. seqq.* Hæc omnia verò latiùs deducit & probat. Pet. Peckius *tract. de reparandis Ecclesiis*, vbi alias quæstiones movet & discutit.

TITVLVS XLIX.

De immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

1 *Immunitas alia est personarum, alia locorum, alia bonorum.*
2 *Personalis immunitas in quibus consistat.*
3 *In quibus consistat exemptio Localis.*
4 *Confugientes ad Ecclesiam quatenus iure azyli gaudeant.* 5.

POST tractatum de Ecclesiis, quà ædificandis quà reparandis, sequitur recto ordine de immunitate tam ipsarum Ecclesiarum, quàm cœmeteriorum, & aliarum rerum ad eas spectantium, præsertim cùm illa sæpè à laicis, tanquam Ecclesiasticis plurimum infensis, violetur: cuius proinde tuitio vel maximè ad officium Clericorum spectat.

Immunitas in genere nihil est aliud, quàm vacatio seu libertas vel exemptio à muneribus publicis, quæ alioqui sunt communia, vt colligitur *ex cap. 1. h.t. in 6. tit. ff. de vacatione & excusatione numerum & tit. ff. de iure immunitatis*: nam Munus, præter donum, nunc onus, nunc officium, sive dignitatem vel honorem significat, *l. Munus §. tribus ff. de verb. sign. f.*

Dividi potest Immunitas vel ex parte subiectorum, quibus competit, sicque triplex statui potest, alia Personarum Ecclesiasticarum, alia Locorum sacrorum, alia denique Bonorum; quamvis hæc vltima ad duas priores revocari possit: vel ex parte munerum seu onerum, à quibus est exemptio; & ideo, vt Munerum civilium alia sunt Personalia, alia Patrimonialia, alia Mixta, de quibus, quæ sint & quid sint, vide

l. 1.

l.1.& fin.ff.de muner. & hominibus : ita & Immunitas alia à Patrimonialibus,alia à Mixtis.

2 Personalis immunitas in primis consistit in privilegio Canonis , *Si quis suadente diabolo 17. quæst.* 4. nam violentas manus iniiciens in Clericum , excommunicatur. Secundò , in privilegio fori , de quo *lib.2. tit. de foro competenti.* Tertio, in exemptione ab omnibus oneribus personalibus , seu quæ animi provisione & corporali labore absoluuntur , *leg. fin. ff.de muneribus* ; etiamsi honesta sint , & non sordida , vt sunt tutela , cura, legationes, murorum defensio, & similia, *can.Generaliter 16. q.1.* Exceptâ tamen curâ miserabilium personarum,vt viduarum & pupillorum , ac murorum defensione necessariâ *cap. Pervenit.2.hoc tit.can.Pervenit distinct.* 86 Non tenentur item ire ad bellum, vt pugnet , etiam instante necessitate , Abbas *in d.c. Pervenit hoc tit.* Piasec.2. *p. cap.4. articul.8.num.4.* Quartò , in omnimoda exemptione ab obligatione legum civilium , pro solis laicis , vel de materia Ecclesiastica aut bonis Ecclesiarum aut personis Ecclesiasticis , conditarum , quia hæc omnia à iurisdictione laicorum exempta sunt. Legibus verò Principum sæcularium , abstrahendo à Clericis & laicis , latis de materia temporali omnibus communi, ad Reip. bonam pacificámque gubernationem (quales sunt , quibus pretia rebus venalibus imponuntur , vsus armorum prohibetur , vel asportatio frumenti interdicitur , & similes , quæ possunt æquè seruari ab omnibus , sine indecentia vel iniquo gravamine) adstringuntur quidem quoad vim directivam , ex æquitate , & iure naturali exigente, vt cùm sint cives ac membra Reipubl. politicæ , conforment se reliquo corpori , ad pacem & gubernationem eius conservandam ; quoad vim verò coactivam non aliter , quàm quatenus ab Ecclesia confirmatæ sunt , & ratæ habentur. Et ideo si contravenerint,nequeunt à Iudice sæculari puniri. Similiter consistit hæc immunitas in exemptione ab oneribus patrimonialibus , quæ imponuntur ratione rerum, quas quis possidet : cuiusmodi sunt tributa , vectigalia talliæ seu collectæ , *cap. Non minus 4. cap Adversus 7. hoc tit.* nisi evidens vrgeat necessitas , vel magna Reipubl. vtilitas agatur, cui succurrendæ vel procurandæ laicorum facultates non sufficiant, *d.cap.Pervenit, cap. Non minus , &c. Adversus* , Gutierrez *Quæst. civil. lib.1.c.3.* vbi latè disputat, quando & quatenus Clerici teneantur ad refectiones pontium,fontium publicorum , murorum & aliarum id generis contributionum.

Immunitas localis , Ecclesiis earúmque cœmeteriis concessa , consistit primò , in eo , ne 3
in ipsis frequententur emptiones , venditiones aut aliæ negotiationes &, nundinæ , vniversitatum & societatum quarumlibet concilia,conciones & publica parlamenta , multò minùs fœda & profana colloquia , vel quæcumque alia , quæ diuinum possunt turbare officium , neve seruiant litibus aut iudiciis sæcularibus, maximè criminalibus, quæ sanguinis pœnam irrogant , agitandis & exercendis , *c. 1. & cap. Cum Ecclesia 5. h.t.c.2. versic. Cessent. eod. in 6.* Aliud dicendum de iis, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis , vt sunt manumissio , collatio Doctoratus , & similia. Secundò , ne domus quas vel inhabitant Clerici , vel à laicis conductæ, multò minùs domus ipsarum Ecclesiarum, seruiant hospitibus recipiendis , *dict. cap.1. hoc tit.* nisi fortè, antequam cederent Ecclesiæ,eiusmodi oneribus fuerint obnoxiæ , aut Principis repentinus ad expeditionem aliquam id exigat aduentus. Tertiò , ne in iis recipiantur supellectilia priuatorum , nisi etiam vrgeat necessitas , *cap. fin. sup. de custodia Eucharistiæ* : sic tamen , vt necessitate cessante res in pristina loca reportentur , *vt ibid. dicitur.* Quartò , ne incastellentur sed munjantur , & in seruitutem redigantur à laicis , *can. Sanctorum 1. q.1.* Hostiens. *& alij in cap. Cum Ecclesia 6. hoc tit.* Excepto tempore necessitatis , quo Episcopus id permittere potest, modò cessante necessitate in castello quoque cesset, Hostiens. *d. lecon.6.*

* Quintò, in eo , quòd reus cuiuscumque cri- 4
minis, ad Ecclesiam confugiens , paucis casibus exceptis, inde , si quidem liber sit homo , nullo modo invitus extrahi ad mortem vel ad pœnam possit : sin seruus , non ante ad seruitium invitus redire compellatur , quàm dominus de impunitate eius iurato caverit Clericis , *cap. Inter alia 6. hoc tit.* Sed nec ob æs alienum ad Ecclesiam fugiens ab ea de iure extrahi debet , *leg vlt. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Gutierrez latè *quæst. civil. lib.1.cap.1.* post Covar. *Var. resol. lib.2. cap.20. num.14.* Ratio huius immunitatis est honor Ecclesiæ debitus , ne in minori sit honore, quàm olim Ethnicorum aræ & statuæ.

Hac porrò immunitate gaudet omnis Ecclesia, auctoritate Episcopi erecta & diuino cultui destinata, sive sit consecrata, sive non *c. Ecclesia 9. hoc tit.* sive in ea diuina peracta fuerint, sive non;sive sit polluta seu interdicta,sive non, Abbas *in d.c. Ecclesia.*

Quinimò quadraginta passibus circum Ecclesiam matricem seu baptismalem , triginta verò,

verò, si Ecclesia minor sit, atque etiam palatio Episcopali extra Ecclesiæ circuitum situ, sacri Canones hanc immunitatem concesserunt; adeóque ad Monasteria, Hospitalia, privata oratoria ac sacella, auctoritate Episcopi erecta, porrexerunt, licèt plurimùm valeat circa hoc consuetudo, teste Panor. *in dict. cap. Ecclesia.*

3 Non tamen omnes indistinctè hac immunitate seu iure azyli, vt vocat textus iuris civilis, gaudent: nam *in dict. can. inter alia* excipitur publicus latro & nocturnus depopulator agrorum: & in *cap. 1. inf. de homicidio* excipitur is, qui per industriam & per insidias occiderit proximum suum; non etiam is, qui non proditoriè, licet deliberato animo, occiderit. Insuper *cap. fin. hoc tit.* excipiuntur qui spe immunitatis in ipsis Ecclesiis aut cœmeteriis delinquunt, aliàs delictum non commissuri: cùm in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustrà legis auxilium imploret, qui committit in legem. Vide Couar. *dict. num. 6.* Gutierrez *dict. lib. 1. cap. 2.* & constitut. hac de re Gregorij XIV. *incip. Cùm alias nonnulli*, quam refert Piasec. *p. 2. c. 4. art. 8.*

TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immiscеant.

1 *Quibus negotiis sæcularibus Clerici se immiscere vetentur.*
2 *Vetant Canones Legibus civilibus aut Medicinæ operam dare.*
3 *Pœna Clericorum negotiantium.*
4 *Ratio prohibitionis huiusmodi.*

NON omnes verò Clerici vel Monachi gaudent eà immunitate, de qua proximè dictum est, à vectigalibus scilicet & tributis, sed ita demùm, si se sæcularibus non immiscеant atque inuoluant negotiis: id quod vel maximè Clericorum & Ecclesiasticorum quorumlibet officium exigit.

1 Vetantur itaque Clerici sacris initiati vel beneficiati, itémque Monachi immiscere se negotiis sæcularibus, v. g. lites prosequi, *cap. 1. hoc tit. vbi pleraque alia eiusmodi negotia enumerantur*: laicis ministrare, ipsorum negotia gerendo vel procurando, *cap. 2. hoc tit.* procurationes villarum aut iurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus exercere seu iudiciis præesse, sub pœna depositionis, aut grauiori, si sit Religiosus, *cap. 4. hoc tit.* iudicium sanguinis agitare, sub pœna similiter depositionis ab officio & beneficio, *c. Clericis 5. cap. Sententiam 9. hoc tit* aut lucri causâ negotiari, sub interminatione anathematis, *c. secundum institutia 6. hoc tit.* aut tabellionatus officium exercere, *cap. Sicut hoc tit.* ac generaliter, quæcumque auocant à contemplatione & spiritualis vitæ instituto, cui mancipati sunt, *can. duo sunt 12. quæst. 1.* Nemo enim militans Deo sese sæcularibus implicet negotiis, inquit Apostolus *2. ad Timoth. 7. dict. cap. 1. & cap. 41 hoc tit.* * Adeò vt ne Legum quidem civilium 2
aut Medicinæ studia, quantumuis per se honestissima ipsis promiscuè permittantur, *cap. Non magnopere 3. & cap. vlt. hoc tit.* præsertim Religiosis ac Monachis, atque aliis etiam Presbyteris, dignitatem aliquam vel personatum habentibus, vt Theologiæ iurisque Pontificij studio, quod illorum proprium esse debet, pro laudabiliori muneris sui functione, diligentiùs incumbere valeant.

Alias Clerici vel Monachi, qui huiusmodi 3
negotiis sæcularibus sese immiscent, non modò non gaudent prædicta immunitate à vectigalibus & tributis, cæterisque priuilegiis Clericalibus, sed aliis quoque pœnis afficiuntur, *cap. Sed nec procurationes & aliis hoc tit.*

Cæterùm Carolus V. referente Zyp. *hoc tit. num. 2.* Clericos negotiantes declarauit à nullo onere immunes fore, quod ob huiusmodi negotia pendunt laici, 2. *Febr. 1528.* Quiconsonat. *cap. Quamquam sup. de censibus & Clement. Præsenti eodem tit.* Idque iuxta priuilegium Leonis X. ei concessum 2. *id Iunij, 1515.* in Concordatis verò Brabantiæ §. *Clerici* multa eodem teste, enarrantur, quæ clericis permittuntur vel inhibentur; sed agunt, inquit, maxime de priuilegio fori.

Ratio horum omnium est, quia Clericos, 4
sacris Ordinibus initiatos, ac Monachos & Conuersos, diuino officio ac contemplationi & orationi mancipatos, conuenit ab omni strepitu temporalium cessare, *dict. canone duo sunt 12. quæstion. 1.* Nam qui mittit manum ad aratrum, respiciens retrò, non est aptus regno Dei: nec fieri potest, vt profectus non impediatur per sæculares occupationes, iuxta illud, nescio cuius, *Nunquam redij minùs homo, quàm cum inter homines fui.* Zyp. *dict. loco in princ.* Adde negationes istas viz

fieri absque peccato, vt notatur *in cap. Naviganti vltim. inf. de vsuris, & in can. Fornicari distinct.* 88. Et ideò licet laicis permittantur, non tamen nisi ad vsum & necessitatem, cùm nihil sit miserius quàm propter nummum, Deum contemnere. Porrò quatenus & quósque liceat Clerico negotiari vel artificium exercere vide Guiliel. Redoan. *de spoliis Eccles. quæst.* 8. *à num.* 33.

LIBER QVARTVS.

DECRETALIVM.

TITVLVS I.

De Sponsalibus & Matrimonio.

§. I.

Quid sint Sponsalia, & quotuplicia.

1 *Definitio & origo Sponsaliorum.*
2 *Divisio in Sponsalia de futuro, & de præsenti.*
3 *Requisita ad Sponsalia de futuro.*

1 SATIS superque dictum est libro tertio de rebus Clericorum ac Religiosorum, déque rebus, quæ Ecclesiasticis ac laicis communes sunt. Exigit ordo, vt hoc quarto libro agamus de rebus propriis laicorum non quidem omnibus, sed iis, quæ quamvis laicis conveniant, tamen ad forum, & iudicium pertinent Ecclesiæ, cuiusmodi sunt matrimonia, & quæ de iis necessariò accedunt, *c. Accedens* 10. *sup. de procurat.* Videndum igitur primò, quid sit Matrimonium, quomodo & per quas personas contrahatur: secundò, quis sit matrimonij fructus id est quæ sit legitima proles: tertiò, quomodo matrimonium dissoluatur: & denique quomodo itereturs sed quia per Sponsalia ad matrimonia devenitur, priùs de illis tractandum est.

Sponsalia autem sunt futurarum nuptiarum, id est futuri matrimonij, promissio, *can. Nostrates* 30. *quæst.* 5. seu mentio & repromissio, *leg.* 1. *ff de Sponsalib.* sic dicta à Spondendo teste Vlpiano, quòd veteribus moris esset stipulari & spondere sibi futuras vxores vnde & Sponsi Sponsæque appellatio nata est, *leg.* 2. *& 3. ff. eod.* A. Gellius *lib.* 4. *Noct. Attic. cap.* 4. Spondere verò à sponte, id est voluntate deducit Varro *lib.* 4. *de lingua Lat.* vt Spondeo sit, quasi Sponte do vel promitto. *Qui spoponderat*, inquit, *filiam, despondisse dicebatur, quòd de sponte eius, id est voluntate exierat.*

Dividuntur in sponsalia de futuro, subaudi matrimonio contrahendo, quæ iam definita sunt, & propriè Sponsalia vocantur, *cap. Præterea* 2. *cap. Is qui* 30. *& c. vltim. hoc tit.* & in Sponsalia de præsenti, quæ non sunt aliud, quàm mutuus in matrimonium consensus, seu ipsum matrimonium, contractum quidem, sed nondum consummatum, *canone Desponsatam* 27. *quæst.* 2. *cap. Ex parte* 9. *cap. Veniens* 15. *& aliis hoc tit.* Dicuntur tamen etiam Sponsalia, quia & in matrimonij contractu quædam fit promissio mutuæ traditionis corporum, saltem tacitè: imò matrimonium per sponsionem seu stipulationem, sive interrogationem & responsionem, contrahitur, *cap. penult. hoc titul.* Pari modo etiam Sponsa aliquando & propriùs sumitur pro ea, quæ promisit matrimonium de futuro, & nondum contraxit per verba de præsenti, *can. Quidam sponsavit* 31. *can. desponsatas* 46. *& similibus* 27. *quæst.* 2. aliquando verò sumitur pro ea, quæ contraxit quidem de præsenti, sed nondum illud consummavit, *cap. Institutum* 39. *& pluribus aliis, d. loco, cap.* 2. *& fin. inf. de sponsa duorum.* Et hac acceptione Deipara Virgo vocatur sponsa Ioseph & Iosephus sponsus Virginis, cùm inter eos interceserit contractus matrimonij de præsenti. Hæc tamen posterior vsurpatio est minùs vsitata, solétque post contractum matrimonium per verba de præsenti mulier communiter vocari coniux, *can. Qui desponsatam* 12. *d. causa & quæst.* aut vxor, licet aliquando in iure sponsa de futuro vocetur coniux aut vxor, *cap. Inuenis* 3. *& ibi Gloss. in V. coniux hoc tit.*

2 Dividuntur in sponsalia de futuro, subaudi matrimonio contrahendo, quæ iam definita sunt, & propriè Sponsalia vocantur, *cap. Præterea* 2. *cap. Is qui* 30. *& c. vltim. hoc tit.* & in Sponsalia de præsenti, quæ non sunt aliud, quàm mutuus in matrimonium consensus, seu ipsum matrimonium, contractum quidem, sed nondum consummatum, *canone Desponsatam* 27. *quæst.* 2. *cap. Ex parte* 9. *cap. Veniens* 15. *& aliis hoc tit.* Dicuntur tamen etiam Sponsalia, quia & in matrimonij contractu quædam fit promissio mutuæ traditionis corporum, saltem tacitè: imò matrimonium per sponsionem seu stipulationem, sive interrogationem & responsionem, contrahitur, *cap. penult. hoc titul.* Pari modo etiam Sponsa aliquando & propriùs sumitur pro ea, quæ promisit matrimonium de futuro, & nondum contraxit per verba de præsenti, *can. Quidam sponsavit* 31. *can. desponsatas* 46. *& similibus* 27. *quæst.* 2. aliquando verò sumitur pro ea, quæ contraxit quidem de præsenti, sed nondum illud consummavit, *cap. Institutum* 39. *& pluribus aliis, d. loco, cap.* 2. *& fin. inf. de sponsa duorum.* Et hac acceptione Deipara Virgo vocatur sponsa Ioseph & Iosephus sponsus Virginis, cùm inter eos interceserit contractus matrimonij de præsenti. Hæc tamen posterior vsurpatio est minùs vsitata, solétque post contractum matrimonium per verba de præsenti mulier communiter vocari coniux, *can. Qui desponsatam* 12. *d. causa & quæst.* aut vxor, licet aliquando in iure sponsa de futuro vocetur coniux aut vxor, *cap. Inuenis* 3. *& ibi Gloss. in V. coniux hoc tit.*

3 Ad sponsalia proprij nominis seu de futuro requiritur ea ætas, quæ intelligat id quod agit, & septennio completo definita est, tam in fœmina quam masculo, *dict. cap.* 3. *hoc titul.* Requiritur etiam consensus, *cap.* 1. 4. 5. *inf. de desponsat. impub.* & quidem liber, cùm sponsalia ordinentur ad matrimonia, quæ libera esse debent, & pertineant ad statum hominis, qui

in

in arbitrio & electione est cuiusque. Quo pacto autem sponsalia, quæ parentes plerúmque pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, valeant seu obligent, vel non, dicemus postea ad *tit. de despensat. impub.* Debet insuper hic consensus esse mutuus: quorum enim vnum corpus futurum est, vnus debet esse & animus, *canone de nepotis 31. quæst. 2.* Ideóque *in lege 1. ff. de sponsal.* Sponsalia dicuntur esse futurarum nuptiarum repromissio, vt designetur reciproca obligatio consensus. Exprimi quoque oportet hunc consensum aliquo signo exteriori, vt mutuò innotescat, sive verbis, sive literis, sive alio modo: licet aliquando verba vel signa æquipollentia requirantur ad probationem consensus, *cap. Tua fraternitati 25. & c. penult. h.t.*

§. II.

Quinam sponsalia contrahere possint & quibus modis.

1 *Sponsalia rectè contrahunt maiores septennio, regulariter.*
2 *Sive verbis, sive nudo consensu, per se, vel per alios.*
3 *Purè, vel sub conditione.*

1 CONtrahere sponsalia possunt maiores septennio, *cap. 4. & 5. & cap. Ad dissoluendum inf. de despons. impub.* quia huic ætati aliquod inest iudicium animi, quo intelligant contrahentes, quid agant, *leg. In sponsal. 14. ff. h.t.* non etiam minores: in quibus malitia supplet ætatem, *cap. 3. hoc tit.* Covar. *de sponsalib. c. 2.* dummodò aliàs à matrimonio contrahendo non arceantur: nam quibus nuptiæ interdictæ sunt, illi etiam sponsalia, quæ sunt aditus & præparatio nuptiarum, contrahere vetantur, *l. Oratio 16. ff. eod.* & quidem ex iisdem impedimentis, si sint perpetua, nec post contracta superveniant sponsalia: secus si temporaria. Nam impubes potest contrahere sponsalia, non tamen pro eo tempore matrimonium, nisi malitia suppleat ætatem. Similiter qui vovit castitatem ad tempus, non potest pro eo tempore matrimonium contrahere, validè tamen contrahit sponsalia, *arg. l. solet ff. de his qui not. infamia.*

2 Possunt verò prædicti sponsalia contrahere vel per seipsos, si præsentes sint, sive verbis, sive nudo consensu, vt ex interpretatione iuris, *in c. vnico §. idem quoque de sponsat. impub. in 6.* sive etiam solo nutu, vel aliis indiciis, *c. Cùm apud sedem 13. h.t. l. Nutu 21. ff. de legat. 3.* vel, si absentes sint, per literas, nuntium aut procuratorem, ad hoc idoneum, id est ad hoc speciale mandatum habentem, ob magnum quod ex facto tam arduo possit imminere periculum. Ob quod etiam nequit alium sibi substituere, nisi hoc eidem specialiter commissum fuerit, *c. vlt. de procurat. in 6.* Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis, puberibus vel impuberibus plerúmque contrahunt, ipsi filij, si expressè consenserint, vel tacitè, vt si præsentes fuerint, & non contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iustitia publicæ honestatis, *d. c. vnico de despensat. impub. in 6.*

Præterea contrahi possunt sponsalia vel purè, vel sub conditione, *cap. vnico eod. in 6.* 3 Purè concipiuntur his aut similibus verbis, *Ego te accipiam in vxorem, & ego te in maritum*; vel, *Ego te in meam, & ego te in meum, c. penult. hoc titul. & c. 3. inf. de sponsa duorum.* Sub conditione, hac vel simili formâ. *Ego te in vxorem accipiam, si tantum dotis nomine dederis*, vel *si consentiat pater*; quæ ex eventu pendent, *c. 3. & 5. inf. de condit. appositis, c. vnico in fine hoc titul. in 6.* vel, *Accipiam te in vxorem, si intra tale tempus voluerit*, quo casu in certum diem vel tempus contrahi dicuntur. Quod si intra dictum tempus noluerit, à promissione liber est, aliámque eligere potest, qui ita promisit, *c. Sicut 22. h.t.*

Aliam solemnitatem sponsalia necessariò non desiderant, nullam contestationem, nullam scripturam, nullam Parochi aut alterius facerodtis præsentiam nisi de honestate dumtaxat: adeò vt sponsalibus obstare non debeat, quòd clandestina sint, quia circa hoc & alia pleraque in sponsalibus per Conc. Trid. immutatum legimus: quæ propterea relicta esse in terminis iuris sæpiùs respondisse sacram Congregat. scribit Zyp. *hoc t. in princ.* post Gutierrez *tract. de Matrim. cap. 4.* Vide Canis. *ad hoc titulo, circa princ.*

§. III.

De effectu Sponsaliorum.

1 *Sponsalia de præsenti habent eundem effectum cum matrimonio.*
2 *Sponsalia de futuro an necessitatem imponant ad contrahendum.*
3 *Differentia inter sponsalia purè contracta & conditionalia.*

1 EFfectus ſponſaliorum de præſenti idem eſt cum effectu matrimonij, quia non ſunt aliud, quàm ipſum matrimonium: ideóque non magis quam iſtud diſſolui poſſunt, *c.1.2. & inf. de ſponſa duor.* nec per ſecunda ſponſalia de præſenti, nec etiam per matrimonium copulà carnali conſummatum, *cap. pen. hoc titulo.* Quare ſi quis cum duabus ſucceſſivè ſponſalia de præſenti contraxerit, adhærebit priori, eamque vxorem habebit, *d. cap.1.* etiamſi conſuetudinem cum altera habuerit, *d.c.3. & c.fin. hoc tit.*

2 Quantum verò ad effectum attinet ſponſaliorum de futuro, licet olim iure civili alterutri deſponſatorum, vel parti, in cuius eſſet poteſtate, licuerit ſponſalibus renuntiare, *leg. In poteſtate Cod. hoc tit.* adeò vt ne quidem pœna promiſſa deberetur, *l.Titia 134. ff de verb.obligat.* tamen iure novo Codicis cautum fuit, vt ſi quis contractis ſponſalibus nolit nuptias exequi, maior quidem 25. annis duplicet arrhas, minor verò tantùm reſtituat; &, ſi qui dedit, non contrahat, eas amittat; præterquam ſi abſque culpa alterius ſponſalia diſſoluantur, puta morte alterius, vel lege nuptias prohibente, aut diſſolutionem permittente, *l.3.& 5. Cod. hoc tit.* At Iure Pontificio pœnitere quidem licet, ſed qui ſponſalia contraxerunt, monendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem datam ſervent, *cap. Praterea 2. hoc tit.* imò etiam alter ab altero ad hoc iudiciis auctoritate compelli poteſt, *cap.Ex literis 10. & c. ſicut 22. hoc titul.* Franc. Leo *Theſaur. forenſ. c.24. num.2.* quia grave eſt fidem fallere, nihilque fidei humanæ tam congruum eſt, quàm vt pacta ſerventur & adimpleantur, *l.1. ff.de pactis, c.1.& 2.ſup.de pactis.*

Nec obſtat, quòd matrimonia debeant eſſe libera, quia ſenſus eſt, quòd debeant eſſe libera à neceſſitate extrinſecus obveniente; non autem à neceſſitate intrinſecus proveniente, provt hîc provenit ex conſenſu & promiſſione de matrimonio contrahendo. Et ideò ſicut cæteri contractus dicuntur ab initio eſſe voluntatis, ex poſt facto verò, vbi ſcilicet ſemel initi ſunt, aut promiſſio de iis ineundis facta dicuntur neceſſitatis, *l. In commodato 17. §.3. de Commodati, leg. In bonæ fidei §. ſi tamen ff.de eo quod certo loco, l.Si ſterilis 21. §.penult. ff. de actionibus empti, & ſimilibus*: ita & Matrimonium, provt latè tradit Gutierrez *tract. de iuramento confirmatorio cap.51.n.4.& lib.1.Can. quæſt. cap.18. n.10.* vbi ſub finem addit, hanc eſſe praxim vniverſalem orbis.

Non tamen ſtatim per cenſuras Eccleſiaſticas cogendi ſunt, *iuxta d.c. Ex literis*, ſed priùs per alias pœnas, etiam carceris. Marc. Anton. Genuen. *in Praxi Neapol. cap.14.* Baſil. Pontius *de ſacram. Matrimonij lib.12.cap.6.n.2. & ſeqq.* Quod procedit, etiamſi non acceſſerit defloratio, modò de promiſſione conſtet, Genuen. *ibidem*, Farinac. *deciſione criminali 73.* Cæteroquin ſi qui omninò renitantur, non ſunt cogendi præcisè, quamvis iuraverint ſe ſimul contracturos matrimonium, *d.c.2. hoc titulo*, quia coactiones ſolent plerumque difficiles habere exitus, *cap.Requiſivit 17.hoc titulo*, & matrimonium coactè initum eſt ipſo iure nullum, *cap. de muliere 6. c. Veniens 13. c. Ad id 21.h.t.*

3 Differunt autem quoad effectum ſponſalia purè contracta à conditionalibus, quòd contracta purè ſint ab initio perfecta, quódque conſenſu valida, licet aliàs nulla, ob impedimentum vel conſanguinitatis vel affinitatis, aliáve ratione, inducant publicæ honeſtatis iuſtitiam, quæ quidem impediat & dirimat ſponſalia vel matrimonia contrahenda, non autem contracta diſſoluat. Conditionalia vero non niſi eveniente conditione obligationem aut effectum aliquem publicamque iuſtitiam inducunt, *cap. vnico circa princip. iuncto §.fin. hoc titul. in 6.* aut niſi poſtea conſenſus de præſenti intercedat, aut copula carnalis inter ſponſum & ſponſam ſubſequatur: nam his duobus caſibus videntur à conditione appoſita receſſiſſe, & conſenſiſſe in matrimonium, *cap. 5. & 6. inf. de conditionibus appoſitis*, &c. Adhibitâ tamen moderatione Conc. Trident: *Seſſ.24. cap.1. de reformat.* quâ matrimonia clandeſtina decernuntur irrita, nec ſponſalia de futuro per ſequentem copulam tranſeunt in matrimonium, ſicut tranſibant ſecundum iura antiqua.

§. IV.

Quibus modis ſponſalia diſſoluantur.

1 *Diſſoluuntur morte alterutrius: diſſenſu mutuo. 2.*

3 *Per Religionis ingreſſum: per Ordinis ſacri ſuſceptionem.*

4 *Per diſceſſum: per lapſum temporis: per defectum conditionis. 5.6.*

7 *Per ſubſequens matrimonium ac fornicationem alterius. 8.*

9 *Per lepram aut aliam deformitatem: per ſævitiam. 10.*

11 *Per*

11 *Per superuenientem affinitatem & votum castitatis.*

1 DIssoluuntur autem Sponsalia Primò, morte alterutrius: nam mors omnia soluit *Novel.22. de nuptiis cap.20. in princip.* Secundò, mutuo & contrario consensu contrahentium, sponsi & sponsæ, puberum; quemadmodum societas consensu sociorum inita dissensu mutuo dissoluitur *c.2.hoc titul. l.In actione 66. ff.Pro socio.* quia quisque potest remittere, quod sua interest, ac iuri suo cedere, quamdiu non resultat vinculum indissolubile. Nihilque tam naturale est, quàm vnumquodque dissolui eo modo, quo colligatum est, *l. Nihil tam naturale 35. ff. de Regul. Iur.* Idque adeò obtinet, licet sponsalia iureiurando confirmata fuerint, quia quotiescumque iuramentum in favorem alicuius est præstitum, id ab eodem remitti potest, *cap.1.sup. de iureiur.* Covar. *capite 5. de sponsalib.in princ.* Canis. *in d.cap.2. hoc titul.*

Dixi, *puberum*; quia si vterque vel alter eorum sit impubes, non dissoluuntur mutuo consensu sponsalia, nisi vbi ad annos pubertatis pervenerint, *cap.A nobis 8. cap. de illis 9. inf. ff. de sponsat. impub.* Et hoc statutum est ob inconstantiam & levitatem puerorum, ne quotidie nova contrahant sponsalia. In hac tamen specie solo dissensu eius, qui pubes factus est, sponsalia distrahuntur, non exspectato alterius, sive puberis sive impuberis, consensu, *dict. cap.de illa cum seq.* nisi fortè sponsalia iuramento confirmata essent; nam eo casu etiam alterius dissensus requiritur, *cap. Ex literis 10. h.t.*

2 Tertiò, dissoluuntur per Religionis ingressum, *can. Scripsit 16.§.sponsi verò* (vbi exempla proferuntur) *& similibus 17. q.2.* nam si matrimonium ratum, non consummatum, ingressu Religionis dissoluitur, vt postea dicemus, à fortiori sponsalia, etiam non exspectatâ professione. Vt proinde manens in sæculo, mox atque alter ingressus est Novitiatum seu habitum suscepit monasticum, prorsus à sua promissione solutus sit, etamsi alter postmodum deponat habitum. Si tamen Religionem ingressus postea ante emissam professionem egrediatur, tenetur ex parte sua cum muliere adhuc libera contrahere, si & illa velit, quia ipse solutus non est à suâ obligatione. Quòd si verò quis cui fidem dederit, præstito iuramento de contrahendo matrimonio, & velit Religionem ingredi, tutius facturus dicitur, si contrahat priùs matrimonium, sicque iuramentum adimpleat, & tunc Religionem ingrediatur, *cap. Commissum 16. hoc tit.*

Quartò, per suscepti onem Ordinis sacri; nam 3
is impedit contrahi matrimonium, *cap. 1. & 2. inf. Qui Clerici vel voventes, &c.*

Quintò, per discessum alterius, ad alias & 4
remotas terras se transferentis, altero non prænonito, *cap. de illis 5. hoc tit.* quia sponsus ita per orbem vagans videtur ex parte sua renuntiasse sponsalibus, & cessisse iuri suo; ac proinde alteri eadem renuntiandi potestas facta intelligitur. Vide Covar. *d. c.3. de sponsalibus*, vbi tradit, quid de iure civili aliter statutum sit, nempe vt sponsa teneatur exspectare absentem sponsum per triennium, *l.2. Cod. de repudiis.*

Sextò, per lapsum temporis præstituti ad 5
matrimonium de præsenti contrahendum, *cap. Sicut hoc tit.* Cùm enim hoc tempus adiectum sit restringendæ obligationis causâ, vtique vltra protendi non debet, contra mentem contrahentium.

Septimò, si conditio sponsalibus, etiam iu- 6
ratis, adiecta, non sit impleta, *cap.3. inf. de condit. appositis.* Nam quæ sub conditione promittuntur, non ante obligationem pariunt, quàm conditio exiterit, quia sic deest consensus. Aliud dicendum, secundum ius antiquum, si ante conditionis defectum carnalis intervenerit copula, quia per eam censetur recessum à conditione, *c.Per tuas 6. inf. eod.tit.* Agitur autem hîc de conditionibus honestis & licitis, vt postea dicemus.

Octavò, Sponsalia de futuro, non secutâ 7
copulâ, dissoluuntur per sequentia sponsalia de præsente sponsi sponsæve cum tertio, tanquam per fortius vinculum, licet priora fuerint iuramento confirmata, & in posterioribus non sit secuta copula, *c. Si inter penult. h.t.* Dixi non secutâ copulâ, quia cùm secundum ius antiquum, vt ante diximus, sponsalia de futuro persecutam copulam transeant in matrimonium de præsenti, non sufficiente ad hoc conata, *c. Veniens 15. c.Is qui fidem 30.& cap.fin.h.t.* secundum illud ius secutâ copulâ sunt indissolubilia per posteriora, sive de futuro, etiam iuramento confirmata (quia cùm tale iuramentum sit de re illicita non addit maius vinculum, quàm si abesset) sive de præsenti.

Nonò, dissoluuntur per subsequentem for- 8
nicationem alterius, sive voluntariam, sive coactam, *cap. Quemadmodum 25. sup. de iureiurando*: sive carnalem, sive spiritualem, vt per hæresim vel apostasiam, *cap. 2. inf. de*

diuortiis, can. Non solùm, can. iam nunc & seq 28. *quæst.*1. ita tamen, vt solus innocens ab obligatione liberetur: nam delictum suum nemini patrocinari debet. Per præcedentem tamen fornicationem, quæ tempore contractus fuit, dummodò cognita aut facilè cognosci potuerit, non dirimuntur sponsalia, *dict. cap. Quemadmodum*: secus si fuerit occulta omninò, & probabiliter ignorata.

Decimò, Per superuenientiam lepræ, paralysios, aut alterius morbi contagiosi, vel propter amissionem nasi, oculi, aut aliam notabilem deformitatem in alterutro contrahentium, *dict. cap. Quemadmod. & cap. fin. inf. de coniugio leprof.* Dico, in alterutro; quia tanta in coniugij vinculo est æqualitas, vt quæ in vxore locum habent, eadem & in viro obtineant, & è diuerso, *can.* 1. *& sequentib.* 32. *quæst.*6.

10 XI. Per atrocem sæuitiam sponsi sponsæve, antea incognitam & detectam postmodum, *cap. dilectus* 24. *hoc tit.* Similiter ob superuenientes inimicitias capitales inter sponsum sponsámque, vel vtriusque familiam, ne fortè quid deterius inde contingat, *cap.* 2. *hoc tit.*

XII. Per superuenientem affinitatem, vel ratione cognationis spiritualis, *cap. Veniens inf. de cognat. spirituali*; vel ratione copulæ carnalis intra gradum prohibitum, *dict. cap. Veniens & aliis*: cùm enim ob affinitatem impediatur matrimonium, frustrà de sponsalibus contenditur, *can. Si quis sponsam* 26. *q.*2.

XIII. Per votum castitatis, in sæculo emissum ante sponsalia, *cap. Rursus inf. Qui clerici vel vouentes.* An autem etiam ante contracta per subsequens tale votum dissoluantur; dubitatur. Negat Nauar. *dict. loc. num.*27. Affirmat Sotus, volens tale votum esse licitum, quia pertineat ad statum perfectionis, & in sponsalibus semper intelligatur, dummodò non subeant statum perfectiorem.

§. V.

De Matrimonio, quid nominis & rei.

1 *Matrimonium vnde dictum, Coniugium, Connubium, Nuptiæ.*
2 *Matrimonij definitio enucleata.*
3 *Polygamia omni iure vetita.*
4 *Nuptias consensus non concubitus facit.*
5 *Verum matrimonium fuisse inter B. Iosephum & Virg. Deiparam.*
6 *Matrimonium est individua consuetudo.*

SPonsalibus diximus initiari matrimonium, de quibus cùm iam egerimus, postulat ordo, vt de ipso matrimonio videamus, quæ altera tit. est pars, atque in primis de variis eius appellationibus. 1

Dicitur verò Matrimonium à Matre potiùs, quàm à Patre Patrimonium, vel quia, *iuxta D. August. contra Faustum cap.* 26. non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm vt mater fiat, matrisque nomen speret, vel, vt Gregor. propter dolores atque officium seu labores, quos in procreanda & educanda prole suffert mater, *cap. Ex litteris sup. de conuers. infidelium.* Aliter passim in Iure appellatur Coniugium, Connubium, Nuptiæ, *l. In eo iure* 45. *ff. de ritu nupt.* Coniugium à iugo. domesticæ curæ, cui pariter deportando mulier & vir per matrimonium adstringuntur, *can. Cum initiatur* 5. 27. *quæst.*2. indéque Coniuges, auctore Festo, quod sint pares eiusdem iugi. Connubium, verò & Nuptiæ à Nubendo, id est velando seu tegendo, vel vt fœminæ nouerint se semper maritis, tanquam capitibus suis, subditas, *can. Femina* 7. 30. *quæst.*5. *can. Cum caput* 13. 33. *quæst.*5. vel quia pudoris gratia puellæ caput suum obnubere solebant, priusquam viro traderentur, *can. nec illud.* 30. *quæst.*5. Vnde & Rebecca *Genes.*25. viso & cognito Isaac, cui vxor ducebatur, pallio se operuit, *d. can. nec illud.* Sumitur tamen Nuptiarum nomen etiam, aliter, quàm pro matrimonio, nempe pro solemnitate & hilaritate, quæ matrimonij celebrandi causâ adhiberi solet, vt dum sacri Canones certis temporibus nuptias prohibent, *prout in c. Capellanus tuus* 4. *sup. de feriis, & similibus.* Alioquin nuptiæ pro contractu matrimonij sumptæ nunquam interdicuntur, ne quidem Quadragesimali tempore, *dict. cap. Capellanus, & ibid.* Abbas *& alij.* Patétque ex Concil. Trident. *sess.*24. *cap.* 10. *de reform. matrim.*

Matrimonium definitur viri & mulieris con- 2
iunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, *cap. Illud* 11. *sup. de præsumpt. Institut. de patria pote st. in princ.* Dicitur, *viri & mulieris*; quia matrimonium non potest esse nisi in dispari sexu. Hinc nefanda & abominanda, summeque à matrimonio aliena est illa coniunctio, quâ viri viris commiscentur, eámque morte vlciscuntur leges, non modò diuinæ, *Genes.*19. *Leuit.*18. *Exodi* 20. sed & humanæ, *l. Cum vir. C. Ad l. Iuliam de adult.* Iure verò Canonico, si tales Clerici fuerint, deiiciuntur à Clero, vel ad agendam

agendam pœnitentiam in monaſterium detruduntur : ſin laici, excommunicantur,& à cœtu hominum arcentur,*cap. Clerici inf. de exceſſ. Prælator , cap. Vt clericorum ſup. de vita & honeſt. Cler.*

3 Dicitur etiam , *viri & mulieris* , in ſingulari numero ; quia neque iure ciuili neque Canonico licitè poſſunt per matrimonium plures, ſiue viri ſiue fœminæ , coniungi vni viro vel fœminæ : & polygamia , ſeu pluritas virorum aut mulierum ſimul , repugnat quatuor finibus matrimonij : qui ſunt , procreatio prolis , & educatio ; ſocialis cohabitatio ad familiam rectè adminſtrandam, muniáque domeſtica inter ſe congruè partienda ac ſubeunda ; remedium concupiſcentiæ , ac denique ſacramentum ſeu ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Dixi. ſimul , quia licet , ſempérque licuit , ſucceſſivè plures habere vel vxores vel viros , priori matrimonio per mortem alterius coniugum diſſoluto , *vt patet ex tit. ex ſecundis nuptiis.*

4 Sequitur in definitione, *coniunctio.* Pro cuius intelligentia ſciendum, in matrimonio hæc tria potiſſimùm reperiri , conſenſum interiorem, contractum exteriorem , & vinculum ex iis ortum : hic autem ſumitur coniunctio pro vinculo animorum , nato ex mutuo conſenſu interiori & contracta exteriori , tanquam cauſa efficiente ; non autem pro coniunctione corporum , quia matrimonium non facit concubitus, ſeu virginitatis defloratio , ſed pactio coniugalis , ſeu mutua voluntas & conſenſus , *l. nuptias ff. de Reg. iuris , can. Cum initiatur , can. Sufficiat. 27. quæſt. 2. cap. Cùm locum 14. & aliis hoc tit.* Et cùm carnalis copula ſit vſus rei ; in alterius poteſtatem per matrimonium tranſlatæ , non magis ad eſſentiam matrimonij pertinet , quàm in omni alio contractu , veluti emptionis , locationis , &c. vſus rei in eum deductæ pertinet ad ſubſtantiam ipſius contractus.

5 Hinc ſequitur , matrimonium , ſolo conſenſu contractum , licet nulla copula carnalis interceſſerit , dici verè matrimonium, *can. Coniuges & can. coniux 27. quæſt. 2.* nec dirimi per aliud ſubſequens cum alia, etiam carnali copulâ conſummatum , *cap. fin. inf. de ſponſa duorum.* * Similiter verum matrimonium fuiſſe inter B. Ioſeph & D. Virginem, *can. beata 27. quæſt. 2.* quos coniuges fecit conſenſus cohabitandi , & individuam vitæ conſuetudinem retinendi: nam licet B. Virgo propoſuiſſet ſeruare votum virginitatis in corde, nihilominus committens virginitatem ſuam diuinæ diſpoſitioni , conſenſit in carnalem copulam , non illam appetendo, ſed diuinæ inſpirationi in vtroque obediendo, *d. can. Beata.*

Non obſtat *can. Non eſt dubium 16. cum ſeq. ibid.* vbi dicitur , Non eſſe dùbium , illam mulierem non pertinere ad matrimonium , cum qua commiſtio ſexus non docetur fuiſſe : quia, vt aduertit editio Gregoriana , prior Canon reperitur apud D. Auguſtinum , ex quo eum citat Gratianus , videturque ſummarium Canonis ſequentis, quem deprauare quoque legit Gratianus , vt videre ibidem licet in editione Gregoriana.

Non obſtat etiam , quòd matrimonium efficiat , vt ſint duo in carne vna , quod non videtur efficere ante copulam : quia eſſe duos in carne vna, non eſt commiſceri, ſed haberi tanquam vnam carnem, quod fit per hoc ſolùm, quod vterque alterius corporis poteſtatem habeat.

Continetur autem matrimonio individua 6 conſuetudo , quia eo animo contrahitur , vt nunquam diſſoluatur : nec enim matrimonium ad tempus contrahi poteſt, *can. ſolet 32. quæſt. 2. cap. fin. inf. de condit. appoſitis.* In eóque diſtinguitur à concubinatu , qui tantùm ad tempus initur , donec placuerit.

Non obſtat , quòd iure ciuili matrimonium multis modis etiam quoad vinculum diſſolui queat , altero coniugum licet inuito, *tot. tit. ff. de diuortiis & C. de repudiis* : quia illa diſſolutio & ſeparatio præter mentem & animum contrahentium euenit. Iure verò Pontificio , quod hac in parte ſequendum eſt , matrimonium eſt verè individuum atque indiſſolubile , quoad viuit vterque coniugum , quia quos Deus coniunxit , homo non ſeparet , *can. ſi quis cùm matre in fine , can. Quos Deus ſeq. 33. quæſt. 2.* Licet aliquando coniuges ſeparentur à ſe inuicem quoad thorum ſeu cohabitationem , *inf. tit. de diuortiis* ; & matrimonium non conſummatum per Religionis ingreſſum diſſoluatur. Individuâ verò conſuetudine continetur , vt mulier talem ſe in omnibus exhibeat viro, qualis ipſa ſibi eſt, & è conuerſo , *dict. can. Beata* , ſeu , vt dicitur *in l. 1. ff. de ritu nuptiarum* , conſortium omnis vitæ, diuini atque humani iuris communicatio Et hinc fit , quòd eiuſdem ciuitatis cenſeatur vxor, cuius eſt maritus, *l. fin. §. idem reſcripſerunt , ff. Ad municipalem* ; aliáque ſimilia ei ratione mariti competant: de quibus vide Tholoſanum, *Syntag. iuris vniuerſi, lib. 9. cap. 4. n. 9. § 6.*

§. VI.

§. VI.

De materia, forma & ministro Matrimonij.

1 *Materia sunt corpora ipsorum contrahentium.*
2 *Forma sunt verba coniugum sive signa exprimentia consensum.*
3 *Ministri, personæ contrahentes, non Sacerdos.* 4.

1 OMissis variis Doctorum opinionibus, dicendum, materiam matrimonij esse ipsa corpora contrahentium. Vt enim aliorum contractum materia semper est res illa, de qua contractus, quæque datur & accipitur, veluti materia emptionis est domus, ager, equus, vestis: ita enim cùm in contractu matrimonij corpora ipsorum contrahentium tradantur mutuò & accipiantur, iuxta illud 1. *ad Corinth. 7. Vir non habet potestatem sui corporis*, &c. ipsa erunt materia huius Sacramenti, non etiam consensus, *vt vult Gloss. in c. tua nos 26. h.t.* quandoquidem Christus matrimonium reliquerit intra limites & naturam contractus, addita ei consecratione, vt esset contractus sacer, qui ante Christi institutionem erat profanus. Vide Couar. 2. *part. de matrim.* §. *vnico. num.* 8. & Basil. Pontium *de matrim. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 12.

2 Similiter vt forma aliorum contractuum est consensus mutuus expressus verbis vel signo aliquo externo, quo inter contrahentes de re danda & accipienda conuenit: ita forma matrimonij sunt verba ipsa coniugum, vel signa externa, exprimentia consensum. Nam licèt in profanis contractibus verba sufficiant sine consensu interno, eò quòd homines verbis exteriùs prolatis stare debeant, nec possint iudicare de internis: tamen in contractu matrimonij, ob ipsius excellentiam, requiritur etiam consensus internus, signo aliquo externo expressus. Verba ad contrahendum matrimonium magis idonea sunt, *Ego te in meam vxorem accipio, & Ego te accipio in meum maritum c. Si inter virum 30. h.t.* vel alia similia, consensū de præsenti exprimentia: dummodò seriò, non loco pronuncientur, alioquin non obligarent, *l. Obligationum substantia, §. fin ff. de oblig. & act.* Quòd verò idonei scientiâ & ætate ad contrahendū matrimonium, per verba contrahant obscura, vt alter alterum non intelligat, communem verborum intellectum idiomatis, quo contrahunt, sequi tenentur, *c. Ex litteris h.t.*

Ministri verò huius Sacramenti sunt ipsæmet personæ contrahentes. Siquidem is est minister 3
Sacramenti, qui formam Sacramenti superinducit materiæ: id autem faciunt contrahentes, proferendo verba aut signa edendo, quibus mutuum consensum exprimunt. Quamquam, vbi Concil. Trid. est promulgatum, debeant ex illius decreto ea verba proferri, aut signa edi, in præsentia Parochi, aut alterius de eius licentia, & coram testibus, vt postea dicemus.

Quòd autem Sacerdos non sit huius Sacramenti minister, nec eius verba & benedictio sint de essentia matrimonij, sed merè extrinseca, patet tum ex eo, quod ante Conc. Trid. matrimonium, siue publicè sive clandestinè absque Sacerdote contractum, fuerit verum matrimonium, tum ex eo, quòd secundæ nuptiæ non benedicantur à Sacerdote, & tamen sint verè matrimonia & Sacramenta.

Non obstat *Canon Aliter* 30 *quæst.* 5. vbi matri- 4
monia, sine Sacerdote contracta, videntur nō esse matrimonia, sed adulteria, vel stupra, vel fornicationes: quia id intelligitur de foro exteriori, quatenus Ecclesia semper præsumpsit & iudicauit fornicationem, nisi matrimonium legitimis testibus probari possit. Hodie post Conc. Trid. matrimonium absque præsentia Parochi, alterius Sacerdotis, de ipsius Parochi vel Ordinarij licentia, contractum est nullum & irritum, vt postea dicetur.

§. VII.

De ætate requisita ad contrahentium matrimonium.

1 *Ætatem leges pubertate & annorum numero definierunt.*
2 *Canones ex habitu corporis & potentia generandi.*

QVemadmodum verò ad contrahenda sponsalia ita & ad matrimonia ineunda in primis requisita est ætas certa. Qua autem ætate expediat & valeant matrimonia contrahi, variè censuerunt Philosophi, videri licet apud Couar. *part. 2. de matrim. cap.* 5. Cùm verò matrimonium ad prolis generationem institutum sit, iura tam Ciuilia quàm Canonica hanc ætatem pubertate definierunt: hoc tamen discrimine, quòd Ciuilia pubertatem ex annorum numero

soleant

soleant æstimare, in masculo quatuordecim, in fœmina duodecim, *instit. de nupt. in princip. iuncto tit. Quibus modis finiatur tut. & c. 3. inf. de desponsat. impub.* eâ quidem differentiâ inter vtrumque sexum, quòd potentia generandi citiùs fœminis, quàm viris accidere soleat, qua de re latè Tiraquel. *lib. 6. connub. n. 8.* Gutierrez *in Auth. Sacramenta puberum, Cod. Si adversus venditionem, &c.*

2 At verò sacri Canones pubertatem ex habitu corporis & potentia generandi metiuntur, quæ prædictum annorum numerum nonnunquàm antevertit, *cap. 3. 8. & aliis inf. de desponsat. impub.* Quòd cùm fit, dicitur malitia sive prudentia supplere ætatem, scilicet iuris Civilis, *cap. 9. inf. d. t. & c. vnico* §. 1. *eod. in 6.* Exempla vide apud Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 14. n. 29.* Tiraquel. *d. loco n. 37.* Ideóque si pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non suppleat, per verba contraxerint de præsenti, nullum inter eos erit matrimonium adeò vt ne quidem per adventum pubertatis convalescat, nisi iure veteri per carnis copulam subsecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum eiusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora perveniisse constiterit evidenter, *d. cap. vnico* §. 1. *de desponsat. impub. in 6.* Matrimonium tamen ita contractum ex iuris interpretatione resoluitur in sponsalia de futuro, inducitque iustitiam publicæ honestatis, *d. c. vnico* §. 1. *in fine*, vt scilicet actus, qui non valet, vti agitur, saltem eo modo valeat, quo valere potest. Vno tamen casu matrimonium inter impuberes contrahi potest & contractus toleratur, ex Constitut. Nicolai Papæ, *in c. 2. inf. de desponsat. impub.* nempe vrgentissimâ aliquâ necessitate interveniente, vtpote pro bono pacis.

§. VIII.

De consensu contrahentium matrimonium.

1 *Matrimonium circa consensum mutuum iniri non potest.*
2 *Et ad hoc virtualis sufficit consensus.*
3 *Exprimi debet signo aliquo exteriori.*
4 *Debet esse liber ab omni iusto metu.*
5 *Nisi is purgetur, Vanus metus non excusat. 6.*

1 REquiritur quoque ad matrimonium vel maximè mutuum consensum illud contrahentium, satis constat *ex c. Cum locum 14. & aliis h. t.* quia is solus, & non concubitus, nuptias facere dicitur: & inter invitos aut dissentientes non contrahitur matrimonium, *leg. Si patre cogente 22. l. Inviam 28. ff. de ritu nupt.* adeò vt nullâ auctoritate humanâ iniri possit matrimonium citra interventum huius mutui consensus, eo quòd, vt alias rationes omittam, matrimonium sit contractus quidam, de cuius essentia est consensus contrahentium.

Necesse tamen non est, hunc consensum esse 2
formalem, sed sufficit virtualis, qui præsupponit actualem præcessisse. Nam placuit per procuratorem iniri matrimonium posse, dum tamen ad hoc speciale habuerit mandatum de certa ducenda, quod medio tempore non fuerit revocatum, *c. fin. de procurat. in 6.* Hoc enim casu, licet dominus eo tempore, quo procurator eius nomine contrahit, nil minùs cogitet, quàm de matrimonio, subsistit matrimonium, & verè contrahitur, quia sufficit, quod consenserit, & in eo proposito permanserit, donec consensus alterius ex post facto accesserit: siquidem hoc modo & alij contractus, qui consensu ineuntur, inter absentes per nuntium vel epistolam celebrari possunt, *l. 1. §. fin. ff. de contrah. empt.*

Debet autem consensus hic conferri in mutuam corporum potestatem, & veluti dominium ac traditionem, non verò in ipsam copulam carnalem, nisi implicitè quia illa non spectat ad essentiam matrimonij, *vt patet ex ante dictis, & ex can. Beata & duobus sequent. 27. quæst. 2.*

Præterea exprimi aliquo signo exteriori, vt 3
vtrique innotescat. Nihil tamen refert, an verbis, an nutu, vel alio indicio exteriori à contrahentibus exprimatur, *c. Cum apud sedem 23. c. Tua fraternitati 5. h. t.* cùm etiam muti ac surdi matrimonium rectè contrahant per consensum signis expressum. Cur autem mutus matrimonium potiùs nutu contrahere valeat, quam Sacerdos nutu pœnitentem absoluere, ratio hæc est, quia matrimonium habet formam contractus, qui ex natura sua celebrari etiam inter mutos atque absentes potest. At verò Sacramentum pœnitentiæ habet formam iudicij, in quo pronuntianda est à Iudice sententia audito priùs & examinato reo: iam autem mutus naturâ prohibetur esse Iudex, *l. Cum Prator 17. §. non autem ff. de iudiciis.*

Insuper consensus liber sit necesse est ab 4
omni metu, qui possit in virum constantem cadere, *c. Veniens 15. hoc tit.* id est qui prudentem & constantem virum meritò promoveat

ad matrimonium, tanquam ad minus malum: qualis est metus mortis, mutilationis, seruitutis, verbum, longi carceris, exilij, stupri, amissionis bonorum vel maioris partis, excommunicationis iniustæ & sublatu difficilis, ac denique omnis, qui respectivè meritò grauis censeri queat. Quod vir prudens arbitrabitur: nam talis metus matrimonium, quod maximè liberum esse debet, reddit nullum, *d.c. Cum locum & aliis hoc tit.* etiamsi consummatum fuerit: idque ex constitutione humana, ob defectum sufficientis & plenæ libertatis, non verò iure naturali aut diuino præcisè, ex defectu libertatis, vt vult Couar. quia quæ metu fiunt, sunt absolutè libera, possuntque esse meritoria vel demeritoria, licet secundum quid sint violenta, *ex 8. Et hic c. 1.*

Nihil autem interest, an contrahens sua culpa, an aliena, inciderit in hunc metum, vt patet in eo, qui deprehensus in stupro cum puella ad matrimonium cum ea contrahendum stricte pugione adigitur, *dict. cap. Veniens 15. iuncto dict. cap. Cum locum hoc tit.* dummodò incussus metus iniustè fuerit in ordo ad extorquendum consensum matrimonialem. Nam si quis iustè adiudicatus suspendio ob metum mortis cum meretrice vel alia simili persona, vt subinde fit, contrahat, vel per excommunicationem cogatur contrahere cum ea, cum qua se contracturum iurauit, tenet matrimonium.

5 A iusto verò metu necessum videbitur, si metum passus passave sponte alteri contrahentium cohabitauerit, *cap. Ad id 21. hoc tit.* aut corpus illi suum commiscuerit: valet enim eiusmodi matrimonium novo succedente consensu libero, saltem tacito.

6 Cæterùm vanus timor matrimonio contrahendo nihil obest, *l. Vani timoris 84. ff. de Regulis iuris.* Cuiusmodi esse metum reuerentialem verius videtur, quo filius vel filia ob reuerentiam parentum, nullis verberibus, minis, aut alio iusto metu, adacta in matrimonium oblatum consentit, *arg. l. Si patre cogente 22. de ritu nuptiarum.*

§. IX.

De consensu parentum, an is necessarius.

1 *Iure Ciuili necessarius est.*
2 *Iure Canonico de honestate duntaxat.*

DIfferunt hac in parte Ius Ciuile & Canonicum. Nam Ciuile eorum, in quorum sunt potestate contrahentes, consensum, & quidem præuium, exigit, *instit. de nupt. in princ.* adeò vt licet nuptiæ sine parentum consensu contractæ, hoc iure, contemplatione publicæ vtilitatis, non dissoluantur, Paulus, *2. sent. tit. 20.* nihilominus tamen iniustæ atque illegitimæ, iniustique & illegitimi ex eis suscepti liberi censeantur, *leg. Paulus 11. ff. de statu hominum.* Impunè tamen filij filiæve sive patris, in cuius sunt potestate consensu contrahunt, si is ante vigesimum quintum annum ætatis conditionem eis non quærat, aut iniuria prohibuerit ducere vxorem vel nubere, *l. Capite 19. ff. de ritu nupt.* vel patrem furor occurit, *instit. de nupt. in princ.* vel captivitas, *l. Si ita 10. l. seq. dict. 1.* Matris, curatorum, & aliorum, in quorum potestate non sunt contrahentes, consensus non videtur necessarius, *l. In copulanda C. de nuptiis*, similiter filius filiave emancipata sine consensu patris vxorem ducere & nubere potest, *l. Filius 25 ff. de ritu nupt.* nisi ætate adhuc minor sit; hoc enim casu lex assensum patris exigit, *l. In coniunctione 29. C. de nuptiis*, licet vidua sit, *l. Vidua 18. C. eod.* Præsumitur autem consentire pater, fauore matrimonij, qui sciens illud contrahi non contradicit, *l. 1. §. 1. ff. de sponsalib.*

At verò iure Canonico honestum quidem 2
est adhibere consensum parentum, *cap. 1. inf. de desponsat. impub.* Idque suadet ratio naturalis. Et quidem multò magis expedit adhibere in matrimonio, quam in sponsalibus, propter indissolubile vinculum, quod inducit, vt vbi periculum maius intenditur, cautiùs etiam agatur, *c. Vbi periculum 3. de elect. in 6.* maximè ex parte filiarum, quarum, sexus & infirmitas paternæ prudentiæ vel iuris subsidium desiderat, *l. 1. & 2. ff. ad S.C. Velleianum:* quippe quæ plerumque maritorum titillatione aduersus propria cómoda consensum præbent, *l. Si pater C. de sponsat.* Indeque fit, quod multi Canones matrimonia sive consensu parentum contracta damnent, vt *can. nostrates & alij 32. quæst. 2.* Veruntamen id necessarium non est, sed sufficit consensus eorum, qui contrahunt, vt patet *ex can. in sufficiat 17. quæst. 2.* & Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* vbi anathemate damnat affirmantes, matrimonia à filiis fam. sine consensu parentum contracta esse irrita, & parentes ea rata vel irrita facere posse, eo quòd matrimonia debeant esse libera. Cui fauet ea ratio, quòd in iis, quæ ad Sacramenta pertinent, non consideretur patria potestas, *cap. fin. de iudiciis*

iudicijs in 6. Hinc meritò Couar. *2. part. de sponsal. cap 3. § 5.* docet, filiam sine consensu patris nubentem non posse exhæredari, licet turpi vel indigno nubat, ante ætatis annum 25. quantumvis pater velit eam tradere æquè digno, congruâ constitututâ dote: quia nemini facit iniuriam, qui iure permittente matrimonium contrahit; & aliàs tolleretur aut plurimùm minueretur libertas, ad matrimonium à iure Canonico requisita.

§. X.

Quinam matrimonium contrahere possint.

1 *Quidam prohibentur naturâ, quidam lege.*
2 *Impedimenta dirimentia matrimonium contractum.*
3 *Impedimenta contrahi impedientia.*
4 *De hermaphrodito.*

CIrca requisita ad contrahendum matrimonium restant personæ contrahentium. Contrahere possunt, quicunque in legitima ætate constituti consentire possunt, modò non prohibeantur. Est enim edictum de matrimonio contrahendo prohibitorium, vt quicumque non prohibentur, per consequentiam admittantur, *cap. Cum apud 23. hoc tit.*

1 Prohibentur autem aliqui aut naturâ, vt furiosi durante furore, *cap. dilectus 24. hoc tit.* Alioquin interuallo lucido furiosus contrahere potest, nec contractus superueniente furore dissoluitur: item impuberes, nisi malitia suppleat ætatem, & impotentes, *l. in causis C. de repudiis:* Aut lege, eâqua vel naturali vel diuina, aut Ecclesiasticâ. Nam licet Ecclesia matrimonij naturam, vt est Sacramentum immutare non possit, tamen, quatenus est contractus, certas leges ac solemnitates ad illud contrahendum potest præscribere: quia Christus euehens matrimonium ad rationem Sacramenti, statuendo vt omnis legitimus matrimonij contractus in fideles, id est baptizatos, sit Sacramentum, nihil immutauit circa matrimonium, vt est contractus: nec definiuit, qualis & quis esse debeat hic legitimus contractus: nec item, quæ personæ essent legitimæ vel illegitimæ ad eum celebrandum; sed id reliquit humanæ potestati.

Et ideò potèst Ecclesia aliquos ab eo contrahendo submouere: prout etiam submouet, constituto duplici impedimentorũ genere, vno dirimentium, vt vocant, altero impedientium contrahi, non tamen dirimentium contractum. Impedimenta dirimentia, secundùm ius antiquum, duodecim assignantur, contenta his versibus: 2

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Hæc sociandi vetant, connubia facta retractant.

Quibus Tridentina Synodus adiicit clandestinum matrimonium.

Impedimenta verò, quæ matrimonium contrahi impediunt, non tamen dirimunt contractum, sunt duplicis generis. Quædam enim non consurgunt ex crimine aliquo, & sunt quinque, his versibus contenta: 3

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Cathechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia ex crimine proficiscuntur, & sunt septem, comprehensa his versibus:

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris.
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem,
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

De quibus omnibus agerem eo ordine, quo proposita sunt, nisi propositum esset sequi ordinem Titulorum, qui in Decretalibus sunt.

Quantùm autem ad hermaphroditum attinet, cùm iudicandus sit vir vel fœmina, secundùm sexum in eo prævalentem, *l. Quæritur, ff. de statu hominum*, si virilis prævaleat sexus, vir iudicandus erit, & vxorem ducere poterit: sin fœmineus prævaleat, viro nubere, *Glos. in can. Si testes in V. ad testimonium 4. quæst. 3.* Et si iuxta alium sexum contrahat, matrimonium erit irritum, & quidem iure naturæ, tanquam initum inter personas eiusdem sexus. Quòd si vterque sexus sit æqualis, poterit eligere sexum, quo vti malit; & præstito iuramento, quòd in posterum non nisi semel electo vtetur, secundum eum, quem elegerit, matrimonio iungi. Vide Sanchez *de matrimon. lib. 7. disput. 16.* 4

***

TITVLVS II.

De desponsatione impuberum.

1 *Ætas ad contrahenda sponsalia definita non est, vt in nuptiis.*
2 *Plurimùm septennio est, dummodò vsus rationis adsit.*
3 *De sponsalibus duorum infantium vel alterutrius.*
4 *Impuberibus permissum est à sponsalibus recedere.*
5 *Etiam in sponsalibus malitia suppleri ætatem.*

DE sponsalibus & matrimonio in genere vidimus, & vtrobique de iure tam Ciuili quàm Canonico diximus requiri certam ætatem, de qua quoad sponsalia contrahenda paulò specialiùs agendum est.

1 Quia igitur sponsalia sunt promissiones quædam, vt antè dictum est, ideò deposcunt necessariò vsum rationis, & aliquam prudentiam, ac proinde ætatem saltem septennem, in vtroque sexu completam, *cap.4. cap. Accessit 5. & alia, hoc tit.* quia vsus rationis & prudentia vt plurimùm adsunt post septennium, superatâ iam infantiâ, *l. In sponsalibus 14. ff. de sponsal. & l. Si infanti 18. in princ. Cod. de iure deliberandi*: sufficit tamen vltimam diem esse incœptam, fauore matrimonij.

Ad matrimonium verò contrahendum diximus suprà iure Ciuili definitam esse ætatem, duodecim annorum in fœminis, quatuordecim in masculis. Ratio diuersitatis inter sponsalia & matrimonium est, quòd ad sponsalia sufficiat vsus rationis, qui eodem tempore viris & fœminis aduenit seu aduenire solet: ad matrimonium verò requiratur potentia generandi, quæ solet citiùs fœminis accidere.

2 Id tamen intelligendum est, dummodò septennes vsum rationis habeant. Nam si vterque vel alter vsum rationis non habeat, irrita sunt sponsalia. Et ideò Modestinus I.C. *d. l. In sponsalibus*, ait, non esse definitam ætatem in sponsalibus, vt in matrimoniis, quia scilicet in matrimonio semper sufficit ætas definita à iure: in sponsalibus non semper, quia sæpè septennio completo, deest vsus rationis.

3 Si igitur infantes adinuicem, vel vnus maior septennio, & alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi, vel parentes pro iis, sunt nulla & irrita sponsalia huiusmodi, nec per lapsum dicti temporis conualescunt, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu aliàs verbo (vt si facti maioris vocent se sponsos) vel acto (vt si post septennium se osculentur vt sponsi) liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate factos maiores septennio perdurare, *cap. vnico eod. in 6.* seu aliàs expressè vel tacitè sponsalia ratificent.

Hinc qui cum puella minore septennio contraxit, non prohibetur matrem eius in vxorem accipere; nisi illa maior septennio facta in sponsalia consenserit, *dict. cap. Litt. 4. hoc tit.* Etenim maior septennio, licèt impubes adhuc, potest contrahere sponsalia de futuro, quia scilicet intelligit aliquo modo, quid agat, quod satis est ad sponsalia de futuro, *d. l. In sponsalibus.*

4 * Attamen quia impuberes non omninò intelligunt, quid agant, permittitur ipsis, vbi ad annos pubertatis peruenerint à sponsalibus ante pubertatem contractis resilire, si voluerint, *c. per illa 7. cap. A nobis 8. & cap. attestationes 10. h. tit.* nisi carnalis commixtio antè interuenerit, spectato iure antiquo, quia sic videntur consensisse in matrimonium, licèt nondum fuerint puberes, anticipante & supplente tempus pubertatis malitia, *dict. cap. A nobis, & cap. de illa 9. hoc tit.* Secus iuxta Conc. Trident. ex cuius decreto sponsalia de futuro non amplius per copulam subsecutam transeunt in matrimonium.

Non obstant iura quædam, in quibus dicitur, impuberem sponsalia, à patre suo nomine contracta, postquam peruenerit ad perfectam ætatem, debere omninò adimplere: quia id intelligitur de debito honestatis, non necessitatis.

Non obstat quoque, quòd filiæ tum demùm potestas dissentiendi concedi videatur, si indignum moribus vel turpem sponsum elegerit ei pater, *l. Sed ea quæ patru, §. tunc autem ff. de sponsalibus*, aliásque iure Ciuili dissentiendo iustam ingratitudinis atque exhæredationis causam præbeat, *Nouel. 115. Vt cum de appellat. cognos. cap. 3. Si alicui 11.* quia hoc iure Canonico non obtinet, Glos. *in c. 1. h. t.*

5 An autem vt in matrimonio ita & in sponsalibus malitia suppleat ætatem, video dissentire DD. Probabilius videtur supplere, prout existimant Couar. & Sanchez, quia iure tantùm requirunt septennium, vt contracturi sponsalia intelligant, quid agant, *d. l. In sponsalibus*: ergò si ante septennium id intelligant, malitia supplente ætatem, validus erit contractus, præsertim

præsertim in sponsalibus non tantùm sit periculum, quantum in matrimonio, quod est in dissolubile, & oneribus plenum. Idque satis in iure expressum videtur, saltem in æquiualenti, hoc ipso scilicet, quo ius dispositum, per malitiam suppleri ætatem in matrimonio, cùm sponsalia sint via & dispositio ad matrimonium.

Vt proinde non obstat, quòd vbi ius certam ætatem ad intellectum & discretionem exigit, non possit ea per malitiam aut præcox iudicium suppleri, nisi ius ipsũ id exprimat, prout expressit pro contractu matrimonij, *c. Continebat. 6. d. c. A. nobis h. t.* non etiam pro sponsalibus: quia illud obtinet, nisi contrarium sit iure expressum in alio æquiualenti, vt hic contingit. Vide Sanchez *lib. 1. disp. 16. quæst. 2. & 3.* in qua tenet, sufficere ad validitatem sponsaliorum, in quacumque ætate, si ante septennium adsit: præscriptum nihilominus esse septennium à iure, vt præsumatur rationis vsus, quia in ea ætate & non antè præsumitur, nisi contrarium manifestè appareat.

TITVLVS III.

De clandestina desponsatione.

1 *Clandestina matrimonia semper Ecclesia detestata fuit.*
2 *Conc. Trid. decretum de contrahendo matrimonio.*
3 *Denuntiatores siue banna ex causa remitti possunt.*
4 *Matrimonium absque Parocho & testibus contractum est nullum.*
5 *Denuntiationes ad solemnitatem pertinent, ad essentiam.*
6 *Conc. Trid. non obligare, nisi vbi publicatum est.*
7 *Parochus proprius quis dicatur.*
8 *Eius præsentia requiritur, non approbatio.*
9 *Actu presbyter sit, necesse non est.*
10 *Matrimonium clandestinè contractum denuo contrahi potest.*
11 *Circa sponsalia nihil, immutatum nouo iure.*
12 *Quis proprius sit Parochus vagabundorum & peregrinorum.*

INTER ea, quæ in contrahendis matrimoniis cauenda sunt, vel maximum quoque est vitium clandestinæ desponsationis, id est, matrimonij clam contracti de quo in hoc Tit. agitur. Nam tametsi iure antiquo matrimonia clandestina, id est, non præsentibus Parocho vel testibus, libero consensu contrahentium celebrata, rata ac vera essent, *cap. 1. hoc tit.* prout etiam definit Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. in princ.* quia consensus interpositus priuatim consensus est, solus facit matrimonium: tamen Ecclesia ob grauissima incommoda, quæ ex huiusmodi matrimoniis in Republ. contingere soleant, ea semper detestata fuit, atque prohibuit, *can. Non omnes & aliis, 22. q. 2. can. Aliter, can. nostrates 30. quæst. 5.*

Nouissimè verò Conc. Trid. *dict. loc.* cùm animaduerteret prohibitiones illas ob hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpenderet quæ ex iisdem clandestinis coniugiis ortum haberent, præsertim eorum, qui in statu damnationis permanerent, dum, priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contraherent, cum eáque in perpetuo adulterio viuerent; præcepit, vt in posterùm, antequã matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, *Ego vos in matrimonium coniungo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; vel aliis vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, ac deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, vt, si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur: quòd illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit. 2

* Remittique possunt per Episcopum, non solùm ex causa in Concilio expressa, cum scilicet matrimonium malitiosè impediri potest, verùm etiam ex aliis, iustis tamen & arbitrio Episcopi ponderandis, de quibus Zyp. *Tit. de sponsal. & matrim. num.* 11. vt si instet tempus clausum, vt vocat, quo nuptiæ prohibentur: si 3

aliàs timeatur, ne puella à parentibus vel tutoribus tradatur ignobili: si constitutus in articulo mortis velit contrahere cum concubina, vt legitimetur proles ex ea iam antè susceptа: si diues velit ducere pauperem, nobilis ignobilem, senex iuuenem, Piasec. *part. 2. cap. 5. art. 4 num. 5.* post Nauar. *in Manuali c. 22. à num. 30.* & Henriquez *de matrimon. cap. 5.* subiungens, his casibus, & similibus, quibus concedenda videretur denuntiationum omissio, securius esse priùs examinare testes ad minùs duos, qui deponant, scire se inter contrahentes nullum subesse impedimentum, ex Genuen. *in Praxi cap. 26. num. 4.*

4 Qui verò aliter, quàm præsenti Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij (subaudi, vel Vicarij generalis, iuxta declarationem Cardd.) licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos dicta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos esse decernit.

5 Vbi obseruandum, denuntiationes & celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ spectare dumtaxat ad solemnitatem: & propterea, si omittatur, non ideo irritari matrimonium, sed reddi clandestinum, modò cætera requisita seruentur, vt patet ex verbis ipsius Decretij licet puniri possint sic contrahentes, Nauar. *in Manuali dict. cap. 22.* Piasec. *dict. loc. num. 4.* At verò præsentis Parochi, vel alterius sacerdotis, de eius vel Ordinarij licentia, & adhibitio testium, spectant ad matrimonij quandam essentiam, & proinde si hæc desint, vel eorum aliquid, matrimonij contractus non solùm clandestinus, sed & nullus irritusue erit, *vt patet ex versic. Qui aliter quam præsente Parocho, &c.* Adeò vt vlteriùs per Episcopum irritari non debeat, sed sola opus sit declaratione, esse nullum irritum, Piasec. *dict. loc. num. 7. ex declarat. Cardd. quam refert.* Quinimò matrimonium taliter contractum adeò est nullum, vt contrahentes possint, si velint, separari ab inuicem, etiam non expectata sententia iudicis declaratoriâ, Nauar. *de clandest. desponsat. cons. 3. num. 2. & cons. 5. num. 1.* nec ratificetur per subsequentem copulam, quia illa ratificatio cessat post Conc. Trid. vt antè diximus, & docet Nauar. *de sponsal. cons. 18. n. 3.* imò ne quidem in sponsalia de futuro resoluitur, Nauar. *d. cons. 3. num. 3.* nisi esset contractum inter impuberes, vel vnum puberem & alium impuberem, *iuxta cap. 1. de sponsat. impub. in 6.* Piasec. *dict. loc. num. 9.*

6 Obserua tamen prædicta obtinere in locis, vbi hoc decretum Conc. Trident. promulgatum est: nam spectat tantùm ad ea matrimonia, quæ post publicationem eius contracta sunt, adeóque post triginta dies, à die primæ publicationis in parochia factæ numerandos, *vt colligitur ex fine dict. cap. 1. Conc. Trid.* & quidem post Kalend. Maij an. 1564. *iuxta Bullam Pij IV.*

Parochus autem proprius, quem Conc. requirit, est Parochus seu sacerdos, cui principaliter incumbit cura animarum in loco, vbi contracturi domicilium fixum habent, sive vir, sive mulier. Quod addo, quia sufficit præsentia Parochi seu habitationis vel mulieris, dum in eius parochia contrahitur, vel viri, quando in huius parochia celebratur matrimonium: quia solùm requirit præsentiam Parochi absolutè, non autem vtriusque coniugis, & ita declarasse Sacram Congregationem testatur Nauar. *de clandest. desponsat. cons. 4. num. 1.* Hinc licet Parochus sponsæ non possit eidem adsistere in parochia sponsi, valeret nihilominus matrimonium, si contrà fieret, quia verè Parochus est alterius. 7

Proprij item Parochi nomine venit quilibet sacerdos, deputatus ab ipso Parocho: & satisfit Conc. si coram illo contrahatur, etiamsi generaliter tantùm ipsi fuerit commissum exercitium Sacramentorum: imò si verbaliter tantum, Piasec. *dict. loc. n. 13. & 14. ex* Nauar. *quem citat.*

Non requiritur autem Parochi approbatio: 8 nam ipso quoque contradicente contractum, matrimonium valet, dummodò ad celebrationem eius verè & formaliter ab ipsis contrahentibus adhibitus sit, seu adhibeatur, tanquam testis, vel adhibitum esse appareat, licèt ex alia causa inuitatus venerit, etiam confabulationis causa, vel inuitus & per vim compulsus præsens fuerit, licèt etiam Ordinarius illi inhibuerit, ne tales matrimonio iungeret, *ex declarat. Cardd.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 48. n. 35.* Gutier. *de matrim. cap. 69.* Neque enim voluntas Parochi aut consensus requiritur, sicut nec aliorum testium, sed tantùm adhibetur tanquàm testis magnæ auctoritatis, Piasec. *dict. loc. num. 17.* Alioquin si fuerit fortuitò præsens, & de eo contrahentes nihil cogitauerint, vel cogitent, aut licet cogitauerint cogitentue, non tamen ipsum in testem adhibuerint vel adhibeant, contractus erit clandestinus & nullus. Quemadmodum & si fuerit præsens, nec tamen quidquam viderit vel audiuerit, eorum quæ gerebantur, affectasset non intelligere, *ex declarat. Cardd.*

Præterea

6 Præterea neceſſe non eſt, vt Parochus ſit actu Preſbyter, ſed ſufficit quòd ſit verè Parochus, habens titulum & ius Parochi, licet prima tantùm tonſura inſignitus ſit, *vt colligitur ex verbu generalibus dict. conc.* Quamuis aliud dicendum ſit de ſubſtituto à Parocho, quem Sacerdotem eſſe oportere conſtat ex verbis Conc. ibi, *vel alio ſacerdote.* Idque conuenientius fore, nempe vt parochus non actu ſacerdos deleget alicui ſacerdoti vices ſuas, vt is interſit matrimonio contrahendo, reſpondit Sacra Congregatio, Piaſec. *dict. loc. num.* 15.

10 Porrò licet matrimonium ex defectu Parochi vel teſtium (quos ſufficit eſſe vel patrem vel matrem ſponſi ſponſæue, vel alios quoſcumque, ſiue conſanguineos, ſiue extraneos, viros, ſiue fœminas, ex quo Conc. generaliter & indiſtinctè de teſtibus loquitur, Couar. 2. *p. de ſponſal. cap.* 8. §. 12. *num.* 8.) ſit nullum, ita vt nequidem ſponſaliorum inducat obligationem; & qui ſic contraxit, poſſit etiam cum conſanguinea vel affine ſponſæ contrahere, ſi modò non fuerit ſecuta copula, nec aliud ſubfuerit impedimentum, *iuxta declar. Cardd.* tamen poſſunt, qui ſic clandeſtinè & proinde nulliter contraxerunt, licet veniant grauiter puniendi, iterum ſeruata forma decreti Conc. etiam ſine diſpenſatione contrahere, nouo præſtito conſenſu: quia per decretum illud ſolùm redduntur inhabiles ad ſic contrahendum, id eſt, clandeſtinè, *vt patet ex decreti verbis.*

Dixi, nouo præſtito conſenſu; quia is planè neceſſarius eſt: ſicut & quando propter alios defectus matrimonium ab initio eſt nullum, Nauar. *de ſponſal. conſ.* 6. *num.* 4. & *conſ.* 12. *num.* 3. Vnde & ſtylus Curiæ ſeruat, vt in concedendis diſpenſationibus ſuper matrimonio contracto, ſtante impedimento impediente & dirimente, ſemper addatur clauſula, *de nouo præſtito conſenſu*, Nauar. *d. conſ.* 6. Piaſec. *d. loc. num.* 10. vbi ſubiungit, vbi impedimentum fuerit occultum, poſſe ſponſos priuatim tantùm ſibi mutuò præſtare conſenſum, abſque Parochi vel teſtium præſentia, prout ſufficere declarauit Pius V. referente etiam Nauar. *in Manuali cap.* 22. *num.* 70. Idem tradit latè Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 37. *à num.* 3. dicens, Concil. Trident. non comprehendiſſe hunc caſum, cùm loquatur de clandeſtinis matrimoniis: hoc autem matrimonium cùm fuerit coram Parocho & teſtibus contractum, licet nulliter, propter occultum impedimentum, nunquam fuit clandeſtinum, nec ea de cauſa ab Eccleſia prohibitum, nec per Conc. Trident. irritatum, imò Eccleſia putauit eſſe validum.

Cæterùm ſponſalia de futuro clandeſtina dictum Conc. non irritauit, nec quidquam circa ea immutauit, ſed reliquit in terminis iuris communis: præterquam quòd per copulam ſuperuenientem non amplius, vt antè, tranſeant in matrimonium, *prout ſæpiùs reſpondit Congregatio Cardd.* Gutierrez *de matrim. cap.* 4. Sanchez *lib.* 3. *diſ.* 40. *n.* 6. & 7. Riccius *in Praxi deciſ.* 234. Et ideò valent ſponſalia de futuro contracta, non ſeruatis, prædictis ſolemnitatibus, Nauar. *de ſponſal. conſ.* 5. *n.* 2. 11

Denique quantum ad Vagabundos attinet, qui nullam certam ſedem habent, contrahere tales poſſunt coram Parocho oppidi vel loci, in quo fuerint, quia is illorum eſt Parochus, prout declarauit Eugenius Pont. referente Caietano *in V. Abſolutio* Alia eſt ratio peregrinorum, alienigenarum, in loco aliquo ad certum tempus commorantium: nam iſtos oportere contrahere coram Parocho, in cuius Parochia habitant, declarauit Sacra Congregatio. Ideóque ſi qui, ne impediantur à ſuo Parocho, ſe dolosè conferant in aliam ciuitatem, animo reuertendi, poſtquam matrimonium inibi contraxerint, non erit validum matrimonium, Nauar. *lib.* 4. *conſ. tit.* 3. *conſ.* 2. 12

TITVLVS IV.

De Sponſa duorum.

1 *Non licet bina ſponſalia contrahere.*
2 *Contrahens cum vna de futuro, cum alia de præſenti, huic adhærebit.*
3 *Vxor non certificata de morte viri contrahere non poteſt.*
4 *Viro reuerſo ad eundem reuerti cogitur.*
5 *Contrahit quis cum alia validè, mortua vxore, quam credebat viuam.*

ONTINGERE poteſt, vt quis contrahat ſucceſſivè ſponſalia cum diuerſis, & dubitari, quænam præualeant. Dicendum igitur non licere ei, qui ſponſalia contraxerit cum vna, poſtea contrahere cum alia, quia fides promiſſa v[illegible]ſeruanda eſt, *cap.* 1. *hoc tit.* 1

Quòd ſi tamen quis contractis ſponſalibus de futuro cum vna, poſtea cum alia contrahat ſponſalia de præſenti, quamvis hoc agendo peccet 2

peccet graviter, nihilominus adhærere debet posteriori, cum qua contraxit de præsenti, *d. c.1.* quia, vt ante diximus, sponsalia de futuro, dummodò non fuerit secuta copula, spectato iure antiquo, per sponsalia de præsenti, etiam secutâ copulâ, tanquam per fortius vinculum, dissoluuntur, nisi fuerit iuramento confirmata. Sin autem cum vtraque contraxerit per verba de præsenti, ei adhærere debet, & habere vxorem, cum qua priùs contraxerit, licet cum secunda, & non cum priori, consueverit, *c.3. c. vlt. h.t.* quia vinculum prioris matrimonij est indissolubile, ac proinde eo durante non potest alter coniugum iungi alteri, *c. Gaudemus inf. de divortiis.* Idque obtinet, licet matrimonium primum inutile sit propter morbum vel exsectionem, *can. Si qui* 32. *q.7.* aut sterilitatem, *can. Tantum ead. q.* aut diuturnam absentiam coniugis, *c.2. inf. de secundis nupt.* Conc. Trid. *Sess.24.can.5.*

3 Vnde vxor non certificata de morte viri, iuvenili ætate & fragilitate carnis non obstante, contrahere nequit, licet factâ diligenter inquisitione ignoret quid sit de marito, qui longiori tempore abfuit, *c.In præsentia 19. sup. de sponsalib.* Quod non minùs in viris observandum statuitur absentibus vxoribus, *d.c.2. de secundis nupt.* Si verò aliquis vel aliqua dubitet adhuc de morte absentis coniugis, & forte contraxerit, reddere debitum postulanti, non verò exigere, debet, *d.c.2.*

4 Cæterùm quocumque tempore & casu coniux absens redierit; aut superstitem esse constiterit, quia secundum matrimonium fuit nullum, non obstante bonâ fide alterius, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur, *d.c.2. in fine*, nec vllo modo liceat tali petere vel reddere debitum secundæ vxori vel marito imò potiùs sententiam excommunicationis sustineat, *iuxta c. Inquisitioni inf. de sent. excommunicat.* adeò vt ne quidem cum illa manere possit, *can. Si virgo* 34. *quæst.2.*

5 Nec obstat, *c.Perlatum 8. inf. Qui filij sint legitimi*, vbi definitur, legitimos fuisse filios secundi coniugij vivente priore marito: quia causa fuit, quòd divortium à priori marito & transitus ad secundas nuptias facta fuerint per iudicium Ecclesiæ.

Postremò si quis credens vxorem suam esse vivam, cùm sit mortua, ineat matrimonium cum alia, validum erit, modò hac conditione ineatur, Contraho tecum si possim, vel in quantum possum, etiamsi existimet se non posse: quia satis est, quod ex parte rei possit, Covar. *de sponsal.2.p.§.7.n.2.* Aliàs simul & eodem tempore habens duas vxores viventes est infamis, *l.1. ff. de his qui not. infamia l. Neminem C. de inceptis nupt.* Abb. *in c.2.h.t.*

TITVLVS V.

De conditionibus appositis in desponsationibus & aliis contractibus.

1 *Sponsalia & purè & sub conditione contrahuntur.*
2 *Similiter matrimonium & purè & sub conditione.*
3 *Modò honesta conditio sit, possibilis, & de futuro.*
4 *Impossibilis habetur pro non adiecta: vt & turpis de futuro.*

SPONSALIA diximus quandoque purè, quandoque sub conditione contrahi: vnde sumptâ occasione tractat Pont. de conditionibus apponi solitis tam in sponsalitio contractu sive desponsationibus & matrimoniis, quàm in aliis contractibus.

Vt illud obiter repetam, purè contrahuntur sponsalia his aut similibus verbis, *Ego te accipiam in vxorem. & ego te in maritum*: sub conditione verò hac vel simili formâ, *Ego te in vxorem accipiam, si tantum dotis nomine dederis*, vel, *si pater consenserit*; & mulier vtroque casu assentiatur, *c.3. & 5.h.t.* 1

Pari modo matrimonium purè vel sub conditione contrahi potest. Purè veluti, *Accipio te in vxorem, & ego accipio te in maritum*: & hoc pacto contractum statim suum sortitur effectum; sicut & sponsalia purè contracta. Sub conditione, veluti, *Accipio te in vxorem, si patri placuerit*, vel, *tantum dederis*, & hoc modo contractum pendet ex eventu conditionis, sicut & sponsalia sub conditione contracta, *c. Super eo 5.h.t.* Conditioneque posità statim, absque alio contractu, vel matrimonium; sicut & sponsalia, & omnes alij contractus, sub conditione initi, mox eveniente conditione valere incipiunt. Nec enim est ratio, cur idem obtineat in matrimonio, vt communiter docent Canonistæ *in d.c. Super eo.* 2

Nec obstat, quòd ad matrimonium requiratur vtriusque consensus, qui non extat, quàdo supervenit

superuenit conditio : quia dicendum , etiam tum adesse , si non formalem , saltem virtualem , quem sufficere diximus antè.

Quòd si is , qui sub conditione contraxit matrimonium , postea , ante eius euentum, desponsatam sibi cognoscat , censetur à conditione appositа recedere , & ex tunc incipit valere matrimonium, *cap. Per tuas 6. h. t.*

3 Prædicta tamen intelligenda sunt de conditione honesta ac possibili de futuro : hæc enim conditionis propriè dictæ potestatem obtinet, id est negotium in euentum aliquem suspendit; proprièque conditio dicitur , quæ in futurum confertur. *l. Cum ad præsens , l. Itaque & similibus ff. de reb. creditis.* Ac proinde conditio de præsenti aut Præterito , cuiuscumque sit generis , non suspendit matrimonium , sed illud aut vitiat , si deficiat, vel , si adsit & impleta fuerit, statim valet matrimonium.

Dixi etiam , possibilis quia conditio omninò necessaria de futuro nec vitiat matrimonium, nec suspendit (veluti , *Contraho tecum , si cœlum cras moueatur, Si sol, cras oriatur* :) sed statim subsistit matrimonium, quia licet eiusmodi conditio pendeat ex futuro , est tamen determinata in sua causa, ac proinde æquiualet conditioni de præsenti vel præterito.

4 Præterea impossibilis conditio (veluti, *Si cœlum digito tetigero, Si lunam cœlo detraxeris*, aut *pisces aureos piscatus fuero* , (habetur pro non adiecta : sicut & turpis conditio de futuro (vt *Si hominem interfeceris* :) idque fauore matrimonij , vt potiùs valeat, quàm non valeat, *c. fin. hoc tit.* nisi talis conditio turpis repugnet naturæ matrimonij seu tribus eius bonis essentialibus , quæ sunt fides , proles , Sacramentum, *canone. Omne itaque 27. quæst. 2.* nam talis conditio adiecta matrimonio , etiam ex parte vnius tantum , illud vitiat : veluti si quis dicat, *Contraho tecum , si pro quæstu adulterandam te tradas. Si procures abortum , donec inueniam aliam te ditiorem* , contractus matrimonialis caret effectu. *dict. c. vltim.* nam prima conditio repugnat primo bono matrimonij : secunda secundo , & tertia tertio. Repugnat etiam aliquem velle contrahere matrimonium, & apponere conditionem matrimonio contrariam. Si verò talis conditio sit de præterito vel præsenti , non vitiat matrimonium , veluti , *Contraho tecum, si sis adultera, Si impediuisti partum*, modò non obliget ad aliquid futurum quod sit contra matrimonij bona.

Quo pacto autem differant sponsalia purè contracta à contractis sub conditione diximus hoc eodem lib. *tit. 1. Paragrapho 2.*

TITVLVS VI.

Qui Clerici vel vouentes matrimonium contrahere possint.

1 *Ordo sacer impedit & dirimit matrimonium.*

2 *Similiter votum solemne : simplex verò non dirimit. 3.*

VIDIMVS , qui , qua ætate , quo pacto matrimonium contrahere valeant , déque impedimento duplici matrimonij , cum impediente , vt sunt sponsalia de futuro, cum dirimente , quale est aliud matrimonium præcedens : sequitur nunc ordine de aliis impedimentis; quæ posita sunt vel in defectu materiæ , cuiusmodi est ordo & votum solemne , cognatio , affinitas, aliáque similia ; vel in defectu formæ , vt sunt error personæ , & conditionis , violentia siue metus, de quo suprà obiter egimus ; vel in defectu qualitatum , circumstantiarum & conditionum accidentalium ipsius matrimonij , vt sunt votum simplex , interdictum Ecclesiæ , aliáque id genus.

Quod igitur ad Ordinem & votum attinet, F constitutis quidem in minoribus Ordinibus licere vxorem ducere dictum est antè *lib. 3. tit. 3.* At verò ordo sacer non tantùm impedit matrimonium contrahendum, sed & dirimit contractum , vt definitur in Conc. Trid. *sess. 24. can. 9.* constátque ex plurimis aliis Canonibus *dist. 28. & 32.* Dirimit autem non solùm ratione voti annexi, verùm etiam ratione sui , quatenus ipsi Ordini lex Ecclesiastica, irritans matrimonium, est annexa : nam si quis in ordinatione vellet vouere , & accepto Ordine contraheret, matrimonium illud esse irritum, non tamen ratione voti. Dirimit etiam ex iure Ecclesiastico, vti vel ex eo patet , quòd summus Pontifex dispensare possit , vt quis post Ordinem sacrum susceptum contrahat matrimonium.

Quòd si quis constante matrimonio , etiam nondum consummato , sacris initietur Ordinibus , non consentiente vxore, monendus & inducendus est ab Episcopo, vt Religionem ingrediatur. Sin renuerit , & vxor institerit , compelli debet per censuram Ecclesiasticam ad

matrimonij consummationem, reddendumque vxori debitum; illud tamen exigere non potest: & talis ab Ordinum executione suspensus est atque irregularis, *cap. vnico de voto in Extravag. Ioan.22.* & vivere cœlebs à morte vxoris debet. In sacris verò constitutus sciens contrahens matrimonium incurrit ipso facto excommunicationem, *ex Clem. vnica de consanguinit. & affinit.*

2 Votum continentiæ vel est simplex vel solemne, de quo *dict. lib.3. tit.* 34. Simplex impedit quidem matrimonium contrahendum (quia non potest votum continentiæ reddere, ad quod tamen obligatur, qui post illud emissum contrahit matrimonium, cùm debitum petenti coniugi reddere tenetur) non tamen dirimit contractum, *cap. Meminimus 3. cap. Consuluit 4. cap. Rursus 6. hoc titul.* Exceptis tribus votis Societatis IESV, per quæ, licet simplicia, post annum probationis emissa emittentes redduntur inhabiles ad contrahendum matrimonium iuxta Bullam XIII. *incipient. Accedente Domino, editam anno* 1584.

3 Votum solemne & impedit matrimonium contrahendum, & postea contractum dirimit, *cap.1.& 2.hoc tit.* Conc. Trid. *sess.24.can.9.* Dirimit autem ex solo iure Ecclesiastico, quia non aliunde habet, quòd dirimat, quàm ratione solemnitatis superadditæ, vt patet ex voto simplici, quod matrimonium non dirimit. Ideóque cùm solemnitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione sit inventa, *c. vnico de voto in 6.* sequitur voto solemni hanc vim ac potestatem inesse ex solo iure Ecclesiastico, proindéque posse Pontificem super eo dispensare, provt constat aliquoties dispensasse.

TITVLVS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit, adulterium.

1 *Impeditur matrimonium, si alter alterius procuraverit.*

2 *Si item adulter mortem coniugis suæ aut mariti adulteri.*

3 *Si adulteri dederint sibi mutuo fidem de contrahendo.*

SEQVITVR aliud impedimentum, quod provenit ex crimine. Duplex autem est crimen, impediens ac dirimens matrimonium, homicidium scilicet & adulterium; sed in tribus dumtaxat casibus.

Primus est, si maritus vel vxor vnà cum alio conspiraverit in mortem coniugis, animo simul contrahendi matrimonium. Nam hoc casu, si sequatur ex eorum machinatione mors coniugis, nullo modo possunt inter se matrimonio coniungi, licèt non interceserit adulterium; imò licet alter esset infidelis, & ad eius conversionem patrata talis occisio, *c. Laudabilem & ibi Glos. sup. de convers. infidel.* quia vt dicitur ibidem, tale damnum eo lucro Ecclesia compensare non vult.

Dixi, quando vnà cum alio conspiravit, animo simul postea contrahendi; quia si alter tantùm mortem procuraverit, aut aliâ intentione; quàm ad contrahendum, non impedit matrimonium, *d cap. Laudabilem Gloss in c. Super 3. hoc tit. ad V. machinata.* Nec sufficit hoc casu ratihabitio occisionis, suo nomine factæ, quæ nvis sufficiat iussio, consilium, auxilium, *c.1. sup. de convers. infidel.* Navarr. *in Manuali c.22.n.46.* Ratio diversitatis est, quia ratihabitio non est causa actus, nec ad illum concurrit, sicut concurrunt consilium, iussio vel auxilium. Alioquin si nec consilium nec iussio concurrat (vt quia alter interficiens iam omninò fuerit determinatus ad interficiendum, nec consilio animosior factus, aut mandatum ante occisionem revocatum) hæc quoque non sufficiunt. 1

Non obstat quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur, etiam in delictis, quia id fictione fit iuris. Vt autem hæc locum habeat, debent extrema esse habilia ad ipsum actum exercendum, quòd hîc esse non potest, quia morte iam illatatá, machinatio mortis, quæ ad hoc impedimentum requiritur, amplius intervenire non potest.

Dixi, si sequatur mors; quia illud colligitur *ex can. Si quis vivente 31. q.1.* ibi, *occidisse notetur.* Et verba *d. cap. Super hoc, & cap. Significasti h. t.* debent accipi cum effectu, *iuxta c. Relatum sup. de Clericis non resident.*

Secundus casus est, si vel maritus adulter aliquid machinatus fuerit in mortem coniugis suæ, maritive adulteræ, vt cum ea contrahere possit; vel adultera in mortem mariti sui, vxorisve adulteri, vt adultero nubat, *d.c. Super hoc.* Et hoc casu sola non sufficit machinatio, sed requiritur, vt inde mors sit secuta. 2

Tertius casus est, si adulteri dederint sibi mutuò

mutuò fidem de contrahendo matrimonio post mortem coniugis, aut si adhuc vivente coniuge de facto inter se contraxerint, *cap. Significavit, c. Veniens, & c. fin. hoc tit. can. Relatum* §1. Oportet itaque hoc casu datam esse fidem, & interveniſſe verum adulterium ante mortem coniugis: nam solum adulterium non obstat matrimonio contrahendo, *d. c. significasti & d. canone. Si quis vivente.* Nec obstat, *c. 1. hoc tit.* ex quo (in verbis *& illam maximè, cui fidem dederat vxore suâ vivente*) videtur idem colligi, quamvis fides data non sit: nam dictio *maximè* accipi debet pro *tantùm*, Abbas *ibid.* Similiter propositum vel desiderium, absque voluntate se obligandi, non sufficere, sicuti neque conatus copulæ: quia requiritur adulterium consummatum per copulam, & quidem materialiter ac formaliter, nempe vt à parte rei sit adulterium, & vtérque sciat esse adulterium, id est vt probabiliter cognoscat, se, vel alterum, vel vtrumque esse coniugatum, *d. c. Significasti.* Ideóque si quæ errore ducta cum alieno marito, tanquam cum cœlibe, contraxerit, non prohibetur, defunctâ vxore illius, in nouum matrimonium cum eodem convenire, *d. c. 1. Venient h.t.* quemadmodum & si adulterium tantùm interceſſerit, nullo contractu matrimoniali aut sponsalitio admixto, *d. c. Significasti c. Cum haberet 5. hoc tit.*

3 Extra prædictos casus non dirimi matrimonium, inter adulteros contractum, patet *ex can. Denique 31. q. 1.* Ratio autem cur istis casibus impediatur matrimonium inter adulteros, est, ne ob matrimonij spem detur ansa & occasio interficiendæ coniugis.

Sed quomodo, inquies, Ecclesia potuit hoc impedimentum indicere infideli, à sua iurisdictione omninò exempto; Respondeo, non indixisse illi, nec indicere potuisse, sed fideli, vt perpetuò nequeat cum infideli, licet ad fidem convertatur, matrimonium contrahere.

TITVLVS VIII.

De coniugio leprosorum.

1 *Matrimonium propter lepram superuenientem non dissoluitur.*
2 *Sponsalia de futuro dissolui possunt.*

1 DE lepra superueniente, cùm hæc soluat sponsalia de futuro, quæri merito potest, an etiam matrimonium contractum dirimat. Et dicendum, lepræ morbum matrimonij impedimentis minimè annumerandum esse, & proinde nec ipsum matrimonium, quippe individuum & indissolubile vinculum continens, nec eius effectum propter lepram, vel aliud morbi genus superueniens, dissolui: teneríque matrimonio coniunctos, non obstante leprâ superueniente, sese coniugali affectione tractare, vel ad perpetuam continentiam vouendam inducendos esse, *c. 1. & 2. h.t.* Imò possunt etiam leprosi matrimonium contrahere, si inueniant, qui eos accipere velint; obliganturque sibi invicem reddere debitum, licet infirmus à sano illud exigat, *d. c. 2.*

Verùm si sponsalia tantùm de futuro contracta sint, potest aliter ob supervenientem lepræ morbum à sponsalibus resilire, *c. vlt. h.t.* sicut & ob aliam quamlibet enormem deformitatem superuenientem, quia sponsalia intelliguntur contracta, rebus in eodem statu permanentibus, *c. Quemadmodum sup. de iureiurando.* 2

TITVLVS IX.

De coniugio seruorum.

1 *Error personæ est impedimentum impediens & dirimens.*
2 *Similiter error conditionis seruilis.*
3 *Estque hoc impedimentum iuris Ecclesiastici, non naturalis.*
4 *Ignarus conditionis seruilis propriâ auctoritate recedere ab vxore potest.*
5 *Valet matrimonium liberi cum libera, seruicum ancilla. 6.*
7 *Error circa bona fortunæ nec impedit nec dirimit.*

AGITVR hîc de impedimento conditionis & erroris. Vbi obseruandum, errorem in contrahendo matrimonio contingere dupliciter, aut circa personam, vt si quis cum vna quapiam contrahat, putans esse aliam, aut circa conditionem & statum personæ, vt si putetur liber, qui seruus est; aut circa fortunam, vt si putetur dives, qui est pauper; aut denique circa alias qualitates, vt si putetur nobilis, aut virgo, quæ talis non est.

Ex his error personæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum; 1

sive anteceſſerit, id eſt, præbuerit cauſam contractui matrimoniali, quippe qui aliàs ſecutus non fuiſſet; ſive concomitatus fuerit, id eſt, non induxerit ad contrahendum, quo tamen non exiſtente contractum fuiſſet matrimonium. Ratio eſt, quia vterque hic error tollit conſenſum voluntarium in perſonam præſentem, qui tamen conſenſus eſt cauſa efficiens matrimonij; & abſque eo matrimonium iure naturæ eſt irritum: conſentit enim in perſonam, quam animo concipit, & non conſentit, qui errat, *c.2. & vlt. h.t.* Et ideò talis error dirimit matrimonium iure naturæ, quia libertatem & conſenſum aufert, *l.Si per errorem, ff.de iuriſdict. om. Iud.*

2 Similiter error conditionis ſervilis impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: ideóque ſi liber contrahat cum ſerva, quam liberam eſſe credebat, poteſt, poſtquam conditionem illius detexerit, ab ea ſeparari, & aliam ducere, *c.2.3.& vlt.h.t.can.Si quis ingenuus 29.quæſt.2.* niſi eandem, poſtquam intellexerit eſſe ſervam, cognoverit carnaliter, *d.c.2. & c.4.h.t.* aut cum ea contraxerit, *d. can. Si quis ingenuus, cum duobus ſeq. 29. quæſt. 2.* Idem eſt iudicium de eo, qui dubitans de conditione alterius, cum ea contrahit, quia talis non cenſetur errare & non conſentire, ideóque ſubſiſtit matrimonium.

3 Eſtque hoc impedimentum non iuris naturalis, (vt conſtat cùm ex eo, quòd ſervitus cognita non dirimat matrimonium; tum ex eo, quòd hic error non ſit in ſubſtantia rei, de qua contrahitur, ſed in qualitate, cuiuſmodi error non tollit voluntarium ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, nec impedit etiam abſolutam traditionem corporis & rationi ſtatus conſonam, ſed ſolùm plenam & perfectiſſimam) ſed Eccleſiaſtici, inductum ab Eccleſia, favore eius, qui eſt liber, qui alioqui graviter deciperetur, propter obſequia domini, quibus ſerva adſtringitur, & quia ſervitus bonis matrimonij admodum adverſatur: bono quidem Sacramenti atque individuæ vitæ ſocietati, quia ſeruus tenetur in domo domini habitare, ab eóque mitti poteſt ad partes remotiores, inibi vendendus: bono verò fidei, quia ad libitum reddere debitum non poteſt, ſed cùm ei vacat, & obſequiis domini ſatisfecit: denique bono prolis, quia eam alere nequit, cum omnia acquirat domino, nec ſit futura in poteſtate parentis, vt religiosè educatur. Nec hinc ſequitur, hoc impedimentum eſſe iuris naturalis, quia licet bonis adverſetur matrimonij, vt dictum eſt, non ita tamen, vt ſubſtantiam matrimonij deſtruat, ideóque non magis irritaret matrimonium, quàm error circa qualitatem, niſi Eccleſia aliter ſtatuiſſet. Vide Sanchez *de matrim. lib.7.diſp.19.*

An verò coniux, ignarus ſervilis conditionis, 4
poſſit propriâ auctoritate ab vxore recedere, vbi ſervitutem detexit? quæri poteſt. Reſpondeo poſſe, ceſſante ſcandalo: ſecus, ſi non ceſſaret ſcandalum. Et in hoc poſteriori caſu coniugi ſervilis conditionis incumbit onus probandi ſcientiam ſuæ conditionis in altero, quia in libero præſumitur ignorantia ſervitutis alterius, tanquam facti alieni, niſi contrarium probetur, *cap. præſumitur de Regulis iuris in 6.* aut niſi tempore contracti matrimonij ſervitus alterius fuiſſet communiter eo in loco nota; præſumitur enim ſcientia eorum, quæ communiter innoteſcunt, *cap.1.ſup.de poſtulat.Prælator. can.Quod dicitis, diſt 16.*

Valet autem matrimonium liberi cum libe- 5
ra (id eſt ea, quæ cùm antea ancilla & ſerva fuerit, iam libertate donata eſt) quam exiſtimat liberam & ingenuam, quia iam verè libera eſt. Hinc etiam ſervi adſcriptitij, id eſt coloni, qui glebæ & fundo perpetuò colendo adſcripti & addicti ſunt; item originarij, id eſt ex adſcriptitiis nati, validè contrahunt, cum ſint verè liberi, licet ad certas operas teneantur, Gloſſa & Abbas *in cap.2. inf. de Iudais*; nec conditionis error dirimit matrimonium, quia Eccleſia non ex cuiuſcumque conditionis, ſed ſervilis dumtaxat, errore matrimonium irritat.

Similiter valet matrimonium ſervi cum an- 6
cilla, vel etiam ſervi cum libera, ſervitute antea notâ, invito quoque domino, *cap.1. hoc tit.* Attamen per hoc non liberatur ſeruus à conſuetis & debitis ſervitiis domino exhibendis, *d.cap.1.* & liber ancillam ſcienter ducens fit irregularis, *can.Si quis viduam, diſt.34.* quia vilis & infamis perſona reputatur. Sunt tamen quidam caſus, quibus ſeruus contrahens cum libera fit liber, de quibus vide Covar, *de ſponſal. 2.p.cap.3. §.7.* Sanchez *d.lib.7. diſput.20.* Et hæc quidem iure Canonico: nam iure Romano legitimæ nuptiæ ſolùm contrahuntur inter cives Romanos.

Denique error circa bona fortunæ & alias qua- 7
litates coniugum nec impedit nec dirimit matrimonium, modò non redundet in errorem perſonæ: ſicut nec alij contractus, v.g. venditio & emptio, ſi ſint abſoluti, ex ſimili errore reſcinduntur. Ratio eſt, quia talis error non tollit conſenſum in perſonam præſentem, licet illa, quoad aliquas conditiones accidentarias

accidentarias matrimonio, existimetur aliter effecta.

TITVLVS X.

De natis ex libero ventre.

1 *Partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris.*
2 *Idque sive ex legitimo sive non legitimo matrimonio filij nati sunt.*

CVM superiori tit. dixerimus, subsistere iure Canonico matrimonium inter seruum & seruam vel liberam, illius occasione hîc quæritur, an natus ex libero ventre, id est matre liberâ, patre verò servo, censendus sit seruus, an liber: idque ex conditione matris æstimandum esse traditur. * Vnde 1 natus ex libero ventre, id est, matre liberâ, non quidem ingenuâ, sed & libera, cuiuscunque conditionis fuerit pater, liber erit & ingenuus: & è diverso nascetur seruus, si mater fuerit ancilla, *c. vnico h.t. c. vlt. sup. de seruis non ordinandis, leg. Partum Cod. de rei vindicat. §. pen. Inst. de iure personar. §. sed si quis instit. de ingenuis.* Ratio est, quia quando quæritur de servitute vel libertate, partus sequitur ventrem, id est conditionem matris, *l. 5. §. 2. ff. de statu hominum.* Idque favorabilius est proli, quandoquidem ad hoc, vt sit libera, sufficiat matrem fuisse liberam aliquo tempore, vel conceptionis, vel partus, vel medio, etiam per minimum momentum à conceptione: quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est, *d. l. 5. ff. de statu hom. & Instit. de ingenuis.* Cùm interim respectu patris non nisi conceptionis tempus, quo causa est efficiens, inspici possit. Adde, quòd quoad libertatem legis inspexerint id, quod est certiùs: iam autem constare certò nequit, quo patre filius sit procreatus, cùm tamen constet semper, ex qua matre sit in lucem editus.

Et hoc quidem obtinet, licèt quis ex propria ancilla filium habeat; nam & is eius seruus est, *leg. 2. Cod. Si mancipium ita fuerit alienatum &c. leg. fin. Cod. Communia de manumissionibus.* * sive filij nati sint ex non le- 2
gitimo matrimonio, *d. l. 5. §. 2. ff. de statu hominum*, sive ex legitimo, quia textus iuris indistinctè loquuntur.

Non obstat *leg. Cùm legitimè 19. ff. dict. tit.* quia ea ita intelligi debet, quòd filij ex legitimo matrimonio sequantur patrem quoad familiam & originem, *Glos. ibid.* Non obstat quoque *can. fin. 32. quæst. 4.* quia à Glossa & communiter explicatur, vt filij tales sequantur deteriorem partem, id est debiliorem, qualis est fœmina.

Hæc tamen intelligenda sunt, quando agitur de servitute vel libertate ex vi natalium: quia aliis de causis potest natus ex libro ventre redigi in servitutem, veluti si ob ingratitudinem pater in servitutem reducatur, *l. 2. Cod. de libertis & eorum liberis, vers. filiis.* Videatur Hostiens. *in Summa hoc tit. §. Et in quibus*, Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 24.*

Præterea si consuetudo alicubi aliter habeat, ea, favore libertatis, non est improbanda, *cap. Licet 3. sup. de coniugio servor.* Nam cùm hæc res sit ex iure positivo, potest consuetudo prævalere, *cap. vlt. sup. de consuetudine.*

TITVLVS XI.

De cognatione spirituali.

1 *Cognati vnde dicti.*
2 *Cognatio triplex, Naturalis, Spiritualis, Civilis.*
3 *Cognatio Spiritualis quanam dicatur.*
4 *Cur ex Baptismo & Confirmatione oriatur, non ex aliis Sacramentis.*
5 *Inter quos contrahatur de iure Decretalium.*
6 *Et de Conc. Trid.*
7 *Cognatio spiritualis, quæ ex Catechismo oriri solet, hodie sublata.*
8 *Cognatio spiritualis dirimit matrimonium postea contractum.*

NIHIL est, quod magis impediat ma- 1
trimonium contrahendum, aut dirimat contractum, quàm cognatio. Hoc-que impedimentum ex cognatione proveniens latè patet, & propterea de eo per plures titulos tractat Pontifex.

Cognati ab eo dici putantur, quòd quasi vnâ 2
communiterve nati, vel ab eodem orti progenitive sint, *l. 4. §. 1. ff. de gradibus & affinib.* vel quasi ex vno nati, aut quasi commune nascendi principium habuerint, *l. 1. §. 1. ff. Vnde cognati.*

Est autem Cognatio generale nomen, signifi- 3
cans omne vinculum, quod vel naturaliter

ex iure sanguinis vel ex iuris dispositione inter aliquos contingit. Hinc accommodatè ad propositum dividi potest in Cognationem Naturalem, Spiritualem (de qua tanquam digniore priùs agendum est) & Civilem sive Legalem.

Cognatio Spiritualis, quam Compaternitatem & commaternitatem vulgò appellant, est vinculum ac coniunctio, nascens ex constitutione Ecclesiæ inter aliquos ex Baptismi & Confirmationis collatione, vel recipientis hæc Sacramenta susceptione: indéque Spiritualis dicta est, *c. vlt. h.t. in 6.*

4 Dixi, ex constitutione Ecclesiæ: quia cùm hæc Sacramenta nullum habeant fundamentum in iure naturæ, sed ex sola Christi institutione incœperint; nec vllus reperiatur in sacra Scriptura locus, vbi illius fiat mentio, non potest hæc cognatio esse iuris naturæ vel divini positiui: licèt fundamentum aliquod in iure diuino habeat: quandoquidem 1. *Pet.* 1. appelletur regeneratio per Christum facta per hæc Sacramenta: ac proinde restat, vt sit inducta per Ecclesiam, *can. de eo, can. Si quis Filiastrum, & aliis multis 30. quæst. 1. cap. Veniens 9. & similibus; hoc tit. c. 1. eodem in 6.*

Ideò autem nascitur potiùs ex Baptismo & Confirmatione, quàm ex aliis Sacramentis, quia per Baptismum & Confirmationem, & non per alia Sacramenta, renascitur & regeneratur homo ad vitam æternam, seu vnus ab alio recipit esse quoddam spirituale, *can. 1. 2. & 3. 30. quæst. 3.* Et in his Sacramentis ministrans est quasi generans, susceptor verò sive patrinus est quasi mater, quæ nomine Ecclesiæ in suo gremio suscepit baptizatum & confirmatum. Et propterea, vt per naturalem natiuitatem naturalis exurgit cognatio, impediens & dirimens matrimonium, ita per spiritualem spiritualis cognatio oritur, similiter impediens & dirimens matrimonium, ob peculiarem reverentiam, quam alter alteri debet, cui maxime repugnat actus coniugalis. Proindéque cùm in aliis Sacramentis non cõtingat hæc aut similis regeneratio, non contrahitur quoque aliqua cognatio spiritualis, *cap. fin. §. fin. in 6.* Nam licèt conferant esse spirituale gratiæ, non tamen id faciunt per modum spiritualis regenerationis, sed vel per modum alimentationis, vt Eucharistia, vel per modum sanationis aut reconciliationis, vt Pœnitentia,

5 Contrahitur hæc cognatio iure Decretalium inter baptizatum & patrinum patrinamve sive susceipientem de baptismo, intèrque eundem baptizatum & susceipientis liberos atque vxorem, ante susceptionem carnaliter ab eodem cognitam: item inter susceipientem ac baptizati patrem matrémque: ac denique inter baptizatum & baptizantem, cúiusque filios & filias, *cap. 3. 4. 6. & 8. hoc tit. cap. 1. eodem in 6.* indémque modis ex confirmatione oritur, *dict. cap. 1. §. fin. eodem in 6.* Et ideò si inter hos contrahatur matrimonium, iure decretalium esset dirimendum. Possunt tamen eodem iure filij compatrum matrimonio inter se iungi, modò pr neutrum eorum deuentum sit ad compaternitatem, & modò non obstat consuetudo loci, *dict. cap. 1. & 3. h.t*

Cæterùm Conc. Trid. *sess. 24. cap. 2. de reform. & matrim.* grauissimis de causis hanc cognationem spiritualem nonnihil coarctauit: statuitque vt vnus tantùm, sive vir sive mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta: vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo susciplant; inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem; nec non inter baptizantem & baptizatũ baptizatique patrem & matrem tantùm contrahatur spiritualis cognatio. Et paulò post, Ea quoque cognatio, inquit, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatũ illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.

Ex quibus verbis Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 10.* existimat cognationem spiritualem imperfectam, quæ iure decretalium oriebatur ex Catechismo inter easdem personas, inter quas ex Baptismo oriebatur, *cap. Contracto 5. h.t. c. 2. eod. in 6.* (eò quòd Catechismus ex natura sua sit quoddam initium Baptismi & regenerationis spiritualis) esse sublatam, cognationisque spiritualis impedimentum sublatum, præterquam in casibus ibi expressis, inter quos non recensetur Catechismus.

Dirimit verò cognatio spiritualis matrimonium postea contractum dumtaxat, *c. Veniens 6. h.t d. c. 1. eod. in 6.* non verò antea contractum, si superueniat, *c. Si vir. 2. h.t.* Nam nec vllum aliud impedimentum dirimit matrimonium, antea legitimè contractum, licèt vsum eius, id est, petitionem debiti impedire possit. Si quis enim filiam suam baptizet scienter, extra casum necessitatis non potest ab vxore sua debitum petere, licèt reddere teneatur, *d. cap. 2.* Et licèt aliquando separatio concubitus coniugum ob id indicta fuerit, *can. 1. 30. quæst. 1.* tamen id postea fuit reformatum, *can. nosce, can. dictum dict. loc.*

TITVLVS XII.

De cognatione legali.

1 *Quæ dicatur legalis.*
2 *Impedit contrahi matrimonium & dirimit contractum inter ascendentes & descendentes.*
3 *Inter collaterales tantùm durante adoptione.*
4 *Inter fratres adoptiuos eorumque liberos, & similes consistit matrimonium.*

1 COGNATIO legalis est proximitas per adoptionem alicuius prouenies: inde appellationem hanc sortita, quòd primùm à legibus civilibus inuenta & inducta sit, §. *Sed si quia institut. de nuptiis*: deinde à sacris Canonibus accepta & approbata, *cap. vnico h.t. can. ita diligere* 30. *quæst.* 3.

2 Hæc non solùm impedit matrimonium contrahi, sed etiam postea contractum dirimit. Et quidem in infinitum inter eos, qui per adoptionem sibi parentum liberorumque loco esse cœperint: veluti inter adoptantem & adoptatum, eiusque liberos seu descendentes: inter adoptantem & vxorem adoptari quæ est illi instar nurus, ac rursus inter adoptatum & vxorem adoptantis, quæ illi est instar nouercæ, *d. can. Ita diligere l. Adoptiuus* 14. *l. Quin etiam* 55 *ff. de ritu nupt.* Adeò vt ne quidem dissolutâ per emancipationem adoptione contrahere valeant, quia in nuptiis contrahendis non tam spectandum quid liceat, quàm quod honestum est naturale scilicet ius, sola honestate ac solo pudore constans, *dict. l. Adoptiuus* §. 2. *in fine*, *l. Semper* 197. *ff. de R. I.* honestum autem non est, vt qui parentum loco fuerunt, vel sunt, contrahant cum iis, qui fuerunt vel sunt loco liberorum.

3 In aliis verò, qui per adoptionem parentum liberorumque locum non obtinent, sed fratrum sororumve & à latere venientium, veluti inter filios naturales adoptantis, in eius potestate existentes, & adoptatum, impedit quidem & dirimit matrimonium hæc cognatio, sed eousque tantum, donec manet adoptio, *l.* 17. *ff. de ritu nupt. dict. cap. vnico hoc tit.* vbi dicitur, inter filium legitimum & sororem adoptiuam nuptias consistere non posse, quamdiu durat adoptio: nam verba illa, consistere non posse, insinuant satis, dissoluendum esse matrimonium, vel permanere non posse. Addit, quòd verbum, potest, præposita negatione tollat potentiam & reddat actum nullum, *Glos. in c. 1. de R. I. in* 6. Ratio est, quia honestas non patitur, vt quis cum sorore, licèt adoptiua, matrimonium contrahat, quamdiu durat adoptio, quæ imitatrix est naturæ. Quâ dissolutâ siue per mortem adoptantis, siue per emancipationem, cùm non sint ampliùs fratres & sorores, tanquam cessante causa, cessat hæc prohibitio, vt & durante eâ, durat, cùm sit ob interpretatiuam tantùm filiationem ex adoptione prouenientem. Secus atque in quasi ascendentibus, quia reuerentia, quam debet adoptatus, cum sua vxore & suis descendentibus, adoptanti, eiusque vxori, est perpetua, & proinde perpetuâ etiam prohibitio.

Cæterùm inter adoptantem & adoptiui parentes, itemque inter fratres sororesve adoptiuos, id est, adoptatos ab eodem parente, potest consistere matrimonium, quia inter eos nullo iure cognatio inducta reperitur. Nam *dict. cap. vnicum hoc tit.* loquitur de vera filia patris adoptantis, quæ incœpit esse soror adoptiui fratris, filij scilicet adoptati à suo legitimo patre.

A fortiori etiam filij duorum fratrum adoptiuorum, & rursus filia illegitima adoptantis & adoptatus matrimonio iungi possunt, ob eandem rationem, quia si cognatio hæc inter filios legitimos & adoptiuos cesset, soluta patria potestate, minùs etiam eadem contrahitur, vbi filius vel filia talis est, vt non sit in patria potestate, qualis est illegitimus. 4

Non obstat. *dict. can. ita diligere* 30. *quæst.* 3. vbi dicitur, inter eos, qui natura, & eos qui adoptione filij sunt, non contrahi matrimonia: quia ibi per filium naturalem intelligitur legitimus, diciturque naturâ filius siue naturalis, non vt distinguatur à legitimo, sed à spirituali.

Non obstat etiam, quòd filius illegitimus non possit contrahere cum consanguineis sui patris; vnde sequi videbatur, quòd nec cum adoptiua ipsius filia: quia prius fit propter vinculum naturale consanguinitatis cum patre, eiusque consequenter consanguineis. Iam autem cum adoptiuis nullum est vinculum naturale, sed ciuile dumtaxat: & hoc quidem cùm cesset, soluta patria potestate, non contrahitur inter eos matrimonium, qui in patriam potestatem non transeunt. Ob hanc eandem causam potest pater adoptans contrahere cum filia suæ adoptiuæ, quia cùm hæc non sit in potestate

state matris, non transire in potestatem adoptantis matrem. Videatur de his latius Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 63.*

TITVLVS XIII.

De eo, qui cognouit consanguineam vxoris vel sponsæ suæ.

1 *Affinitas orta ex copula illicita, soluit sponsalia de futuro.*
2 *Non etiam sponsalia de præsenti.*
3 *Incestus impedit exactionem debiti, & contrahi aliud matrimonium.*
4 *Non tantùm ex parte viri, sed & vxoris, incestum committentis.*
5 *Idque vsque ad secundum affinitatis gradum, ex decreto Conc. Trid.*
6 *Incestus tamen formalis sit oportet & consummatus.*
7 *Differentia inter incestum cum consanguinea vxoris & sponsæ.*

1. CVM duobus superioribus Titulis actum sit de cognatione spirituali & legali, ordo postulabat, vt de cognatione carnali seu naturali ageremus, verùm visum fuit non importunum, si priùs satisfieret dubio de iis impedimentis, quæ quidem tunc, cùm sponsalia vel matrimonium inter aliquos contraherentur nulla erant, sed postmodum inter eosdem, contractis iam sponsalibus vel matrimonio, superuenerunt, cuiusmodi est affinitatis cognatio, quæ oritur ex copula habita cum consanguinea vxoris: de hac enim dubitari etiam poterat, vtrùm impediret & dirimeret matrimonium.

Si quis igitur cognouerit consanguineam sponsæ suæ de futuro, eiusmodi sponsalia de futuro legitimè contracta dissoluuntur, neque illi eandem sponsam vel etiam aliam, licèt vxorem ducere, potestque illa impunè alteri nubere, *cap. Ex literis 8. cum cap. sequent. & vlt. hoc tit.*

2. Dixi, vel etiam aliam, quia huiusmodi fornicatio cum consanguinea sponsæ non impedit contrahi matrimonium cum sponsa, sed etiam cum alia, vt patet *ex cap. 2. hoc tit.* ibi, *Quod si matrem sponsæ cognouit, & sponsa nunquam carnaliter adhæsit &c. poterit ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere:* nam in textu illo intelligit necessariò Pont. sponsam de futuro, & non de præsenti: quia tunc ne quidem posset ex dispensatione cum alia contrahere, cum qua tamen posse contrahere dicitur, nempe solutis iam sponsalibus de futuro ob contractam cum sponsa affinitatem ex copula cum eius matre. Hoc tamen impedimentum non est perpetuum, sed temporale, quamdiu scilicet viuit complex delicti, cum quo incestus ille contra publicam honestatem commissus est: nam nec complex, viuente sponso, nec sponsus, viuente complice, poterit vllum matrimonium inire. Altero autem vitâ functo, poterit superstes liberè ad nuptias transire, *iuxta text. in c. duo pueri 12. sup. de desponsat. impub.* ibi, *neutri, viuente altero, dabitur licentia contrahendi.* Et hoc ne delictum, quòd contra publicam honestatem, ortam ex sponsalibus, accedendo ad sponsæ contra sanguineam commisit, maneat impunitum. Ideò ad tempus dumtaxat inducitur hoc impedimentum, quia non est propriè incestus, nec tantum crimen, quantum cum consanguinea vel affine committitur.

Dixi etiam sponsæ de futuro; quia si quis cognouerit consanguineam sponsæ suæ de præsenti non dissoluuntur sponsalia, cùm illa sint ipsum matrimonium, & affinitas ex fornicatione superueniens non dissoluat matrimonium, *cap. 1. 2. 4. 5. 6. & c. Tua fraternit. 10. hoc tit.* Sed in pœnam tam grauis peccati fornicator ille non potest ab vxore sua exigere debitum, quia iam illi affinis est; reddere tamen vxori petenti tenetur, *dict. cap. 8. & cap. Transmissa 4. hoc tit.* quia hæc, cùm non fuerit particeps criminis, non debet sine sua culpa puniri & priuari iure suo, *dict. cap. 10. in fine, & c. discretionem 6. versic. Sed nec affinitas h t.* Idem dicendum, etiamsi quis sponsæ suæ de futuro consanguineam in gradu prohibito cognouerit, & postea cum eadem sponsa matrimonium contraxerit: nam quamuis grauiter peccet, cum ea postea matrimonium contrahendo, tamen contractum non dissoluitur; verum ob enormitatem criminis non licèt ei ab vxore petere debitum; reddere tamen tenetur, dummodò sponsa, ignara eiusmodi delicti, cum eo contraxerit: alioqui si, priusquam contraheret, illius fuerit conscia, non poterit etiam ipsa à marito suo debitum exigere, *dict. cap. Ex literis hoc tit.* sibi enim imputet necesse est, quòd ab eo se non segregarit antequam contraheret, vti poterat, dissolutis sponsalibus de futuro, per affinitatem ex fornicatione subortam.

3. Cæterùm non prohibetur sponsus, qui cognouit

cognovit consanguineam vxoris suæ, exigere ab vxore debitum, & quidem perpetuò, sed & eidem interdicitur aliud quodcumque matrimonium, vxore mortuâ, propter iniuriam, quam intulit matrimonio.

4 Idque obtinet in vxore, si incestum commiserit cum consanguineo viri sui, ob eandem rationem: nam *canon. Si quis viduam* 32. *q.*7. *& canon. Si quis cum matre* 34. *q.*2. dum hoc impedimentum constituunt, expressè loquuntur de fœmina. Vt proinde non obstet, quòd omnes textus huius tit. statuentes hoc impedimentum, loquantur de solo viro, cognoscente vxoris consanguineam. Non obstat quoque, quòd textus imponentes pœnas raptori fœminæ, non extendantur ad viri raptricem: quia id fit ex eo, quòd raptus fœminæ frequens sit, raptus autem viri rarissimus; ideóque leges, quæ aptantur iis, quæ communiter accidunt, constituerunt pœnas, soli raptui fœminæ, prætermisso raptu viri, tanquam raro. At verò incestus non minùs frequens est in fœmina, quàm viro, & in vtroque par prorsus militat ratio, nempe iniuria matrimonij.

Præterea non ipsis solùm coniugibus, huiusmodi incestus reis, interdicitur aliud matrimonium, sed etiam illis consanguineis coniugis, cum quibus alter coniugum huiusmodi incestum commiserit, vt patet *ex d. c.*1. *h.t.* ibi *Si quis cum filiastra suæ scienter fornicatus fuerit, nec filiastra nec ille vllo vnquam tempore aliis se poterunt matrimonij copulare.* Cuius ratio est, quòd & ipsi iniquè concurrerint ad iniuriam irrogandam matrimonio, contractâ affinitate inter coniuges, ex qua impeditur vsus matrimonij: nam inde meritò quoque puniuntur in matrimonio, sicut & coniux ipse, qui incestum cum illis commisit.

5 Verius etiam est, hoc impedimentum perpetuum, tam quoad petitionem debiti, quàm quoad aliud matrimonium contrahendum, incurrere eum, qui cognoscit consanguineam sponsæ de præsenti ante consummatum matrimonium, non minùs, quàm si post consummatum cognoscat, *d.c.*1. *& d.c. Transmissa hoc t.* latè Sanchez *de matrim. lib.*7. *disp.*15.

6 Porrò, licèt impedimentum hoc de iure communi vsque ad quartum gradum protenderetur, tamen ex quo Conc. Trid. coarctavit affinitatem, ex fornicatione ortam, vsque ad secundum gradum, etiam consequenter hoc impedimentum coarctavit, vt non oriatur nisi ex incestu cum consanguineis alterius coniugis intra secundum gradum.

Incestum intellige formalem, id est, cum illa, quam quis sciverit esse consanguineam sponsæ vel vxoris suæ, & è diverso, *d.c.*1. *h.t.* Item consummatum, quia ratio huius impedimenti est affinitas iniquè contracta, impediens vsum matrimonij: iam autem copula *non* consummata producere non potest huiusmodi affinitatem, ac proinde nec hoc impedimentum: quod cùm sit pœnale, etiam sic restringendum est, vt delictum consummatum exigat.

Non refert tamen, an is incestus seu copula 7
incestuosa contingat, vivente adhuc vxore, an mortuâ, *d. c. Transmissa*: vt neque, an sit occulta, an notoria. Nec item prærequiritur sententia Iudicis, vt inducat hoc impedimentum, vt docet Sanchez *d.loco*: vbi latè disputat *n.*5. an hoc quoque impedimentum oriatur ex incestu cum propriis consanguineis. Et negativè resoluit, eo quòd sit pœna, ac proinde restringendum; cùm etiam textus, hoc impedimentum statuentes, non loquantur expressè de incestu cum consanguineis propriis. Nec obstat, quòd hic incestus sit in se gravior, quàm incestus cum consanguinea vxoris: quia non ita offendit matrimonium, quandoquidem ex illo non oriatur affinitas, nec impedimentum vsus matrimonij; & incestus non tam sit impedimentum ratione culpæ quàm ratione affinitatis, ab ipso ortæ: hæc autem solùm oritur cum consanguineis. Ita Sanchez *d.loco.*

Denique differentia hæc est inter incestum cum consanguinea vxoris, & cum consanguineo sponsæ de futuro, quòd ille impedimentum præstet perpetuum, impediens tam petitionem debiti; quàm matrimonium contrahendum, non tamen contractum dirimens; hic verò sit impedimentum dumtaxat temporale, quoad matrimonium cum alia contrahendum, nempe quamdiu vivit sponsa; nam eâ mortuâ potest sponsus ad nuptias transire.

TITVLVS XIV.

De consanguinitate & Affinitate.

§. I.

De Consanguinitate.

1 *Cognatio naturalis quid sit & quotuplex.*
3 *Agnati & Cognati qui dicantur.*
4 *Cognatorum alij ascendentes, alij descendentes, alij Collaterales.*

5 *Inter ascendentes & descendentes prohibita nuptia in infinitum.*
6 *Inter collaterales differentia inter Ius Ciuile & Canonicum.*
7 *Eaque prohibitio etiam inter seruos obtinet.*

1 SUPEREST videndum de negotiatione carnali seu naturali, quæ inter cætera matrimonij impedimenta principem ferè locum tenet, & consistit in consanguinitate, ad quam accedit ea personarum propinquitas, quæ Affinitas dicitur.

Cognatio Naturalis seu Consanguinitas est vinculum seu propinquitas siue cohærentia personarum, ex eodem stipite seu sanguine propinquo descendentium, vel quarum vna ab altera verè descendit. Vnde & Consanguinei dicuntur, quasi vno sanguine iuncti.

Addidit, propinquo, ne quis inferat, nos omnes esse inuicem cognatos, quia habeamus communem parentem Adamum: nam hic de propinquo parente agitur, cuius intuitu matrimonium vel permittitur vel interdicitur, *text. singularis in can.* 1. 35. *quæst.* 2.

2 Cognatio Naturalis generaliter sumpta dividitur in Agnationem & Cognationem, specialiter dictam, contracta voce generis in speciem, quæ quia proprio nomine caret, voce generis appellatur: ad eum modum, quo adoptio generaliter sumpta dividitur in arrogationem & adoptionem specialiter dictam. Alioqui Cognatio nomen generis est, & Agnatio semper speciei, & alterum ciuile, alterum nomen est, *l. Iurisconsultus* §. 1. *de gradib. & affinibus.*

3 Agnati dicuntur, qui ex eodem sanguine per virilem sexum descendunt, §. 2. *instit. de legit. agnat. successione.* Et Agnatione est horum propinquitas.

Cognati verò specialiter dicuntur, qui ex eodem sanguine per matrem seu lineam fœminineam descendunt, *dict.* §. 2. Et horum propinquitas dicitur Cognatio specialiter dicta. Cognatorum & Agnatorum differentiam sustulit Iustinian. quoad successiones, *nouel.* 118. *de hæredib. ab intestato venient.* §. *nullum verò volumus.*

4 Cognatorum autem generaliter sumptorum alij sunt Ascendentes, vt parentes, qui scilicet nos genuerunt, veluti pater, mater, auus, auia, proauus, proauia, qui supra hos sunt: alij descendentes, vt qui ex nobis nascuntur, veluti, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & qui vlteriùs sunt. Nam licèt apud Romanos Ascendentium nomen latiùs pateat, quàm Parentum, sicut & liberorum nomen augustius, quàm descendentium, vt constat *ex d. l. Iurisconsultus* §. *Parentes* 7. vbi parentes vsque ad tritauum proprio vocabulo nominantur; vlteriores, qui non habent speciale nomen, Maiores; liberi verò vsque ad trineporem, & qui vltra sunt, Posteriores vocantur: latiùs tamen hic Parentum & liberorum vocabulum vsurpamus. Alij denique sunt Collaterales seu transuersales, qui scilicet neque nos genuerunt, neque à nobis geniti sunt, sed eandem nobiscum stirpem communem habent, veluti frater & soror, atque ex iis descendentes, patruus & auunculus, aliique similes.

Inter Ascendentes & descendentes seu parentes & liberos nuptiæ prohibentur, & quidem in infinitum, *l. nuptia, iuncta l. nihil ff. de ritu nupt.* §. *Ergo non omnes inst. de nupt.* Et in hac nuptiarum prohibitione non est differentia inter ius Canonicum & Ciuile, neque summus Pont. super ea dispensare potest, quia est iuris naturalis, quod est immutabile. 5

Inter Collaterales verò seu transuersales prohibentur etiam nuptiæ, non tamen in infinitum; sed iure Ciuili vsque ad quartum gradum exclusivè: iure verò Canonico veteri vsque ad septimum, *can.* 1. *can. nullum, can. nulli, & aliis* 35. *quæst.* 2. adeò vt, licet aliquando sexto generationis gradu propinquitas generis terminaretur, vt patet *ex can.* 1. 35. *quæst.* 4. permissúmque fuerit Anglis matrimonium in quartò & quinto gradu, *can. Quædam lex terrena* 20. *ead. causa q.* 2. tamen id postmodum sit prohibitum, *can. Contradicimus seq. ibid.* At verò Iure Pontificio nouo redacta est hæc prohibitio ad quartum consanguinitatis gradum inclusivè, *cap. non debet* 8. *hoc tit.* nec valet contra hanc prohibitionem consuetudo, sed tanquam corruptela reprobatur licet consuetudo personas alioqui legitimas, seruanda sit, si ex eius non obseruantia nasceretur scandalum, *c.* 1. *& c. super eo sup. de cognat. spirituali.* Infideles tamen coniuncti in gradu prohibito à lege Canonica post baptismum non separantur, *c. de infidelibus* 4. *h. t. c. Gaudemus inf. de diuortiis* 6

Hæc autem prohibitio intra quartum gradum consanguinitatis inclusivè de iure Canonico, vel etiam intra tertium de iure Ciuili, in seruis quoque obtinet, §. *Illud instit. de nuptiis.* Nam licet cognatio seruitute amitti dicatur, imò serui de iure Ciuili pro nullis aut mortuis habeantur: id tamen intelligitur quoad ius successionis, testamentorum, tutelarum, aliorúmque similium. Alioqui natura inspecta dicitur etiam inter seruos cognatio, quæ scilicet in 7

seruitute

seruitute naturaliter contracta est, *instit. de seruili cognat.* & in nuptiis contrahendis obseruatur. Ideóque matrem suam ex seruitute manumissam filius manumissus ducere vxorem non potest; vti nec frater sororem, sororisve filiam, quia in contrahendis matrimoniis naturale ius, naturalisve pudor inspiciendus est, *l. Adoptiuus 14. § 2. ff. de ritu nupt.* & iure naturali omnes homines sunt æquales: nec potest ratio ciuilis tollere ea, quæ sunt iuris naturalis.

§. II.

De gradibus cognationum eorúmque subductione.

1 *Linea cognationum triplex.*
2 *Graduum computatio in linea recta eadem est vtroque Iure.*
3 *In linea transuersali est diuersa, & ratio differentia.*
4 *Duplex Regula hic spectanda iure Canonico.*
5.
6 *Nihilque refert, quales sint media personæ.*

1 COnsanguinitas seu cognatio distinguitur per lineas, & linea per gradus. Linea est ordinata series personarum, sanguine iunctarum, Estque triplex, Ascendentium scilicet, descendentium, & hæc vtraque recta, ac Collateralium, quæ etiam transuersa vocatur. In qualibet autem plures sunt gradus, tanquam in scala quadam: dicuntur enim gradus cognationum à similitudine scalarum, locorúmque procliuium, quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum, id est in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus, *l. vlt. gradus 10. ff. de gradibus & affinib.*

Quod vt faciliùs intelligatur, concipiendæ sunt personæ, tanquam puncta quædam, gradus verò, tanquam lineæ inter eiusmodi puncta seu personas ductæ, ita vt, quot sunt lineæ, tot constituantur gradus. V. G. concipantur pater & filius veluti duo puncta, & inter eos concipiatur vna linea, & rursus alia inter filium & nepotem, eodem modo consideratos, & sic deinceps progrediendo. Hinc gradus, sicut & lineæ, alij sunt superioris ordinis seu ascendentium, alij inferioris seu descendentium, alij denique collateralis ordinis seu collateralium, *l. 1. ff. de gradibus & affinib.*

2 Quantum ad subductionem & numerationem graduum attinet, in linea recta seu inter ascendentes & descendentes nulla est differentia inter ius Ciuile & Canonicum: nam quot hic sunt personæ, totidem sunt gradus, vna demptâ. Ideóque pater & filius sunt in primo gradu; filius & auus in secundo; filius & proauus in tertio; sic deinceps. Vel hoc modo descendendo, filius & filia sunt in primo gradu; nepos & neptis in secundo; pronepos & proneptis in tertio; & sic deinceps. Ascendendo vero, in primo gradu sunt pater & mater; in secundo gradu auus & auia; in tertio proauus & proauia; in quarto abauus, abauia; & sic deinceps, *l. 1. 3. & 10. ff. eod.* Ratio est, quia cùm pater & filius omnium ordinum, superioris, inquam, inferioris, & collateralis primum gradum constituant, necessum est, vt quacumque versus quis progrediatur, vlteriùs transeat, & sic ad secundum gradum.

At verò in linea transuersali magna est differentia inter ius Ciuile & Canonicum, Primò quidem, quia iure Ciuili nullus est primus gradus in transuersalibus, *l. 1. §. 10. ff. eodem.* Iure Canonico etiam in iis datur primus gradus. Secundò, iure ciuili in transuersalibus tot sunt gradus, quot generationes; ideóque frater & soror eo iure secundum gradum constituunt, *d. l. 1. & l. 10. §. 9. eodem*, quia interueniunt duæ generationes, nempe fratris & sororis: nam ascendendo à fratre ad communem patrem, habes vnam generationem: rursus descendendo ab eodem communi patre ad sororem, habes secundam generationem, nempe sororis, ac proinde secundum gradum. 3

Et ita quidem iure Ciuili numerantur gradus propter successionem hæreditariam, *can. Ad sedem 35. quæst. 5.* in qua patris vel matris persona prior numeratur, exclusis fratribus & sororibus defuncti, *d. l. 10. §. 9.* Nisi quòd hodiè fratres & sorores simul & vna cum parentibus succedant, ex Iustiniani Constitutione, *nouel. 118. de hæredibus ab intestato venient.* Et ideò cùm ius Ciuile non habeat specialem rationem graduum in ordine ad matrimonium, permittit illud inter patrueles ac consobrinos, id est duorum fratrum vel duarum sororum liberos, *duorum instit. de nuptiis*: quod damnat ius Canonicum, quo frater & soror constituunt primum gradum, & eorum filij secundum.

Nam in iis, qui æqualiter à communi stipite 4
distant, iure Canonico obtinet hæc Regula, vt quoto gradu distant à communi stipite, eodem distent inter se, *dict. cano. Ad sedem: can. ne, Parentela 35. quæst. 5.* ac proinde duo fratres sunt in primo gradu, quia eo gradu distant à proximo communi stipite, nempe patre. Duo-

rum verò fratrum vel duarum sororum filij sunt in secundo gradu, quia eodem coniunguntur in communi stipite, qui est auus. Ratio huius Regulæ est quia cum tota & adæquata coniunctionis horum ratio sit vnio cum stipite communi, meritò computatio graduum penes distantiam ab illo desumitur, nec magis vel minùs possunt inter se distare, quàm ab illo distant.

3 *In iis*; qui inæqualiter distant á communi stipite, obtinet hæc Regula, vt; quoto gradu remotior distat à communi stipite, eodem inter se distent; *c. vlt. hoc tit.* quia remotior proximiorem ad se trahit, fauore matrimonij. Deinde si computatio fieret penes distantiam propinquioris, non possent gradus commodè distingui: nam vbi alter esset in primo gradu cum stipite, alter verò in tertio vel quarto, coniungerentur inter se in primo gradu, instar fratrum, cùm tamen implicet coniunctiores esse inter se, quàm cum stipite, à quo sumitur adæquata ratio propinquitatis eorum inter se. Itaque iure Pontificio patruus vel auunculus tuus tibi secundo gradu est coniunctus, quia cùm sit remotior à communi stipite, nempe auo tuo, quippe ab eo distans duobus gradibus, cum interim patruus vel auunculus tuus ab eodem distet vno tantùm, sequitur, iuxta præcedentem regulam, quòd à patruo vel auunculo tuo distes duobus gradibus, & è contra. Nam ius Canonicum semper duos, de quorum coniunctione matrimoniali quæritur, in vno eodémque gradu constituit, à fratribus & sororibus incipiendo, ibidémque, primum gradum constituendo, secundum verò in fratrum & sororum filiis, & ita deinceps descendendo.

4 In hac autem graduum supputatione nihil refert, an mediæ personæ sint in rerum natura, an sint naturales & legitimæ simul, an verò naturales tantùm *l. Et nihil interest 54 ff. de ritu nupt.* an sint ingenuæ vel seruæ, vel libertæ, *d. l. Adoptiuus 14. ff. eod.* quia hic ius naturale sanguinis spectatur.

§. III.

De Affinitate.

1 *Quid sit Affinitas, qui affines, & vnde dicti.*
2 *Oritur affinitas secundum Canones etiam ex illicito coitu.*
3 *Gradus affinitatis computantur exemplo graduum consanguinitatis.*
4 *Prohibitio matrimonij propter affinitatem quousque extendatur.*
5 *De triplici genere affinitatis.*

AFfinitas est vinculum, resultans ex vnione 1
duorum in vnam carnem, per carnalem copulam. Quamuis enim Affines ex via vocis dicantur, qui confines agros possident, translatitiè tamen Affines sunt viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, inter se diuersæ, per nuptias copulentur, & altera ad cognationis finem accedat, *l. Non facile 4. §. 3. ff. de gradib. & affinib.* (vbi affinium nomina hæc numerantur & explicantur, socer, socrus, gener, nurus, nouerca, vitricus, priuignus, priuigna, leuir, glos:) non quòd cognati viri & vxoris inter se affines sint, & iungi matrimonio prohibeantur, id enim falsum est, sed quòd cognati viri fiant affines vxori, & è contrà, cognati vxoris fiant affines viro, vt explicatur *in cap. Porrò 35. quæst. 5.* Ad cæteros verò affinitas non porrigitur, *cap. Quod super hoc tit.* Idcóque consanguinei vxoris rectè matrimonium contrahunt cum consanguineis viri, cessantibus aliis impedimentis, veluti pater & filius cum matre & filia: item duo fratres cum duabus sororibus, & sic de cæteris consanguineis diuersarum cognationum. At verò vir ipse cum cognatis mulieris, vel ipsa mulier cum cognatis viri sui matrimonio iungi non potest. *d. cap. Quod super, & similibus.*

Et licèt hæc affinitas iure Ciuili tantùm ex 2
nuptiis oriatur, *l. 4. §. 3. ff. de gradib. & affinibus*: iure tamen Canonico etiam ex illicito nascitur concubitu, *c. 6. & 10. sup. de eo qui cognouit consang.* quia cùm maritus & vxor sint vna caro, *d. can. Porro*, & similiter qui commiscetur meretrici vnum corpus cum illa efficiatur, *can. In eo 32. quæstion. 4.* fit, vt vtroque casu hæc vnitas, & per consequens affinitas, contingat & proueniat, tam scilicet ex illicito concubitu, quàm ex licito. Atque hinc fit, quòd, si nulla adhuc carnalis copula inter maritum & vxorem intercesserit, nulla quoque affinitas ex tali matrimonio propriè oriatur, sed tantummodo impedimentum publicæ honestatis, *c. Si quis vxorem seq. 27. quæstion. 2.*

Tametsi autem affinitatis per se & propri- 3
gradus nulli sint, *dict. l. 4. §. 5. ff. de gradib.* quia gradus ratione cognationis naturalis; quæ hic non est, dicuntur: tamen, quatenus affinitas in cognatione naturali fundatur, ad illius imitationem etiam gradus habere dicitur & ad instar graduum consanguinitatis numerantur: nam quoto quisque consanguinitatis gradu

attingit

artingit maritum, eodem gradu affinitatis attingit eius vxorem: & è contra, *d.can. Porro*: & quemadmodum consanguineorum alij sunt parentum & liberorum, ita & affinium alij sunt parentum & liberorum loco; inter quos, sicut inter consanguineos ascendentes & descendentes, nuptiæ prohibentur in infinitum: alij etiam ex transuerso coniuncti sunt; inter quos olim, sicut & inter consanguineos collaterales, nuptiæ prohibebantur, ad septimum vsque gradum, *cap. nullum in vtroque & similib.* 35. *quæst.* 3.* Verùm hodiè, exemplo consanguinitatis, redactum est hoc impedimentum matrimonij, ex affinitate consurgens, ad quartum gradum inclusivè, *c. Non debet 8. vers. Prohibitio h.t.* Quamvis Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reformat. matrim.* idem impedimentum, quatenus propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea contractum dirimit, ad eos tantùm; qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restrinxerit, statuendo vlteriùs, vt in vlterioribus gradibus huiusmodi affinitas matrimoniũ postea initum nõ dirimat. 4

5 Quod verò dicitur, matrimonium dirimit per affinitatem præcedentem, intra quartum gradum (eo quòd, cùm per mutuam corporum coniunctionem vir & mulier vna caro fiant, meritò alter ab alterius consanguineis, æquè vt à propriis, vsque ad gradum eum abstinere debeat, *c. 1. vers. æquè enim h.t.*) intelligendum est de affinitate primi generis, non secundi, tertij, vel vlterioris, *dict. cap. 1. & cap. Non debet hoc tit.* vbi Glos. copiosè explicat, quid sit primum, secundum, & tertium genus affinitatis. Exemplo res clara fiet V.G. vxor fratris mei est mihi meisque consanguineis affinis in primo genere affinitatis: mortuo verò fratre meo, si illa alteri nubat, hic secundus eis maritus erit mihi meisque consanguineis affinis in secundo genere affinitatis: & rursus, mortua vxore fratris mei, si hic secundus eius maritus aliam vxorem duxerit, illa me cæterósque consanguineos meos continget in tertio affinitatis genere: nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis. Iure itaque veteri inter affines cuiuscumque generis prohibitæ erant nuptiæ, *can. 1. & seq. 35. quæst. 1. & similibus.* Verùm postmodum *in dict. cap. Non debet* hoc impedimentum reductum est ad primum genus affinitatis, Vide *Glos. ibid.*

***

§. IV.

De Iustitia publicæ honestatis.

1 *Quid sit impedimentum iustitiæ publicæ honestatis.*

2 *Vnde oriatur, & quousque extendatur iure Decretalium.*

3 *Conc. Trid. decretum de hoc impedimento.*

IVstitia publicæ honestatis, cuius à nobis etiam ante facta fuit mentio, affinitatem quandam habet cum affinitate, de quâ iam egimus, & præstat impedimentum quoddam contrahendis matrimoniis. Est enim iustitia publicæ honestatis propinquitas quædam ex sponsalibus aut matrimonio orta: nam sicut ex carnali copula, sive licita, sive illicita oritur quædam affinitas inter virum & consanguineos vxoris, & è contra, ita ex sponsalibus & matrimonio rato non consummato aut etiam illicito & inualido, oritur inter sponsam & consanguineos sponsi, & è diverso, inchoata quædam affinitas, *l. 8. ff. de gradib. & affinib.* quam communiter appellant iustitiam publicæ honestatis seu Publicam honestatem, *cap. vnico de sponsalib. in 6.* eo quòd publica honestas dictet & exigat, vt sponsus à cognatis sponsæ suæ, & contrà sponsa à consanguineis sponsi sui, abstineat, *c. 3. 4. & 8. sup. de sponsalib.* 1

Oritur autem hoc impedimentum ex sponsalibus, certis quidem & puris, mox atque contracta sunt: ex conditionalibus verò post conditionis demùm euentum, *dict. cap. vnico.* Et quidem iure decretalium nascebatur non solùm ex sponsalibus legitimè contractis, sed etiam ex contractis perperam & inualidè, ob causam consanguinitatis, affinitatis, religionis, vel aliam similem, dummodò non essent nulla ex defectu consensuum, *dict. cap. vnico.* Eodem iure decretalium hoc impedimentum quarto gradu circumscriptum erat, *dict. cap. Non debet.* 2

Cæterùm ex Conc. Tridentini decreto, *sess. 24. c. 3. de reformat. matrimon.* non oritur ex sponsalibus, quacumque ratione inualidis, & nullis, sed ex validis tantum; & quidem quoad sponsalia de futuro, non vltra primum gradum, & sic per dictum Concilium correctum fuit ius antiquum quoad sponsalia de futuro. Alioquin sponsalia de præsenti, quamvis illicita sint & inualida ob aliquod impedimentum, modo non sint nulla ex defectu 3

consensus, inducunt hoc impedimentum vsque ad quartum gradum, provt colligitur ex *dict. c. vnico*; quia non continetur in restrictione per Concilium facta ad primum gradum, sed remanserunt in terminis iuris communis, vt declaravit Pius V. Constitut. *incip. Ad Romanum*, quam refert Piasec. *2. p. cap. 4. art. 4. num. 21.* Nascitur enim hoc impedimentum post Concil. Tridentinum ex matrimonio clandestino seu nulliter contracto ob non servatam formam Concilij, provt declaravit Congregatio Card.

TITVLVS XV.

De frigidis & maleficiatis & impotentia coëundi.

1 *Vir aut mulier quando impotens ad coitum censeatur.*
2 *Impotentia perpetua & immedicabilis impedit matrimonium.*
3 *Scienter cum impotente contrahens non separandus,*
4 *Impedimentum hoc vel naturale est vel accidentale.*
5 *Dissolutio matrimonij ex causa impotentiæ iudicio Ecclesiæ facienda. 6. 7.*
8 *An spado matrimonium contrahere possit.*

INTER impedimenta matrimonij numeratur etiam impotentia coëundi perpetua, sive illa ex frigiditate viri, sive ex maleficio seu veneficio, aliáve ex causa proveniat.

1 Impotentia autem coitus seu copulæ in viro tunc esse censetur, quando nequit consummare copulam coniugalem, emittendo semen in matricem: ex parte verò mulieris, quando est arctior, vt mulier fieri non possit, vel viri semen retinere vllo modo nequeat, *leg. Quæritur 14. §. mulierem 7. ff. de ædilitio edicto.*

2 Huiusmodi impotentia, præcedens matrimonium si sit perpetua & immedicabilis (provt censetur esse, quando sine miraculo aut gravi læsione corporis vel probabili periculo animæ, cum id solùm posse dicamur, quod licitè possumus præstare, Sanchez *de Matrimonio lib. 7. disp. 93. num. 9.* tolli non potest, *c. 30. & 6. hoc titulo*, impedit contrahi matrimonium, & postea contractum dirimit, si alter coniugum hoc petat, & impotentia recto iudicio probetur, *c. 2. 3. 5. 6. vltim. hoc titulo*, quia ei repugnat obligatio ad copulam coniugalem, quæ ex matrimonij contractu exurgit; cùm impossibilium nulla sit obligatio. Ideóque non potest convalescere, nisi, cessante impotentiâ, de novo ineatur, Sanchez *dict. loco quæst. 2.* Aliàs temporaria impotentia non sufficit, *c. Fraternitatis 6. h. t.* sive sciatur à potente, sive ignoretur, Sanch. *d. lib. 7. disput. 92. n. 4.*

Dixi, præcedens matrimonium; quia si matrimonio semel valido sive rato, etiam ante 3
copulam supervenerit impotentia, non dirimit matrimonium, Gloss. *in c. Ex literis 3. h. t. can. Si vxorem 32. q. 5. can. Si qui, ead. causa q. 7.* Sanch. *d. lib. 7. disp. 102. vbi alios citat.*

Quòd si quis sciens cum impotente contraxerit, non separabitur; verùm eo casu, si non possit habere tanquam maritum vel vxorem, habeat vt fratrem vel sororem, *c. Consultationi 4. hoc tit.* ita vt & à concubitu & ab aliis, quæ solis coniugibus licent, abstineat: aliàs separari debet.

Hoc autem impedimentum vel est naturale 4
& à principio intrinseco, vt in puero, ob defectum ætatis, qui vt non potest reddere debitum, ita nec aptus est coniugio, *c. 2. h. t.* vt in viro ita frigido, vt mulieri commisceri non possit, & in fœmina ita arcta, vt à viro cognosci nequeat, *cap. 3. hoc tit.* Vel est accidentale seu à causâ extrinsecâ: veluti in iis, qui castrati sunt, *l. 6. ff. de liberis & posthumis*, quod peculiare est viris. Vel maleficio seu veneficio impediuntur ab actu coniugali, quod vtrique sexui commune est: vel quibus sunt collisi aut contriti testiculi.

Et ne in dissolutione matrimonij fraus aliqua 5
subsit, non segregantur illicò coniuges, licèt vterque alterius impotentiam coram Iudice confiteatur; sed probatione opus est: quæ vel statim ex aspectu corporis per evidentia signa (vt si virilia omninò amputata, aut omninò arida; & sic vi motivâ destituta habeat) liquere potest, & tunc statim fit dissolutio iudicio Ecclesiæ, nullo alio exspectato, *cap. 2. & c. 5. hoc t.* quia taliter impotens non est materia idonea ad matrimonium, quod propterea deficit defectu materiæ. Cumque exstet apertissima probatio, frustrà exspectabitur eventus trienij vel alterius temporis, cuius nullus inducetur effectus, *c. Cùm contingat sup. de officio del. legati*; frustráque exigetur iuramentum, aut septima manus propinquorum, Sanch. *d. lib. 7. disp. 107. n. 3.* Vel non potest statim liquere, & tunc debent integro triennio à tempore celebrati

brati coniugij & attentatæ copulæ Sanch. *d. l. 7. disput.* 110. cohabitare, & se fideliter experiri. Lapsoque eo tempore, si ambo fateantur impotentiam, & si iurent vtrimque ad advertendam & tollendam collusionem inter coniuges, cum septima manu propinquorum, id est cum septem propinquis, vel cum septima manu vicinorum, bonæ fidei seu famæ, si propinqui desint, se frustrà expertos fuisse, poterit, qui impotentem duxerit, illâ demissâ aliam ducere; sicut & è diverso, *cap. Laudabilem & c. vlt. h. t.*

6 Verùm si deprehendatur postea, illum, qui impotens probatus fuerat, non esse impotentem, quia fortè aliam similem duxerit vxorem, & eam vel aliam fornicariè cognoverit, tunc præterquam quòd illi, qui impotentiam iurarunt, sint rei periurij, tenetur is, qui fuerit solutus, ad vxorem priorem redire, *c. 1. & d. c. Laudabilem h. t.* Nec hic obstabit exceptio rei iudicatæ, quia sententia lata in matrimonio quoad ipsum matrimonium, non transit in rem iudicatam, licet bis confirmata fuerit, aut ab ea non fuerit appellatum. Et proinde quandocúmque constat de iniquitate sententiæ, propter periculum animæ, quod resultat ex sententia, separante veros coniuges, & vniente, eos, qui coniuges esse nequeunt, retractari potest, *c. Lator præsentium 7. c. Tenor 10. c. Consanguinei 11. sup. de sent. & re iudicata*, Sanchez *d. lib. 7. disput.* 100. Covar. *in 4. Decret. 2. p. c. 8. §. 12. n. 16. & duob. seqq.*

7 Quòd si vxor ad divortium provocet statim, id est post vnum aut duos menses à contractis nuptiis, seu potiùs à tempore attentatæ copulæ, quia virum impotentem asserat, & vir id neget; re legitimè seu recto iudicio probatâ, sive per signa evidentia & evidenter concludentia, sive per verisimiliter evidentia & verisimiliter solùm concludentia, præstito matronarum coniugum, & septimæ manus propinquorum aut vicinorum iuramento, alij nubere potest, *d. c. 1. vers. Si autem statim.* Dixi, vel potiùs à tempore attentatæ copulæ; quia non nisi ab eo tempore mulier nosse potuit, an secum coire vir posset, *d. cap. 1.* Sin autem non statim proclamaverit, sed post annum v.g. vel dimidium, virúmque impotentem asserat, & vir id neget, creditur viro eo, quòd sit caput mulieris, cui imputandum, quod tamdiu tacuerit, *d. c. 1. vers. Illa autem.* Attamen hoc intellige, nisi manifestè, veluti per inspectionem, contrarium probari possit.

8 De spadone, an contrahere possit matrimonium, dubitatur. Pro resolutione notandum, Spadonis nomen sumi nunc generaliter pro eo, qui generare non potest, sive à naturâ sive ex accidenti: eóque nomine sic sumpto & à naturâ spadones, & thlibæ, id est, quibus contriti aut collisi sunt testiculi, & castrati, & si quod aliud spadonum genus sit, continentur, *l. Spadonum 128. ff. verb. sign.* nunc specialiter & propriè, provt à castrato & thlibia distinguitur, pro eo, qui vitium habet à natura, *l. 2. §. illud ff. de adopt.* In spadone igitur ius Civile admittit matrimonium non verò in castrato, *l. Si serva §. si spadoni ff. de iure dotium*, quia cùm hoc vitium in spadone plerumque eveniat ex contortione meatuum seminis, vt Medici docent, spes est, quòd amoto & purgato vitio generare possit, secus in castrato, At verò iure Canonico vterque perperam matrimonium contrahere videtur, ex ratione textus *in c. 2. h. t.* Et licet de eo spadone, qui aptus est ad copulam, non etiam ad generandum, apud Canonistas dubitatum fuerit: tamen Sixtus V. per literas quasdam, quas refert Gutierrez *can. quæst. lib. 1. c. 16.* eunuchorum & spadonum, vtroque testiculo carentium, matrimonia non tantùm contrahenda, sed contracta à talibus, declaravit nulla, irrita, & invalida. Vide hàc de re fusiùs apud Covar. *tract. de frigidis & maleficiatis q. 6.*

TITVLVS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1 *Interdictum Ecclesiæ, est impedimentum impediens.*

2 *Similiter impedimentum temporis interdicti.*

POSTREMO loco inter impedimenta matrimonij refert Pontif. interdictum Ecclesiæ seu prohibitionem Iudicis Ecclesiastici, ne matrimonium inter aliquos contrahatur; quod quidem impedimentum est tantùm impediens, non etiam dirimens matrimonium. 1

Impedit autem, donec de impedimento, quod obiicitur, vel de quo dubitatur, & ratione cuius huiusmodi prohibitio emanavit, cognitum fuerit. Si verò, non obstante interdicto, aliqui contraxerint, non dirimitur quidem

quidem matrimonium, si non subsit aliud impedimentum dirimens probatum, sed puniendi sunt propter inobedientiam taliter contrahentes, *c.1. & 2. h.t.* Interea tamen dùm de causa cognoscitur, separandi sunt, *c. vlt. hoc tit.*

2 Hinc impedimento affine est aliud, quod vocatur tempus feriarum seu feriatum, quo significatur, solemnitas nuptiarum ab Ecclesia esse interdicta certis anni temporibus, nempe à prima Dominica Adventus vsque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum vsque ad octavam Paschatis inclusivè, ex Conc. Trid. *Sess.24.c.1. de reform. matrim.* Alioqui iure veteri prohibebantur ab adventu ad Epiphaniam; à Septuagesima ad octavam Paschatis; à diebus Rogationum ad octavam Pentecostes, *can. Non oportet 8. cum seq 33 quæst.4. cap. Compellamus 4. sup. de feriis*: quia illis temporibus communio erat in præcepto, eáque festa sunt omnium toto anno occurentium celeberrima; solemnitates autem nuptiarum vehementer à spiritualibus avocant, & ad carnalia trahunt. Sylu. *in Summa V. Matrimonium cap. 3.* Cæteroquin absque solemnitatibus, id est benedictione sponsi, & sponsæ inter Missarum solemnia, traductione sponsæ in domum sponsi cum conviviis, saltationibus, & aliis id genus pompis nuptialibus, etiam prædictis temporibus matrimonium contrahere, ac consummare licet.

APPENDIX,

& ἀνακεφαλαίωσις.

De impedimentis matrimonij cùm dirimentibus tum impedientibus matrimonium.

1 *Impedimenta dirimentia matrimonium.*
2 *Impedimenta non dirimentia.*

PRæter impedimenta matrimonij, de quibus cum Pont. egimus hactenus, sunt & quædam alia partim dirimentia, partim impedientia: quare vt plenior eorum habeatur cognitio, non abs re fuerit, compendio quodam omnia & singula hìc recensere eo ordine, quo suprà *tit.1. §.10. huius libri* versibus quibusdam comprehensa & proposita sunt.

Inter impedimenta igitur dirimentia primum locum obtinet, Error & Conditio sive qualitas status, de quo suprà Tit.9. *de coniugio servorum.*

1 Secundum est Votum continentiæ solemne, de quo Titul. 6. *Qui Clerici vel voventes, &c.*

Tertium est Congregatio, de qua Tit.11. & 12. *de cognat. spirituali & de cognat. legali.*

Quartum est Crimen, de quo Tit.7. *de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulter.*

V. Est disparitas cultus, quæ scilicet reperitur inter baptizatum & non baptizatum seu infidelem, veluti Iudæum, paganum; & non modò impedit contrahi matrimonium inter fidelem & infidelem, verùm etiam contractum dirimit, (licèt fidelis cum catechumeno, id est in fide Catholica instructo, & volente baptizari, contrahat, *canone. Non oportet & ibi Glos.28. quæstione 1.* Quamvis enim inter infideles, id est non baptizatos, possit esse verum & & legitimum matrimonium, quatenus est contractus quidam, vt multis probat Gratianus *d.loco in Summa*; etiam in secundo consanguinitatis gradu, quandoquidem, cùm extra Ecclesiam sint, non ligentur sacris Canonibus, *cap. Gaudemus 8. inf. de divort.* nec dissoluatur eorum matrimonium, si postea convertantur ad fidem, *dict. cap. Gaudemus*: tamen matrimonium, provt est Sacramentum, ac proinde supponit Baptismum, non potest esse inter fidelem & infidelem, *can. Iudæorum, canone Cave 28. quæstione 1.* Hinc *in leg. Ne quis Codice de Iudæis*, si Christianus Iudæam, vel Iudæus Christianam in coniugem sibi adsciverit, publico iudicio, adulteri instar, tenetur. Vnde patet, ne quidem inter fidelem & infidelem consistere matrimonium, vt est contractus legitimus, *argum. c. Veniens sup. de presbyt. non baptizato*; quia scilicet contra leges sit.

VI. Vis sive metus gravis, qui cadere possit in constantem virum, dummodò incussus fuerit ad contrahendum matrimonium, de quo, suprà *tit.1. §.9. num.4. lib. huius.* Illud hìc restat inquirendum, an inter raptorem & raptam consistat matrimonium. Negat Iustinianus, *in leg. vnica Codice de raptu virg.* Contrarium statuitur *in cap. vltim. inf. de raptoribus, iuncto cap. peruit. inf. de secundis nupt.* Hócque ius sequimur, servatâ tamen moderatione Conc. Trident. *sess.24. cap.6. de reformat. matrimon.* vbi decernit, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Et addit, Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in

vxorem

vxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes *illi* consilium & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam vxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

VII. Ordo sacer, de quo sup. tit. 6. *Qui Clerici vel vouentes matrim. contrahere possint.*

VIII. Ligamen seu vinculum prioris matrimonij, contracti per verba de præsenti, de quo Tit. 4. *de sponsa duorum*: nam licèt Tit. ille solùm inscribatur *de sponsa duorum*; tamen in eodem agit etiam Pont. de eo, qui, contracto priùs matrimonio cum vna, eadem viuente contrahit cum alia, & è contra.

IX. Honestas seu iustitia publicæ honestatis, de qua suprà Tit. 14. *de consanguinitate & affinitate*, §. 4.

X. Affinitas, de qua d. Tit. *de consang. & affinitate* §. 3.

XI. Impotentia coëundi, de qua Tit. 15. *de frigidis & maleficiatis.*

Denique est impedimentum clandestinæ desponsationis sive matrimonij clam contracti, de quo Tit. 3. *de clandestina desponsatione*: quod nouissimè per Concilium Tridentinum effectum est dirimens.

Inter impedimenta non dirimentia matrimonium primum est, interdictum Ecclesiæ, de quo proximè Tit. superiori dictum est.

Secundum est temporis interdicti seu temporis feriati, vulgus claulum vocat, de quo *dict. tit.*

Tertium, Cognatio spiritualis, orta ex Catechismo. Notandum enim, quod, quemadmodum ex Baptismo & Confirmatione oritur quædam cognatio spiritualis perfecta, ita etiam ex Catechismo oritur quædam spiritualis cognatio imperfecta, *cap. Contracto sup. de cognat. spirituali, cap. 2. eodem in 6.* Catechismus verò est instructio baptizandi solemniter à sacerdote facta, priusquam baptizetur, de articulis fidei Catholicæ Romanæ credendis, respondente patrino, nomine baptizandi, *canone ante Baptismum de consecrat. distinct. 4.* Ex hac itaque institutione cognatio oritur spiritualis imperfecta, inter easdem personas, inter quas Baptismo olimque extendebatur ad omnes, ad quos cognatio ex Baptismo. Nam Catechismus ex natura sua est quoddam initium Baptismi & regenerationis spiritualis, ideóque prout ex Baptismo nascitur cognatio spiritualis, ita & ex Catechismo oriri debet, conformiter ad cognationem ex Baptismo, tanquam ad mensuram suam: ac proinde pariter quoque extendi debet, cùm sit eadem ratio vtriusque, si non quoad dirimendum matrimonium saltem quoad impediendum. Quod addo, quia cognatio hæc spiritualis ex Catechismo est tantùm impediens, non etiam dirimens impedimentum, ista verò etiam dirimens. Hinc sequitur, hanc cognationem per Concil. Trident. restrictam esse ad eum modum, quo cognatio spiritualis ex Baptismo vel Confirmatione restricta est, nempe vt contrahatur dumtaxat inter Catechisantem & Catechisatum, eiusque parentes. Cæterùm, vt antè diximus, existimant Sanchez *de Matrim. lib. 7. distinct. 10.* eam per Concil. Trident. non solùm esse restrictam, sed etiam prorsus sublatam.

IV. Sponsalia, cum alio vel alia antè contracta, de quo Tit. *de sponsa. duorum.*

V. Votum castitatis simplex, de quo *in cap. de voto in 6. in cap. 3. 5. & 6. sup. Qui Clerici vel vouentes, &c.* Hoc impedimentum oritur etiam ex voto Religionis, absolutam professionem castitatem: item ex voto suscipiendi sacros Ordines, aut non nubendi, vt *ex cap. Meminimus, cap. Consuluit, cap. rursus sup. Qui Clerici vel vouentes, &c.* Vide plenius Nauar. *in Manuali c. 22. n. 73.*

VI. Crimen incestus, de quo Tit. *de eo qui cognouit consang. vxoris sua.*

VII. Raptus sponsæ alterius, *can. Statutum 27. quæst. 2. iuncto cap. fin. inf. de raptorib.* Vbi aduerte eum, qui rapuit sponsam alienam, cum nulla posse contrahere, & inter raptorem ac raptam esse impedimentum dirimens, quamdiu rapta manet in potestate raptoris vt antè diximus: ac denique raptum non sponsæ nullo modò impedire matrimonium cum alia non rapta.

VIII. Vxoricidium seu cœdes vxoris suæ, *can. Admonere & can. Interfecta 33. quæst. 2.* Quod intellige de simplici occisione, quia coniuncta cum adulterio, impedimentum esse dirimens. Intellige rursus de cœde facta propria auctoritate nam si quis vxorem auctoritate publica & tanquam iustitiæ minister occidat, nec peccat, nec impedimentum hoc incurrit, iuxta doctrinam communem. Eadem pœna extenditur ad mariti cœdem. Nec obstat, quòd pœna non debeat extendi vltra suum casum, quia, vt Nauar. *d. loc. n. 74.* id fallit in iis correlatiuis, in quibus eadem ratio idem suadet, prout hic.

IX. Susceptio proprij filij de sacro fonte seu Baptismo, eo animo facta, vt ob cognationem spiritualem inde contractam debitum coniugale alteri parenti subtrahatur: talis enim, mortuâ coniuge, cum alia contrahere prohibetur, *canon. de eo 30. quæst. 1. Eadem est ratio de eo, qui tenet filium in Confirmatione.*

X. Cœdes presbyteri, quando scilicet quis convictus in iudicio de ea fuerit, *c. Qui presbyterum inf. de pœnit. & remissionib.*

XI. Solemnis pœnitentia: æquum enim est, vt qui semel solemnem pœnitentiam egit, totâ vitâ luctum præ se ferat, *can. de his & similibus 33. q. 2.*

XII. Coniugium scienter contractum cum Moniali professâ, *canon. Si quis 27. quæst. 1.* His addi potest excommunicatio maior & minor: nam cùm ea impediat omnium Sacramentorum perceptionem, similiter impedit, ne matrimonij Sacramentum legitimè suscipiatur.

Denique quodvis peccatum mortale, quo contrahens tempore contractus detinetur: cùm enim matrimonium sit Sacramentum, sanctè tractandum est, Concil. Trid. *sess. 24. cap. fin. in fine de reformat. matrimon.* Vide de his omnibus plenius Navarr. *dict. loco num. 74. & seqq.* Covarr. 2. *part. de sponsalib. cap. 6.* Cæterùm in impedimentis non dirimentibus dispensare Episcopus potest: præterquam in sponsalibus cum alio vel alia contractis, quia talis dispensatio contineret in se iniuriam tertij, cui si ipse cedat, potest alter iure suo liberè, cui volet, matrimonio, iungi: & præterquam in voto castitatis ac Religionis, quia summo Pontifici super hoc reservatur dispensatio. Vide Navarr. *dict. loco num. 85.* vbi tradit, quando ob consuetudinem non sit opus in his petere dispensationem.

TITVLVS XVII.

Qui filij sunt legitimi.

1 *Legitimi sunt nati ex iusto nuptiis.*
2 *Ex parentibus publicè & solemniter matrimonio iunctis.*
3 *Legitimati per subsequens matrimonium.*
4 *Legitimati à summo Pontif. vel alio Principe.*
5 *In adoptionem dati.*

DE ratione & modo contrahendorum matrimoniorum hactenus abunde dictum est. Hoc Tit. agitur de effectu & fructu matrimonij ritè contracti, de legitimis scilicet filiis: illi enim aut nascuntur tales, aut fiunt. 1

Legitimi igitur in primis sunt filij, qui ex legitimo matrimonio seu iustis nuptiis procreati sunt, *c. Causam 7. c. Pervenit 11. h. t.* Et hi dicuntur naturales & legitimi, quasi quos natura & lex civilis agnoscit, vt distinguantur à naturalibus & à legitimis tantùm.

Secundò, legitimi sunt, qui ex parentibus publicè quidem & solemniter (prout præscribitur *in c. Cum inhibitio sup. de desponsat. impub.*) sed nulliter, propter aliquod impedimentum latens, matrimonio iunctis nati sunt, licet postmodum declaretur matrimonium nullum, *d. c. Pervenit & c. Cum inter 2. h. t.* adeò vt ignorantia & bona fides vnius hac in re sufficiat, si modò iuncti fuerint in facie Ecclesiæ, *iuxta d. c. Cùm inhibitio.* Ideóque si coniugatus, vivente primâ vxore, in facie Ecclesiæ cum secunda, hoc ignorante, contrahat, proles eorum legitima erit, & quidem quoad omnia, etiam feuda & hæreditates; idque favore prolis, *c. Ex tenore 14. h. t.* Præsumitur autem bona fides, quamdiu non apparet mala, *c. 2. & ibi DD. h. t.* Sed & ex matrimonio errore iuris probabili (qui scilicet bonam fidem parere possit, veluti dum erratur in decisione iuris dubij) contracto legitimam prolem nasci communiter placuit, *per c. Per venerabilem 13. & d. c. Ex tenore h. t.* 2

Tertiò, nati ex soluto & soluta, inter quos consistere matrimonium poterat, licet ab initio illegitimi fuerint, per subsequens matrimonium legitimantur, *c. Tanta & ibi Glos.* & Abb. *h. t.* & quidem quoad omnia præter Cardinalatum, ex Constitutione Sixti V. teste Garzia *de benef. 7. p. c. 1. n. 28.* etiam sine interventu instrumentorum dotalium de iure Canonico, *d. cap. Tanta & ibi* Abb. contra ius Civile: nam matrimonium omnem maculam & vitium abstergit, ideóque perinde habentur & sunt, ac si ex legitimo matrimonio nati essent. Idque obtinet etiamsi matrimonium illud in articulo mortis, desperatâ iam salute, fit contractum. 3

Dixi, ex soluto & soluta, inter quos consistere matrimonium poterat; quia nati ex soluto & coniugata, vel soluta & coniugato, non legitimantur per subsequens matrimonium, mortuâ coniugati aut coniugatæ coniuge, *d. c. Causam & d. c. Tanta* (vbi spurij vocantur) quia danti operam rei illicitæ imputatur, quidquid inde

inde evenit, etiam præter eius cogitatum & intentionem, *c. Continebatur, & c. Fua inf. de homicidio.* Et hi tanquam ex damnato coitu nati ab hæreditate repellendi sunt: imò & ab alimentis eos lex Civilis excludit, *l. Ex complexu C. de incestis nuptiis.* Alioquin ius Pontificium, in hoc ius Civile tanquam nimis durum corrigens, iubet etiam ex damnato coitu natos ali à patre ac necessaria subministrari, *c. Cum haberet sup. de eo, qui duxit in matrimonium*, &c. quia iuris est naturalis, vt pater filium alat.

4 Quartò, legitimi sunt, nati quidem extra iustas nuptias, verùm à summo Pontifice vel alio Principe legitimati. Et quidem quoad spiritualia, veluti quoad beneficiorum & Ordinum capacitatem potest summus Pontifex legitimare omnes Christianos, cuiuscumque nationis vel provinciæ, tanquam sibi in spiritualibus subiectos: quoad profana verò, veluti vt succedant parentibus, non nisi eos, qui ipsi in profanis subiiciuntur: nisi magna Reipubl. causa postularet illegitimum legitimari extra ditionem summi Pontificis, veluti vt reddatur capax successionis in regnum aliquod, *c. Per venerabilem 13. h.t.* Aliàs in rebus profanis legitimatio petenda est ab illo Principe laico, cui legitimandus subiicitur, *l. 12 ff. de natalibus restituendis.*

Denique aliâ acceptione filij legitimi dicuntur, qui per adoptionem, naturæ imitatricem, in filios electi sunt. Et hi vocantur legitimi tantùm, vt distinguantur à legitimis & naturalibus simul, quasi quos lex civilis agnoscit, non tamen natura.

5 Ex prædictis facilè intelligitur, quinam filij illegitimi dicantur, nempe ij, qui ex illegitima coniunctione nati sunt. Græcis vnâ voce generali Nothi dicuntur, eorúmque variæ sunt species: alij enim Nothi specialiter appellantur, contractâ voce generis ad speciem, alij Naturales, alij Spurij, alij aliis atque aliis nominibus nuncupantur: inter quos diligenter distinguendum esse admonet Pont. *in c. Nisi cum pridem §. persona verò sup. de renuntiat.* Sed quia in eorum distinctione Interpretes variant, videatur Gloss. & Abb. *ad d. §. persona.*

An autem quis sit legitimus, an non, determinatio ad Iudicem spectat Ecclesiasticum, *c. Inter præsentium 5. & c. Causam 7. hoc. tit.* licèt tantùm incidenter moveatur hæc quæstio, quia laicus est omninò incapax huius iudicij, ideóque in hoc casu accessorium non sequitur principale.

TITVLVS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari.

1 *Non omnes ad accusandum matrimonium admittuntur.*
2 *Qui & quatenus accusare possint.*
3 *Qualiter & vsque ad quem gradum.* 4.

SVPEREST tertia ac postrema pars huius libri, de dissolutione matrimonij, & quæ eam consequuntur. Dissolui autem matrimonium de facto non iure contractum priuatâ auctoritate nequit, nec declarari nullum, sed Iudicis Ecclesiastici auctoritate & causæ cognitione opus est.

Videndum igitur in primis, quinam accusare matrimonium vel contra testificari possint: neque enim omnes quandocumque aut indistinctè ad illud impugnandum admittendi sunt. Nam si quis tempore denuntiationis à sacerdote factæ, tacuerit, is postea contracto matrimonio non auditur, & repellitur ab accusatione; nisi denuntiationem probabiliter ignoraverit, vel iuret, quòd de novo post denuntiationem didicerit ea, quæ obiecturus est, quódque ad hoc ex malitiâ non procedat: nam tunc licet ab iis didiciſſet, qui tempore denuntiationis siluerint, repelli non debet, *c. vlt. h.t.* 1

Similiter si petatur dissolui matrimonium ob aliquod impedimentum, quod non contineat delictum coniugum, nec alterius, quàm coniugum, interfit illud dissolui; veluti, si ideò, quia vir sit frigidus vel maleficiatus, aut aliter impotens ad matrimonij actum, vel erratum fuerit in conditione status: tum accusatio ad solos spectat coniuges. Quod si delictum contineat, vt quia aliqui in gradu vetito contraxisse vel contrahere velle dicuntur, tum quilibet ad accusandum matrimonium admittuntur; potissimùm tamen parentes, iisque deficientibus proximiores cognati & agnati, id est frater, soror, patruus, auunculus, amita, matertera, & horum descendentes, *c. Veniens 3. hoc tit. can. 1. cum seq. 35. q. 6.* quia tales genealogiam suam, consanguinitatemque & affinitatem inter contrahentes optimè norunt, ideóque fauore matrimonij cæteris præferuntur, 2

dict. cap. Videtur : licèt aliàs in criminalibus causis & contractibus non admittatur neque pater in causa filij, neque filius in causa patris, *d. c. Videtur* : Progenie verò omni deficiente, ab antiquioribus & honestioribus, quibus eadem propinquitas vel affinitas nota verisimiliter esse debet, accusatio testimoniúmque recipi poterit, *dict. can. 1. cum seq. 35. q. 6.* Vbi tamen alter coniugum divitiis, honore, nobilitate & potentiâ prævalet, testimonium parentis inferioris omninò suspectum redderetur, nullóque modo admittendum, quandoquidem parentes filiorum incrementa & honores affectare comperiantur.

3 Quoties igitur aliqui propter impedimentum consanguinitatis vel affinitatis separari petuntur, duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint, vel totidem senioribus & melioribus loci, id legitimè comprobari debet, *cap. Quoties 5. sup. de testibus.* Qui quidem testes etiam personaliter coram iudice compareant & testimonium dicant necesse est, non etiam per literas, *cap. 2. hoc tit.* insupérque duplici adhibito iuramento : primo, quòd non privato odio, neque amicitiâ, neque pro aliquo commodo, quod habuerint, vel habeant, vel habituri sint, ad hoc fuerint inducti : deinde quòd, sicut ipsi dicunt, rei veritatem acceperint à maioribus suis, credántque ita esse, *d. cap. Quoties, can. 3. 4. & 5. 35. q. 6.*

Cæterùm licèt olim, quando ad septimum vsque gradum prohibitio matrimonij inter consanguineos & affines extendebatur, testes de auditu, non etiam de visu, admitterentur ad eum vsque gradum, ob brevem hominum vitam : tamen, postquam ista prohibitio ad quartum gradum reducta est, hoc de auditu testimonium in Concil. Lateranensi reiectum fuit ; exceptis duodecim casibus, qui referuntur *in cap. Licet 47. sup. de testibus*, vbi vide.

TITVLVS XIX.

De Divortiis.

1 *Divortium quid sit, quotuplex, & in quo à Repudio differat.*

2 *Matrimonium aliud legitimum, non ratum, aliud ratum, non legitimum.*

3 *Matrimonium legitimè contractum iure Pontif. est indissolubile.*

4 *De matrimonio inter infideles contracto.*

INSTITVTA peractáque legitimè accusatione, ad ipsam matrimonij dissolutionem seu divortium pervenitur. Nam divortium est dissolutio matrimonij, quæ vtroque coniuge vivente contingit, *Gloss. in can. 132. q. 7.* dictum à diversitate mentium, quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *l. 2. ff. h. t.* vel potiùs à divertendo seu divortendo, vt alij malunt : nam & *divortia aquarum* dixit Cicero, & *divortia itinerum* Livius. 1

Differt divortium à Repudio, quòd illud inter virum & vxorem tantùm fieri dicatur, Repudium verò sponsæ remitti videatur, & in vxoris personam non absurdè cadit, vt dicitur *in leg. Inter stuprum 100. ff. de verbor. signif.* Et *in l. Inter divort. 191. eod. tit.* repudiari posse dicitur etiam futurum matrimonium, non rectè autem sponsa divortisse.

Divortium sumitur dupliciter ; primò pro diremptione matrimonij quoad vinculum, & propriè divortium dicitur. Secundò pro separatione coniugum quoad thorum & cohabitionem, durante tamen adhuc matrimonij vinculo ; quod impropriè divortium appellatur.

Vt autem sciatur, quod & quâ ratione matrimonium dissoluatur, Notandum, matrimonium aliud esse verum seu legitimum, non ratum ; aliud ratum, non legitimum ; aliud legitimum, & ratum. Legitimum est, quod secundum legis vel provinciæ mores contrahitur : cuiusmodi est matrimonium inter infideles, secundum eorum leges contractum ; non enim est ratum seu firmum, quia non est indissolubile. Ratum, non legitimum, est matrimonium, contemptis iuris solemnitatibus nuptialibus, solo affectu maritali contractum : quale est clandestinum matrimonium inter fideles, iure Decretalium. Quod addo, quia post Conc. Trid. eiusmodi matrimonium est nullum. Legitimum & ratum est, quod inter fideles legitimè seu secundum leges patriæque mores contrahitur. 2

Tametsi verò iure Civili certas ob causas matrimonium semel legitimè inter aliquos contractum, verè & omninò dirimi potuerit, etiam quoad vinculum, vt videre licet *toto tit. ff. de divortiis, & tit. Cod. de repudiis*, veluti captivitate, aliáve ex causa : tamen iure Pontificio matrimonium semel inter fideles legitimè contractum, si consummatum fuerit, non- 3

non aliter ſolui poteſt quoad vinculum, quàm per mortem alterius coniugis, *c. Gaudemus h.t. can. Puto & aliis 32.* quia quos Deus coniunxit homo non ſeparet, *c. vltim. ſup. de tranſlat. Epiſcopi*; & quia matrimonium repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem & per naturæ conformitatem: proindéque vt illa eſt indiſſolubilis, ita & matrimonium indiſſolubile eſſe debet. Adeò vt, licèt alter coniugum vel labatur fortè in hæreſin, vel tranſeat ad infideles, tamen idcirco vinculum coniugale inter eos diſſolui nequeat, *c. 2. & c. Quanto 7. hoc tit.*

Dixi, ſemel legitimè contractum; quia ſi inter eos contractum ſit, inter quos ob aliquod impedimentum puta conſanguinitatis vel affinitatis gradu prohibito, prohibitum eſt matrimonium, licet ſit ipſo iure nullum, & proinde de iure diſſolui non debeat: attamen vti de facto contractum fuit, ita etiam iure Pontificio de facto diſtrahi & diſſolui poteſt, *c. vlt. h. t.* non quidem propriâ auctoritate contrahentium, ſed tantùm auctoritate iudicis Eccleſiaſtici, vel ſaltem ex officio iudicis ordinarij, *c. Porrò 3. hoc tit.*

4 Quòd ſi tamen pagani, id eſt non Chriſtiani, in gradu, lege Canonicâ tantùm prohibito, matrimonio iuncti ad fidem convertantur, non dirimetur matrimonium, nec quoad vinculum nec quoad thorum. Verùm ſi paganus plures vxores habuerit, poſt fidem ſuſceptam, dimiſſis cæteris, adhærebit primæ: ſicut & ſi repudiatâ primâ cum ſecundâ contraxerit, licet repudiata interim cum alio contraxiſſet: nec poterit dimiſſor hoc caſu obiicere fornicationem dimiſſæ, niſi aliàs fuerit fornicata, *d.c. Gaudemus in fine.*

Si verò infidelium coniugum alter ad fidem Chriſtianam convertatur, alter autem perſeveret in infidelitate, & vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel vt coniugem pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare velit, dirimi poterit matrimonium, & fidelis ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſire, *d.c. Quanto, & d.c. Gaudemus:* quia licet matrimonium verum ſeu legitimum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum, non repræſentat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, *d.c. Quanto, verſ. etſi.* Aliàs per ſolam converſionem alterius, ſeu baptiſmum non diſſoluitur, vt patet *ex 1. Corinth. 7. can. Iam nunc 28. q. 1.*

Non obſtat prædictis, de indiſſolubilitate matrimonij inter fideles legitimi & conſummati, illud Matth. 5. *Omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mœchare: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Et rurſus cap. 19. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur:* ex quo colligi videtur, licere vxorem dimittere fornicariam, & aliam ducere. Nam Reſpond. ſenſum verborum Matth. 5. eſſe, ipſi imputandum adulterium vxoris, quod eidem non imputabitur, ſi dimitteret ex cauſa fornicationis, quia tunc mœchantem dimitteret. Similiter Matth. 19. ſenſus eſt, quòd ſit ei auctor, vt mœchetur. Aliter reſponderi poteſt, prædicta verba intelligi de dimiſſione quoad thorum, cuius fuerat antè facta mentio, non autem de dimiſſione quoad vinculum. Nam cùm Chriſto moveretur quæſtio à Phariſæis de perfecta dimiſſione, qualis fiebat per libellum repudij, & hæc dimiſſio contineret quoque ſeparationem à thoro & cohabitatione coniugis, & præterea poteſtatem ducendi aliam vxorem: Chriſtus in ſua reſponſione ita diſtinxit, vt alterum, ſcilicet ſeparationem à thoro & cohabitatione, diceret eſſe licitum, ſed ex cauſa fornicationis dumtaxat, non aliter; alterum verò diceret eſſe illicitum, & verum adulterium. Cuius reſponſionis prior pars continetur illis verbis, *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem*, ſcilicet, peccat, quod ſubaudiendum, vel, quod vtique non licet: poſterior verò illis verbis, *& qui dimiſſam duxerit, adulterat*, vel *mœchatur*: ita vt particula, *niſi*, accipiatur quidem exceptivè, ſed ad priorem partem reſponſionis dumtaxat pertineat, non autem ad alia ſequentia.

§. I.

De diſſolutione matrimonij, rati non conſummati.

1 *Diſſoluitur huiuſmodi matrimonium per Religionis ingreſſum.*
2 *Per diſpenſationem ſummi Pontificis.*

CÆterùm matrimonium ratum, non conſummatum, inter fideles diſſolui poſſe per ſolemnem Religionis approbatæ ingreſſum ſeu profeſſionem, ab altero coniugum factam, etiam altero repugnante, patet *ex cap. Commiſſum 16. ſup. de ſponſalib. & aliis ſimilibus:* Conc. Trid. *Seſſ. 24. can. 6.* manéntque in ſæculo poſt emiſſam profeſſionem alterius (quam exſpectare tenetur) ſi continere nolit, iterùm contrahere poteſt, *cap. Ex publico 7. ſup. de converſ.* 1

coniugat. Ratio, cur dissolui tunc matrimonium possit, licet sit Sacramentum, est, quia repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia tantùm per gratiam, non etiam per charitatem & naturæ conformitatem; ideóque cùm illa sit dissolubilis per peccatum mortale, etiam matrimonium, vnionem illam repræsentans, dissolubile erit & imperfectum Sacramentum. Cùm enim Sacramentum matrimonij primò significet coniunctionem Christi cum anima, per gratiam: secundo coniunctionem Christi cum Ecclesia, per charitatem; tertiò coniunctionem Christi cum Ecclesia, per naturæ conformitatem; & ex his significationibus primam dumtaxat habeat matrimonium, ratum, non consummatum, quippe per quod coniugati nondum sint perfectè duo in carne vna: non est perfectum Sacramentum, quoad omnem significationem, sed imperfectum, & dissolubile.

Non obstat illud, *Quos Deus coniunxit homo non separet*: quia intelligitur de matrimonio consummato, non autem de rato tantùm.

2 Secundò, dissolui potest per dispensationem summi Pont. prout constat sæpè ex grauibus causis dispensasse. vide Nauar. *in Manuali c.22.n.21.*

Cur autem non æquè dissoluatur per Ordinis sacri, vel etiam Episcopalis, susceptionem, atque per professionem Religionis approbatæ, ratio est hæc, quia Ordo sacer & status Episcopalis non pugnat ex natura sua cum statu coniugali & vsu matrimonij (prout patet in Sacerdotibus & Episcopis Græcis) sicut Religio, quæ est mors quædam spiritualis, consistens in totali rerum omnium temporalium abdicatione.

§. II.

De dissolutione matrimonij quoad thorum.

1 *Casus, quibus hoc modo dissoluitur matrimonium.*

2 *Casus, quibus non dissoluitur.*

1 CErtissimi porrò Iuris est, matrimonium ratum & consummatum posse etiam inter fideles dissolui quoad thorum & cohabitationem, manente inter eos vinculo matrimonij, vt patet ex toto hoc Tit. Decretal. & definitur per Conc. Trid. *sess.24. can.8.* Et quidem primò fieri id potest mutuo consensu, ad perfectiorem statum acquirendum: veluti si vterque vouerat perpetuam castitatem, aut ad Religionem transeat, *cap. 1. & 2. sup. de conuers. coniugat.*

Secundò, fit hæc separatio, si alter coniugum spiritualiter fornicatus fuerit nempe si labatur in hæresim, vel in gentilismum decidat, *cap.2. & seq.h.t.*

Tertiò, si alter alterum impellat ad peccatum, ita vt cum eo sine periculo offensionis diuinæ, suspicionis apud homines participationis in crimine, cohabitare non possit, *dicta cap.2.h.t.* Eadem est ratio, si dimissio iudicetur necessaria ad emendationem & correctionem vxoris, *c.Si vir.3.inf.de adulteriis.*

Quartò, si alter in alterum sæuiat nimiùm; nisi fortè maritus sufficientem det cautionem, arbitrio iudicis, de non offendenda vxore, *c.1. sup. Vt lite non contestata, &c.*

Quintò, Votum vltramarinum, ad liberandam terram sanctam, etiam inuitâ vxore, vir emittere & adimplere potest, *c. Exmulta §. in anta sup.de voto & voti redempt.*

Sextò, si alter coniugum adulterium vel fornicationem (quo nomine omnis illicitus coitus etiam contra naturam continetur) commiserit, *c. Accusatores, c.Intelleximus, & c.inf. de adulteriis*, iuxta illud.

Fidem frangenti fides frangatur eidem. Idque obtinet, licet alter alteri iurauerit, nunquam se repudiaturum, quia causa adulterij vel fornicationis superuenientis semper excepta videtur, *cap. Quemadmodum 26.sup. de iureiurando.* Pendente autem iudicio de adulterio, non fiet separatio thori, nec ante probatam accusationem priuari accusatus debet iure, quod in alterum habet, *cap. 2. sup. Vt lite non contestata, &c.* Attamen non tenetur vir vxorem, vel contrà, ob adulterium aut fornicationem dimittere, si pœnitentia ducta emendetur, nec perseueret in crimine: imò cessante scandalo, dimissam & non perseuerantem in crimine potest sibi reconciliare. Alioqui adultera, quam recipere non vult, ad agendam perpetuam pœnitentiam in claustro aliquo cum mulieribus Religiosis collocanda est, *c.Gaudeamus 19.sup.de conuers.coniugat.*

Cæterùm obseruandum, licere alteri coniugum hanc separationem ob fornicationem alterius facere propria auctoritate, quoad thorum dumtaxat, non etiam quoad cohabitationem, quia est res publica & quæ scandalo esse potest, ideóque non nisi iudicio Ecclesiæ fieri debet, *cap. Porro 3.hoc tit.* nisi adulterium fuerit omninò

omninò publicum & notorium, *cap. Significasti 4. h.t.*

Ob futurum verò vel aliud crimen, aut ob morbum coniugatis non fit hæc separatio, *dict. cap. 2. hoc tit.* Nec obseruatur *nouel. de nuptiis c. 16. §. has itaque causas*; neque *l. Iubemus §. inter culpas Cod. de nuptiis*; nec rursus *nouel. 117. cap. 8. & sequentib.* quia per ius Canonicum, cui in causis matrimonialibus standum est, corriguntur.

2 Sed & certis casibus alter coniugum separari ob fornicationem seu adulterium non potest. Primò, quando tantùm materiale est adulterium: veluti si mulier viam passa fuerit, *can. Itane, cum similibus 32. quæst. 5.* quia vbi non est culpa, ibi nec pœna esse debet: vel si quis fraudulenter sup specie mariti aliquam cognouerit, *can. In lectum 31. q. 2.*

Secundò, quando vterque pari crimine tenetur, *cap. Intelleximus, & cap. fin. inf. de adulteriis:* quia paria delicta mutua compensatione tolletur.

Tertiò, quando vir vxori fuit auctor adulterij, veluti si eam prostituerit, *cap. discretionem sup. de eo qui cognouit consanguineam, &c.*

Quartò, quando post cognitum adulterium vxoris rem cum ea habuit, *can. Si quis vxorem 32. quæst. 3.*

Quintò, quando repudiatâ vxore ante Baptismum, ambo deinde ad fidem conuertuntur: nam vxor, licèt fuerit à secundo viro ante Baptismum cognita, priori nihilominus erit reconcilianda *cap. Gaudemus hoc tit.* Sin fine causa & temerè vxor diuerterit excommunicatur, *can. Si qua mulier dist. 30.* (nisi ex iracundia diuertens redierit statim) & restitui ante omnia marito repetenti, sicut & è diverso, debet: nisi exceptio fuerit legitima, vt si vxor virum repetens publicè sit adultera, vel viro repetente vxorem timeatur nimia eius sæuitia. Videantur quæ suprà diximus de hac restitutione, *tit. de restit. spoliatorum lib. 2.*

TITVLVS XX.

De donationibus inter virum & vxorem, & de dote post divortium restituenda.

1 *Dos quid sit. Est Aduentitia vel Profectitia.*
2 *Donatio propter nuptias.*
3 *Soluto matrimonio illa mulieri, hæc marito restituenda.*
4 *Donationes extra causas dotis factæ censentur quoque reuocatæ.*
5 *Vir agens pro dote non excluditur ob inopiam.*

IVDICEM Ecclesiasticum, vbi causâ cognitâ viderit sententiam diuortij esse ferendam, sive ad declarandum matrimonium nullum, sive ad separationem thori & cohabitationem tantùm pronuntiare, quoque oportet de dote ac donationibus propter nuptias, restituendis, vel non restituendis: nam de his plerumque divortio facto incidenter quæstio mouetur, tanquam de accessoriis ad matrimonium, *cap. 3. hoc tit.*

Dos est pecunia, quæ ab vxore, vel ab alio 1
eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonij, marito datur remittiturve, *l. Pro oneribus 20. & passim Cod. de iure dotium.* Quæ proinde constante matrimonio repeti non potest, nisi maritus labatur facultatibus, *l. Si constante ff. Soluto matrim.* aut bona eius filco inferantur, *l. Si marito ff. de repudiis*: veluti propter crimen læsæ Maiestatis, vis publicæ, parricidij, beneficij, de ficariis, *l. Quinque 3. de bonis damnat.* item crimen hæresis, *cap. decreuit de hæret. in 6.* nisi inter maritum & vxorem interessisset pactum de lucranda dote per maritum, Glos. & Bart. *in d. l. Quinque.* Vnde infertur, dotem filiæ posse in præiudicium patris publicari, *Authent. Qui contra Cod. de incestu nuptiis.*

Ea est, vel Profectitia, vel Aduentitia, profectitia quæ à patre vel parente virilis sexus profecta est de bonis vel facto eius, *l. 5. in princ. ff. de iure dot. l. 6. C. eod.* Aduentitia, quæ à quovis alio, vel ex ipsius mulieris bonis data est, *d. l. 5. §. Si pater 6.*

Donatio propter nuptias est, quam sponsus 2
vel alius eius nomine, facit sponsæ in securitatem dotis, *l. penult. & vlt. C. de donat. ante nuptias.* Eò namque spectat donatio ista, vt mulieri sit cautum de dote recuperanda, soluto matrimonio, si ea vel perierit, vel deterior facta fuerit culpâ mariti. Vnde & iure nouissimo ita doti adæquata est, vt non modò pari quantitate constitui debeat, sed & iisdem pactis ac conditionibus, *l. Ex mort. 9. cum Auth. seq. C. de pactis conuentis, &c.* Olim quidem dicebatur donatio hæc ante nuptias, quia post nuptias fieri non poterat; primò quidem vetantibus id moribus,

moribus, postmodum etiam iure inde orto, *l. 1. 2. & 3. vbi ratio additur, ff. de donat. inter vir. vxorem.* Cæterùm iustinus Imp. exemplo dotium, quæ augeri & post nuptias poterant, permisit etiam donationes eiusmodi augeri constante matrimonio, *dict. l. Si constante C. de donat. ante nuptias*: Iustinianus verò constituit, vt non augeantur tantùm, sed etiam constante matrimonio initium accipiant nec amplius donationes ante nuptias, sed propter nuptias vocentur, *l. vlt. C. dict. tit. & instit. de donat. §. Est & aliud.*

3 Vt igitur soluto ex causa licita matrimonio dos mulieri, aut ei, qui dedit, restitui debet, *cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* ita etiam donatio propter nuptias marito, *cap. fin. vers. sanè eod.* nisi vel consuetudine vel pacto coniugum de lucranda dote donatione ve propter nuptias, quod vtrimque æquale sit necesse est, contrarium inducatur seu inductum sit, *dict. vers. sanè.* Imò, quod amplius est, etiam ea bona, quæ constante matrimonio communiter coniuges acquisierint, dividi æqualiter inter eos oportet, *dict. cap. 1. & 2. hoc tit.* licèt postea ob sanguinitatem contingat dissolui matrimonium, vel sit putatiuum tantùm bona fide contractum, *dict. cap. 2.* ibi, *quem loco viri tenebat, &c.* Facit *l. Si cum dotem §. fin. ff. Soluto matrimonio.*

Quod si scienter vetitum matrimonium aliqui contraxerint, priuantur iis, quæ sibi mutuò dederint (nisi aut minori ætate aut errore aliquo excusentur) eáque fiscus sibi vindicat, *c. Etsi necesse 5. hoc tit.*

Sin mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiæ aut propriâ voluntate à viro discesserit, nec postea eidem fuerit reconciliata, perdit dotem seu dotalitium, illúdque cedit lucro mariti innocentis, *cap. Plerumque 4. hoc tit.* Reversa & reconciliata marito dotem non amittet, quia sic maritus iniuriam remisisse censetur, prout remittere potest, *cap. 3. inf. de adulteriis.*

In super vtrouis modo diuortium fiat, sive quoad ipsum vinculum matrimonij dissoluendum, sive quoad separationem thori dumtaxat, donationes quæ inter virum & vxorem constante matrimonio extra causas dotis vel donationis propter nuptias factæ fuerint, censentur, tacitè reuocari, *cap. fin. h. t.* Nam licèt eiusmodi donationes extra causas dotis & donationis propter nuptias, quibus alter coniugum locupletior; & pauperior alter efficitur, vtroque iure prohibitæ sint, *l. 1. ff. de donat. inter vir. & vxorem & dict. cap. fin. in princ.* tamen si non fuerint expressè vel tacitè, veluti diuortio, revocatæ, morte donantis confirmantur, *l. Sed interim 12. ff. eod. & dict. cap. fin.* Ad sponsos hæc prohibitio non pertinet, *l. Si sponsus, l. Inter eos 27. ff. eod.* nec ad eas donationes, quibus alter non fit pauperior, alter ditior, *l. Si fructum C. eod. dict. cap. fin.* nec rursus ad eas, quæ conferuntur in tempus mortis vel divortij, *dict. l. Sed interim. §. fin.* quia, vt dicitur *in l. 10 ff. eod.* in illud tempus excurrunt, quo amplius non sunt vir & vxor, & propterea cessat ratio prohibitionis, mortèque confirmantur, si in viuis reuocatæ non fuerint, *l. Cum hic status 32. §. 2. ff. eod.*

Quemadmodum autem diuortio, ita & morte alterutrius soluto matrimonio dos & donatio propter nuptias restitui debent aut superstiti aut defuncti hæredibus, nisi similiter vel pacto coniugum vel statuto vel consuetudine prouinciæ aliud obtinuerit, *d. cap. fin. vers. sanè.*

Cæterùm si vir, agens pro dote, vergat ad inopiam, non ideò excluditur omninò, verùm assignabitur ei dos sub cautione, secundum facultates eius præstanda, quòd soluto matrimonio dotem restituit: nam æquum est, vt cui vxor credit corpus suum, eidem magis credat dotem, *cap. Per vestras 7. hoc tit.* Sin autem ne sic quidem sufficienter sit prouisum consumptioni dotis, ea deponetur apud mercatorem, vt de parte honesti lucri inde prouenientis onera matrimonij vir sustineat, *dict. cap. per vestras.*

TITVLVS XXI.

De secundis nuptiis.

1 *Secunda nuptiæ quæ dicantur.*
2 *Intra annum luctus nubens iure Canonico non est infamis.*
3 *Differentia inter primas & secundas nuptias.*

1 DENIQVE diuortio facto solent coniuges sæpiùs ad secundas nuptias transire, de quibus propterea vltimo loco restat agendum: Vocantur autem hic secundæ nuptiæ non eæ tantùm, quæ primas proximè sequuntur, sed tertiæ, quartæ, ac deinceps, quotiescumque iterantur: quæ altero coniugum mortuo, aut propter aliquod impedimentum dirimens matrimonio declarato nullo, permittuntur

permittuntur superstiti, ad vitandum periculum fornicationis, *can. Quomodo, cum similibus 31.q.1.c.penult.& vlt.hoc tit.*

Nec obstat. *Hac ratione ibidem,* in quo Ioan. Chrisost. secundas nuptias vocat honestam fornicationem: quia canon ille non est Chrysostomi, sed auctoris alicuius incerti & operis imperfecti in Matth. quod falsò Chrysostomo adscribitur. Vide editionem Gregorianam *d. can. Hac ratione.*

2 Tametsi verò iure civili notetur infamiâ mulier, intra annum luctus, id est, intra annum à morte mariti nubens alteri, *l.1.& 2.Cod. hoc tit & l.Liberorum ff.de his qui not. infamia:* tamen iure Pont. quamvis magis probentur primæ nuptiæ, quam secundæ, *can.nuptiarum 27. quæst. 1. dict. canone. Quomodo & similibus.* non damnantur secundæ nuptiæ, nec vllam infamiam aut aliam pœnam, iure Civili statutam, incurrit mulier nubens intra tempus luctus, auctoritate Apostoli, qui indistinctè loquitur, *1. Corint.7. & ad Rom. 7. mulier, viro mortuo, soluta est à lege viri; in Domino nubat, cui voluerit:* non adiiciens, vt demùm post annum luctus nubat, *c.penult. & vlt.h.t.*

Differunt tamen primæ & secundæ nuptiæ; 3 Primò, quòd secundæ nuptiæ non benedicatur à Parocho vel sacerdote, *c.1.& c.3.h.t.* quia cùm alter contrahentium saltem in primis nuptiis fuerit semel benedictus, eaque benedictio semper duret, non est iteranda, nisi consuetudine introductum fuerit contrarium, Nauar. *in Manuali c 22.n. 83* aut sint secundæ ex parte viri tantùm, vt viduus ducat virginem, tunc benedici posse tradit Arm. *in V. Matrimonium n.71.*

Secundò, prohibetur etiam Presbyter secundis nuptiis interesse, *c.de bis 31.q.1.*

Tertio, relicta pro pauperibus mulieribus dotandis & maritandis nequeunt distribui in dotem viduarum nubere volentium, quantumcumque pauperes sint, quia appellatio matrimonij ad primas nuptias refertur, *l.boues 89.§.1. ff. de verb. signif.*

Quartò, fauorabiliores sunt primæ in capiendis legatis, quàm secundæ: nam legatum sub conditione, *Si non nupserit,* virgini, quæ nondum experta est virum relictũ, etiamsi nupserit, ei non obstante conditione, debetur; secus in vidua, *l.Cum tale leg.§.5.ff.de condit.& demonstrat.*

Quintò, mulier, quæ iterum nupsit, nequit ob ingratitudinem reuocare donationes liberis prioris matrimonij factas: exceptis tribus, casibus, enumeratis in Nouella 22. *de nuptiis cap.35.* At verò vidua vnius matrimonij potest, *l.His solis 7.C.de reuoc.donat.*

LIBER QVINTVS.

DECRETALIVM.

TITVLVS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

§. I.

De Accusationibus.

1 *Accusatio quid sit.*
2 *Libellus accusatorius quæ continere debeat.*
3 *Hora & dies commissi criminis an necessariò exprimendus.*
4 *Inscriptio seu pœna talionis hodie ab vsu recessit.*

IVS Pontificium, sive scriptum sive non scriptum, versatur vel circa personas Ecclesiasticas, vel circa res, vel circa iudicia, eáque cùm ciuilia, tum criminalia. Cùm itaque libro primo actum fuerit de iure personarum; secundo de vniuersa iudiciarij ordinis ratione; tertio & quarto de materia ipsa seu rebus Clericorum & laicorum, quæ in iudicium Ecclesiasticum ciuile deducuntur: sequitur vt hoc quinto libro tractemus de iis rebus quæ in iudicium Ecclesiasticum criminale veniunt; doceamusque primò, quo pacto actiones seu iudicia criminalia instituantur; tum de delictis ipsis, quæ in foro Ecclesiastico proponuntur; ac demùm de pœnis, quibus rei à iudice Ecclesiastico afficiendi sunt.

Iudicia criminalia tribus potissimùm modis instituuntur, nempe per Accusationem, inquisitionem, Denuntiationem, *c. Licet Heli 31.in princ.inf.de Simonia.*

Accusatio, secundum Hostien. *in Summa h.t.* 1
est criminis alicuius apud iudicem competentem, vindictæ publicæ causâ, in scriptione interueniente, legitimè facta delatio. Colligitur hæc descriptio ex *l.fin.C.de accusat.* & communiter receptam esse tradit Iul.Clar. *in pract.crim. q.12. num.1.* Dixi, vindictæ publicæ causa; in

exemplum scilicet populi, vt omnes à talibus criminibus abstineant. Accusare verò est deferre reum criminis alicuius per libellum ad iudicem, cum subscriptione deferentis: & qui defert Accusator dicitur, vti Actor, quia in ciuilibus causis prouocat ad iudicem.

2 Debet autem libellus accusatorius continere imprimis nomen iudicis coram quo crimen proponitur, vt sciatur, an is sit competens, vt *tit. C. vbi de criminibus agi oporteat*: item nomen accusatoris & accusati, vt constet, quis sit accusator, & quis accusetur, (quamquam si nomen accusati ignoretur, possit describi ex habitu, officio, vel aliis circunstantiis:) speciem insuper criminis: locum & tempus commissi criminis (aliàs accusatio redderetur incerta, & ipsò iure nulla, etiam parte non opponente. Iul. Clarus, *dict. quæst. 12. num. 9.* eripereturque reo facultas se defendendi:) item personas, in quas vel cum quibus illud perpetratum dicitur, insuperque subscriptionem accusatoris in crimen, sive ad pœnam talionis, non tantùm in publicis delictis, verùm etiam in priuatis, criminaliter intentatis, *l. fin. ff. de priuat. delicta l. fin. ff. de furtis.* Quod constitutum est, vt homines deterreantur è calumniis, *l. penult. & ibi Glos. &* Salicet *C. de accusat.* & ne innocentia alicuius temerè periclitetur & vim patiatur. Formam accusationis vide *in l. libellorum ff. de accusat. & can. fin. §. libellorum 1 l. q. 8.* & quæ latè deducuntur à Greg. Tholos. *lib. 5. p. iuris can. tit. 9. c. 4.*

3 Cæterùm non tenetur accusator inuitus horam & diem designare, nisi id reus petat, vt scilicet negatiuam, loco & tempore coarctatâ, puta se eo die fuisse in aliquo loco, remoto à loco delicti, probare possit, *l. Optimam C. de contrahenda stipul.* aut nisi crimen tali die commissum sit mitiùs puniendum, Iul. Clar. *dict. loc. vers. dixi etiam.* Et si diem expresserit, qui mensem designet, alia mensis designatione opus non erit. Vvesemb. *ff. ad hoc tit. num. 11.* aliàs enim nimis coarctaretur potestas accusandi & probandi, quandoquidem quis diei vel septimanæ facilè obliuisci possit, cùm non ita cadat sub sensum, vt locus.

4 Inscriptio verò, ac pœna talionis hodie passim à foro recessit, valétque eiusmodi consuetudo, Fel. *in c. super his vlt. not ab. hoc tit.* Gothof. *ad d. l fin. C. de accusat.* Et sanè ob antiquum rigorem multi deterrebantur ab accusando, multáque crimina propterea manebant impunita. Quamquam etiam hodie, si quis aliquem de crimine aliquo differat, & partem formatam, vt vocant, se aduersus eum constituat; soleat carceri committi, donec satisfecerit idoneè, de accusatione prosequenda, & iniuria resarcienda, si crimen intentatum minùs probet, *l. 2. C. de exhibendis reis.* Quia tamen hæc pro diuersitate locorum diuersimodè exercentur & obseruantur, satius fuerit sequi stylum & consuetudinem cuiusque loci.

Sed & in tabulis Legum Brabantiæ, vulgò *den Lanchartre* anni 1312. legimus Ioannem ducem pœnam talionis diserte innouasse, decreuisseque eo loco habendum esse eum, qui alium in iure conueniisset, & querelas non probasset, quo alius fuisset habendus probato crimine.

Denique si accusatio non fuerit legitimè concepta, nomen rei aboletur, & ex integro repetendi reum sit potestas, *dict. l. Libellorum §. 1.*

§. II.

Quinam accusare possint.

1 *Prohibentur, quorum nihil interest.*
2 *Qui semel destiterint ab accusando.*
3 *Laicus volens accusare Clericum.*
4 *Inimicus accusati aut inimici eius cohabitans.*
5 *Mulier, pupillus, miles, infamis, &c.*
6 *Aliàs accusator audiendus est, etiam Monachus aduersus Prælatum.*
7 *Nemo per procuratorem accusare aut defendere se potest.*
8 *Nemo inuitus accusare cogitur, & quatenus desistere liceat.*
9 *Quibus hodie munus accusandi deferatur.*

1 ACcusare possunt omnes, qui non prohibentur, *l. Qui accusare 8. ff. de accusat.* Prohibetur autem quis accusare aliquem ob varias causas, vel quia eius, qui vult accusare, nihil interest, *cap. Illa 3. hoc tit.* exceptis publicis iudiciis: * vel quia eundem eiusdem criminis 2
semel accusauerit; nam qui semel ab accusando destitit, amplius non auditur, *l. accusat. 6. C. de his qui accus. non pos.* imò perpetuum illi silentium imponitur, licèt ante inscriptionem destiterit, *cap. licet 14 h.t.* Similiter qui semel à crimine absolutus est per sententiam definitiuam, iterum accusari nec ab eodem nec ab alio potest: *cap. de his 6. & ibi DD. h.t.* Vt neque semel condemnatus ac punitus, Maranta 6. *part. spec. aurei num. 49.* nam de eiusdem hominis admisso sæpiùs quæri non debet, *l. licet 6. in fine ff. nauta caupones,*

caupones, &c. nisi fortè ex collusione primi accusatoris secundus doceat perperam absolutum fuisse, *cap. 2. inf. de colluſ. detegenda l. 3. §. nam, ſi ff. de prævaricationib.* Maranta *d. loc. n. 50.* Abbas *in dict. c. de his hoc tit.* Præsumitur autem collusio, si accusator conuersetur cum accusato, si post litem contestatam nec accusatus compareat ad terminum statutum per iudicem, Maranta *d. loc. n. 51.*

Dixi per sententiam definitiuam; quia absolutus ab obseruatione iudicij dumtaxat, licèt non possit amplius accusari ab eodem, secundum Canones (per primam enim accusationem factus fuit inimicus, ac proinde repellendus eo iure, *cap. Repellantur 7. cap. Cum P. 10. cap. Cum oporteat 19. hoc tit.*) potest tamen ab alio tertio, & quidem de iure Ciuili indistinctè tam à primo, quàm ab alio, cùm secundum Ius ciuile inimici ab accusatione non repellantur. Posset tamen absolutus rursus accusari à tertio, prosequente suam vel suorum iniuriam, dummodò ignoret accusationem fuisse ab alio institutam; secus si sciuerit: nam & tertio obstat exceptio rei iudicatæ, Maranta, *d. loc. n. 54.* vbi alia vide eodem spectantia.

3 Tertiò, repellitur laicus, volens accusare Clericum: nam cum Clericis laicos oppido infestos tradiderit antiquitas, *cap. Clericis in princ. de immunit. Eccleſ. in 6.* quod & experientia docet, præsertim, hoc infelici sæculo; regulariter non admittuntur laici aduersus Clericos in criminalibus, *dict. cap. Cum P. h. t. can. 2. & 3. can. Sicut 6. 11. quæſt. 7.* prout nec Clerici aduersus laicos; *dict. can. Sicut* nisi fortè laici suam vel suorum iniuriam prosequantur *cap. de cætero 14. ſup. de teſtib. can. Omnibus 4. quæſt. 6.* aut nisi agatur de occultis quibusdam criminibus, in quibus propter enormitatem Ecclesia laicos aduersus Clericos admittit, vt sunt Simonia, Hæresis, crimen læsæ maiestatis, *cap. Tanta, c. licet Heli 31. inf. de Simonia.* Eodem iure Canonico non admittuntur aduersus Clericos viles abiectæque personæ, non probatæ vitæ, *can. Quærendum 11. quæſt. 7.* modò reus earum consuetudine antea vsus non fuerit, *cap. Nulli 5. hoc tit.*

4 Quartò repellitur accusator, quia inimicus, est accusati, aut inimico eius cohabitat, *d. c. Repellantur 7. d. c. Cum P. 9 & c. Meminimus 13. h. t.* & hoc de iure Canonico, vt dixi, quia præsumitur eiusmodi accusatio proficisci ex odio. Vnde nec criminosus accusator aduersus alium criminosum admittitur, *cap. Omnes, can. Qui crimen 6. quæſt. 1. d. can. Quærendum 11. quæſt. 7. can. Qui ſine, can. Poſtulatus 3. q. 7.*

Denique prohibentur accusare, alij propter sexum vel ætatem, vt mulier & pupillus: alij propter sacramentum, vt milites; alij propter maiestatem & potestatem, alij propter delictum proprium vt infames; alij propter turpem quæstum, vt qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, nummosve ob accusandum vel non accusandum acceperint; alij propter conditionem suam, vt filij aduersus parentes, liberti & alumni vel ob alias similes causas, de quibus *in can. Prohibentur. 11 quæſt. 1. & in dict. l. Qui accuſare 8. & ſeq. ff. h. t.* & Iul. Clarus *in pract. crimin. quæſt. 14.* quarum si aliqua accusatori obiiciatur, statim est ab accusatione repellendus, etiam non audito reo de crimine. Et hoc est, quod Pont. ait, si legitimus non fuerit accusator, non fatigandum esse reum siue accusatum, *cap. 1. hoc tit.* Porrò plerósque, qui accusare prohibentur, Glossa *ad d. c. 1.* complectitur his versibus:

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suspectus quæſtu, corruptus, ſortilegúſque,
Infamis, ſeruus, pauper, cum milite Princeps,
Libertus, ſocius ſocium, nec non inimicus.
Clericus Eccleſiam nullus deferre valebit.

Hi tamen omnes ab accusatione non excluduntur, si suam vel suorum iniuriam exsequantur, mortemve defendant, *l. Hi tamen 11. ff. h. t. l. 8. & 12. C. eod.* Exceptis liberis, libertis, & alumnis quibus ne istis quidem casibus parentem patronumve accusare permittitur, nisi ciuiliter agatur, *d. l. Hi tamen §. 1. l. iniquum 17. Cod. de his qui accuſ. non poſſ.* Aliàs si qui alios accusare velint, eos immunes esse oportet à crimine. *can. Qui ſine peccato, can. Poſtulatus 111. quæſt. 7.* Hodie etiam paupertas non repellit ab accusatione pauperem, honestæ fidei & vitæ, Clarus *d. quæſt. 14. n. 19.*

Quòd si accusatori nulla iusta obiici causa possit, ob quam ab accusatione remoueri debeat, omninò, audiendus est, quisquis ille sit: adeò vt etiam Monachus, quamvis obedientiam vouerit Prælato suo, nisi alia rationabilis causa impediat, accusare valeat. Imò debent eidem ex bonis Monasterij suppeditari sumptus necessarij ad prosequendam accusationem, *cap. illa 3. cap. Ex parte tua hoc tit.* Quin etiam, vt sit expeditior reformatio Monasterij, si quam sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti Abbas, pendente

accusatione, protulerit, aut per alios ferri curaverit, ea ipso iure relaxatur; sicut & iuramentum de tacenda veritate, *cap. Olim 26. hoc tit.* Alios tamen Monachus accusare non potest, *cap. Ex parte tua*, nisi intersit Monasterij, & de licentia Abbatis, *can. Monachi 35. 16. quæst. 1.* quia censetur mundo mortuus, *can. Placuit ibid.*

7 Quemadmodum autem ad crimen iudicij publici accusationemque criminalem: prosequendam non admittitur procurator, ita neque ad defendendum, *leg. penult. ff. de pub. iudiciis, c. Veniens 15. h.t.* Licet reus absens possit per procuratorem allegare causas absentiæ, aliasque exceptiones, quæ ipsum crimen propositum non attingant, *d.c. Veniens & c. cum dilecti 18. h.t.* secus si agatur de crimine non criminaliter, v.g. per modum exceptionis, *c. Super his 16. hoc tit.* vel de crimine privato, v.g. iniuriarum, *can. Absens §. nisi 3. q. 9. l. fin. Cod. de iniuriis*, vel de aliis levibus criminibus, *l. Levia 6 ff. h.t.*

8 Nemo etiam invitus accusare cogitur, *can. Si quem pœnituerit, can. Si quis iratus 11. q. 7. tit. Cod. Ut nemo invitus agere vel accus. cog.* Potestque quilibet ante libelli oblationem & inscriptionem ab accusatione incœpta desistere; sed desistenti imponitur silentium perpetuum, ne deinceps eundem de eodem crimine accuset vel infamet, *cap. Licet 14. hoc tit.* At verò post inscriptionem cogitur accusationem prosequi, nec impunè citra abolitionem desistit, *l. Quæsitum 5. ff. Ad SC. Turpill.* Publicè enim interest, accusationem non intermitti, sive vera sit, vt delictum puniatur, sive falsa, ne calumniator impunè evadat, & licentius in innocentiam cuiusque grassetur. Verius etiam est, fratres se invicem accusare non posse, *leg. Si magnum Cod. de his qui accus. non possunt*: nisi in levioribus criminibus, *l. Si sororem 18. Cod. eod.* aut nisi alter alterius vitæ insidiatus fuerit, Glos. & Salicet. *ad d. l. Si magnum*: nam & idem in matre adversus filium sibi insidiantem admissum est, *l. Propter 14. Cod. d. tit.* vt neque filius prohibetur de facto matris queri, *leg. Hi tamen 11. §. 1. de accusat.*

9 Cæterùm observandum est, hodie munus accusandi apud sæcularem Iudicem deferri procuratoribus fisci; apud Iudicem verò Ecclesiasticum aliquibus electis & probæ fidei Clericis, qui Promotores aut Procuratores fiscales, vel Syndici, interdum etiam Nuntij dicuntur, quos huic muneri præficiendos tradit Bern. Diaz. *in Praxi crimin. can. c. 4.* & in quibusdam diœcesibus per Belgium ita servari refert occulatus testis Zyp. olimque consuetum fuisse, *lib. 5. de iure Pont. novo h.t. n. 8.* Et tales non debent se inscribere, quandoquidem necessitas officij eos liberet à suspicione calumniæ, nisi hæc manifestè appareat, *l. Post legatum 5. §. Advocatum ff. de his quibus vt indignis, &c.* Solent tamen plerumque alij privati, quorum aliunde interest delicta puniri, se his adiungere, eisque denuntiare crimina ac suggerere probationes, ad suam suorumque iniuriam prosequendam: vnde & evitant delatoris prohibiti notam, *l. deferre 18. §. Sed communem, & l. Delator 44. ff. de iure fisci*, cùm nemini in causis propriis accusandi licentia sit deneganda, *can. Omnibus 4. quæst. 6.*

§. III.

Quinam accusari non possunt.

1 *Non mortui, non Legati, Præsides, Magistratus, &c.*
2 *Non absoluti per sententiam, neque absentes. 3.*
4 *Non infantes & furiosi.*
5 *De servis reis.*

SIcut non omnes accusare possunt, ita nec omnes accusari. Non in primis mortui, *l. Ex iudiciorum 20. h.t. l. fin. ff. Ad Leg. Iul. Maiest.* Non Legati Imperatoris aut Provinciales, non Magistratus populi Rom. & qui Reipub. causâ absunt, *l. Hos accusare 12. ff. eod.* Idemque dicendum de aliis, qui in honore ministerioue publico sunt: qui quidem rectè postulantur rei, sed eorum differtur accusatio, & cautione iudicio sistendi causa promittitur in finem honoris *leg. Si adulterium 38. in fine ff. ad leg. Iul. de adult.* 1

Tertiò, semel absoluti per sententiam iterum accusari non possunt, de quo iam ante dictum. 2

Quartò, non etiam absentes, multoque minùs damnati, *l. Absentem 6. C. hoc tit. Absentem 5. ff. de pœnis*: sed tantùm annotatio fit bonorum, & post annum publicatio, *d. l. Absentem l. 1. & 2. C. de requir. reis*; quamvis procuratorem habeant, *l. penult. §. 1. ff. de publ. iudiciis, c. Veniens 15. h.t. c. Tua 5. sup. de procurat. c. Absens verò 3. q. 9.* quia Iudex ex rei præsentia, vultu, aspectu, qualitate personæ, constantia, trepidatione, ex oculorum sermonisque indiciis in criminis cognitionem deducitur, vt Canis. ait *lib. 4. tit. 19. §. Qui verò accusari, arg. l. 2. & 3. ff. de* 3

ff. de teſtib. l. de more 10. §. *tormenta ff. de quæſtionib.* Idque verum eſt, ſi crimen tale ſit, ex quo pœna corporalis, vel in metallum, aut ſimilis infligenda venit, *d. l. Abſentem ff. de pœnis & d. c. Veniens*, vbi pœna ſimilis eſt capitali. Excepto tamen crimine læſæ Maieſtatis, *vt in Extravag. Henr.* 12. *Quomodo in læſa Maieſtatis, &c.* Cæteroquin ſi pecuniariam pœnam, aut quæ æſtimationem contingit, crimen mereatur, poterit ea in abſentem, ſi ſæpiùs admonitus per contumaciam abſit, ſtatui, & vſque ad relegationem procedi, *d. l. Abſentem ff. de pœnis.* Planè hodie in Gallia & alibi, & in foris Eccleſiaſticis bonorum annotationi locum non eſſe, poſſéque abſentes contumaces damnari, etiam ad mortem, eorumque bona addici fiſco, notat Gothof. *ad d. l. Abſentem Cod. h. t.* poſt Iul. Clar. *q.* 44. *n.* 3. *&* 4.

4 Quintò, non infantes & furioſi, *leg. infans* 12. *ff. Ad Leg. Corn. de ſicar. leg. diuus* 14. *ff. de officio Præf.* Minores verò 25. annis tunc rectè accuſantur, ſi puberes aut pubertati proximi deliquerint, quippe capaces iam doli, *l. Pupillum* 3. *ff. de R. I.* quamquam interdum miſeratio ætatis movere poſſit Iudicem ad mitigandam pœnam, *l. Auxilium* 37. *ff. de minoribus.*

5 Omnibus verò legibus ſervi fiunt & poſtulantur rei, exceptâ pœnâ pecuniariâ vel capitis, id eſt amiſſionis civitatis, quæ ſervo non competit, *d. l. Hos accuſare* 12. §. *omnibus* 4. *ff. h. t.* Ex civilibus cauſis eorum domini noxaliter conveniuntur, *leg. penult. & vltim. Cod. de noxalibus, action.* Ita hæc tradit Caniſ. *dict. loco* §. *Omnibus autem.*

§. IV.

De Inquiſitione.

1 *Inquiſitio quid ſit.*
2 *Hanc inſtituet Iudex publicâ famâ inſtigante.*
3 *Eaque præcedere debet inquiſitionem.*
4 *De eadem conſtare debet ex actis & informatione.*
5 *Nec ſufficit, ſi duo plureſve iurati adfirment, quem commiſiſſe crimen.*
6 *Inquiſitio vel generaliter ſit vel ſpecialiter.*
7 *Generalis inquiſitio permiſſa eſt iudici de quolibet delicto.*
8 *In ſpeciali inquiſitione quæ edenda & quo modo procedendum.*
9 *Intereſt an per inquiſitionem probatum ſit crimen, an per accuſationem.*
10 *Ad inquiſitionem neceſſaria eſt citatio offenſi & conſanguineorum.*
11 *Denique à iudice competente fieri debet.*

INquiſitio eſt alicuius criminis manifeſti per Iudicem competentem canonicè facta inveſtigatio. Idque ita à iure receptum eſt, ne deficiente accuſatore delicta manerent impunita, cum graviſſimo Reipublicæ detrimento, ſcilicet vt Præſidi, Officiali alicuius provinciæ aut civitatis ſeu Iudici ex officio ſuo liceat nocentes, veluti fures, latrones, ſacrilegos, homicidas & alios, conquirere, & provt quiſque deliquerit, in eum animadvertere, ſicque provinciam aut civitatem, cui præeſt, malis hominibus purgare, *l. Congruit.* 13. *ff. de officio Præf. Novell.* 128. *collatoribus* §. *Iubemus.* 1

Quam tamen inquiſitionem Iudex non aliter inſtituet, quàm ſi famâ publicâ & rumore vulgi non temerario ad hoc permotus fuerit, *cap. Cum oporteat* 19. *c. Inquiſitionis* 21. §. *Tertia dubitationis, c. Qualiter* 24. *h. t.* ne temerè in aliquem & cum periculo alienæ exiſtimationis graſſetur, *arg. l. Prætor* 7. *in princ. ff. de iniuriis.* deque occultis criminibus prohibita eſt inquiſitio, *dicto cap. Cum oporteat:* & propterea in primis conſtare oportet de delicto commiſſo, ſaltem in genere, verbi gratiâ, quòd reperiatur homo occiſus, furtum factum, vel rapina, vel aliud ſimile, neſciaturque à quo: & de iſto Iudex ante omnia ſe informare debet, & curare deſcribi in actis qualitatem delicti, Maranta 6. *p. princ. n.* 17. *&* 18. 2

Secundò, contra infamatum de crimine aliquo inquiri non debet niſi fama publica vel clamoſa inſinuatio præceſſerit, vt loquitur Pont. *in d. c. Inquiſitionis* §. *tertio, & d. c. Qualiter & quando in fine h. t.* quia hæc eſt loco denuntiatoris vel accuſatoris, *d. c. Qualiter circa princ.* plenè Felin. *in cap. Licet* 14. *hoc tit.* * Et de tali fama, proveniente non à malevolis & maledicis, ſed à viris providis & honeſtis, conſtare etiam debet ex actis & ex ipſa informatione, aliàs inquiſitio impugnari poſſet, *d. c. Qualiter.* Ideóque licèt Iudici ab aliquibus clam porrigatur libellus infamationis, quo quis gravis alicuius criminis accuſetur, non tamen ad inquiſitionem procedi debet, niſi de eo quoque fama accuſati ſit læſa, ne inde naſcantur iniuriæ, vnde iura naſci debent, Iudicisque vileſcat auctoritas, *d. c. Inquiſitionis, & d. c. Qualiter.* 3 4

Quod adeò verum eſt, vt non ſufficiat

quoque ad inquisitionem specialem instituendam, quòd duo pluresve etiam iuratò affirment aliquem crimen aliquod, se videntibus, commisisse, de quo non laboret infamiâ aliqua seu clamosa non præcesserit insinuatio, *d.c.inquisitionis §. tertiæ*: quia aliàs adhuc occulta res est, minimèque per publicam inquisitionem prodenda; sed requiritur, vt rumor de eo sit sparsus per maiorem partem viciniæ, collegij, vel vniuersitatis, in qua moratur.

Hinc etiam reus rectè adversus inquirentem excipit de fama delicti publica, quod eâ non sit respersus. Glos. *ad cap. 1. V. fuerunt hoc tit. in 6.* vel quòd non nisi à maleuolis & inimicis promanarit. Alioqui omissa hac exceptione, sustinebitur adversus reum inquisitio, quasi huic exceptioni tacitè renuntiantem, *cap. 1. & 2. eod. in 6.* Imò nec subditi tenentur patefacere auctorem, etiam sub iuramento rogati, si is nulla laboret infamia, nihilque mali in posterum timeatur, Less. *2. de iustit. c. 3. dubitatio. 6. vbi latiùs vide.*

Excipitur tamen à supradictis crimen patefactum ex generali inquisitione, item commissum vel confessum in iudicio: quodque suspicione communi laborat, vel est contra bonum publicum, aut infectiuum, Zyp. *hoc tit. num. 4.* Excipiuntur item crimina, læsæ Maiestatis diuinæ atque humanæ, falsæ monetæ, latrocinij, in quibus etiam ex sola confessione socij in socium inquiritur, *l. Quisquis §. 9 C. ad l. Iul. maiest. l. 1. C. de falsa moneta, l. diuus 6. ff. de custodia reorum l. 9 C. de feriis*, Idque obtinet, dum inquisitio contra certam personam, puta Mæuium, Titium vel alium instituitur, Canis. *d. loc. §. quæ certè obtinent.*

6 Fit verò inquisitio generaliter, quando de delicto quidem constat, non tamen de delinquente. Et hæc potest fieri absque fama præcedente, Abbas *in cap. pernitiosa sup. de officio iud. ordinarij.* Specialiter autem fit, quando de vtroque constat vel, ex fama publica à personis idoneis & fide dignis cum circunstantiis ad iudicem delata, *d. cap. inquisitionis §. tertiæ versic. ad hoc, & d. cap. Quando. 24. versic. ad corrigendos*: vel ex denuntiatione, factâ à parte offensa vel ab extraneo, siue necessitate officij, siue motu proprio. Nam inquisitio specialis regulariter prohibita est, tanquam regulis iuris contraria, cùm nemo sine accusatore damnandus sit, *l. rescript. 6. §. si quis ff. de mun. & honorib. Glos. & DD. in l. Ex lege. §. si publicè ff. de adulteriis.* Vnde & Christus *Io. 8.* dixit. *mulier, vbi sunt, qui te accusant, nemo te condemnauit?* & respondente mulliere, *nemo Domine*; respondit. *Nec ego te condemno*, definiente scilicet accusatore. Et cùm sciret iudam furem esse, tamen quia non erat accusatus, ideò non fuit electus, *can. nihil contra 2. q. 1.*

Si tamen inquisitio fiat, non ad effectum puniendi, sed corrigendi & pro salute animæ, vt dum Episcopus visitat Ecclesiam, dum se informat de vita & moribus, eligendi, consecrandi, promouendi ad ordines, tunc quia ex officio inquirit, fama aliqua præcedat necesse non est, Abbas *in dict. cap. pernicioſa sup. de officio ordin.* latè Maranta *6. part. n. 32.* Sicut & quando iudex inquirit de mandato Principis, asserticè dicentis in sua commissione, constare sibi de crimine, seu quòd fama deuenerit ad aures suas. Aliàs si commissio facta sit simpliciter, tacitam habet conditionem, modò scilicet præcedat fama, Maranta *d. loc. n. 25.*

Generalis inquisitio est præparatio ad spe- 7
cialem: prohibetur iudex generaliter inquirere de quolibet delicto, vt ad specialem inquisitionem deueniat, *l. 1. §. qui quæstionem ff. de quæstionib. iuncta, l. Congruit ff. de officio Præs.* Innoc. *ad cap. Bona 23. num. 5. sup. de elect.* & vbi generalis præcessit, deueniri potest ad specialem, sine alia probatione famæ, nempe quando per generalem reperit iudex sufficientia & vrgentia indicia, Maranta *dict. 6. part. num. 30. & duobus seqq.*

In inquisitione verò speciali de iure Canoni- 8
co debent ei, contra quem instituitur, edi capitula, de quibus fuerit inquirendum. *cap. 1. eod. in 6.* & quidem specialia, quæ scilicet contineant omnes & singulas circunstantias delicti, commissi tali loco, anno, mense, cum tali persona, aduersus talem, & sic de aliis, *secundum formam l. libellorum 3. ff. de accusat.* vt reus facultatem habeat defendendi se, *cap. Qualiter 24. verſ. debet igitur hoc tit.* Maranta *d. loc. num. 35. & 37.* Aliud dicendum, si inquisitio fiat de crimine læsæ Maiestatis, siue diuinæ, vt de hæresi ac blasphemia, siue humanæ, in quibus summariè & de plano proceditur, Maranta *d. loc. num. 36.* Imò non solùm dicta, sed etiam nomina testium sunt publicanda, nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, *dict. §. debet igitur.* vbi vide, qualiter Prælatus procedere debeat in inquisitione facienda contra subditos: item quo pacto instituí ea debeat contra ipsos Prælatos, si delinquant, requiritur enim talis diffamatio in Prælato, qui diutiùs sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari. De iuramento verò, quòd inquisitores exigunt ab inquisitis, vide *in dict. c. Qualiter 17. hoc tit.*

Cæterum

Cæterum refert Zyp. *hoc tit. num.* 4. in concordatis Brabantiæ §. *de crimine concubinatus, & §. de crimine adulterij*, disertè cautum esse, ne cognoscat Ecclesiasticus nisi de notorio concubinatu & adulterio, & vt testes Synodales non denuntient nisi adulteros notorios: ne scilicet Promotores spe lucri statim ad accusandum prosiliant, vbi vel rumusculum aliquem inaudierint. Et *num.* 2. tradit. *art.* 54. *lati introit. Brab.* ordinatum fuisse, ne Officiarij quemquam boni nominis & famæ apprehendant, nisi priùs plenam habuerint informationem suspicionum, commissorum criminum, ob quæ apprehendere velint: & vt neque è domo abducere, neque inquisitionem in domo instituere valeant aliter, quàm de iure & antiquo locorum vsu liceat, saluo iure ampliori civitatum Antuerp. Louan. & Siluæ duc. *addit.* 2. *art.* 10. *dict. Introitus.*

9 Multùm autem refert, an delictum aliquod probatum fuerit per inquisitionem, an verò per accusationem: quia per accusationem prodito & probato crimine, tenetur iudex pœnam à lege statutam infligere; eo verò patefacto per inquisitionem, licèt certam pœnam crimini lex præscripserit, tamen iudex eam moderari pro suo arbitratu poterit, secundum personæ merita, & delicti qualitatem, *d. cap. inquisitionis* 21. *in princ.* nisi crimen sit eiusmodi quod executionem impediat ordinis, aut delinquentem beneficio indignum reddat; veluti si quis per inquisitionem probatus fuerit simoniacus, nam in istis duobus casibus nullum iudicis est arbitrium; sed priori fit depositio perinde atque in accusatione, & in secundo fit priuatio: nec potest iudex has pœnas moderari, *dict. cap. inquisitionis.*

10 Insuper requiritur ad inquisitionem citatio offensi & consanguineorum proximiorum: quibus à iure permittitur prosequi suam suorumue iniuriam, vt declarent, an accusationem instituere velint. Nam comparente accusatore de iure ciuili cessat inquisitio, tanquam remedium extraordinarium, *l. in prouinciali 3 ff. de noui operis nuntiat.* ita vt coram alio quoque iudice institui possit accusatio, impediátque inquisitionem coram alio cœptam. Exceptis casibus, quibus inquisitio permittitur de iure, vt in crimine læsæ Maiestatis, & aliis, traditis per Glos. *in l. Ex leg.* §. *si publico ff. de adult.* vel statuto, quia cùm tunc sit remedium perinde ordinarium atque accusatio, non tollitur per superuenientem accusationem; atque iure Canonico inquisitio remedium est ordinarium. Excipitur & is casus, quo inquisitus data opera affectaret & procuraret accusationem coram alio iudice, ad impediendam executionem, aut offensus à iudice rogatus ante cœptam inquisitionem, an velit accusare: responderit nolle. Videatur de his & similibus aliis Maranta *d. part.* 6. *à n.* 38. *vsque ad n.* 49.

Denique fieri inquisitio debet, à iudice com- 11
petente, aliàs non valet; & in casibus à iuris permissis, prout de iure Canonico contra vsurarium permittitur *in cap. Cùm in diœcesi* 25. *inf. de vsuris*, Maranta *dict. loc. num.* 106.

§. V.

De Denuntiatione.

1 *Denuntiatio alia Ciuilis, alia Euangelica, alia Canonica.* 2. 3.
4 *Denuntiatio Canonica ab accusatione in quibus differat.*
5 *Ea duplex est generalis & specialis.*

DEnuntiatio est triplex, Ciuilis seu iudi- 1
cialis, Euangelica & Canonica, Ciuilis, quæ à iure Ciuili introducta est; veluti quæ fit per ministros publicos quos & stationarios ab officio vocant, ad hoc constitutos vt delicta admissa denuntient Magistratibus, eorúmque auctores prodant, quatenus in eos fiat inquisitio, *l. Ea quidem 7. iunctâ, l. seq. & l. Singul.* 14. *C. de accusat. l. diuus. 6. ff. de custod. & exhib. reorum*: ad publicam scilicet vindictam; ideóque dicitur publica, vt distinguatur à priuata, quæ fit ad priuatum interesse & commodum: vt si filius vel seruus opprimatur indebitè à patre vel domino, aut quilibet alius à potentiore, præsertim miserabilis persona, possunt tales hoc denuntiare in iudicio, vt per iudicem releuentur, Maranta 6. *part. tit. de denuntiatione*, quem vide, vt & Abbatem *in c. nouit.* 13. *col.* 17. *sup. de iudiciis.* Quòd si minister publicus perperam aliquem detulerit, non tamen punietur propterea, nisi per iniuriam detulisse deprehendatur, quia officij necessitas eum excusat à calumnia. Videatur Prosper Farinac. *in Criminal. quæst.* 16. *num.* 15. *cum seq.* Ad hanc autem denuntiationem non admittitur priuatus, cum possit, si velit, accusationem instituere, *l. fin C. d. tit. can. Quisquis* 11. *quæst.* 8.

Denuntiatio Euangelica est, quæ ex lege 2
Euangelica est introducta, *Matth.* 18. *& Luc.* 17. In ea hic ordo seruatur, vt delinquens primùm corripiatur priuatim, deinde, si correptioni

non

non paruerit, iterum moneatur, adhibito vno vel duobus teſtibus, & tum demum, ſi cõtumax perſtiterit, denuntietur Eccleſiæ, *c. nouit. 13. ſup. de iudiciis, c. licet Heli 31. inf. de Simonia. can. Si peccauerit. 11. quæſt. 1.* atque ita eam ſemper præcedere debet bina monitio, etiam in notoriis, nec procederet aliàs, Maranta *dict. loc. num. 5.* quem pleniùs vide, & Vveſym. *in Analyſi ad c. Qualiter 24. hoc tit.*

3 Denuntiatio Canonica, de qua hic agimus, eſt alicuius criminis apud iudicem abſque inſcriptione legitimè facta delatio, potiſſimùm ad emandationem rei. Colligitur *ex cap. 2. 3. & aliis hoc tit.* Ab ea, ſicut & ab accuſatione, repelluntur infames, inimici, excommunicati, *c. Cum oporteat 19. & cap. ſeq. hoc tit.* Et quemadmodum Monachus Abbatem ſuum delinquentem accuſare, ita & denuntiare poteſt, ſumptibus ipſius Monaſterij: ſiquidem prodita eſt hæc denuntiatio contra Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatos, vt eorum exceſſus à ſubditis, clericis vel Monachis, ſi monitioni non acquieuerint, deferantur ad ſuperiorem ſuum, *dict. cap. 2. 5. & cap. Cum dilectus 20. hoc tit. cap. 2. inf. de calumniatorib.* quia illorum intereſt bonum habere Prælatum, *arg. can. Audacter. 8. quæſt. 1.*

4 Conuenit hæc denuntiatio cum accuſatione, quòd vtraque fiat coram iudice. Differt verò ab eadem; primò in modo inſtituendi: nam ad accuſationem neceſſaria eſt inſcriptio, non ad denuntiationem; nec denuntians facit ſe partem, ſicut accuſator. Secundò fine, quia accuſatio fit principaliter ad pœnam & vindictam publicam, vt ſcilicet delictum puniatur; denuntiatio verò fiat ad emandationem & correctionem vitæ, atque ob eam cauſam non eſt opus inſcriptione, ſed amica & charitatiuâ præmonitione: quâ non obſtante ſi in eodem perſeueret crimine, tunc demùm nuntiari & deferri iudici Eccleſiaſtico debet; aliàs à denuntiatione repellitur is, qui non præmonuit, *dict. cap. 2. hoc tit.* Et in hoc rurſus diſtinguitur ab accuſatione, quàm fama publica præcedere debet: nec ſufficit infamia ad condemnandum, niſi probetur, *cap. inquiſitionis 21. § fin. & cap. accedens 23. hoc tit.* Quamquam hæc inducat infamato neceſſitatem purgationis, in qua ſi deficiat, punitur, vt conuictus, *tot. tit. de purgat. Canonica.*

5 Denuntiationem Canonicam dividit Maranta in ſpecialem & Generalem: vt ſpecialis ſit, quæ per eum fit, cuius intereſt habere bonum Prælatum, vel adminiſtratorem, vel ſubditum, vt ſcilicet primò monitus bis, ſi ſit incorrigibilis, remoueatur ab officio & beneficio, *cap. Cuſtos Eccleſia ſup. de officio Cuſtodu, cap. licet Heli inf. de Simonia.* Vt verò generalis ſit, quando agitur de matrimonio diſſoluendo, & de eius impedimentis: permiſſum enim eſt cuilibet impedimentum canonicum, ſi quod ſubſit inter contrahentes, veluti conſanguinitatis, vel ſimile, denuntiare iuri Eccleſiaſtico, *c. tua nos 7. iuncta Gloſſ. ibid. ſup. de cognat. ſpirituali, can. 1. 35. quæſt. 6.* Et de hac loquitur textus *in c. Ad diſſoluendum 13. ſup. de deſponſ. impub. c. Cum inhibitio 3. ſup. de clandeſt. deſponſat.*

§. VI.

De aliis modis procedendi in criminalibus.

1 *Modus procedendi in criminalibus per exceptionem.*
2 *Item ſine ordine vel per notorium.*
3 *Notorium crimen quod dicatur.*
Modus procedendi per implorationem officij iudicis.
4 *Nemo abſens condemnandus.*
6 *Ordo procedendi in criminali iudicio. 7. 8. 9.*
10 *De executione ſententiæ in criminalibus.*

MOdus inſtituendi iudicij criminalis addunt 1
& iſtos, per exceptionem, ſine ordine ſive per notorium, per implorationem officij iudicis.

Per exceptionem obiicitur crimen, vel nudè ad defenſionem, accuſatoribus vel teſtibus, vt ab accuſatione vel ferendo teſtimonio repellantur, *cap. 1. ſup. de exceptionib.* Vnde neceſſaria hic inſcriptio non eſt, nec punitur excipiens, ſi crimen obiectum non probauerit, quia cùm ad ſui defenſionem dumtaxat illud obiiciat, nemini facit iniuriam, *l. iniuriarum §. 1. ff. de iniuriis*: niſi fortè crimen principali cauſæ cohæreat: vt *in cap. ſuper hu 16. hoc tit.* Vel per exceptionem opponitur crimen, vt quis ab officio vel beneficio, quod affectat, repellatur; & hoc quoque caſu non eſt neceſſaria inſcriptio.

Sine ordine vel per notorium proceditur, 2
quando crimen eſt notorium & euidens; nam tunc nec teſtis nec accuſator eſt neceſſarius, nullâque aliâ probatione neque vllo opus eſt iudiciario ordine, quia, vt Pont. ait, euidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris, *cap. 9. hoc tit.** Dicitur autem hic 3
notorium crimen, quod nulla tergiuerſatione celari aut tegi poteſt, quippe patratum coram populo,

populo, vel maiori eius parte, *can. de manifesta 17. l. quæst. 1. cap. Tua 8. de cohabitat. Clericorum, cap. penult. inf. de purgat. Canonica. in pract. crim. quæst. 9.* licèt aliàs latiùs pateat notorium, vt *in c. vlt. sup. de cohabitat. Cleric.* Non aliter tamen coërcebitur sine ordine crimen, quàm si iudici circunstantiæ ipsius delicti plenè perfectæ cognitæque sint. Neque enim sufficit, scribente Canis. *in summa lib. 4. tit. 19. §. vlt.* Titium v. g. publicè omnibus spectantibus hominem occidisse, vt in eum pœna Legis Corneliæ animaduerti possit, sed necesse est scire, anne defendendi sui causa aut alia ratione motus hominem occiderit, ob quam pœna vel omninò remittenda sit, vel mitiganda, *l. aut facta 16. ff. de pœnis, cap. sicut dignum 6. in princ. de homicidio,* Iul. Clar. *dict. quæst. 9.* Et hinc Titio tantisper danda dilatio est, donec exceptiones suas proposuerit & probauerit: nisi fortè criminis qualitas aliud postulet, vt ad condemnandum & puniendum properari debeat, *per textum in l. si quis filio 6. §. hi autem omnes ff. de iniusto, rupto testam. cap. Quoniam 10. sup. de filiis Presbyt.* Vide Anton. Gomes. *var. resolut. tom. 3. cap. 1. num. 43.*

4 Quantum ad modum attinet procedendi per implorationem officij iudicis, quotuplex sit eius officium qualiter hoc modo procedatur, & an litis contestatio necessaria sit, vel alia iudicij solemnia, partim iam antè diximus, ad *tit. de officio iud. ordinarij*, & videre de his licet Bart. *& DD. ad l. 1. ff. de iurisd. omn. iud.* Glos. & Canonistas *in cap. iudicis officium sup. de officio iud.*

5 Illud postremò & generaliter hic obseruandum, vt nemo absens iudicetur, ex contumacia fuerit absens, legibus cùm diuinis tum humanis id vetantibus, *l. absentem 6. C. de accusat. l. absentem 5. ff. de pœnis, can. accusatores in fine*
6 *111. quæst. 8. & aliis.* * Quódque in criminali quoque iudicio seruandus sit ordo iuris, & procedi debeat per litis contestationem, per exceptiones, probationes, &c. ad instar civilis, *cap. vlt. inf. de purgat. canon. l. 2 C. de exhib. reis, l. Qui accusare C. de edendo.* Eo primùm excepto, quòd in criminalibus non sit opus apta libelli conclusione quidem ad certam pœnam, quia ea iure comprehensa est. Idque tantùm operatur in criminali iudicio, quantum petitio agentis in ciuili. Et cùm iure comprehensa sit, suppleri à iudice potest, qui etiam ob eandem rationem aliter condemnare potest, quàm petitum sit. Vvesemb. *ad tit. ff. de accusat. sub num. 12.*

Secundò, eo quoque excepto, quòd hic 7
probationes requirantur euidentiores & luce clariores, *l. fin. Cod. de probat.* adeò vt præsumptiones non sufficiant ad condemnandum, *d. l. absentem ff. de pœnu cap. litteras 14. sup. de præsumpt.* sed tantùm ad absoluendum, *Gloss. in Clement. vnica ad V. non volens de homic.* præterquam in delictis, quæ non nisi per coniecturas & præsumptiones probari possunt, *l. non omnis 5. §. à barbaris ff. de re militari, cap. asserte 2. cap. litteras 12. sup. de præsumpt.*

Tertiò, quòd reo defensio permittenda sit, 8
quamuis appareat, iustam non subesse, etiam post conclusionem in causa, imò & post sententiam. Quin &, si prætermiserit eam reus, potest iudex adsumere personam rei, déque innocentia eius quærere, *l. Si non defendantur ff. de pœnis l. 1. in fine ff. de quæst.* sicuti è diuerso, desistente aut impedito accusatore ex officio accusationem prosequi inchoatam. Imò sunt, qui velint, etiam nocentissimum damnari non posse, nisi termino defensionis ante omnia concesso & assignato. Ita latè Vvesemb. *dict. loco.*

Quartò, excipiuntur leuiora crimina: item 9
læsæ maiestatis & hæresis; in quibus de plano proceditur & cognoscitur, *iuxta tex. & ibi latiùs DD. in l. Leuia 6. ff. hoc tit. cap. fin. de hæret. in 6.* In quibus proinde sufficit qualis petitio: nec inepta conclusio nocebit, quia quod de necessitate non requiritur, id si ineptè interueniat, non vitiat actum Vvesemb. *dict. loco in fine.*

Denique legitimè conuicto reo, vel idoneis 10
testibus, vel apertissimis documentis, vel indiciis indubitatis ac luce clarioribus) *dict. l. fin. C. de probat. iuncta l. Qui sententiam 16. C. de pœnis,* vel propriâ confessione, *dict. l. Quia sententiam, l. Seruos 8. C. ad l. Iul. de vi publica, l. 5. ff. de custod. reorum, iuncta l. 1. ff. de quæstionibus, can. 1. cum multis seqq. 1 l. quæst. 1.* (quam & à reo, argumentis euidentioribus & indiciis certis oppresso, extorquere iudex potest, quæstionibus adhibitis, *l. milites 8. §. 1. C. de quæstionib. l. Vnico 18. §. 1. & 2. ff. eod.* Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 64. & ibid.* Baiard.) mox sententia in eum ferenda est, & executioni mandanda, *l. Cum reis 18. C. de pœnis:* interiecto tamen illius temporis spatio, quod ad appellandum conceditur, *l. additis 26. & ibi* Bart. *C. de appellat. l. vnica ff. nihil nouari appellat. interposita;* aut suspensa sententia per triginta dies, si ipse Princeps vindicari in aliquem seueriùs, contra consuetudinem suam, pro causæ intuitu & qualitate, iusserit,

iusserit, *l. Si vindicari* 10. *Cod. de pœnis*; aut si mulier prægnans condemnata fuerit, nam huius suspenditur pœna, quoad pariat: cùm nec quæstio de ea haberi possit, quamdiu prægnans est, *l. Prægnantis* 3. *de pœnis*.

Non impletâ aut derelictâ accusatione, reus soluitur, & accusatur pœnam talionis, au alias, incurrit. Quibus autem modis non impleatur, tradit VVesemb. *d. loco n.* 16.

TITVLVS II.

De calumniatoribus.

1 *Quid sit calumnia & quis Calumniator.*
2 *Quis Prævaricator & Tergiversator.* 3.

1 VM Reipublicæ expediat, non minus dare operam, ne quis calumniis & falsis criminibus oneretur, quàm ne crimina maneant impunita, ideò circa iudiciorum criminalium ingressum videndum quoque fuit de calumniatoribus. Accusatorum & denuntiatorum temeritas malitiáque tripliciter deprehenditur seu triplex est: vel enim calumniantur, vel prævaricantur, vel tergiversantur.

Calumniari est falsum crimen scienter & dolo malo intendere, *l.* 1. §. 1. *ff. Ad SC. Turpill. l. Athletas* §. *calumniator ff. de his qui not. infamia.* Vnde calumniator dicitur, qui falsum crimen scienter & dolo malo intendit seu proponit. Talísque præsumitur eo ipso, quo crimen intentatum non probavit, *c.* 2. *& ibi* Abbas *hoc tit. can. Qui non probaverit* 11. *quæst.* 3. Nam cùm alium ad iudicium provocans paratas habere probationes suas debeat, *l. Qui accusare Cod. de edendo*: meritò, si defecerit in probatione, videtur sine causa, id est calumniosè litem movisse.

Quia tamen non protinus is, qui non probat, quod intendit, calumniari videtur, ideò eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto, priusquam sententiam ferat, de accusatoris consilio quæret, quâ mente ductus ad accusationem processerit. Et quidem si iusto errore aut aliâ iustâ causâ, quæ à dolo excuset, motum repererit, eum absoluet; si verò in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam (quæ in publicis iudiciis hodie est pœna talionis, vt quod alij malitiosè molitus fuit, ipse luat, *l. fin. Cod. h. t.* in privatis extraordinaria, pro qualitate admissi criminis, *l.* 3. *ff. Ad SC. Turpill.*) ei irrogabit, *d. l.* 1. §. *Sed non vtique* 3. *can. Quisquis* II. *q.* 8. *& similibus.*

Quòd si fortè non possit eadem pœnâ affici, quâ accusatus probato crimine mulctandus fuisset, punietur in supplementum alio modo. Et ideò si Subdiaconus Diaconum vel alterius ordinis maiorem calumniosè accusaverit, privabitur officio & verberibus publicè castigatus in exilium mittetur, *c.* 1. *hoc tit.*

Tametsi autem denuntians ad inscriptionem non teneatur tamen si persona Ecclesiastica superiori denuntiaverit crimen aliquod, non probatum sufficienter, indicanda erit ei purgatio Canonica, & interim, donec innocentiam suam purgat, nempe quòd non calumniandi animo ad delationem criminis processerit, ab officio & beneficio suspendendus erit, vt cæteri simili pœna perterriti ad infamiam vel aliorum, vel suorum maximè Prælatorum, facilè non prosiliant, *c. vlt. & ibi* Abb. *hoc tit.*

Prævaricari est vera crimina abscondere, & falsa detegere, *l.* 1. *in princ. ff. Ad SC. Turpill.* & Prævaricator dicitur quasi varicator, inquit Vlpian. qui diversam partem adiuvat proditâ causâ suâ *d. l.* 1. aut qui vera crimina abscondit, colludítque cum reo, falsas probationes admittendo, & veras dissimulando, ita vt ex vtraque parte confiflat, quinimò & ex altera, cui se adversarium simulavit. Punitur autem prævaricator iudicio arbitrario, Abbas *in dict. cap.* 1. 2

Tergiversari est in vniversum ab accusatione desistere, *dicto loco* 1. *ff. Ad SC. Turpill.* Quod vtique accusatione semel institutâ non licet, citra abolitionem, quâ reorum numero reus eximitur, & accusationis memoria aboletur, *lib. Si interveniente* 12. *ff. eod.* 3

Est autem abolitio duplex: alia generalis, quæ est absolutio ab omni accusatione, quam solus Princeps indulgere potest: alia specialis, quâ vna tantùm accusatio perimitur & extinguitur. Et hæc fit quatuor modis, primò per Principem, vti generalis; secundò per mortem accusantis vel accusati, tertio per biennij lapsum, sine culpa accusatoris, *l. Abolitio Cod. de abolitionib.* quartò per postulationem accusatoris, si eam à Iudice postulaverit.

Vide Hostiens. *in Summa hoc titul.*

***

TITV

TITVLVS III.

De Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur vel promittatur.

§. I.

De crimine ſeu delictis in genere.

1 *Delictum, Peccatum & Crimen hîc promiſcuè ſumi, & quid ſit.*
2 *Delictorum alia Deum principaliter, alia proximum ladunt.*
3 *Item alia ſunt merè Eccleſiaſtica, alia merè ſæcularia, alia mixta.*

EXPEDITO primo capite huius libri de iudicio criminali apud Iudicem Eccleſiaſticum, nempe de Accuſationibus, Inquiſitionibus & denuntiationibus, & earum occaſione de Calumniatoribus: ſequitur alterum de generibus criminum, ob quæ iudicium criminale inſtituitur.

1 Omiſsâ autem quorundam diſtinctione, maioris ſtudij quàm fructus, inter delictum, peccatum & crimen, quaſi peccatum perpetrando & committendo, crimen ſceleris atrocitate, delictum verò omittendo contrahatur, quandoquidem promiſcuè vſurpari poſſint, & vſurpentur à Iuſtin. *in l. 1. Cod. Si adverſus delictum, &c.* nos quoque promiſcuè vſurpabimus hoc loco: ita tamen, vt licèt peccatum ſeu delictum in genere nihil aliud ſit, quàm actus humanus malus, vt docet Covar. *in Clement. Si furioſus part. 2. in princ. num. 1. in fin.* preſſiùs tamen hîc illud accipiamus, vbi agimus de delictis in ordine ad pœnas humanas, nempe pro actu humano malo, qui accuſatione & coërcitione à iure ſeu Iudice humano dignus ſit, ſive dolo malo fiat, ſive culpâ, etiam leviſſimâ, admittatur. Dico, pro actu humano; vt indicem debere illud eſſe voluntarium, ſive directè, ſive indirectè, ſive interpretativè, provt etiam conſtat ex Gratiano 15. *quæſt. 1. in princ.* & Covar. *d. loco.* dico, qui accuſatione, &c. vt indicem delictum ex re ipſa oriri, id eſt ex ipſo maleficio, *l. 4. in princ. ff. de obligat. & act.* quia ſolâ cogitatione conceptum à Iure non coërcetur, *leg. Cogitationis 18. ff. de pœnis*; ſed vltorem apud Deum, *can. fin. 32. quæſt. 3.* Aliàs ſi voluntas ſeu actus interior in actum eruperit exteriorem, legi ſubiicitur humanæ, eâque puniendus venit, *leg. Is qui cum telo Cod. Ad L. Cornel. de ſicar.* maximè vbi in actum exteriorem ita deductus eſt, vt per conantem non ſteterit, quò minùs delictum fuerit conſummatum, *can. Qui peierare 22. q. 5. & ſimilib.* potiſſimùm in maleficiis, vbi principium & voluntas, non exitus, ſpectatur, *iuxta leg. Quoniam multa 6. Cod. Ad L. Iul. de vi publ. cum ſimilib.* & generaliter in iis delictis, quæ facilè in conſequentiam trahuntur.

Omiſsâ item delictorum ea diviſione, quâ iure Civili dividuntur in publica & privata, & rurſus Publica in Capitalia & non Capitalia, *de qua Inſt. de publ. iudiciis, leg. 1. & 2. ff. eod.* * iure Canonico ita commodè dividi poſſunt; Primò, quòd aut principaliter offendant divinam maieſtatem, vt Simonia, Hæreſis, Schiſma, Apoſtaſia, Blaſphemia, Sortilegium, de quibus etiam priùs agendum erit; aut læſionem ſive damnum adferant proximo, veluti Homicidium, furtum, Rapina, Vſura, Adulterium, Stuprum, Inceſtus, Raptus, Iniuria, & ſimilia, de quibus poſteriùs agemus. 2

Secundò, quòd alia ſint levia, alia gravia, graviora ac graviſſima, quorum differentiam malim arbitrio Iudicis relinquere, quàm hîc tradere.

Tertiò, quòd alia ſint merè Eccleſiaſtica ſeu fori Eccleſiaſtici, alia merè ſæcularia ſeu fori ſæcularis, alia mixta ſeu mixti fori. Merè Eccleſiaſtica ſunt, quorum cognitio Eccleſiaſtico Iudici reſervata eſt, licèt per laicum commiſſa ſint, vt crimen Hæreſis, violatio voti Deo facti, aut alicuius præcepti Eccleſiæ, violatio cenſuræ Eccleſiaſticæ; ſacrilegium in ſacris commiſſum, & ſimilia, de quibus Abbas & alij, *in cap. Cum ſit generalis 8. ſup. de foro compet.* Merè ſæcularia ſunt ea, de quibus, ſi à laicis committantur, ſoli Iudices ſæculares cognoſcunt, vt Homicidium, Furtum, Rapina & ſimilia. Mixta ſunt, de quibus, ſi à laicis committantur, tam Eccleſiaſticus quàm ſæcularis Iudex poteſt cognoſcere; cuiuſmodi ſunt Adulterium, Sodomia, & Alia, de quibus Iul. Clar. *in pract. Crim. quæſtione 37.* 3

***

§. II.

Simonia quid sit.

1 *Simonia vnde dicta & definitio illius.* 2.
3 *Pretium in Simonia triplex, muneris à manu, à lingua, ab obsequio.*
4 *Res spirituales quæ hic dicantur.*
5 *Spirituali annexum quid sit.*

1 INter delicta, quæ diuinam offendunt maiestatem, grauissimum est Simonia; tum quia per illam honorem, non suum, sed cuius tantùm est dispensator, vendit, tum quia rem spiritualem pretio æstimat, eóque pacto vilem facit; similis Iudæ, quia Christi dona vendit. Tamque graue delictum censetur Simonia, vt eius comparatione cætera omnia pro nihilo reputentur, *can. vlt. 1. quæst. 7. & cap. Per tuas* 32. *hoc tit.*

Dicitur autem Simonia à Simone Mago siue magicæ disciplinæ perito, *can. penult. 24. quæst.* 3. quia is primus tempore noui Testamenti legitur hoc crimine se & quidem grauissimè polluisse, dum donum Dei seu gratiam Spiritus mercari voluit, vt *Actor.* 8. *can. Qui studet 1. q. 1. & can. Saluator 1. q. 3.*

2 Definitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Dicitur, studiosa voluntas, id est deliberata, vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati. Sumiturque hic voluntas pro ipso actu voluntatis, causa nimirum pro effectu.

Dicitur, emendi & vendendi; quibus verbis intelligitur omnis contractus onerosus, seu non gratuitus, siue sit emptio, siue permutatio, siue locatio, omnisque pactio, siue ea tacita sit, siue expressa.

Dicitur, pretio tempore; quia in hoc consistit ratio Simoniæ, quòd res spiritualis aut spirituali annexa æstimetur pretio temporali, vel aliquâ re, quæ pretio sit æstimabilis. Et ideò si detur res spiritualis pro spirituali, aut etiam temporalis, verùm non per modum pretij, sed per modum eleemosynæ, nempe vt rem spiritualem administrans inde viuat, non erit Simonia. Imò talem consuetudinem, velut piam & laudabilem, probat Pontif. & seruari præcipit, *in cap. Ad Apostolicam* 42. *hoc titul.*

Nec obstat, *cap. Non satis* 8. *cap. Cum in Ecclesia* 9. *c. In tantum* 38. *c. Iacobus* 44. *hoc tit.* quia ibi solum improbat Pont. pravam consuetudinem, quæ inoleverat, vt aliquid temporale pro rebus ipsis spiritualibus detur vel accipiatur ex pacto; quantumvis sit inveterata, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget, *d. c. Non satis*; tantoque graviora sunt peccata, quanto diutiùs infelicem animam tenuerint, *d. cap. Cum in Ecclesia.*

Pretium *ex can. Sunt nonnulli* 114. 1. *q.* 1. *&* 3 *can. Saluator 1. quæst.* 3. solet statui triplex, scilicet pretium muneris à manu, vt pecunia, (quo nomine intelligitur res omnis, quæ est in commercio nostro) vestis, equus, & similia vendi consueta: pretium linguæ siue muneris à lingua, vt laus, vituperatio, item patrocinium aduocati, intercessio & commendatio apud Principem, modò ex pacto fiant & obligationem inducant; & ideò Simoniam committit, qui pro humana gratia vel laude confert Ordines, *dict. can. Sunt nonnulli.* Denique pretium est obsequij, siue muneris ab obsequio, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, quale est famuli, œconomi. Vide Nauar. *in Manuali cap.* 23. *n.* 102. & latè Suarez *lib.* 4. *de statu Religionis qui est de Simonia cap.* 37. 38. 39. & 40.

Spirituale hìc vocatur non omne aut solùm 4 incorporale, sed quod aliquo modo est spirituale, siue sit aliquid reale, siue morale tantùm, siue per modum actus, siue per modum habitus. Estque hæc materia Simoniæ, quia cùm naturâ sua sit tale, vt industria humanâ comparari nequeat, sed diuino munere concedi gratis possit, & debeat, magna fuerit irreuerentia, si pretio, sicut aliæ res humanæ, æstimetur. Ideóque non est Simonia, vendere doctrinam, vel notitiam cuiusvis veritatis, naturali industriâ comparabilis, prout etiam constat *ex can. Non liceat* 11. *quæst.* 3. Sunt autem res spirituales triplicis generis. Aliæ sunt tales secundum essentiam, vt gratia gratum faciens, virtutes infusæ, dona Spiritus sancti, gratiæ gratis datæ, de quibus 1. *ad Corinth.* 12. *& ad Ephes.* 4. Huc pertinent character ac potestas ordinis & iurisdictionis Ecclesiæ. Aliæ sunt spirituales secundum causam, vt Sacramenta, quæ sunt causa gratiæ: quò referuntur Missæ Sacrificium, & omnia Sacramentalia, oleum sacrum, chrisma, aqua benedicta, agnus Dei & similia. Aliæ denique secundum effectum, vt operationes & exercitia, quæ alicui spirituali & supernaturali dono conueniunt, vt prophetisare, facere miracula, administrare Sacramenta, dispensare, commutare vota, & similia.

Spirituali

Spirituali annexum est, quod cum aliquo 5
spirituali connexionem habet. Quod tribus modis contingit, antecedenter, concomitanter, & consequenter. Antecedenter, & tunc consideratur vt causa illius, cui annexum dicitur: cuiusmodi sunt ea, quæ tanquam prævia & præsupposita per se ordinantur ad spiritualia à Christo instituta, vt vasa sacra, vestes sacræ, calices, campanæ, benedictio templi, consecratio, & similia, quæ ad sacrificium Missæ referuntur. Simile est ius patronatus, quia præsupponitur præsentatio ad beneficia, & ius sepulturæ, quia per illud acquirit sepultus multa bona spiritualia, à Christo instituta. Concomitanter, vt labor & actio omnis, quæ in functionibus spiritualibus sive ministerio Sacramentorum consistit. Vbi observandum, laborem illum esse duplicem, vnum præcedentem & non necessarium nec intrinsecum administrationi; & pro illo licet accipere pecuniam & eundem subiicere pretio, secluso tamen scandalo: alterum intrinsecum administrationi, & in quo ipsa Sacramenti administratio consistit; qualis est, qui impenditur in celebrando, audiendo confessiones, & pro tali non licèt accipere pretium. Consequenter, quod à spirituali dependet & consideratur vt effectus ratione suæ causæ, cuiusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium divinum, propter quod dantur. In istis tamen non committitur Simonia, nisi interveniat pactum, tacitum vel expressum, de dando pretio pro eiusmodi spiritualibus, secundum communem sententiam: ac proinde non est Simonia, si Sacerdos præstet ministeria sacra, etiam principaliter, ob lucrum temporale, si nullum pactum expressum vel tacitum interveniat. Similiter nec si detur alicui beneficium, ob amorem humanum, vt quia sanguine vel amicitiâ iunctus est, vel ob timorem ne tibi noceat modò non interveniat pactum, Less. 2. *de Iustit. cap.* 35. *dubitat.* 1. & latè Decianus *in tract. crimin. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 79. *&* 80.

§. III.

Quotuplex sit Simonia.

1 *Simonia alia est iuris divini, alia iuris humani.*

2 *Item alia Mentalis, alia Conventionalis, alia Realis.*

3 *Alia item Confidentia, quæ species est conventionalis.*

DVobus potissimùm modis dividi Simonia 1
potest. Primò in Simoniam iuris divini & Simoniam iuris humani sive Ecclesiastici: nam licèt nonnulli velint omnem Simoniam esse iuris divini, verius tamen est, aliquam esse iuris humani, vt præter Theologos communiter tradunt Canonistæ *in cap. Quæsitum & in cap. Cum olim sup. de rer. permutat.* eâ ratione, quòd sola Ecclesia possit suâ lege efficere, vt res, quæ ex natura sua est vendibilis, secundum id, quod temporale est, non sit vendibilis quoad eandem partem, ob ordinem, quem habet ad partem spiritualem, seu in reverentiam rei spiritualis, cui connectitur, non addendo aliquam novam sanctitatem, vel consecrationem. Talis Simonia locum habet in venditione beneficiorum quoad partem temporalem seu ius fructuum, quam partem Ecclesia statuit non vendibilem, ratione divini officij, à quo ex Ecclesiæ statuto dependet. Similiter in venditione quorundam officiorum minùs spiritualium, *can. Salvator* 1. *quæst.* 3. vt Sacristæ, Oeconomi Ecclesiæ, Advocati Ecclesiæ, & similium, quæ ex solo iure positivo annexa sunt spiritualibus. Præterea in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum, sine auctoritate superiorum factâ, *d. c. Quæsitum sup. de rer. permutat.* quia potuit Ecclesia illa facere non permutabilia, ob sanctitatem ministerij: quamquam talis permutatio generaliori solùm ratione dicatur simoniaca, si non intervenerit aliquid temporale, tanquam pretium rei spiritualis. Huic divisioni respondet illa Glos. solemnis, *in c. Ex parte* 13. *sup. de offic. & potest. Iud. deleg. & in cap. Cum pridem* 4. *V. illicita pactionis sup. de pactis*, quâ dicuntur quædam prohibita, quia simoniaca, quædam simoniaca, quia prohibita. Vide Gutierrez *lib.* 2. *can. q.* 23

Secundò dividi potest in Mentalem, Conventionalem & Realem. Mentalis est internum 2
propositum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit eum obligare ad reddendum temporale, vel è contra, sine vllo pacto exteriori, expresso vel tacito: veluti si quis Episcopo det pecuniam, vel eidem serviat, eâ intentione, vt pro illa pecunia aut obsequio in mercedem ei conferat beneficium, ipseque Episcopus eidem beneficium contulerit, nullo tamen pacto, expresso vel tacito, interveniente.

Conventionalis est, quando tacitè vel expressè intercessit pactum, citra tamen executionem, saltem vtrimque factam. Et ideò duobus

modis fieri potest; Primò, si tantùm sit initum pactum, absque vlteriori progressu ad traditionem rei, ex alterutra parte; & hæc vocatur durè conuentionalis. Secundò, si vna pars dederit pretium, & altera nondum tradiderit rem spiritualem, vel contrà; & hæc vocatur conuentionalis mixta, quia constat partim reali, partim conuentionali.

3 Huius species est Simonia, quæ vocatur confidentiæ, quâ quis paciscitur cum eo, cui confert vel procurat beneficium eligendo, præsentando, postulando, resignando in fauorem, instituendo, confirmando, commendando, vel alia ratione, vt is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, puta fratri vel nepoti, cum fructibus vel eorum portione, cedat: aduersus quam speciem exstat Constitutio Pij IV. an 1564. & duplex Pij V. prior an. 1568. altera sequenti anno edita, & ad easdem Tract. insignem scripsit Flamin. Parisius.

Realis est, quando pactio ex vtraque parte completa est, saltem inchoatè, vt si collatio beneficij facta sit, & pars pretij soluta.

§. IV.

De pœnis Simoniacorum.

1 *Mentalis Simonia non subiicitur pœnis iuris.*
2 *Vt neque conuentionis, præter confidentialem.*
3 *Pœna Simoniaci in Ordine, cùm conferentis, tum ordinati.* 4.
5 *Et an extendantur ad eos, qui pro prima tonsura aliquid acceperint.*
6 *Pœna Simoniaci in Religionis ingressu.*
7 *Collatio, institutio, admissio ad beneficia gratis fieri debet.*
8 *Imo neque pro pastu aut prandio aliquid exigendum.*
9 *Nec valet statutum, vt quid exigatur in pium vsum.*
10 *Pœna Simoniaci in beneficio, Excommunicatio, inhabilitas.* 11.
12 *Simonia in confirmatione vel institutione an irritet præsentationem.*
13 *Casus, quibus quis non tenetur resignare beneficium simoniacè obtentum.*
14 *Tenentur ad restitutionem & sunt infames.*
15 *Pœna Simoniæ confidentialis.*

1 QVoad pœnas attinet Simoniæ, mentalis nullis pœnis à iure coërcetur, quia cogitationis pœnam nemo in foro exteriori patitur, sed sufficit eam expiari per pœnitentiam coram Deo, *c. vlt. h. t.*

Nec obstat, quòd quidam dicant Capit. illud esse corruptum, cùm & Glos. antiquissima id citet, & etiamnum habeatur ac legatur in editione Gregoriana correcta.

Non obstat quoque, quòd vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem accepti; ex quo videri posset idem dicendum de simoniaco mentali: nam præterquam quòd restitutio in Simonia solùm debeatur ratione pœnæ, impositæ ab Ecclesia, Simoniacos inhabilitante, nec Ecclesia imponat istam pœnam in Simonia mentali, licet ex parte vtriusque, & dantis & recipientis, fuerit animus simoniacus, & eruperit in actum externum, intra limites tamen Simoniæ; dissimilis etiam ratio est: quia in vsura fit iniuria proximo, nam lucrum illud, quod dat, nollet dare, sicque dat quodammodo inuitus: in Simonia autem mentali tantùm fit iniuria rei sacræ, non verò proximo, & ideò cessat restitutio. Vide quæ de hoc argumento dicemus *inf. ad tit. de vsuris.* Couar. *lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 5.* Gutierrez *can. Quæst. lib. 2. cap. 23.*

1 Similiter quidquid sit de rigore iuris antiqui, quo videntur incurri pœnæ iuris, aduersus Simoniacos constitutæ, per Simoniam conuentionalem, etiam neutra ex parte completam, *Glos. in cap. tua nos 34. V. culpabiles hoc tit.* & alij, quos videre licet apud Garz. *de benef. 8. part. c. 1. à num. 20.* tamen verius est, nullam Simoniam conuentionalem, exceptâ ea, quæ confidentiæ dicitur, ipso facto subiici vllis pœnis iuris, saltem de stylo Curiæ Romanæ vt tradunt Gutierrez *l. 1. can. quæst. cap. 9. per tot.* Nauar. *dict. loc.* & Less. *2. de iure & iust. cap. 35. dubitat. 17.* Et probatur ex *Extrauag. Cum detestabile 2. hoc tit.* vbi pœnæ non statuuntur nisi in eos, qui conuentione factâ quomodolibet dando vel accipiendo Simoniam commiserint: inde constat, requiri actum completum, potissimùm cùm pœnæ sint restringendæ.

Sola igitur Simonia realis, præter eam, quæ dicitur confidentiæ, inducit pœnas iuris ipso facto, & quidem solum in beneficiis, Religionis ingressu, & ordine, vt docet Nauar. *d. c. 23. n. 114.* Less. *d. loc.*

Conferens itaque ordinem simoniacè excom- 5
municatus, *dict. Extrauag. Cum detestabile*; & suspensus à collatione cuiusuis ordinis, etiam primæ tonsuræ; item ab executione omnium munerum Pontificalium; eidemque interdictus est ingressus Ecclesiæ; & si contra hanc suspen-

sionem

sionem vel interdictum quid fecerit, suspensus erit ab administratione Ecclesiæ, & à perceptione omnium fructuum, à nullo præterquam à summo Pont. absoluendus, prout statuit Sixtus V. *in bulla edita in malè promouentes & promotos*; quam tamen plerisque in locis ignorari, & proinde non esse vsu receptam putat Lessius.

4 Qui simoniacè ordinem aliquem susceperit, excommunicatus est ipso facto, & suspensus ab executione omnium ordinum, etiam antè susceptorum, *iuxta communiorem intellectum d. Extrauag. 2. hoc tit.* Sylvest. *in summa V. Simonia num. 7.* Less. *dict. loc. dubit. 24. num. 135.* Quòd si verò alius, te ignorante, pro tua ordinatione pecuniam dederit, ne quidem te fore suspensum ab ordine simoniacè suscepto, quia id in iure expressum non sit, tradit Less. *ibid.* post Nauar. *in Manuali c. 25. num. 68.* cùm enim ipse nihil deliqueris, non est, cur tibi hæc pæna irrogetur per solam iniquitatem alterius.

Cæterùm Pius V. Constitut. *incip. Cum primùm*, quam refert Piasec. *praxis Episc. part. 2. cap. 4. art. 7. num. 12.* suspensionem fecit temporariam, aliasque pœnas addidit: Quicumque, inquit, detestabile crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Et addit deinceps, eos, qui dignitates, beneficia aut officia Ecclesiastica simoniacè adepti fuerint, præter priuationem, inhabilitatem ad obtenta & obtinenda, si crimen eiusmodi pluries commisisse conuicti fuerint, etiam corporaliter puniendos: qui verò in Sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid fecerint, cum maxima seueritate coërcendos. Insuper idem Pont. saluberrimum decretum Conc. Trid. *sess. 24. cap. 14. de reformat.* circa ingressus vitiosos in beneficia, Constitut. *incip. dudum nimis prid. Kalend. Iulij* 1570. extendit & grauibus pœnis locupletauit, quam refert Piasec. *dict. loc. num. 15.*

5 Sed cùm dixerimus, Simoniacum in ordine esse excommunicatum ipso iure, quæri hic posset, an ea pœna extendatur etiam ad eos, qui pro prima tonsura vel pro litteris dimissoriis vel testimonialibus aut pro sigillo aliquid simoniacè accipiunt. Ita existimant quidam, moti decreto Concil. Trident. *sess. 21. cap. 1. in fine*: sed ea extensio displicet Less. *dict. dubit. 24.* ea inter alias ratione, quod his nullo iure pœna excommunicationis inflicta ligatur, non videri autem inductas à Conc. nouas pœnas, quia id clariùs explicuisset, sed solùm renouatas, quæ olim iure statutæ fuerunt. Vt proinde verba illa, *pœnas à iure inflictas ipso facto incurrant*, referenda tantùm sint ad eos, quos iure statutæ sunt, nempe ad conferentes vel accipientes ordinem simoniacè. Vbi aduerte, Conc. apertè loqui de Simonia reali, quæ vtrimque completa est, vt patet ex verbis, *tam dantes quàm accipientes*: & ideò non incurrit excommunicationem, qui per conuentionalem Simoniam confert ordinem, nisi res promissa soluta fuerit, vt docet Less. *d. dubit. 24. n. 143.*

Quod ad Religionis ingressum attinet, tam 6
dantes quàm accipientes pro eo aliquid temporale excommunicantur ipso facto, & Conuentus seu Capitulum, si consenserit, suspensionem incurrit, *Extrauag. 1. hoc tit.* quæ tamen non videtur vsu recepta. Nec etiam hæc pœna locum habet in dote, quæ datur monasteriis fœminarum. Imò consuetudo illa exigendæ, non quidem pro ingressu, sed pro alimentis Monialis, passim permittitur, tanquam licita, maximè si monasterium sit tenue. Vide Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 106. & tract. de redit. Ecclesiast. quæst. 1. monito vlt.* Gutierrez *lib. 1. can. quæst. cap. 32. &* Less. *de iure & iust. lib. 2. cap. 35. dubitat. 12.*

Insuper simoniacè admissus ad Religionem videtur inhabilis, absque dispensatione Ordinarij, ad manendum in monasterio, in quod sic receptus est, si conscius fuerit: non quasi professio sit nulla, sed quia non acquirit ius præbendæ Regularis, vt nec ius vocis actiuæ & passiuæ. Non tamen tenetur egredi, donec per superiorem compellatur.

Priusquam verò accedam ad pœnas Simoniæ 7
in beneficiis, reuocandum hic in memoriam est, oportere beneficia conferri gratis, id est absque interuentu alicuius pretij aut alterius rei, pretio æstimabilis, *iuxta c. 1. 2. 3. 4. 5. l. quæst. 1. cap. 1. 2. 3. ead. causa quæst. 3. cap. dilectissimi 8. q. 1. tot. hoc t. decret. & in Extrauag. communib.* Conc. Trid. *sess. 24. cap. 14. de reform.* vbi vetat aliquid accipi ab electis, præsentatis, institutis vel instituendis, confirmatis vel confirmandis, mittendis in possessionem alicuius Ecclesiæ vel beneficij, nisi ex antiqua consuetudine tale quid recipi solita conuerti in vsus pios consueuerit, veluti in vsum fabricæ, sacristiæ, cœmeterij aut pauperum eleemosynas, non etiam in commodum beneficiatorum, prout fieret, si solueretur mensæ Capituli, aut in reparationem bonorum eius, quia tum redundaret & cederet in vtilitatem singulorum iuxta declarationem Cardd. Alioquin censebitur simoniacum, &

exigentes.

exigentes atque accipientes incurrunt pœnas simoniacorum: licèt aliàs id, quod erogatur in sumptus ministrorum Dei, pium reputetur, *can. iudices vers. hoc ipsum 1. quæst. 1.* & Dei ministri inter pauperes numerentur, *l. priuilegia 17. C. de sacrosanct. Ecclesiis.* Vbi tamen aduerte, id, quod ita accipitur in pios vsus, non posse accipi tanquam rei spiritualis aut spirituali annexæ pretium; nam tum æquè maneret deformitas & ratio simoniæ.

8 Sed neque ex eadem causa pro pastu aliquid exigi potest, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali, *can. fin. 1. quæst. 3. cap. Non satis 8. cap. Cum in Ecclesia 9. c. Iacobus 44. hoc tit.* Imò Pius V. Constitut. *incip. durum nimis, edita anno 1570. prid. Kalend. Iunij*, quæ est declaratoria *dict. cap. 14.* Conc. Trid. declarauit Episcopum, qui aliquid (etiam dulciaria tantùm, vt vocant) exegerit pro receptione alicuius in Canonicum, vel pro admissione ad dignitatem, beneficium vel officium Ecclesiasticum, suspensum esse à Pontificialis officij exercitio; Capitulum seu Collegium subiacere interdicto; priuatas autem personas sententiam excommunicationis incurrere; & eos, qui sic aliquid acceperint, teneri ad restitutionem accepti. Quamquam ista Constitutio passim non seruetur, imò ignoretur omninò.

9 Sed nec de cætero fieri statutum potest, vt aliquid soluatur in vsum pium, prout censuit Sacra Congregatio super *dict. cap. 14.* Concil. Trident. Neque etiam hodie pro admissione ad beneficium licet in vsum pium accipere id, quod antè accipi & verti solebat in proprium, vt ex Gutierrez *canone Quæst. lib. 1. cap. 19. n. 28.* tradit Zyp. *hoc tit. num. 8.* Vbi subiungit. Pium V. *dict. constitut.* voluisse, vt noui Canonici primis annis tantum reciperent, quantum antiqui: Sacram tamen Congregationem iudicasse, nec dictam Constitutionem, nec *dict. cap. 14.* Conc. contrariari consuetudini, quâ fructus primi anni distribui solent inter antiquos Canonicos, & recenter admisso post mortem relinqui tantundem pro solutione debitorum & funeralium: licet eam improbet Chopin. *de sacra Polit. lib. 1. tit. 8. num. 14.* Addit ibidem Zyp. Conc. Prouinciale Mechlinense an. 1607. huiusmodi annos carentiæ sustulisse; id tamen vbique executionem non habuisse, eo quòd quædam Capitula non immemorialem consuetudinem dumtaxat, sed & confirmationem habeant sanctæ Sedis: imò & fundationem contrariam, vti de fundatione Capituli S. Gudulæ Bruxellis attestatur idem Zyp. Cæterùm immemorialem consuetudinem detrahendi medietatem ex fructibus primi anni Conc. Trid. non sustulit, modò applicetur piis locis, Riccius *in Praxi decis. 567. ex declar. Sacræ Congreg.*

Committentes verò simoniam in beneficiis, vtrimque consumptam seu completam per dationem rei temporalis, & spiritualis, saltem inchoatam, vt si collatio beneficij sit facta, & pars pretij soluta, sunt in primis excommunicati, non à summo Pont. absoluendi, præterquam in articulo mortis, *Extrauag. Cum detestabile 2. hoc tit.* & prouisio de beneficio facta est ipso iure nulla, *can. Ea quæ, cum aliis 1. quæst. 3. cap. Cum Clerici in V. spolietis, & ibid.* Abb. *sup. de pactis, Extrauag. Cum detestabile*: licet ab aliis procurata fuerit, prouiso sive scienter, & non contradicente, *c. sicut tuus 33.* sive etiam ignorante, prout tradit Garz. cum aliis, quos citat, *de benef. part. 8. cap. 1. num. 4. 5. & 6.* & patet *ex dict. Extrauag. Cum detestabile, cap. Ex insinuatione 26. cap. nobis*, ibi, *penitus reprobanda*: nam dictio, *penitus*, significat nullitatem ipso iure Garz. *d. loc. n. 5.* 10

* Fitque inhabilis ad beneficium simoniacè obtentum, ita vt pro illa vice non possit illud ei conferri absque dispensatione, idque in pœnam eorum, qui promotionem simoniacam procurarunt, *dict. cap. nobis, dict. cap. sicut tuus hoc tit. & cap. penult. sup. de elect.* Nam cùm ibi dicatur, quòd cassata electione Prælati propter simoniam, eo ignorante commissam, non possit Episcopus cum eo pro ea vice dispensare, secus si beneficium sit simplex; sequitur, eum esse inhabilem ad illud idem beneficium, cùm nemo indigeat dispensatione, id est relaxatione iuris, nisi qui iure impeditur. Imò iuxta Bullam quandam Pij V. redditur inhabilis ad omnia beneficia, in posterum consequenda, Dico, *in posterum*; nam Simonia, nisi sit confidentialis, non priuat aliquem beneficiis antè obtentis. Sed nec dicta Pij V. Constitutio vsu recepta est quoad illam pœnam, vt testantur Suarez *de Simonia c. 51. n. 11.* & Garz. *dict. part. 8. c. 1. n. 72.* Nec in iure est expressa talis inhabilitas, ne quidem in Simonia reali, vt latiùs deduxi *in tract. de beneficiis tit. de modis, quibus beneficia conferri debent.* Sicut neque in iure expressum est, quòd talis simoniacus sit irregularis: quo tamen expresso sequeretur indubiè, etiam inhabilem esse ad alia beneficia obtinenda in posterum, cùm effectus irregularitatis præcipuus sit, reddere inhabilem ad futura. 11

Quòd si verò ab aliis, ignorantia inculpata laborantibus, commissa fuerit Simonia, prouiso etiam ignorante, vel ab ipso quoque beneficiato

pes

per ignorantiam, non videtur effici inhabilis ad illud idem beneficium obtinendum, cùm nulla subsit culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat: & proinde poterit ei conferri beneficium absque dispensatione; factâ tamen priùs vtroque casu illius resignatione, quia prior collatio fuit irrita, quippe per contractum irritum.

Sic quoque provisio de beneficio ipso iure nulla est, quando Simonia commissa est cum vno ex electoribus, præsentatoribus vel collatoribus, licet eorum maior pars absque Simoniæ labe provisum elegerit, præsentarit, vel ei beneficium contulerit: si vtique eligant præsentent, vel conferant, vt vniversi seu iure Collegij, *vt patet ex d.c. Nobis & ibi notat.* Abb. *h.t.* tunc enim omnium vna est electio, præsentatio vel collatio; ideóque Simonia cum vno commissa vitiat omninò electionem, præsentationem, vel collationem secus quando vt singuli, quia tunc tot sunt Præsentationes vel collationes, quot patroni vel collatores, quandoquidem singuli per se præsentent vel conferant; ideóque vna non vitiat aliam in præiudicium præsentati seu collatarij, qui conscius non fuit Simoniæ; nec vtile per inutile vitiatur, *c. Vtile 37. de R.I. in 6.*

11 Sed quid sit electus vel præsentatus legitimè, committat deinde Simoniam pro confirmatione vel institutione obtinenda, an etiam electio vel præsentatio irritabitur? Ita existimat Gar. *d.p.8. cap.1. num.14.* sed contra & verius Less. *d.loco*, vitiari solam confirmationem vel institutionem, in qua sola vitium commissum est, idque insinuatur *in cap. Si confirmationem de elect. in 6.* Nec enim si posterior actus sit irritus, etiam prior censeri irritus debet: licet è diverso, commissâ Simoniâ in electione aut præsentatione, ipsa quoque confirmatio vel institutio sit irrita, quandoquidem procedat ex suppositâ validitate electionis aut præsentationis.

13 Sunt tamen aliqui casus, quibus quis non tenetur beneficium resignare, etiamsi dato pretio illud consecutus sit. Primus est, adversarius ipsius occultè per fraudem & in dispendium eligendi aut promovendi pecuniam dederit, eo fine scilicet, vt collatio eidem facta esset invalida, ipséque inhabilis, *d.c. Nobis 27. & d.c. Sicut tuis 33. hoc titulo.* Secundus, si veritus, ne pecunia ab aliquo detur pro beneficio sibi impetrando, expressè contradixerit, *d.c. Sicut tuis*, Less. *dict. loco numero 143*, Vbi monet hoc dubium, an, si post obtentum beneficium consentias soluendo pecuniam ab alio promissam, aut refundendo expositam, tenearis beneficium resignare? Distinguendum: nam si non consentias, in pactum alterius, ratificando contractum seu promissionem simoniaci amici, sed ex amicitia tantùm soluas, quod promisit, aut refundas, quod exposuit, ne damnum tuâ causâ patiatur, non teneberis resignare. Navar. *conf.10. numer. 5. hoc tit.* Si verò consentias, approbando factum illius, licet quidam teneant, te non teneri ad resignandum beneficium, eo quòd ratificatio post legitimam collationem & ius acquisitum non possit eam inficere, nihilominus contrarium colligunt, *DD. in d.c. Sicut*; saltem mereri privationem beneficij tradit Less. *d.loco n.144.* Tertium casum addunt quidam, si Pontifex ad Pontificatum simoniacè pertigisset, de quo vide Less. *ibid.*

Æquum quoque videtur, ac praxi consonum, quod tradit Rebuff. *in Praxi benef. tit. Quot modis benef. acquir. num 22.* non videri simoniacos illos, qui coacti soluunt sportulas pro collationibus, præsentationibus, &c. cùm resistere non valeant, & modò voluntariè non dent. Quod etiam dici potest de soluentibus aliquid Capitulo, in admissione ad possessionem solui consuetum, quia sit quædam redemptio vexationis, vt ex Lessio tradit Garz. *d.loco num.34.* quem pleniùs vide.

Denique tenentur Simoniaci ad restitutionem pretij simoniacè accepti; sùntque infames, *can. fin. 1. q. 3. Glos. in cap. 1. de testibus in 6. in V. mediatores*, infamiâ scilicet iuris, *can. Sanè 15. quæst. 3.* non tamen ipso facto, sed per sententiam iudicis, dummodò in ipsa sententia fuerit appositа hæc pœna, vt ex Abbate tradit Garz. *d.loco num.6.* 14

Si quæratur, quæ sint pœnæ, quas Simonia inducit confidentialis, Dicendum, primò inferre excommunicationem vtrique partiâ qua solus Pont. absoluere possit, præterquam in mortis articulo. Secundò, privationem beneficij, in quo commissa est Simonia, & reliquorum omnium. Tertiò, inhabilitatem ad idem beneficium & ad cætera quæcumque, sùntque huiusmodi beneficia, collata & accepta in confidentiam, reservata Sedi Apostolicæ, Navar. *in Manuali cap.23.n.100.* Less. *d.cap.15. dub.26.* Vbi subiungit, privationem omnium beneficiorum & inhabilitatem ad omnia, incurri tribus casibus; primò, in Simonia confidentiæ; secundò, in electione simoniaca Papæ, Conc. Lateran. *sub Iulio II. sess.5.* tertiò; quando examinatores occasione examinis aliquid accipiunt, iuxta decretum Concil. Trident. *Sess.24.* 15

*cap.*18. Addens, in his tribus casibus vsu videri receptum, vt non teneatur quis beneficia sua dimittere ante sententiam.

Quibus autem modis probari possit Simonia confidentialis, tradit Flamin. Paris. *tract.de confidentiis quæst.*64.vbi docet, probari etiam solis præsumptionibus. Et quamquam Gutierrez *can. quæst. lib.*2. *cap.*13. *num.*78. velit Bullas de confidentiis nihil prohibere, quod non antè prohibitum fuerit, & solùm disponere contra confidentiam illicitam, quæ fit pretio, pacto, modo, conditione, tacitè vel expressè interueniente; tamen si verè examinentur integræ Constitutiones, inquit Zyp. *hoc tit. sub n.*5. nonnihil noui iuris inducere nemo non animaduerteret.

Illud denique hic subiiciendum est, quòd, licet Concil. Trident. vetet pro administratione rerum spiritualium apponi pacta & conditiones mercedum, non innouauerit, tamen ius antiquum, quo licet eleemosynæ vel sustentationis causa consuetum aliquid dari vel accipi, Zyp. *hoc tit. num.*10. ex Gutierrez, quem citat. Vbi subiungit, in officiis sæcularibus non verti Simoniam: in Brabantia tamen, data vel etiam mutuata pecunia, conferri officia non posse, iuxta tabulas legum Brab. Ioannis Ducis, ac iuramentum subsequentium Principum, quod an ministri, inquit, satis obseruent, ipsi viderint.

TITVLVS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

1 *Ratio huius prohibitionis.*
2 *Fructus beneficiorum alteri sub annua pensione cedi possunt.*

POST generalem tractatum de Simonia sequuntur duo speciales casus, qui simoniaci habentur. Estque hic tit. pars quædam tit. superioris, vt constat quoque ex compilatione facta ab Alex. III. in Conc. Lateranensi, in qua sic legitur, *de Simonia, & ne merces pro Ecclesiæ consecratione recipiatur, vel pro monachatione, vel pro Sacramentis Ecclesiæ, vel pro licentia docendi, nevè Prælati vices suas ad causas terminandas vel regimen Ecclesiarum sub annuo pretio committant.* Potestas enim iurisdictionis Ecclesiæ refertur etiam inter spiritualia, quæ sunt materia Simoniæ: ac proinde non licet Archiepiscopis, Episcopis, decanis, Archidiaconis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, vices suas, id est iurisdictionem vel Ecclesiam alteri sub annuo censu, sive annua pensione cedere: * tum quia hæc Simoniæ species est, *cap.*2. *& 3. hoc tit.* tum quia gratis iudicare debent, *can. non sanè* 14. *quæst.*5. ac gratis beneficia Ecclesiastica conferre, *cap. non satis sup. de simonia.* Qui verò dederit pecuniam, vt spiritualem iurisdictionem exerceat, officio suo priuandus est, & sic conferens ampliùs conferre non potest, ac canonicè puniri debet, *d.c.*1. 1

Fructus tamen Ecclesiarum seu beneficiorum sub annuo censu concedi & locari possunt, *cap.* 3. *& vlt. hoc tit.* cùm obuentiones eiusmodi nullam rei spiritualis rationem habeant: idque ad breue tempus dumtaxat: olim quidem ad septennium, *d. cap. vlt. hoc tit.* hodiè verò ad triennium, *Extrauag. ambitiosa de fructib. Eccles. non alienan.* Vide Conc. Trid. *sess.* 5. *cap.*11 *de reformat.* & Couar. *lib.*2. *var. resolut. cap.*16. 2

TITVLVS V.

De Magistris & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

1 *Magistri qui hic dicantur,*
2 *Accipere pecuniam pro labore docendi non esse simoniacum.*
3 *Vt nec pro ipsa parte, quam quis profitetur.*
4 *De magistro & Professore in qualibet Ecclesia constituendo.*
5 *Docentes & discentes percipere fructus beneficiorum in absentia.*

ALTER hic casus proponitur, in quo etiam Simoniæ vestigium reperitur, de Magistris scilicet, quatenus iis incumbit onus docendi, assignato adhoc loco salarij, beneficio aliquo, & de licentia docendi, quatenus hæc ex iurisdictione vel officio aliquo spirituali procedit, cuius est vsus quidam.

Omissa autem eâ Magistri significatione, quâ sumitur pro eo, cui præcipua cura alicuius incumbit, *l. Cui præcipua* 57. *ff. de verbor. significat* quo pacto eum, qui militibus præest, Magistrum militum, 1

nistrum, *tot.tit. C. de officio magistri milit.* & qui præest equitibus, Magistrum equitum vocamus, & sic de aliis, de quibus vide Gothof. *ad d.l.Cui præcipua*: Magistrum hic accipimus pro eo, qui litteras docet seu quālibet disciplinam profitetur, & Magister appellatur à Monendo vel Monstrando, *d.l.cui præcipua*. Eóque nomine sic accepto veniunt omnes, qui in aliqua scientia summum titulum seu gradum obtinent. Alioqui præsiùs loquendo solùm illi veniunt, qui artium liberalium & Theologiæ supremum gradum habent: nam qui Medicinæ aut iuris sive Canonici sive Cæsarei summum gradum adepti sunt, Doctores appellantur, *iuxta Glos. in Clement. 1. in V. Doctoratus h.t.*

2 Tametsi igitur Pont. hoc tit. pro licentia docendi vetet pretium aliquod exigi vel promitti, ne sub obtentu quidem alicuius consuetudinis, adeò vt exactum restitui & promissum remitti, & præuaricatores legis priuari officio beneficioque debeant, *cap.1.2. 3 h.t.* tamen verius est, non tantum licere pro labore in tradendis disciplinis suscepto accipere pretium, verùm etiam extra simoniam esse pecuniam accipere pro licentia docendi danda: quia licet hæc sit vsus seu actus iurisdictionis etiam spiritualis, sed politicus (quandoquidem iurisdictio spiritualis ad multos actus politicos se extendat, quando crimina carcere aut pecuniaria pœna punit) non videtur esse vlla Simonia.

3 Nec tantùm magistris, non habentibus aliud, vnde viuant, permittitur aliquid accipere pro laboribus suis, cùm non teneantur suis militare stipendiis, *can. Ecclesiasticis 12. quæst. 2.* sed & pro ipsa scientia & arte, quam profitentur; & quidem plus vel minus, pro scientiæ & artis maiori præstantia.

4 Statuit autem Eugenius *in can. de quibusdam 37. dist. 37.* vt Episcopi Magistros & Doctores congruis locis constituant. Vt verò gratis eruditi iuuentus valeat, statutum fuit in Conc. Lateran. 1. sub Alex. III. & altero sub Innoc. III. vt in singulis Cathedralibus Ecclesiis, & aliis, quarum sufficerent facultates, à Prælato cum Capitulo constituatur Magister aliquis idoneus, qui Clericos illius Ecclesiæ in Grammaticis instituat: in Metropoli autem etiam Theologus assumatur; qui sacram paginam doceat, & in his præsertim sacerdotes reliquosque informet, quæ ad curam animarum & fidem Catholicam spectant, cuilibet Magistrorum assignatis vnius præbendæ prouentibus; qui si non sufficiant, vt tunc Prælatus Theologo prouideat ex reditibus suæ Ecclesiæ, Grammatico verò in alia Ecclesia suæ ciuitatis seu diœcesis, *d.c.4.h.t.*

Insuper statuit Honorius III. vt Prælati & Capitula Clericos, qui propter raritatem Magistrorum in loco beneficij sui dare operam studio Theologiæ non possunt, aliò ablegent, qui in absentia per quinquennium reditus præbendarum & beneficiorum suorum integrè percipiant, reliqua necessaria subministrante Prælato, si prouentus eiusmodi eis in studio alendis non sufficiant: vt verò Magistri fructus beneficiorum suorum tamdiu integrè percipere valeant, quamdiu docuerint, *cap. vlt. hoc tit.* Vide latè Conc. Trid. *sess. 5. cap. 1. de reformat.* vbi statuit, qua ratione habentes præbendam aut præstimonium seu aliud quovis nomine stipendium pro lectione sacræ Scripturæ possint cogi & compelli per Ordinarios ad munus exsequendum, per se, vel per alios: & quâ via procurandum sit stipendium, si huc vsque non fuerit constitutum. Pauperes autem idonei gratis promoueri iubentur à Iulio III. & Laureæ Magistrales vetantur deinceps conferri per Comites Palatinos ex reuocatoria Pij V. Præfecturam verò scholarum Carolus Magnus sacerdotali ordini attribuit; Ludouicus Pius & Lotharius Gymnasiorum magisterium Episcopis; vt ex aliis, quos citat, tradit Zyp. *h.t.*

TITVLVS VI.

De Iudæis & Saracenis, & eorum seruis.

1 *Iudæi & Saraceni qui & vnde dicantur. 2.*
3 *Iudæi vestitu & habitatione à Christianis distincti esse debent.*
4 *Ab omnibus honoribus & muneribus arcētur.*
5 *Quo pacto in eos inquirendum: non cogendi ad fidem. 6.*
7 *Proscripti è Brabantia, & quare.*
8 *Iudæorum conuersorum privilegia.*
9 *Cum Saracenis interdictum omne commercium.*

IAM diximus de iis, qui Spiritum sanctum vendendo simoniaca prauitate inuoluuntur, & atrocissimum in Deum crimen committunt nunc agendum est de iis, qui in Deum peccant malè colendo, quales sunt Iudæi & Saraceni.

1 Iudæi dicuntur, qui vetus dumtaxat Testamentum recipiunt, & illud ad litteram seruant, circumcidendo se, & alia legalia ad litteram faciendo; sic dicti vel à Iuda duce; vel secundum alios à tribu Iuda, quæ inter eos erat nobilior & bellicosior, & ex qua creabantur Reges & duces populi, sicut ex tribu Leui Sacerdotes.

2 Saraceni verò, qui etiam Pagani vocantur *in c. Quam sit 10. & c. Ex speciali 18. h. t.* qui nec vetus nec nouum Testamentum recipiunt; dicti à Sara, vxore Abrahæ. Quamquam ab Agar, ancilla Abrahæ & matre Ismaelis, originem suam traxerint, *canone, reuertat, & canone, dixit Sara 32. quæst. 4.* Vnde Agareni dicendi essent: verum ne viderentur ex ancilla descendere, mendaciter finxerunt se à Sara originem ducere, vt hoc modo ignominiam declinarent & labem generis sui tegerent. Alij aliunde originem petunt. Vide Couar. *lib. 4. var. resol. c. 9.* Boët. Eponem *de iure sacro lib. 4. n. 162.* Azor. *p. 2. instit. moral. lib. 8. c. 23.*

Additur autem in tit. *& eorum seruis*, ne sit necesse alium tit. de iis statuere. Vbi obseruandum, seruum propriè quidem & strictè dici, qui iure gentium vel Ciuili dominio alterius contra naturam subiicitur, hic verò latissimè sumi, prout dicitur à Seruiendo; ita vt eo nomine etiam famuli comprehendantur.

3 Quòd si igitur Iudæi & Saraceni vsquam inter Christianos commorari permittantur, quemadmodum fide ab iis distinguuntur, ita etiam vti habitu debent, ab aliis distincto, *c. nonnullis 15. hoc tit.* insuperque habitatione ac cæteris priuilegiis à Christianis discriminari, ex Constit. Pauli IV. quam refert Pet. Matth. *in 7. decretal. lib. 5. tit. 2. c. 4.*

4 Ab omnibus item publicis officiis, honoribus, dignitatibus & administrationibus apud Christianos arcentur, *cap. Cum sit 16. cap. Ex speciali 18. hoc tit. l. Hac valitura C. de iudæ:* licet antea Impp. Ethnici eos ad honores admiserint, *l. Generalit. 3. in fine ff. de decurtonib.* Quin imò ab eorum familiaritate & domestica consuetudine Christiani omnes abstinere iubentur; vt neque seruus quisquam neque nutrix aut obstetrix esse possit, sub pœna excommunicationis, *cap. Iudæi 5. cap. Ad hæc 8. cap. Etsi iudæos 13. h. t.* aut etiam depositionis, si Clerici sint, *cap. nullus 28. quæst. 7.* consuetudine vitæ alliciantur ad iudaismum, vel paganismum *dict. cap. ad hæc hoc tit.* Excipiuntur tamen Clerici & Religiosi, qui à suis mittuntur superioribus ad prædicandum eis Euangelium, *cap. Quam sit 10. hoc tit.*

An verò Iudæus non Iudæo tutor esse possit, disputat Iason *in l. 1. ff. de iust. & iure*, Et licet Modestin. *in l. spadonem 15. §. iam autem ff. de excusat. tutor.* admittere videatur, tamen, si spectemus eius in corrumpendis moribus Christianorum infidum morem, se ipse eodem responso repellit. Sed an & lex illa tantùm loquatur de Christianis, qui nomine iudæorum primùm accipiebantur, disputatur. Vide Bus. *ad dict. §. iam autem.* Non possunt etiam postulare contra Christianos, Gregor. Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi lib. 49. cap. 6. num. 25.* nec filiis substituere pupillariter, idem *lib. 42. cap. 22. num. 3.* 5

Quo pacto autem, & quibus casibus Apostolici Inquisitores & Ecclesiastici iudices inquirere & animaduertere possint in Iudæos, contra legem diuinam veterem peccantes, aut Christianorum peruersioni periculum struentes, tradit Greg. XIII. in Constitut. *incip. antiqua iudæorum improbitas*, quam refert. Azor. *dict. lib. 8. cap. 12. quæst. 12.* Piasec. *2. part. praxis Episc. cap. 4. art. 6. num. 14.* Vbi subiungit Constitut. Clementis VIII. *incip. cum Hebræorum*, aduersus detentores librorum Thalmudicorum. Quos mancipari igni Gregor IX. & Innocent. IV. iusserunt, referente Azorio, *d. quæst. 12.* subiicit dein Constitut. XIII. *incip. Sancta Mater Ecclesia*, quâ præcipit, vt ab ordinariis locorum compellantur accedere ad concionem seu lectionem, ipsis ex veteri lege faciendam; Euangelium verò eis quidem prædicandum, verùm ad eam concionem non cogendos, sed inducendos, conuersósque seriò instituendos & cathechizandos.

Alioquin baptizari nolentes aut inuiti non debent, nec ad fidem orthodoxam suscipiendam cogi, neque absque iudicio puniendi sunt, aut rebus suis spoliandi, *c. sicut Iudæi 9. hoc tit.* Nam qui nunquam fidem suscepit, ad eam vel suscipiendam vel seruandam cogendus non est, *can. ad fidem 23. quæst. 5. canone. de iudæis distinct. 45.* nemóque inuitus saluandus, sed volens, vt integra sit forma iustitiæ, *d. can. de iudæis*: & Deus ipse voluntarios ac spontaneos discipulos exigit. Sed nec liberi Iudæorum ipsis inuitis ac reclamantibus baptizandi sunt, pro qua sententia est noua Constit. Iulij III. An. 1551. cuius meminit Pet. Matth. *dict. cap. 5. tit. 1. cap. 1.* nequicquam contrarium asserente Vdalr. Zasio. 6

Cæterùm in his Belgicis prouinciis non illos tantùm, sed nec nouos Christianos, sub hoc nomine Iudæorum doctrinam & scelera sectantes, ex Edictis Caroli V. permissum esse morari aut versari, tradit Zyp. *hoc tit. num. 2.* 7

Imò

Imò ante trecentos plus minùs annos ex Brabantia proscriptos fuisse, cùm Bruxellis sacrosanctam Eucharistiam, quæ ob miraculum summa veneratione etiamnùm ibi colitur, pugionibus confodissent; quemadmodum & in Gallia & alibi, teste Gregor. Tholosano *Syntag. Iuris vniuersi lib.* 22. *cap.* 3. *nume.* 23. *& lib.* 33. *cap.* 4. *num.* 8. *&* 11. vbi tradit etiam, cur viuere inter Christianos permittantur. Quamquam passim sub saluo conductu habitasse videantur, vt etiam ex tabulis legum Brabantiæ Ioan. ducis 1312. apparet, qui, si quis eos offendisset, id suæ cognitioni reseruabat: sicut & in Vrbe causæ eorum ad Papæ Vicarium spectant, & causæ banchariorum iudæorum ad Camerarium Vrbis, ex Constit. Iulij III. & Gregor. XIII. Et hinc etiam cùm nuperæ induciæ permitterent omnibus ex prouinciis confœderatis venire ad nos & negotiari, non fuisse comprehensos Iudæos Amsterodami habitantes, testis est Zyp. *h. t. n.* 3. quippe qui ob aliam causam, quàm belli ciuilis aut religionis, ob quam illud motum est, iam olim proscripti sint.

8 Addit *ibid.* Zyp. ex Paulo III. iudæis, quò faciliùs ad fidem conuertantur acquisita per vsuras, quæ certis personis restituenda non sint, relinqui oportere, tanquam in vsus pios; eóque fine Conc. Basileen. *sess.* 19. decreuisse, vt quo loco iudæi conuersi baptizantur, iura omnia ac priuilegia acquirant ciuium. Paulum item IV. vetuisse, quamdiu non conuertuntur immobilia ne possideant. Cæterùm qui plura scire volet sive de conuersatione seu commerciis Christianorum cum Iudæis, siue officio eis vel eorum filiis præstando, déque punitione eorumdem, adeat Azor. *dict. lib.* 8. *cap.* 22. *per tot.* & Gregor. Tholosan. *in Syntag. iuris vniuersi lib.* 12. *cap.* 4.

9 Porrò de Saracenis (quo nomine veniunt omnes addicti seu adhærentes impiæ ac nefariæ Mahometi sectæ atque perfidiæ, Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Ægyptij, Africani & Mauri, teste Azorio *dict. lib.* 8. *cap.* 23. *&* 24.) peculiariter constitutum est in Concil. Lateranensi sub Alexandro III. ne Christiani ad eos deferant merces prohibitas, ne arma ad impugnandos Christianos aut alia subsidia subministrent; excommunicandis alioqui ac rebus suis priuandi, & serui futuri capientium, *cap. Ita quorundam* 6. *hoc tit.* Hodie verò excommunicati sunt ipso facto, *cap. significauit* 11. *cum cap. seq. & cap. ad liberandam* 17. *h. t.* sicut & per Bullam cœnæ Domini. Videatur plenius Azor. *dict. cap.* 23. *per tot.*

TITVLVS VII.

De Hæreticis.

§. I.

Quis dicatur Hæreticus.

1 *Hæretici nomen vnde dicatur.*
2 *Propriè & latè sumi.* 3.
4 *Infideles, Paganos, iudæos, non esse hæreticos.*

DIXIMVS de iis non baptizati Deum & fidem, & quam nunquam susceperunt, cœcâ mente oppugnant, cuiusmodi sunt iudæi ac Saraceni: nunc ordine competenti subiiciendum est de iis, qui baptizati, & fidem Christianam professi, ab ea desciscendo in Deum multipliciter peccant, quales sunt Hæretici.

Hæreticus non ab Hærendo, vt quidam rati 1
sunt, nec ab Erciſco, id est, diuido vt putabat Azo *in Summa hoc t.* prout latiùs ostendit Greg. Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi lib.* 33. *c.* 4. *num.* 3. *&* 4. & Farinac. *quæst. Crimin. tit.* 18. *de hæresi quæst.* 178. *num.* 30. *& seqq.* sed ab Hæresi Græca voce, diuisionem vel electionem significante, nuncupantur, Isidor. 8. *Etymol.* 3. D. Thom. 22. *quæst.* 11. *art.* 1.

* Dicitúrque propriè is, qui cùm sit bapti- 2
zatus, ab vnitate Ecclesiæ se diuidit, singularem aliquam, & à fide ac sensu Ecclesiæ manifestè alienam, doctrinam eligendo, eámque pertinaciter defendendo, *can. Hæresis, can. Qui in Ecclesia* 24. *quæst.* 3. Vnde & præsumptio propriæ mentis ad hæresim via dicitur, *can. Quid autem ead. quæst.* 3.

Dixi, propriè; quia, latissimè sumpto eo nomine, Hæreticus dicitur, Primò etiam his, qui dubius est in fide, *arg. c.* 1. *h. t. & ibi Glos. ad V. dubium.* Secundò Simoniacus, *can. Fertur* 1. *q.* 1. Tertiò, qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ, *can. Qui nulli dist.* 19. Quartò, laicus suscipiens officium prædicandi, *cap. Cum ex iniuncto* 12. *cap. Sicut in vno* 14. *hoc tit.* & alij, enumerati ab Hostien. *in summa h. t. Not.* 1. *vers. multis tamen modis.*

Dixi, qui cùm sit baptizatus; nam hinc iu- 3
dæi, pagani; & alij infideles, quamvis

multos contra fidem errores tradant non sunt propriè hæretici : nòn enim possunt dividi ab vnione Ecclesiæ aut deserere fidem , quam nunquam habuerunt. Et hinc fit , quòd tales magis tolerentur in Republ. Christiana & inter Christianos , quàm hæretici , quia de his, qui foris sunt , nihil ad nos , 1. *ad Corinth.5.* quodque permittantur vtroque Iure veteres synagogas retinere , & collabentes instaurare, non etiam novas erigere, *c. Iudæi 3. & c. Consuluit 7. sup. de Iudæis.*

Addidi , singularem aliquam &c. quia si in totum à fide recedat , Apostata dicetur , non Hæreticus.

Addidi etiam manifestè à sensu Ecclesiæ alienam ; quia si quis doctrinam singularem eligat , quæ non sit clarè contra fidem , vel sensum Ecclesiæ , non dicetur is quoque Hæreticus. Per singularem autem doctrinam intellige , sive quoad articulos fidei , sive quoad Sacramenta Ecclesiæ , sive quoad alia, ab œcumenicis Conciliis seu Ecclesia Romana definita, *cap. Cum Christus 7. cap. Ad abolendum 9. hoc titul.*

Addidi postremò , eamque pertinaciter defendendo ; quia error non hæreticum , sed pertinax defensio , *cap. Damnamus sup. de summa Trinit. cap. Hoc est 1. quæst. 1. cap. Dixit , c. Qui in Ecclesia 24. q. 3.* Aug. *Epist. 162.* Plenè Farinac. *q. 178. §. 3.*

§. II.

De pœnis Hæreticorum.

1 *Pœnæ sunt Infamia, Excommunicatio.*
2 *Incapacitas beneficiorum , Confiscatio bonorum. 3.*
4 *Privatio beneficiorum & officiorum.*
5 *Remedia ad exterminandam hæresim. 6.*
7 *Pœna vltimi supplicij ex consuetudine est exustio.*

QVod ad pœnas hæreticorum attinet , eos mox , vbi vires suas Ecclesia Catholica exerere , atque exercere potuit , infectata fuit, & dignâ animadversione castigavit , testantibus sacris historiis , & præsertim in Concil. Lateranensi sub Innoc. III. quo, præter Chalcedonense, nullum fuit augustius , vt ex numero & qualitate eorum, qui eidem interfuerunt, colligit Zyp. *hoc tit. in princ.*

1 Sunt itaque in primis infames , *can. Infames 6. quæst. 1. can. Alieni 2. quæst. 7. Authent. Gazaros Codice hoc titulo & l. 1. Codice, de summa Trinit.* Sunt item excommunicati ipso iure notorij omnes , aut alias excommunicandi , quà Clerici quà laici , velut putrida membra resecandi ab Ecclesia , *can. Resecanda 24. q. 3. can. Canonica 11. quæst. 2. c. Ad abolendam 9. cap. Excommunicamus 13. hoc titulo.* Et non solùm hæretici ipsi excommunicantur aut suspecti de hæresi , sed & eorum receptatores , defensores , fautores , credentes. Qui si hoc nomine à Iudice Ecclesiastico excommunicatione impliciti , non satisfecerint intra annum , ipso iure fiunt infames & intestabiles ; ita vt neque ipsi sibi testamentum facere possint , neque ex testamento alterius quidquam capere : multóque minùs ab intestato alicui succedere , *d. cap. Excommunicamus §. credentes.* Quin si quis tales , postquam ab Ecclesia fuerint notati , evitare contempserit, excommunicandus est vsque ad satisfactionem , *d. §. concedentes vers. si quis autem tales.*

Sunt autem incapaces beneficiorum Eccle 2
siasticorum & hæretici ipsi , & receptatores , fautores , defensoréque & filij ipsorum vsque ad secundam generationem, *Quicumque 2. §. hæretici & §. ad hæc eod. tit. in 6.*

Bonáque damnatorum de hæresi ipso iure, 3
ex die commissi criminis, addicuntur fisco, *cap. Cum secundum eod. in 6.* Et quidem bona Clericorum cedunt Ecclesiæ , cui servierunt; laicorum verò , licet filios habeant Orthodoxos, (secus de iure Civili, *leg. 4. & 12. Codice hoc titulo*) fisco sæcularis potestatis applicantur , *d. c. Excommunicamus 13. & c. Vergentis 10. hoc titulo.* Potéstque ad hunc finem quis declarari fuisse hæreticus etiam post mortem : quo casu condemnatio post mortem facta retrotrahitur ad diem commissi criminis , *cap. Accusatus §. penult. eodem in 6.* Covar. *de Matrimonio , p. 1. cap. 6. §. 8. num. 6. & seqq.* Non confiscantur tamen innocentium vxorum dotes , propter maritorum hæresim , *cap. Decernit 14. eodem in 6.* Neque apprehensio bonorum per Dominum sæcularem fieri debet , nisi priùs pronuntiatum fuerit super crimine per Iudicem Ecclesiasticum , *cap. penult. eodem in 6.* Ne autem hac in re fisco fieret , sanxit Carolus V. 22. Septemb. anno 1540. in hoc Belgio , vt statim , postquam quis in hæresim inciderit , neque inter vivos neque per vltimam voluntatem disponere de bonis suis valeat , sed omnia acta sint nulla. Quod quidem Edictum conforme est iuri communi , *d. c. Cum secundum hoc titulo num. 6. l. Manichæos , l. Sancta Codice hoc titulo* , Farinac. *quæst. 190. §. 5. per tot.* verùm

rùm executionem illius ſuſpenſam fuiſſe, præſertim tempore Mariæ Gubernatricis, vt furori cederet, & populus in ſe deſcenderet, tradit Zyp. *hoc tit. n.7. in fine.*

4 Præterea Clerici excidunt ipſo iure beneficiis ſuis, *d. c. Ad abolendam* §. *præſenti & aliis hoc titulo*, ſicut & qui ad preces hæreticorum beneficia obtinuerunt, *d. c. Quicumque* §. *ad hæc*: & ſuis ordinibus, ſi pertinaces fuerint, ſpoliati ſæculari poteſtati traduntur puniendi, *dict. cap. Excommunicamus* §. *damnati*, *dict. cap. Ad abolendam*, *cap. Cum ſecundum leges eod. in 6.*

5 Ne autem hoc malum, Reipublicæ Chriſtianæ pernitioſiſſimum longiùs ſerpat & radicetur altiùs, ideò vetantur clandeſtina conventicula, *cap. Cum ex iniuncto 12. hoc titulo*, item conciones clandeſtinæ vel publicæ, ſine permiſſu Diœceſani, *dict. cap. Excommunicamus* §. *quia verò cùm cap. ſeq. hoc tit. l. Conventicula 15. Cod. de Epiſc. & Cler.* Et iubentur Epiſcopi vel Archiepiſcopi, qui ſunt Ordinarij huius cauſæ Iudices, provincias ac diœceſes ſuas, de hæreſi ſuſpectas, nimirùm ſemel in anno viſitare, vel per ſe, vel per Archidiaconum, aut alios idoneos, & de hæreſi inquirere, ſub pœna depoſitionis, *d. c. Excommunicamus* §. *adiicimus.* Quibus ſubinde Inquiſitores adiunguntur, qui coniunctim vel ſeparatim cum illis cognoſcant, *cap. Per hoc 17. eod. in 6.* Si tamen proceſſerint ſeorſim, debent ſibi communicare acta, ſimulque proferre ſententiam; vel ſi diſcordes fuerint, eam remittere ad Sedem Apoſtolicam, Piaſ. *2. p. c. 4. art. 6. in princ.* Quemadmodum &, ſi ipſimet inſimulentur de eodem crimine, cognitio ſoli Pontifici reſervatur, *c. Inquiſitores eod. in 6.*

6 Ex Concilio autem Lateranenſi, (vt eſt *in d. c. Excommunicamus* §. *moneantur*, cui conformis eſt nova Conſtitutio Pauli IV. apud Pet. Matth. *in VII. Decretal. lib. 5. t. 3. c. 9.*) tenentur iurare Principes ſæculares, & qui poteſtatem aliquam perpetuam vel temporalem in Repub. Chriſtiana obtinent, ſeſe hæreticos vniverſos, ab Eccleſia denuntiatos ac damnatos, eorúmque complices pro viribus exterminaturos. Quòd ſi dominus temporalis, monitus & requiſitus ab Eccleſia, purgare terram ſuam neglexerit, excommunicatur: ſin perſtiterit in excommunicatione per annum, nuntiatur Papæ, qui fideles eius ſeu vaſallos à iuramento abſoluet, terramque exponet fidelibus occupandam, ſalvo tamen iure Domini principalis, niſi & ipſe ſit in culpa. De eadem re eſt Frederici Imp. Conſtitutio, quâ hæretici & perpetuâ notantur infamiâ, & proſcribuntur, *Auth. Gazaros C. hoc tit.* inſuperque vltimi ſupplicij pœna in eos ſtatuitur, *in l. 5 8. C. eod.** quæ ex interpretatione conſuetudinis eſt exuſtio, Abb. *d. c. Ad abolendam num. 13. hoc tit.* Covar. *2. Var. reſol. 10. num. 10.* ad quam tamen pœnam Iudex Eccleſiaſticus condemnare hæreticos nequit; verùm eo condemnato de hæreſi à Iudice Eccleſiaſtico per ſæcularem poteſtatem infligitur. Quid autem de hæreticis ſtatuerint Principes noſtri, tradit Zyp. *hoc tit. n. 6.* & Gudelin. *de iure noviſſ. lib. 6. c. vlt.* de aliis verò hæreticorum pœnis ex iure Civili videatur Petr Greg. Tholoſ. *Syntag. iuris vniverſi lib. 23. cap. 8.* déque iudicio ac Iudicibus hæreticorum, *cap. 6.* & de cautionibus contra eos adhibendis, *cap. 9.*

Cæterùm hæreticus has pœnas evitabit, ſi pœniteat, & ad Eccleſiam, quæ nemini gremium claudit, paratus ſit redire, hæreſimque abiurare, niſi abiuratione ſemel factâ, rurſus in eandem vel aliam lapſus ſit; nam tunc omni beneficio iuris excidit, & brachio ſæculari tradi debet, *d. c. Ad abolendam*, igne cremandus. Neque ob hanc traditionem, ex qua ſequitur mors, Iudex Eccleſiaſticus incurrit irregularitatem, Piaſ. *d. loco num. 13.* Ipſi autem reſipiſcenti Sacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ non eſt denegandum, *d. c. Ad abolendam verſ. illos quoque.* 7

§. III.

De modo procedendi in cauſa Hæreſis.

1 *In cauſa hæreſis idem poteſt eſſe teſtis & denuntiator.*
2 *Item quilibet alius, etiam infamis, periturus, &c.*
3 *Quo modo inſtitui examen debeat.*
4 *Quo modo quis deferatur de hæreſi.*

IN cauſa hæreſeos proceditur ſimpliciter & de plano. Poteſtque idem eſſe teſtis, qui accuſator & denuntiator, *cap. In omni 4. ſup. de teſtibus*; modò iuret ſe non ex odio vel animi paſſione ac levitate denuntiare. Interrogarique debet, an verba hæretica prolata fuerint ſeriò vel iocosè, vel referendo aliorum opinionem: nam duobus his poſtremis caſibus non arguerent aliquem hæreticum, quamvis taliter ea proferens graviter eſſet puniendus, vbi adeſſet periculum ſcandali, Piaſ. *d. loco n. 4.* 1

Inſuper

2 Insuper potest quilibet hic admitti testis, etiam laicus adversus Clericum, *cap. de cætero* 14. *sup. de testib.* etiam particeps & socius criminis, provt sanxit Alexander IV. item infamis, periurus, modò non sit inimicus accusati, *cap. In fidei* 5. *cap. Accusatores* 8. §. *Licet verò hoc tit. in* 6. Quamquam duo huiusmodi testes non faciant plenam fidem, vt alij, fide digni & omni exceptione maiores, ad convincendum quem de hæresi, sed tantùm indicium ad torturam vel imponendam pœnam extraordinariam, Piasec. *d. loco n.* 4.

3 Cæterum institui in his causis examen testium debet coram Notario & duabus gravibus personis, etiam laicis, defectu Clericorum. Nec hæretico, victo de hæresi, dandus est procurator; secus si fuerit tantum delatus vel suspectus, aut neget se hæreticum esse: nam hoc casu non poterit eidem denegari procurator, per quem se defendat. Qui quidem procurator antè omnia tenebitur iurare, se bonâ fide, iustis saltem mediis, defensurum causam, & deserturum eandem, si deprehenderit iniustam, Piasec. *d. l. n.* 5. Dicta etiam testium vel denuntiatorum ac nomina non publicantur, ne inde grave illis periculum immineat, *cap. vltim. hoc titul. in* 6. nisi socius fuerit criminis, vel absit nec timeatur periculum vindictæ *d. c. vlt.*

4 In causa quoque hæreseos sententia absolutoria nunquam transit in rem iudicatam, *ex Constit. Pij V. incip. Inter multiplices*, apud P. Matth. *lib.* 5. *t.* 3. *c.* 10. Neque appellationis remedium hæretico condemnato est concedendum, *cap. Vt inquisitionis* 18. *hoc titul. in* 6. nisi ab interlocutoria seu ante prolationem sententiæ.

Variè autem defertur quis de crimine hæresis. Interdum ex leviori aliqua suspicione, vt quia semel ex ira protulerit verba hæretica, vel blasphema, aut per annum perstiterit in excommunicatione; & delato taliter de hæresi post abiurationem imponitur pœnitentia salutaris, nec proceditur regulariter ad torturam, Genuens. *in Praxi cap.* 84. Interdum ex suspicione vehementi seu violenta; vt si quis ad omnem animi motum verba proferat hæretica, aut blasphemet sæpiùs, invocet dæmones verbis deprecativis, &c. provt hæc tradit & probat Piasec. *d. loco n.* 9. ex Genuens. *d. c.* 84. *n.* 7. Vbi etiam subiungit, vehementer suspectos esse de hæresi, qui Sacramento pœnitentiæ abutuntur, & in confessione pœnitentem ad actus inhonestos provocant, talésque vt hæreticos puniendos esse, *ex rescripto Pij IV. an.* 1561. *ad Inquisitionem Hispanicam*: sicut & eos, qui officium seu ministros Inquisitionis, quò minùs contra reos procedant, impediunt, domum Inquisitionis invadunt, portas infringunt, testes in causa fidei productos verberant, vel aliàs auxilium, consilium aut favorem quid huiusmodi molientibus præstant, *d. c. Vt inquisitionis*: vbi prohibetur, ne quis huic officio impedimentum iniiciat, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ: quam si deinde per annum animo obstinato sustinuerit, ex tunc veluti hæreticus condemnari iubetur. Severiùs autem in tales animadvertendum statuit Pius V. Constitut. *incip. Si de protegendis anno* 1569. quam refert Piasec. *d. loco*, & Clem. VIII. aliâ Constitut. quam recitat ibid. Piasec. quâ, casibus inibi specificatis, formaliter convictum hæreticum vult tradi brachio sæculari, etiam pro prima vice. Cui ex praxi S. Inquisit. tradi is quoque debet, qui hæresim Principi persuadere præsumpserit.

Aliàs de aliis criminibus seu erroribus convictus hæreticus, pro prima vice, si pertinax non sit, post factam abiurationem, pœnâ arbitrariâ est puniendus, *d. c. Ad abolendam h. t.*

Deinde si non fuerit plenè probatum crimen hæresis, nec sit confessus indicia tamen præcesserint violenta abiurare debet accusatus errorem suum, & pro facto scandaloso, ex quo orta suspicio fuit, puniri arbitrio iudicis, Piasec. *d. loco n.* 13. Vide fusiùs Greg. Tholosan. *Syntag. Iuris vniversi lib.* 32. *c.* 7. Farinac. *tract. de hæresi*, Zerolam in *V. Hæreticus* §. 24. & 25. & Azor. 1. *p. Instit. moral. l.* 8. *cap.* 20.

TITVLVS VIII.

De Schismaticis & ordinatis ab eis.

1 *Schismatici qui dicantur.*
2 *Eorum pœna.* 3.

PROXIMI hæretici sunt Schismatici, qui sese ab vnitate Ecclesiæ Romanæ dividunt ac segregant, & aliam constituunt. Et quia tales aliquando Ordines sacros conferunt, sibique Sacerdotes & Clericos constituunt, idcirco additur *in tit. & ordinatis ab eis*. Schismatici, secundum Abbatem, interdum sumuntur largissimè eóque pacto omnes

omnes constituti in peccato mortali, Schismatici dicuntur quia sunt extra charitatem, *cap. audi denique* 11. *quæst.* 3. interdum largè, & sic excommunicati dicuntur etiam Schismatici, quia sunt extra Ecclesiam & communionem fidelium, *can. Cum excommunicato* 11. *quæst.* 3. Strictè verò capiuntur pro iis, qui proprium Episcopum eiiciunt de sede Episcopali, seu ab eo se separant, sibi vsurpãtes presbyteros illius, *can. denique & can. Scire debes* 7. *quæst.* 1. *& can. loquitur Dominus* 24. *quæst.* 3. Strictissimè verò, vt hic, pro iis, qui se diuidunt ab vnitate Ecclesiæ Romanæ, & sibi aliam constituunt: dicitur enim Schismaticus à Schismate, id est scissura, *dict. cap. Schisma* 22. *quæst.* 1. quia Ecclesiam Dei, quæ vna est, scindit. Et ideò omnis hæreticus est Schismaticus, quia ab Ecclesia Romana secundum aliquod dogma peruersum se diuidit, non tamen è contrà, *can. loquitur, can. alienus* 24. *quæst.* 1. nam Schismaticus potest esse, licèt nullum dogma contra sensum Ecclesiæ confingat; proindeque hæresis pugnat cum fide, non item Schisma, licet vnitati Ecclesiæ aduersetur, & vt inquit Aug. *lib. qq. Euang. secund. Matth.* 11. Schismaticos non vna fides diuersa facit, sed communis disrupta societas. Nec quilibet obedire recusans summo Pontifici aliquid præcipienti, hoc ipso propriè schismaticus est, sed ei subesse non vult, tanquam Ecclesiæ capiti, & Christi in terris vicario; non etiam si ideò, quia eius persona sit illi infensa, Azor. 1. *part. l.* 8. *c.* 21. Nullum tamen est schisma, quod sibi tandem hæresin non confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur, *c. inter* 24. *q.* 3.

2 Schismaticorum pœna hodie est excommunicatio latæ sententiæ sive Bullæ cœnæ Domini, quæ exstat apud Nauar. *in manuali cap.* 27. Nam de iure communi non videntur ante Bullam fuisse generaliter excommunicati ipso iure, sed excommunicandi, *arg. cap.* 1. *h. t. can. nulli fas dist.* 19. *can. de liguribus* 34. *q.* 5.

Nec obstat *cap. licet sup. de elect.* quia loquitur tantùm de iis Cardinalibus, qui post electum Pontificem, communi duarum partium consensu, alium Pontificem receperunt, & de eo, qui post prædictam electionem contra electum habet & gerit. Quamquam de iure communi non tanquam schismatici fuerint vitandi, *cap.* 1. *& 2. h. t* & leges de hæreticis loquentes simul etiam loquantur de schismaticis, & hi paganis æquales habeantur, imò peiores, *dist. can. denique* 7. *quæst.* 1. *can non feramus* 24. *quæst.* 1. grauiorque debeat esse pœna, vt constat exemplo Dathan & Abiron qui propter huiusmodi crimen ab inferis, ruptis terræ compagibus, vivi absorpti sunt.

Ordinationes item ac beneficiorum collationes, & rerum Ecclesiasticarum alienationes ab iis factæ, sunt irritæ & inanes, *d. c.* 1 *& 2. h tit. iuncto can. Ordinationes* 9. *quæst.* 1. scilicet quoad executionem & functionem Ordinum: nam characterem imprimunt, & ordines ipsi per se subsistunt, *dict. cap.* 2. *hoc tit.* quia retinent potestatem Ordinis, sed ab eius vsu sunt suspensi. Potestate verò iurisdictionis veriùs est eos vniuersaliter esse priuatos, quia sunt extra Ecclesiam, *can. nouatianus*, 7. *quæst.* 1. *can. didicimus* 24. *q.* 1. *can. alienationes* 12. *q.* 2. 3

Veriùs quoque videtur, schismaticos esse irregulares, *c. Quia diligentia* 5. *sup. de elect. Can. Nos consuetudinem dist.* 12. *can. Conuenientibus* 1. *quæst.* 7. Azor. 1. *part. instit. moral. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 18.

TITVLVS IX.

De Apostatis & reiterantibus baptismum.

1 *Apostata quis dicatur.*
2 *Apostasia alia est Fidei, alia obedientiæ, alia Religionu.*
3 *Pœna Apostatarum.*
4 *Conc. Trid. decret. de regularibus ad alium Ordinem transeuntibus.*

APOSTATARVM sacrilegium quoque nomen est, *l.* 4. *C. de apostatis*; & Apostasia grauissimum crimen, in ipsum Deum principaliter tendens. Imò Apostatæ in eo deteriores hæreticis sunt, quia fidem semel in baptismo susceptam non in parte, vt hæretici, sed in totum deserant, *l.* 1. 2. *& 3. Cod. eod.* Additur de reiterantibus baptismum, quia & hi velut apostatæ sunt, dum à priori baptismo recedunt per eius reiterationem. 1

Apostata Græcis idem, est qui Latinis desertor seu rebellis vel etiam transfuga, vt qui à Principe vel duce suo ad hostes transit seu fugit: & Apostasia idem est, quod rebellio seu desertio, à Græco ἀποστασία, id est, Deficio vel Desero. Hic verò præsiùs sumitur Apostata pro eo, qui temerariè recedit à statu Fidei, vel Obedientiæ, aut Religionis, quam semel professus est. Dicitúrque Apostata, quasi retrò stans sive abiens, vt ex D. Aug. refert Gratianus, *can. non obseruetis* 26. *quæst.* 7. & Apostasia significat 2

eiusmodi temerarium recessum ; quamquam hæc allusio potiùs sit ad nomen, quàm origo nominis.

2 Itaque nomen Apostatæ tripliciter hoc loco sumitur. Primò pro eo, qui deserit suscepiam semel à se Fidem Christianam, & transit ad iudaissimum, Paganismum aut Mahometi impietatem: dicturque Apostata perfidiæ vel renegatus, de quo loquitur Tex. *in can. non potest* 2.q.7. Differtque ab Hæretico, quia is tantùm ex parte deficit à fide Catholica, Apostata verò ex toto: à Pagano autem differt, quòd is contradicat fidei, quam nullo modo antè suscepit, Apostata verò repugnet fidei, quàm antè re ipsa fuit professus: à Iudæo distinguitur quòd is contradicat fidei, quam in typis, figuris & umbris antè tenuit. Secundò dicitur Apostata, qui Monasticam Religionem; & tertiò, qui susceptum Ordinem sacrum deserit, *c. fin. dist.* 50. *can. Quantumlibet dist.* 47. *c. Beatus* 3.q.4. Sed & quartum est genus Apostatarum, eorum scilicet, qui superioris vel Ecclesiæ præcepta transgrediuntur, *c. si quis* 2. *& c. illud* 4. *sup. de maiorit. & obedientia*, Vide Glos. & Panor. *ad c. 1. h.t.* latè Menoch. *de arbitr. iud. q. lib. 2. c. 6. casu* 545. & Mascar. *de probat. concl.* 112.

3 Diuersimodè autem Apostatæ à iure coërcentur. Primò publicatione bonorum, non extantibus propinquis, *l. 1. 3. & 4. C. eodem.* Ius præterea testandi, vel testimonij dicendi, vel succedendi non habent, *d. l. 3. C. eodem can. Non potest* 2.q.7. ipsoque iure sunt infames, *can. alieni* 2.q.7. *d. can. Beatus, can. si quis* 3. *quæst.* 4. & qui alteri apostasiæ auctor fuerit, eum cum dispendio fortunarum etiam capite puniendum censuerunt Theodos. & Valentin. Impp. *l. 5. C. eodem.* Insuper Apostatæ Religionis, mancipandi sunt carceribus, donec desertum Religionis habitum resumpserint, *c. penult. h.t.* & deprehensi in crimine, qui scilicet deserto ordine Clericali & habitu in apostasia tanquam laici conuersantur, post trinam quidem monitionem, si Clericus fuerit primæ tonsuræ, sacri verò Ordinis apostatæ ipso iure, vt communiùs obtinuit, vel post vnam saltem monitionem, amittunt priuilegium Clericale, *c. 1. h.t. iuncto c. In audientia* 25. *& c. Contingit*, 45. *inf. de sent. excommun.* Quòd accipe de priuilegio Canonis *Si quis suadente* 17. *quæstione* 4. Et propterea in eos manum iniicientes non incidunt in dicti Canonis excommunicationem. Vide Panormit. *in d. cap. primo hoc tit.* Bern. Diaz. *in Crim. Canonica c.* 142. & Couar. *pract. q. c.* 32. *n.* 2.

Vt verò in Religiosis seu Regularibus Apo-
4 stasiæ cesset suspicio, mandat Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. vt nemo Regularis, cuiuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem, neve habitum Religionis suæ occultè ferat, sed publicè. Et *cap.* 4. *eiusdem session.* vetat, ne Regulares à suis recedant Conuentibus, etiam prætextu ad superiores suos accedendi nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Statuitque, vt qui sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur. Nihil autem inibi definit de transitu ad æquè arctam vel arctiorem Regulam: sed exstat ea de re Constitutio Pij V. an 1569. quam refert Azor. 1. *part. Moral. instit. lib.* 12. *cap.* 14. qua rescindit & abrogat omnes facultates, præter ius commune concessas, recipiendi vel retinendi Religiosos alterius ordinis, etiam laxioris, Refert ibid. & aliam Pij IV. Constitutionem, qua facultatem summi Pœnitentiarij restrinxerat, statueratque, ne ex causis, etiam piis, facultatem standi extra Monasterium concederet, circa consensum Superiorum; & alia, quæ ibidem videri licet. Aliarum præterea constitutionum extrauagantium, huc spectantium meminit Zerola *part.* 2. *V. Monach.* §. 8. 9. & 10.

Sunt autem Religiosi fugitiui quotannis requirendi & extrahendi in claustra, *ex constit.* Greg. IX. *cap. fin. sup. de Regularibus.* Quid verò de eiusmodi statutum sit cùm in Gallia edictis Regiis, tum in Belgio Caroli V. edicto, *dato Bruxellæ* 1535. vide apud Zyp. *hoc tit. num.* 7 8. 9. Vbi etiam refert, quid statuerit Greg XIII. de bonis cùm Apostatarum, tum aliorum Religiorum, extra monasterium morientium. Cæterùm causas Apostatarum & Regularium, extra monasteria sua vagantium, Pius V. ad Sedem Apostolicam reuocauit P. Matth. *in 7. decret. lib. 3. tit. 7. c. 2.*

Denique subiiciendum hic esset aliquid de secunda parte Tit. huius, nempe de reiterantibus baptismum; verùm ea de re sufficienter dictum est à nobis iam ante, *lib. 1. tit. 16.*

TITVLVS X.

De his qui filios occiderunt.

1 *Parricidium qui committere dicantur.*
4 *Pœna parricidarum.*

SVPERIORI

VPERIORIBVS Titulis vidimus de iis criminibus, quæ principaliter in Deum committuntur; consequenter videndum est de illis, quæ principaliter tendunt ad læsionem proximi, quibusque aut corpus & vita proximi læditur, aut pudicitia thorusve offenditur, aut res & bona proximi exteriora attrectantur & violantur. Primi generis est homicidium, & inter homicidiorum genera grauissimum, quod in filios sive descendentes, & in parentes seu ascendentes committitur, dicitúrque generali nomine Parricidium; & adeò graue est, vt Quintil. in Declamationibus omnium scelerum maximum appellet; & Solon interrogatus, cur nullam legem in parricidas tulisse, respondérit, Non exspectasse se tale scelus vnquam potuisse committi.

1 Dixi, generali nomine vocari Parricidium: nam licèt Parricidæ propriè vocentur parentum interfectores, aut qui suæ patriæ, quæ cuique parentis est loco, excidium aut vim attulerint, Cicero 1. *officior.* tamen postea lege Pompeiâ cautum fuit, vt parricidij teneantur non solùm, qui patrem vel matrem, sed & ij, qui fratrem sororem, patruelem, matrulem, filium, filiam, & alias personas, *in l. 1. ff. ad l. Pomp. de parric* enumeratas, occiderint.

Pœna parricidarum more maiorum sive de iure Ciuili fuit hæc, vt virgis sanguineis verberati, ac deinde insuti culeo, cum cane & gallo gallinaceo, vipera, & simia, in mare vel in amnem proiicerentur, *l. penult. ff. d tit.* Cicer. *pro Roscio Amerino.* Vide Gregor. Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi lib. 36. c. 24.* Gothofred. *ad l. penult.*

2 Iure verò Cananico suadetur matri, quæ iracundiæ calore ducta filium occiderit, si quidem innupta vel vidua sit, vt in monasterium ingrediatur, in quo reliquo vitæ cursu peccatum deploret, *cap. 11. hoc tit.* Si verò sit coniugata, non ideò à marito est separanda, sed alia pœna ei imponi decet, *cap. 2. hoc tit.* Quòd si infantulus de nocte cum patre & matre mortuus reperiatur, nec appareat, vtrùm à patre vel à matre oppressus sit vel suffocatus, extra culpam omnem non sunt parentes indicitúrque pœnitentia trium annorum, quorum vnum peragant in pane & aqua *cap. vlt. hoc tit.* si quidem peccasse in eo intelliguntur, quòd infantem in communem lectum recipiendo, periculo expressionis vel suffocationis exposuerint. Qui matrem occiderit, eodem iure pœnitere debet per decem annos iuxta formam præscriptam *in C. Latorem 33. quæst. 2.* At verò, qui parentem per furorem occiderit, impunitus manebit, nam sufficit eum furore ipso puniri, *l. penult. §. fin. ff. ad l. Pomp. de parricidiis, l. 14 ff. de officio præsidis.*

TITVLVS XI.

De infantibus & languidis expositis.

1 *Pœna exponentium infantes & languidos.*

OMNI quoque inhumanitate & crudelitate referti sunt, & tanto deteriores homicidio, quanto calamitosioribus id inferunt, inquit Iustin. *nouel. 153. in fine*, qui scil. infantes ac minores septennio exponunt seu abiiciunt, vt vel pereant, vel ab aliis, commiseratione mortis, suscipiantur & alantur, *can. si expositus dist. 87.* Etenim necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat, sed & is, qui abiicit, & is, qui alimenta denegat, quique publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet, *l. necare 4. de agnosc. & alendis liberis.*

Quales propterea digni pœna homicidij, *l. 2. C. eod. l. nec filium Cod. de patria potest. l. 1. §. pœna ff. de agnosc. lib.* Et si pater fuerit, amittit ius patriæ potestatis si dominus, ius dominicæ potestatis, non tantùm si ipse exposuerit, sed & si ab alio expositum sciuerit, vel postea ratum habuerit; atque ita expositus hoc ipso consequetur libertatem: vtraque pœnam, quam meretur exponens filium vel filiam, priuatur successione filij seu filiæ, ab intestato decedentis. Nam eo casu expositus videtur incertum parentem habere, qui filio non sit dignus, cùm filium indignum se existimauerit, & proinde meritò omni vtilitate ex eo proueniente carere debeat. 1

Idem iuris est in languidis (id est sic viribus ob infirmitatem deficientibus, vt ad omnem pænè operationem sint inutiles) ita expositis, cuiuscumque ætatis fuerint, sive infantes, sive maiores. Qui tamen hos suscipiunt non acquirunt per hoc in personas ipsorum aliquod ius, *c. fin. h. t.* licet aliud iure Cod. Theodos. obtinuerit, vt videre licet apud Greg. Tholosan. *Syntag. iuris vniuersi lib. 11. c. 10. n. 3.*

Quas autem impensas repetere possit is, qui infantem expositum aluit, breuitatis causa vide apud Azor. 2. *part. Moral. instit. l. 2. cap. 16.* vbi tradit, omnia, quæ de parentibus exponen-

tibus infantes ſtatuuntur iure Ciuili vel Canonico, obtinere in iis, qui per ſe vel per alios commodè filios ſuos alere poſſunt: ſi verò præinopia vel egeſtate aut ſine dedecore & ignominia eos alere nequeant, curent; vt in Hoſpitali ſaltem aliquo, ad hoc pietatis officium extructo, educentur, provt de ſervo ſtatuitur. *in l. 1. Cod. de Latina libertate tollenda.*

TITVLVS XII.

De homicidio voluntario vel caſuali.

1 *Homicidium quid ſit.*
2 *Aliud eſt Voluntarium, aliud Neceſſarium, aliud Caſuale.*
3 *Voluntarium aliud directè tale, aliud indirectè.*
4 *Neceſſarium item duplex.* 5.
6 *Quid ſit moderamen inculpatæ tutelæ.*
7 *Caſuale cum culpa vel ſine culpa committitur.* 8.
9 *Pœna homicidij voluntarij ex vtroque iure.*

1 TRANSEAMVS nunc ad homicidium, in genere conſiderandum. Licet enim genus plerumque præmittatur ſpeciei, iſque ſit ordo vſitatior in omni arte & ſcientia, vt ab vniverſalioribus incipiatur, & priùs de genere tum de ſpeciebus agatur, §. *Is igitur Inſtit. de Iuſt. & iure*, Ariſtot. 1. *Phyſic.* c. 1. tamen nonnunquam etiam iuſta de cauſa præmittitur ſpecies, & ſubiicitur genus: vt hoc loco, Pont. Priùs tradidit homicidij ſpecies, quæ propter atrocitatem criminis præmitti debuerunt.

Homicidium ab Homine dicitur, & ad vtrumque ſexum pertinet, *l. Hominis* 151. *ff. de verb. ſignif.* licet aliàs Homo pro viro ſpecialiter capiatur, *leg. Si quis aliquid Paragrapho qui abortionis*, in verbis, *Mulier aut homo perierit ff. de pœnis*, & in iure Canonico Homicidium non tantùm hominis occiſionem, ſed & detractionem, perſuaſionem malam, omnémque motum iniquum ad nocendum alteri deſignet, *can. Homicidiorum cum quatuor ſeqq. de pœnit. diſtinct.* 1. Specialiter verò ſumitur Homicidium hic, vt ſignificat occiſionem hominis ab homine factam. Quod addo, quia vtrumque ad homicidij rationem & nomen requiritur: nam ſi brutum occiderit hominem vel homo brutum, non dicetur propriè homicidium quia homicidium deſignat peccatum, quod in brutum non cadit; & proinde eſt hominis hominem interficientis.

Homicidium ſic acceptum triplex ſtatui poteſt, Voluntarium, Caſuale & Neceſſarium. Voluntarium eſt, quod dolo malo & animo occidendi quoquo modo admittitur, *l. 1. ff. Ad L. Corn. de ſicariis*; ſive aperto Marte, ſive per inſidias, ſive veneficio, ſive pharmaco, ſive alio modo.

2 * Et ideò aliud eſt Voluntarium directè, vt cùm quis expreſsè intendit & vult occidere hominem; in quo conſiſtit perfecta & propria ratio homicidij, *leg. 1. Codice ad L. Corn. de ſicar.* aliud voluntarium indirectè, vt cùm quis expreſsè non intendit actum ipſum occiſionis, ſed alium actum, ex quo immediatè & per ſe, & non per accidens, ſequitur mors: nam voluntas delinquentis fertur in id quod fit; & in omne illud, quod per ſe & non per accidens, ex illo ſequitur, *cap. vltim. hoc titul. in* 6. Committitur autem homicidium voluntarium facto, præcepto, conſilio ac defenſione, *canon. Si quis viduam diſtinct.* 50. per inſidias, *cap. 1. hoc titul.* linguâ ſeu cohortatione ad necandum, *cap. Sicut dignum* 6. §. *qui verò hoc tit.* Ad voluntarium revocari poteſt homicidium Neceſſarium: Nam voluntarium vel eſt abſolutè voluntarium aut neceſſarium.

3 Neceſſarium eſt, quod quis committit ad neceſſariam ſui defenſionem, vt *in cap. 2. hoc titul.* Et hoc, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, eſt ſine culpa & reprehenſione, *d. c. 2. l. 2, 3, 4. Cod. Ad L. Corn. de ſicar.* nam vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnes leges, omniaque iura permittunt, *cap. Significaſti* 17. *hoc tit. l. 3. ff. de Iuſt. & iure.*

4 Dicitur verò fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm fit non excedendo limites defenſionis, ſen non ad vindictam, ſed ſolùm ad propulſandam iniuriam; & vim arcendam, quando alia evadendi via non ſuppetit, *d. c. 2. h. t.* Hinc licet diurnum furem, ſi ſe telo non defendat, occidere minimè permittatur, *d. c. 2.* nocturnum tamen impunè occidi permiſſum eſt, quia ignoratur, an furandi, an verò occidendi animo domum ingrediatur, *c. 3. h. t.* Sic quoque latro à viatore, hoſtis à milite, impunè occiditur, *c. Cum bono* 23. *q. 5.*

5 Neceſſarium quoque homicidium eſt, quod auctoritate legis aut ſuperioris, ius gladij habétis iuſſu committitur; vel quod fit ab eo, qui iuſtum bellum gerit, *can. Quid culpatur* 23. *q. 2.*

Caſuale

6 Casuale est, quod casu fit & præter occidentis intentionem, ita vt nec in se nec in sua causa sit volitum *c. Presbyterum 7. c. Dilectus 13. & seq. hoc tit.* Tale est, si quis alicui vulnus inflixerit non lethale, mors tamen secuta sit, vel malicià Medici, qui noxia adhibuerit, vel negligentià & temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluerit.

Committitur casuale homicidium aut cum culpa, aut sine culpa. Commissum sine culpa non imputatur; vti quando occisor dabat operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, secundum probabiliorem sententiam, si modò vtroque casu sufficientem diligentiam & cautionem adhibuerit, ne quid inde incommodi sequeretur, *cap. Lator 9. dict. c. Dilectus cum tribus seqq. hoc tit.* quia quæ merè fortuito accidunt, non imputantur, quandoquidem humanâ providentiâ prævideri non possint, *c. vlt. h. t.* & sufficiens diligentia ac cautio omne periculum & culpam abstergat. Huic assimulatur homicidium à furioso, infante, dormiente commissum, nam & huius nulla habetur ratio, *Clem. vnica eod. l.*

7 *Infans ff. Ad L. Corn. de sicar.* * Sin autem culpâ commissum sit, puta si occisor dederit operam rei illicitæ, vel licitæ, sed non adhibuerit sufficientem diligentiam, ne quid incommodi accideret, ei imputatur; & à iure Civili punitur, sed minùs, *l. 1. §. sed si, & l. 4. §. 1. ff. eod. l. Si putator ff. ad L. Aquil.* à sacris verò Canonibus irregulariter notatur, *c. 7. & 8. h. t.* Ratio est, quia tum est volitum in ipsa commissione cautionis seu diligentiæ: sicut submersio navis censetur voluntaria in negligentia gubernatoris.

8 Pœna homicidij voluntarij, dolo commissi, ex lege Cornelia olim in liberis hominibus erat deportatio in insulam, & bonorum omnium ademptio, *leg. 3. §. penultim. ff. Ad L. Corneliam de sicar.* in servis verò & humilioribus vltimum supplicium; hodieque vltore ferro seu pœnâ capitali lex homicidas persequitur.

Neque aliàs, referente Zyp. *h. t.* in Brabantia Princeps abolitionem concedere homicidis potest, nisi priùs cum parte transegerint: aliterve induciæ vel saluus conductus, seu *geleyde*, vt vocant, concedi eis nequeunt, *Latus Introitus Caroli V. art. 21. & Mariæ art. 42.* Idem sanxerunt Pont. Pius IV. & Pius V. provt & ne antè condemnati per contumaciam audiantur, nisi in carcere constituti, & citatis occisi hæredibus. Constitutiones eorum refert Pet. Matth. *in 7. Decretal. lib. 5. tit. 8. c. 7. & 8.* Ibidemque *c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. & 10.* aliàs Constitutiones adversus homicidas videre licet.

De iure verò Canonico pœna est excommunicatio, *canone Itaque 24. quæst. 3.* & depositio ab Ordine quocumque, si sit Clericus; & post depositionem detrusio in carcerem, vtique ad tempus, veluti quinquennium vel sexennium, *d. cap. Sicut dignum in fine hoc titulo.* Insuper homicida voluntarius privandus est beneficiis suis, *c. 1. & 2. inf. de Clericis pugnant. in duello*: & quidem per sententiam, quia non privatur ipso iure, vt communiter sentire DD. post Felinum *in c. Inquisitionis num. 3. sup. de accusat.* testatur Piasec. *2. p. c. 4. art. 14. sub num. 16.* præter assassinatum, Navar. *in Manuali c. 27. n. 24.* Adeò vt licèt lata fuerit sententia condemnatoria de homicidio, si in ea non fiat mentio privationis expressim, non censeatur adhuc privatus, quia præsumi possit, Episcopum voluisse cum eo dispensare in retentionem beneficij, quippe qui & in hoc casu, sicut & plerisque aliis, quoad retentionem beneficij, habeat facultatem dispensandi, Piasec. *d. loco.* Ideoque Clericus homicida fructus beneficij sui facit suos, & lite adhuc pendente, non prohibentur beneficio renuntiare, donec per sententiam privetur, Felin. *in c. de quarta num. 31. sup. de præscript.* Quemadmodum & si in sententia sit expressa pœna privationis, & condemnatus appellet, durante appellatione resignare interim beneficium potest, & valida est resignatio, licet beneficium fuerit impetratum ab alio, in casum privationis, Piasec. *d. loco n. 17.* vbi ait, pro indubitato id practicari in Curia Romana, post Genuens. *in Praxi cap. 65. n. 18.* Quamvis non desint, qui talem renuntiationem putent invalidam, propter ius ad rem alteri quæsitum. Quâ ratione verò possit hodie Episcopus cum homicida dispensare, quoad sacros Ordines suscipiendos vel beneficium obtinendum, vide Conc. Trid. *sess. 24. c. 7. de reformat.* Et quam pœnam incurrant, qui abortum procurant, quod Augustin. *in can. Aliquando 32. q. 2.* crudele facinus appellat, brevitatis causâ omitto; traditurus aliàs. Videri interim potest ea de re Constitutio Sixti V. an. 1588. altera Gregorij XIV. an. 1591. apud Piasec. *p. 1. c. 1. art. 5. n. 8.*

TITVLVS XIII.

De Torneamentis.

1 *Torneamenta quæ dicantur.*

2 *Pœna occidentis quem in torneamentis, & occisi.*
3 *Quando licita torneamenta.*
4 *Agitatio Taurorum prohibita.*

POST tractatum de homicidio, tam in specie quàm in genere sequitur de quibusdam actibus, qui quandoque causam homicidio præbent; & primò quidem de Torneamentis, id est ludis hastilibus seu equestribus.

1 Dicuntur autem Torneamenta à circumeundo; sunt inducię quædam vel nundinæ ac feriæ, in quibus milites ex condicto vel conducto conuenientes ad ostensionem virium suarum & audaciæ temerè congredi & aggredi solent, *cap.1.hoc tit. & ibid.* Abbas; idque maximè in acie, dum otiosi sunt, vel in honorem Heroum defunctorum, Pet. Greg. Tholosan. *Syntag.iuris vniuersi lib.48.c.16. num.5.* Eaque hic & *in can. Monomachiam 2.quæst.5.* prohibentur, quod ex iis sæpè periculum animarum & mors hominum proueniat, *dict.cap.1.* quodque spectantes huiusmodi spectacula Deum solummodò tentare videantur, *d.can.Monomachiam.*

2 Quòd si igitur quis in eiusmodi torneamentis seu ludis hastilibus alium occiderit, licet iure Ciuili nulli pœnæ subiiciantur (decertare enim hastâ leges Romanorum permiserunt, *l. Solent §. Senatus ff. de alea lusu & alcator.*) de iure Canonico homicidij reus est, atque irregularis, quia operam dedit rei illicitæ, & per se periculosæ, *dict. cap.1. & 2.hoc t.* Ideo licet taliter occisis pœnitentia non negetur, sepultura tamen denegatur Ecclesiastica, si animo pugnandi venerint, secus, si alia de causa, puta ad percipienda credita seu debita, *dict. cap. 1. & 2.*

3 Et hæc quidem obtinere videntur in torneamentis olim vsitatis de quibus *dict. cap.1.& 2.* loqui videntur; non etiam in iis ludis habilibus, qui hodie frequentantur in inauguratione, vel natiuitate, vel aduentu alicuius Principis, cùm in iis non subsit tantum periculi, nec fiant eo modo, quo olim. Hinc Ioannes XXII. *in Extrauag.vnica eod.* Constitutionem Clementis, in quibusdam regnis torneamenta inhibentem, sub pœnis excommunicationis & interdicti, reuocauit, & absoluit à censuris, huius occasione incursis. Vide Nauar. *in manuali cap. 15. num.9.*

4 Ad instar torneamentorum prohibita est agitatio taurorum intra circum, de qua plures scripserunt, & in primis eruditus Mariana post diuersorum Pontificum Constitutiones, Pij V. anno 1567. Greg. XIII. an. 1575. Sixti V. an. 1586. Clementis VIII. an. 1596. quarum meminit cùm Nauar. *dict.cap.15.cap.19.* tum Gutierrez *lib.1.Can.q.c.7.* & Azor. *p.3.instit. Moral. l.2.c.15.*

TITVLVS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

1 *Duellum vnde dictum & quid sit.*
2 *Duella hodie prohibita omninò vtroque iure.*
3 *Duellantium pœna ex iure Canonico.*
4 *Pœna duellantium & iis adsistentium ex Conc.Trid.*
5 *Quando & in quibus duellis pœna illa locum habeant, vel non.6.7.*

MVLTÒ verò frequentiores cædes hominum ex duellis quã ex torneamentis, experientia docet; ideóque maior ratio prohibitionis hic est. Illa enim causa solius roboris & virtutis naturalis probandæ fiunt, hæc verò ad controuersiarum decisionem & in defectum probationis ab aliquibus offerri solent, & ab aliis suscipit, vt hac ratione victor probasse intelligatur, & victus in probatione defeciisse.

1 Appellatur Duellum quasi duorum bellum, seu bellum, quo à duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur: Græcis Monomachia, quasi pugna vnius tantùm cum altero, *can. Monomachiam 2.quæst.5.* Quamquam etiam veteres Duellum dixerint, quod nos Bellum: vnde & perduelles hostes; & quos hostes appellamus, eos veteribus perduelles appellatos fuisse testatur Caius *in l.quos nos hostes 234.ff.de verb.signif.* & latiùs id ipsum ostendit Tholosan. *Syntag.iuris vniuersi lib.48.cap.16. num.1.* Quia verò Clericis potissimùm hæc pugna interdicta est, ideò Tit. inscribitur *de Clerico pugnantibus in duello.*

2 Tametsi autem duellum, Vlpiani tempore, legibus Romanorum nondum fuerit damnatum, *l.Qua actione §.si quis ff.Ad L.Aquiliam:* tamen hodie omninò vetitum est, de iure tam Ciuili, *l. vnica C. de digladiatorib.lib.11.* quàm Canonico, *tot.h.T. Decretal. cap.1. & 2.inf.de purgat.vulg. & d. can. Monomachiam.* Exstant

&

& Constitutiones Iulij II. Clement. VIII. Iulij III. Pij IV. Gregorij XIII. quas refert Quaranta V. *Duellum*. Et quamvis olim tabulis Legum Brabantiæ Ioan. ducis 1312. certa duella, & sub certis formis, permitterentur, prout & legibus Germanorum, Hispanorum, Longobardorum, Galliarum, vti videre licet ex Greg. Tholosan. *dict. loc. num.* 8. & Constitut. Philippi Regis Galliarum anno 1305. quam explicat Guido Papa *à decis. 607. vsque ad 624.* tamen extat Sereniſſimorum Belgij Principum Edictum 27. *Februarij* an. 1610. quo prouocantes & consentientes in duellum declarantur infames, indigni nobilitatis insignibus, priuati officiis & honoribus omnibus, cum publicatione dimidiæ partis bonorum: ipsis verò duellantibus, aut ad locum duello deputatum ex condicto conuenientibus pœnâ infligitur mortis cum publicatione bonorum omnium. Conformiter *Lato introitui ducis Mariæ art.* 19. neque dux poterat remittere hanc pœnam. Alioqui Lætus introitus Caroli V. *art.* 24. eos tantùm, qui extra patriam duellum indixerint, punit ducentis marcis puri auri, aut aliàs pœnâ arbitraria, teste Zyp. *h.t. n.* 4.

3 Non igitur tantùm Clericis interdicitur duellum, sed etiam laicis, *cap.* 1. *hoc tit.* Et non solùm illi, qui ipsi in duello alium interfecerint, tanquam rei illicitæ & periculosæ omninò operam dantes, sed & qui alium pugilem ad hoc subornarint, sunt irregulares, *cap.* 2. *hoc tit.* Imò hoc ipso quo Clericus duellum init, sive offerendo sive suscipiendo, sive victor, sive victus euadat, de rigore iuris deponendus est. Quamquam Episcopus de iure communi cum eo dispensare valeat, si neque mors neque mutilatio membri inde secuta sit, *dict. cap.* 1. sicut & circa beneficium habendum. Alioquin hodie post Conc. Trid. & Constitutionem Clement. VIII. & Greg. XIII. non videtur posse dispensare, Azor. 2. *part. Instit. Moral. lib.* 3. *cap.* 50 *quæst.* 12.

4 Cùm autem in duello soleant reperiri quinque genera personarum; primò Principes, Imperatores, Reges, vel alij Domini, duellum in terris sibi subiectis concedentes, secundò, pugnantes: tertiò, patrini eorum; quartò, ij, qui consulunt vel aliquo modo fauent; quintò, spectatores, qui ad spectacula concurrunt: hodie omnes hi ex decreto Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de reform.* primò sunt excommunicati. II. Domini temporales qui in terris sibi subiectis locum ad monomachiam inter Christianos concesserint priuatur iurisdictione & dominio ciuitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, si huiusmodi locum ab Ecclesia obtineant; &, si feudum sit, redit ad dominum suum directum III. Pugnantes & eorum patrini notantur infamia perpetua IV. Confiscantur & publicantur bona omnia, & puniuntur ex æquo omnes, vt homicidæ licet non fuerit secuta mors V. Decedentibus in conflictu Ecclesiastica denegatur sepultura, prout & de iure communi denegari diximus. Ex his pœnis excommunicatio incurritur ipso facto: reliquæ per sententiam iudicis, idque iis casibus, quibus duellum est illicitum, vt quando suscipitur ad solam virium ostentationem aut peritiæ militaris, *cap.* 1. *sup. de torneamentis*; vel ad indagationem & probationem veritatis, aut criminis spontaneam purgationem, *cap.* 1. *& 2. inf. de purgat. vulgari*; vel ad priuati honoris defensionem, Less. 2. *de iust. c.* 9. *dubit.* 11. *num.* 84. vel ob priuatas simultates & inimicitias (sic enim Clemens VIII. in Constitutione *incip. illius* an. 1592. declarauit, militem ob hanc causam alterum militantem in exercitu publici hostis prouocantem ad singulare certamen, ob priuatas simultates, contineri hac prohibitione: vt & eos, qui mittunt, scribunt, diuulgant chartulas prouocatorias fautores & complices,) vel ad oblectandos spectantium animos, vti apud gentiles fieri solebat in gladiatorum spectaculis; vel ad litem & contentionem, nisi certis casibus, Azor. *Instit. moral. lib.* 2. *c.* 5. *quæst.* 5.

Quinimò prædictis pœnis esse locum etiam 5
in duellis, quocumque modo initis, absque alicuius Principis auctoritate vel consensu, respondisse Cardinales refert Axor. *dict. loc. c.* 6. *q.* 1. Sed &, si alter alteri dicat: Tali loco te exspectabo, vt pugnemus, & postea pugnent, nullis concurrentibus ad spectaculum, & absque Principis facultate ac patrinis, secundum Lud. Molinam *de iust. & iure tract.* 3. *disp.* 17. *num* 4. Quod tamen negat Azor. *d. cap.* 7. *quæst.* 2. prout neque locum habent, si in rixa alteri dicat, defende te, & exerto gladio statim pugnent, cùm id non ex condicto fiat, Riccius *in praxi decis.* 634. Molina *dict. loco* referente Zyp. *hoc tit. n.* 6. Vbi existimant, dictis pœnis etiam locum esse, si ex condicto pugna, non talis, sed pugnis ineatur; neque enim inauditum esse quem pugnis interfici.

Vt autem Domini locorum has pœnas in- 6
currant, necessum est, quòd ad duella facultatem concedant; non etiam permittant tantùm impunè duella ad grauiora peccata & maiora mala euitanda.

Similter non est locus pœnis in duello licito:

vt

vt si in bello hinc inter se milites pari numero, sive vnus contra vnum, sive duo contra duos, sive decem contra decem alios, duello experiantur, ne scilicet militum animi concidant aut hostium prouocantium exercitus audaciam inde sumat, & crescat temeritas, vel aliis de causis, de quibus Azor. *dict. cap. 5. quæst. 3. & 4.* Si item necessarium illud sit ad vitæ defensionem, nec alia pateat ratio aduersus iniustum inuasorem, Less. *2. de iustit. cap. 9. dubit. 8. num. 49.*

Qui plura de hoc crimine desiderat, legat Azor. *dict. cap. 5. & 6.* Alciat. *tract. de singulari certamine*, P. Greg. Tholosan. *Syntag. iuris Vniuersi lib. 48. cap. 16.* vbi plura de forma duella tradit, Nauar. *in Manual. cap. 11. n. 391. & cap. 15. num. 9.*

TITVLVS XV.

De Sagittariis.

1 *Sagittarius quis dicatur.*
2 *Qui Ballistarius.*

PROHIBETVR hoc titulo ars ballistariorum & sagittariorum, quia & hæc causam homicidio præstare solet, vt conflictus illi hastiles, quos vulgus torneamenta vocat, & duella. dicendumque eos similiter irregularitatem incurrere, qui artem illam sagittariorum vel ballistariorum exercent, vbi, quando, & aduersus quos non decet aut licet, nempe aduersus Christianos & Catholicos, idque sub pœna excommunicationis, *c. vnico h. t.*

1 Sagittarius autem hoc loco sumitur pro eo, qui iacula seu sagitta emittit ex arcu seu ballista, non quidem maiori, sed minori, cuius etiam in bello vsus fuit, vt constat ex Cic. *lib. 5. Ep. ad Attic.* Magna, inquit, tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis sauciis ex nostris, incolumi exercitu negotium confecimus.

2 * Ballistarius verò dicitur, qui ballista vtitur, non quidem minori, hodiéque passim communi, sagittas eiaculante, cuiusque D. Hieron. meminit *contra iouin.* dum ait: *ballista quanto plus retrahitur, tanto fortiùs emittitur;* & *Manubalista* ab aliquibus appellatur: sed maiori, quæ machina fuit bellica sive genus quoddam tormentorum Romanis vsitatum, iaciens saxa maiora & grauiora ad quassandos & euertendos muros: de quo & doctè & curiosè I. Lipsius *in Poliorceticis sive de Machinis bellicis.*

TITVLVS XVI.

De Adulterio & Stupro.

§. I.

De Adulterio & pœnis illius.

1 *Adulterium & generaliter & specialiter sumi.*
2 *Pœna adulterij de iure Ciuili & Canonico. 3.*
4 *Hoc iure adulterum deprehensum cum vxore occidi fas non esse.*
5 *Pœna Clerici adulteri.*

SVPERIORIBVS titulis actum est de homicidio, & quibusdam actibus, per quos ad homicidiū quandoque peruenitur quibusque corpus & vita læditur proximi; sequitur ordine Decalogi, id est legis antiquæ, decem præcepta continentis, de adulterio & stupro (ita enim in præcepto est, *non occides: non mœchaberis* (cæterisque illiciti concubitus generibus, quibus vel thorus proximi violatur vel pudicitia læditur.

1 Quamvis verò Adulterium, generaliter sumptum, omnium copulam, quæ non habet potestatem coniugij, comprehendat, *can. nemo blandiatur §. tolerabilior 32. quæst. 1.* & Lex Iulia de adulteriis promiscuè Stuprum & Adulterium vsurpet, *l. inter liberas 6. ff. eod. & l. Inter stuprum ff. de verb. signif.* tamen specialiter sumptum dicitur alieni thori violatio, *can. non mœchaberis 32. quæst. 5.* & quasi ad alterius thorum accessio, déque iure Ciuili propriè in nuptam committitur, non autem in virginem aut viduam; ac definitur, alienæ matrisfamilias corruptio. Quamvis eodem iure etiam ad sponsam extendatur, *l. propter 7. C. eod.* quia sponsa pro vxore habeatur, *l. Si sponsa 74. ff. de iure dot.* & quia neque matrimonium qualecumque, neque spem matrimonij violare permittatur, *l. Si vxor 13. §. Diui & §. si minor ff. ad L. Iul. de adult.* licet hoc casu mitior pœna decernatur. Verùm iure Canonico etiam in solutam mulierem a coniugato

gato committitur adulterium, *can. 19. & fin. 32. quæst. 5.* nam hoc iure eadem castimonia in marito requiritur, quæ in vxore, *can. Præcipit. can. apud nos & d.c. fin. 32. quæst. 5.*

2 Quòd ad pœnas adulterij attinet, iure quidem diuino pœna vtriusque delinquentis est lapidatio, *Deut 22. Exod. 20. cap. Satis 33 quæst. 5.* de iure autem Ciuili, quando criminaliter agitur, ex L. Iulia non videtur olim fuisse capitalis, sed vel deportatio, vt in militibus, *l. 2. §. miles ff. de his qui nos infamia*; vel relegatio, vt in paganis, *l. Si quis viduam ff. de quæst.* ex posteriori verò iure, nempe ex *l. Quamvis C. ad L. Iul. de adult.* pœna sanguinis & gladij tam viro, quam fœminæ adulteræ irrogari cœpit, iam inde à tempore Iustiniani, vt constat *ex l. Transigere C. de transact.* sed ea hodie in plerisque prouinciis mutata est in pecuniariam, vel aliam, dummodò abfuerit violentia, aut qualitas aggrauans, Iul. Clarus §. *adulterium num. 7. circa finem*, & latè Boër. *dec. 197.* Et ex Iustinian. *nouella 134. cap. 10.* mulier adultera non punitur gladio, sed virgis cæsa in monasterium detruditur, potestate interim marito relicta intra biennium eam repetendi. Quod & iure Canonico vide receptum, *c. Gaudemus sup. de conuers. coniugat.* Dosque hoc casu distribuitur certo gradu atque ordine inter descendentes, ascendentes, & monasterium, *dict. nouel. 134. cap. 10.* Si verò ciuiliter agatur, hoc est ad separationem thori, factâ separatione dos & donatio propter nuptias innocenti coniugi applicantur, *nouel. 117. cap. 8. cap. Plerumque 4 sup. de donat. inter virum & vxorem.* Quamvis autem in hoc sint pares maritus & vxor quòd ob solum adulterium alterius agere possit ad separationem thori, non tamen in lucro dotis & donationis propter nuptias: nam vxor ob solum adulterium amittit dotem (nisi fuerit viro reconciliata, *dict. cap. Plerumque*) maritus non antè quàm si frequenter cum alia muliere egerit & bis monitus non resipuerit, *dict. nouel 117.* Insuper vxor in adulterio reperta, est infamis ipso iure, etiam antequam condemnetur per sententiam: adulter verò non fit infamis nisi per sententiam. Cùmque maritus, vxore adultera, solutus sit à iure soluendi ei debitum coniugale, ingredi monasterium potest, *cap. Constitutus sup. de conuers. coniugat.*

3 Cæterùm iure Canonico alter coniugum, sive maritus sive vxor, ob alterius adulterium, agere ad separationem thori potest coram iudice Ecclesiastico, ad quem solum spectat eo casu cognitio *cap. tua 5. sup. de procur. cap. 1. sup. de officio iud. ordin. cap. At Clerici § de adulteriis sup. de iudiciis*: nisi alter, v. g. maritus sciens vxorem suam adulteram esse, vixerit postò cum eadem, non peracta pœnitentia, quia hoc casu & ipse reus erit ac particeps delicti, *cap. Si vir 3. hoc tit.* vel nisi alter alteri adulterium obiiciat, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *c. penult. & vlt. hoc tit.* Qua ratione autem Ordinarius possit ex officio procedere in causa adulterij, vide Conc. Trident. *sess 24. de reformat. matrim. cap. 8.* Sed & certis casibus ad hanc separationem agi non posse, iam antè diximus.

Denique licet Iure Ciuili permissum fuerit marito, atque etiam patri, deprehensum adulterum cum vxore vel filia occidere certis casibus impunè: id tamen de iure Canonico nullatenus permittitur, *can. inter hæc, can. Admonere vers. nam si virum, can. Si quod verius 33. quæst. 2.* Et hæc quidem iure Pontificio circa laicos statuta sunt, qui eodem iure etiam excommunicari debent, *cap. intelleximus 6. hoc tit.* ac pœnitentiæ subiici; imò & in monasterium detrudi possunt, *iuxta communem.* Vide Couar. *de matrim. 2. part. cap. 7. n. 19.* 4

At verò clericus, qui adulterium commisisse aut confessus aut conuictus fuerit à iudicio Ecclesiastico, deponendus est officio & beneficio, & in monasterium detrudendus, ad perpetuam pœnitentiam agendam, *can. Si quis Clericus dist. 81.* & damnatus de crimine eiusmodi est infamis, Abbas *in dict. cap. at si Clerici §. de adulteriis.* Imò Presbyter infamatus ad solam confessionem mulieris adulteræ, asserentis se ab eodem cognitam fuisse, non quidem condemnandus est adulterij, sed eidem, veluti suspecto de adulterio, iudicanda Canonica est purgatio, cum manu quinta sui ordinis, id est cum quinque vicinis Presbyteris: in qua purgatione si defecerit, ab officio suspendendus est, *c. Significasti 5. hoc tit. c. Quam sit graue 9. inf. de excessib. Prælat.* Potest tamen Episcopus cum Clericis dispensare in adulterio, & aliis criminibus inferioribus, *cap. Cum non ab homine §. at si Clerici in fine sup. de iudiciis.* Si quando verò ob grauitatem delicti imponenda fuerit pœna sanguinis, adiri debet iudex sæcularis, 5

cap. sententiam, cap. Clericus sup. Ne Clerici vel Monachi, &c.

§. II.

De Stupro & pœnis illius.

1 *Stuprum latè, strictè & strictissimè sumi.*
2 *Pœna stupri de iure Civili ac Canonico.* 3.

1 QVemadmodum Adulterium subinde ita latè sumitur, vt omnem coitum, lege prohibitum, contineat; ita & Stuprum, *l. Inter literas 6. ff. Ad L. Iul. de adult.* aliquando verò strictiùs sumitur, & committi dicitur in virginem, vel viduam, integræ vitæ ac honestè viventem, citra vim, *d. l. Inter liberas* §. 1. *l. Stuprum* 34. *ff. eod. & l. Inter stuprum* 101. *ff. de verb. signif.* imò & in masculum, *l. Qui domum* 8. *ff. hoc tit.* Strictissimè verò & propriè capitur, pro virginum illicita defloratione, vt *in can. Lex illa* 38. *q.* 1.

2 Pœna stupri circa vim commissi de iure Civili in personis honestis est publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus coërcitio corporis, cum relegatione, §. *Item lex Iulia de adulteriis Instit. de publ. Iudic.* Alioqui commissum vi, sive verè, sive interpretativè, velut dum stuprator blandis verbis, & dolosis promissionibus sollicitat seducitque & velut compellit virginem, *arg. l.* 3. §. *si quis volentem ff. de lib. homine exhib. & leg.* 1. §. 3. *de servo corrupto*, punitur pœnâ capitali, vt volunt DD. *in d.* §. *Item lex Iulia de adult.* eo quod Iustin. ibi disertè violentum stuprum excipiat, in verbis, *sine vi.* Qui verò nondum viripotentem virginem corruperit, de iure communi non punitur pœnâ mortis; sed vel in metallum damnatur, si humilior fuerit, vel in insulam relegatur, si honestior, aut in exilium mittitur, *leg. Si quis aliquid* 38. §. *qui nondum ff. de pœnis.* Tutor stuprans pupillam deportatur eiusque bona publicantur, *arg. leg. vnica Cod. Si quis eam, cuius tutor, &c.* A fortiori stuprans viduam cognatam, aut aliam, cum qua nequit consistere matrimonium, deportatur, *l. Si quis viduam ff. de quæst.* Seruus, qui cum domina rem habuisse detectus fuerit ex Constitut. Constantini traditur ignibus concremandus, domina capite plectitur, *l.* 1. *Cod. de mulieribus quæ se propriis servis, &c.*

De iure verò Canonico stuprator virginis honestæ tenetur eam dotare & habere vxorem: nisi pater dare nolit, quo casu dotasse sufficit. Si verò ipse renuat habere, corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterium, ad agendam inibi pœnitentiam, detrudendus, *cap.* 2. *hoc tit.* Sin non possit eam ducere, vt quia sit coniugatus aut Ordine sacro insignitus, nihilominus dotabit, quia vtrumque est in obligatione, *arg. l. Celsus* §. 1. *ff. de receptis arbitris.* Clericus verò etiam deponitur, *ex communi sententia*, apud Iul. Clarum §. *Stuprum num.* 3. Insuperque pecuniariâ pœnâ vel corporali, veluti detrusione in carcerem aut monasterium, puniri potest, iuxta arbitrium Iudicis, Abbas *in c. At si Clerici num.* 20. *sup. Iudic. in cap. Vt Clericorum sup. de vita & honest. Cleric.* VVamesl. *cons.* 582. *num.* 5.

3 Quòd si Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Lector, Psalmista, vt Ostiarius, cum muliere, sanctificata Deo, mœchatus fuerit, deponendus est, quia sponsam Christi corrupit: si verò fuerit laicus, excommunicandus est, *can. Si quis Episcopus* 37. *quæst.* 1. Et præterea ex Iustin. Constitut. *Novella* 123. *cap.* 43. res eius monasterio applicantur; aliaque pœnâ hoc scelus coërcetur. De fornicatione cum filia spirituali vide *can. penult. & vlt.* 3. *q.* 1. & latiùs de pœna stupri tam adversus Clericum quàm laicum, in foro tam conscientiæ quàm civili & Pontificio, vide Menoch. *de arbitrariis lib.* 2. *casu* 288. 294. & 420.

Illud hîc subiiciendum, Paulum IV. Constitut. quam refert Pet. Matth. in 7. *Decretal. lib.* 5. *tit.* 15. *cap.* 1. statuisse, vt conciliatores, proxenetæ, lenones ac lenæ, quæ puellam virginem interpellaverint, flagitio quidem perfecto pœnâ capitali; imperfecto verò deportatione perpetuâ in insulam plecterentur; in cæteris autem casibus fustibus publicè cæderentur.

§. III.

De Incestu & pœnis eiusdem.

1 *Incestus quid sit.*
2 *Pœna incestus simplicis & incestarum nuptiarum ex vtroque iure.* 3.

1 QVemadmodum Adulterium gravius est Fornicatione, ita Incestus adulterio, *can. Adulterij malum* 32. *q.* 7. Est autem Incestus consanguineorum vel affinium intra gradus iure prohibitos abusus, seu cum eis concubitus. Et Incestuosi dicuntur, qui consanguineis vel affinibus intra gradus prohibitos abutuntur, seu cum eis concumbunt, *can. Lex illa* 36. *q.* 1.

36.q.1. *can. de incestuosis* 35.q.2. Vnde & nuptiæ inter hos contractæ incestuosæ appellantur, *Novel. de incest. nupt. in princ. l.fin.Cod. eod.tit. can. Nec eam* 35. *q.*2. quasi in his nuptiis minimè adsit cestus, id est cingulum illud, quo Venus ad nuptias honestas vtebatur, Covar. 4. *Decretal. p.*2. *cap.*6. §.8. Virginum verò Deo consecratarum coniunctio non solùm incesta, sed & sacrilega est & dicitur, *can. Si quis sacro* 27. *quæst.*1.

2 Pœna incestus simplicis, id est absque matrimonio, de iure digest. eadem est, quæ adulterij, *leg. Si quis viduam ff. de quæstionib.* non etiam de iure Codicis, nisi cum alia specie fornicationis committatur, puta cum adulterio vel stupro, Iul. Clarus, §. *Incestus*; quia licèt iure Codicis aucta sit pœna adulterij, non tamen pœna incestus.

3 Incestarum verò nuptiarum in honestis quidem personis, facta separatione, vnâ cum infamia, pœna est exilium, & bonorum publicatio, ipso scilicet iure, à die commissi criminis, dummodò non supersint liberi ex alio matrimonio; in vilibus verò additur corporis coërcitio, *Novel.*12. *de incest. nupt. & l.*4.*Cod. eod.* Covar. *d. loco*, A pœna tamen amissionis bonorum, iure noviissimo statutâ, excusat ignorantia iuris aut facti, etiam ex lata culpa contingens, Covar. *d.loco.*

In eum verò, qui Virginem Deo consecratam, iungendi matrimonij causa, vel saltem intentarit, capitalis pœna constituta est, *l.Si quis non dicam Cod. de Episc. & Clericis.* Adde *Novel.* 123. §.*penult.*

4 De iure Canonico Clericus, de incestu accusatus & infamatus, deponendus est, & beneficiis privandus, Iul.Clarus *d. loco.* Eodem iure omnis incestus maculâ pollutus, si quidem scienter, infamis, est; neque sacerdotes neque legitimè coniunctas personas accusare potest, *canon. Consanguineorum* 3. *quæstion.*4. Estque excommunicatus ipso iure, *Clement. vnica, de consanguinit.* à qua tamen excommunicatione per Episcopum absolui potest, *Gloss. ibid.* & se invicem separandi sunt, *dict. Clement. vnica, cap.* 1. *& c. Non debet sup. de consanguinit.* Alteroque morte prævento alter, quamdiu vivit, graviter pœnitere debet absque spe coniugij cum alia, *can. Quædam cum aliquot seqq.*32. *quæst.*7. *can.fin.*35. *q.*8. *& aliis c.*2. *& 8. sup. de eo, qui cognovit consanguin.&c.* Quamquam si contraxit cum alia, subsistat matrimonium, quia tantùm est impedimentum impediens non autem dirimens.

Qui verò, contraxerit ignoranter incestas nuptias, mitiùs, arbitrio Iudicis, puniendus est: sicut & is, qui ab initio bonâ fide contraxit, sed postmodum, detectâ consanguinitate vel affinitate, nihilominus perseveravit, non incidit in pœnas incestus, à legibus & Canonibus, impositas, Glos. *in d. Clement. vnicam ad V. Scienter*, & Clar. *d.* §.*Incestus n.*9. At qui scienter matrem & filiam, aut duas sorores germanas carnaliter cognoverit; sicut & mulier, quæ patri & filio, aut duobus fratribus germanis, sui copiam fecerit, pœna vltimi supplicij plecti iubetur, ex Constitutione Sixti V. Baiard. *in Addit. ad Iul. Clar. d.* §.*Incestus n.*10.

Denique filij nati ex incestuosis complexibus, scienter factis, non censentur legitimi, nec parentibus succedunt, *can. vnico* 38.*q.*7. *leg. Si quis & Auth. Incestus Cod. de incestis nuptiis.*

TITVLVS XVII.

De Raptoribus & incendiariis & violatoribus Ecclesiarum.

§. I.

De Raptoribus virginum.

1 *Raptus in quo à Stupro differat.*
2 *Sponsus rapiens sponsam volentem non est raptor.*

SEQVITVR in Decalogo post homicidium & adulterium de furto, ac proinde de eo quoque hîc agendum esset; verùm quia raptus est medium quoddam inter adulterium & furtum, cùm & rapina dicatur improbum furtum, & raptus nihil sit aliud, quàm abductio violenta virginum ad stuprum: idcirco hoc Tit. Pont. de raptoribus cùm corporum, tum rerum & bonorum, simulque de incendiariis & violatoribus seu raptoribus Ecclesiarum.

Raptus in genere hoc loco est mulieris, virginis seu viduæ, seu Monialis, vel nuptæ aut etiam masculi, libidinis causâ, abductio. Differt à Stupro, quòd Raptus vim includat, sive ea fiat soli raptæ, sive iis, quorum potestati

subest, vt parenti, marito, sponso, curatori, sive vtrisque, *l. vnica Cod. de raptu virg. can. de raptoribus* 36. *quæst.* 1. Vim autem habent etiam persuasoria verba, *l.* 1. *§. persuadere ff. de servo corrupto*: adeóque Solon magis eum punivit, qui verbis pellexisset, mulierem, quàm qui vi abduxisset, teste Plutarcho, *in Solone*. Insuper potest habere locum in corrupta. At verò Stuprum tantùm habet locum in integra & fieri potest absque vllo raptu; sicut & raptus fieri potest citra violationem, quia sufficit eo fine esse raptam.

2 Dixi, libidinis causâ; quia si redigendi in servitutem & dominij vindicandi causâ fiat abductio, dicetur plagium, non raptus.

Dixi, abductio; quia si in loco violetur, non dicetur propriè rapta, sed vim seu stuprum passa: licèt generaliter id etiam raptus vocetur.

Quamvis autem sponsus de præsenti vel futuro rapiens sponsam suam, de illius consensu, sed invitis eius parentibus, non dicatur raptor de iure Canonico, *cap. Cum causa* 6. *hoc tit.* eo quòd sponsus ex desponsatione aliquid iuris in sponsam habeat, (raptusque non dicatur admitti, *in d. c. Cum causa*, vbi antè de nuptiis nihil est actum) tamen dicitur raptor de iure Civili, *leg. vnica Cod. de raptu virginum.*

§. II.

De pœnis raptus.

1 *Pœna raptus est capitalis de iure Civili.*
2 *Eodem iure interdicitur matrimonium inter raptorem & raptam.*
3 *Non verò iure Canonico.*
4 *Alia pœna ex eodem iure.*
5 *Conc. Trid. decretum de hac re.*

1 LEx civilis raptorem puellæ vel mulieris honestæ, sive nuptæ, sive innuptæ, & maximè si Deo fuerint dedicatæ virgines vel viduæ, vltore ferro, id est capitis supplicio persequitur, cum bonorum ademptione, quæ addicuntur raptæ, vel aliis, iuxta ordinem, *d. l. vnica Cod. de raptu virg. Novel.* 143. *de raptis mulierib. & Novel.* 150. *de ea quæ raptori suo nubit.* Adde *can. Si quis rapuerit* 37. *q.* 1. Deprehensi verò in ipso raptu & flagranti adhuc crimine tam raptores quàm qui eis auxilium præstiterint, possunt à parentibus vel aliis coniunctis personis, item à tutoribus vel curatoribus raptæ impunè occidi.

Insuper iure Civili interdicitur matrimonium inter raptorem & raptam, *d. l. vnica*: sicut & olim iure Pontificio *can. Placuit can. de puell.* 36. *q.* 2. Quod tamen posteriori iure Decretalium mutatum est, *c. vlt. h. t.* vt patebit ex iam dicendis. Cæterùm raptui mulieris in honestè viventis seu meretricis nulla iure Civili statuta est pœna, sed relicta est arbitraria & extraordinaria, Vide Menoch. *de arbitr. casu* 191. Iul. Clarum §. Raptus *num.* 6. Covar. *lib.* 3. *Var. resol. c.* 13. *n.* 2. 2

Iure igitur Canonico, hodie raptor raptam habere vxorem non prohibetur, *d. c. vlt. h. t.* dummodò rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, extra potestatem raptoris, liberè deinde consentiat in matrimonium, Alioquin quamdiu in potestate manet raptoris, nullum inter eos potest consistere matrimonium, Conc. Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de reform. matrim.* 3

Præterea raptorem alienæ sponsæ Canones publicâ pœnitentiâ mulctant, iubentque manere sine spe coniugij, *can. Raptor* 33. *& can. seq.* 37. *q.* 2. sicque impedimentum matrimonij est non dirimens, sed impediens: quod tamen in quibusdam locis non est in vsu, Navarr. *in Manuali c.* 22. *n.* 74.

Quin etiam ob immanitatem facinoris & violentiæ, si ea intervenerit, raptor multari morte vel membro aliquo mutilari potest: quamvis Iudex Ecclesiasticus hanc pœnam infligere non valeat, sed eam regiæ potestati reservare debeat. Vel mortis aut mutilationis impunitate concessâ raptor fit seruus raptæ, cum potestate tamen seipsum redimendi, soluendo libertatis pretium, competens aut mulieri aut patri eius *can. de raptoribus* 36. *q.* 1. 4

Insuper tamen raptor, quàm eius fautores incidunt in excommunicationem, *can. Raptores & aliis* 36. *q.* 2. sententiæ non quidem latæ, sed ferendæ, *can.* 1. *& seq. ibid.* Conc. verò Trid. *d. loco* statuit, vt etiam secuto matrimonio inter raptorem & raptam, nihilominus & raptor ipse, omnesque illi consilium auxilium, & favorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint de proprio gradu decidant; teneaturque præterea raptor mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non, decenter arbitrio iudicis dotare. 5

§. III.

De raptoribus rerum, atque incendiariis.

1 *Rapina quid sit, eiusque pœna de iure Ciuili.*
2 *Ratione rapinæ, quis sortitur forum in loco delicti.*
3 *Pœna violantis ac spoliantis Ecclesiam est excommunicatio.*
4 *Constituit Pontif. aduersus occupatores & detentores bonorum Eccles.*
5 *Item aduersus depradatores naufragorum.*

DIffert rapina à furto eodem ferè modo, quo stuprum à raptu, quia rapina & raptus est contrectatio & abductio violenta, furtum verò plerumque occultè fit, vt & stuprum defloratio est virginum plerumque fraudulenta.

1 Rapina igitur, provt à furto specialiter dicto distinguitur, est violenta & manifesta rei alienæ invito domino contrectatio, *l. Si vendidero ff. de furtis.* Per hoc enim, quòd dicitur, violenta & manifesta excluditur furtum: propriáque inde actio nascitur vi bonorum raptorum. Pœna rapinæ de iure Ciuili, rei etiam minimæ, intra annum vtilem, est quadrupli, *Institut. de vi bon. raptorum*, §. 1. Non tamen totum quadruplum est pœnâ, veluti in furto manifesto, sed in quadruplo inest rei persecutio; & pœna tantùm est triplici, sive manifestus sit, sive non manifestus, id est sive deprehendatur raptor in ipso delicto, sive non. Nec tamen peioris conditionis est fur, quàm sit raptor, quia licèt quoad hanc pœnam pecuniariam gravius puniatur fur manifestus, quam raptor; tamen quoad alia & in genere multò gravius punitur raptor, quippe qui de vi etiam publica vel privata teneatur, quæ de re videri possunt, quæ latiùs tradunt Interp. *ad ff. & Inst. hoc tit.* quò lectorem remitto.

2 Illis verò ex hoc Tit. addere ista operæ pretium est raptores rerum, qui scilicet de loco ad locum iter faciunt, viásque obsident, vt rapinas & deprædationes agant, ratione delicti sortiri forum eius loci, quo deliquerint; ideóque à quolibet iudice, in cuius territorio deprehensi fuerint, puniri posse, *c. 1. hoc tit.* Pœnam tamen sanguinis infligere non potest Iudex Ecclesiasticus, licet de raptu, & aliis criminibus, ex delegatione Principis cognoscere & iudicare possit, *c. 4. hoc tit.*

3 Quòd si quis raptor fuerit manifestus, vel violator Ecclesiæ, veluti si corruperit vel polluerit Ecclesiam, vel prædia eius inuaserit, si eidem vim intulerit, ostia fregerit, vel priuilegia infregerit, aut aliis modis, *de quibus 17. quæst. 4. per tot.* eam violaverit, ipso iure subiacet excommunicationi, negato etiam pœnitentiæ ac sepulturæ beneficio, nisi priùs ablata restituerit vel caverit de restituendo. Si verò renuat cavere, dum potest morienséque non possit, cùm vult, negari quidem viaticum vitæ & sepultura non debet, verùm sepulturæ eius nulli Clerici interesse, citra ordinis sui damnum & beneficij Ecclesiastici privationem, *c. 2. h. t.* Vide Covar. *lib. 3. Var. resolut. cap. 3. n. 9.* vbi tradit, quando & qualiter prædicta cautio præstanda sit.

Referri huc possunt variorum Pontificum 4
Constitutiones, nempe Clementis VI. Leonis X. Pauli IV. Pij V. aduersus invasores & occupatores bonorum Ecclesiæ, quas recitat Pet. Matth. *in 7. Decretal. lib. 2. tit. 2.* è quibus Leo X. specialiter insurgit in Principes, occupantes bona Ecclesiastica, & eorum libertati detrahentes: cuius decretum confirmasse Hadrianum VI. Clementem VII. Iul. III. & Pium IV. testatur P. Matth. *dict. loco.* Rectè proinde mandat Concil. Mechlinien. 1607. *titul. 22. cap. 12.* vt decretum Concil. Trident. *Sess. 22. cap. 11.* aduersus occupatores bonorum Ecclesiasticorum, seu ad quæcumque alia pia loco spectantium, subinde populo per concionatores inculcetur.

Specialiter verò de spoliatoribus fidelium 5
negotiantium, navigantium & naufragorum statutum fuit in Conc. Lateran. sub Alexand III. L. tales excommunicandos, esse, *c. 3. h. t.* quæ excommunicatio hodie reservata est summo Pont. per Bullam Cœnæ Domini. Extántque ea de re Constitutiones Iulij III. & Pauli III. apud P. Matth. *lib. 2. tit. 14.* Pij V. Gregorij XIII. apud Zerolam 1. *p. V. Naufragium.* Plane Iulius III. eandem excommunicationem huiusmodi raptoribus infligit, & bonâ fide consilium auxiliúmque naufragis impertientes indulgentiis donat. Dictam autem excommunicationem evitant, inquit Zerola *dict. loco*; primò qui bona naufragorum suscipiunt, animo restituendi ea suo domino, nisi fuerint in mora, secundò, quando ignorant bona esse naufragorum; tertiò, quando dominus ea eiecit animo non recuperandi, vel pro derelictis habuit; quod non præsumitur, cùm nemo præsumatur iactare suum adeóque lex de confiscatione bonorum naufragantium esset tyrannica, inquit Zerola *dict. loco.* Quod enim ius habet

fiscus; inquit Constantin. Imp. *l.1.C. de naufragijs lib.11.* in aliena calamitate, vt in re tam luctuosa compendium sectetur.

Quantum ad incendiarios attinet; ij sunt vel Ecclesiarum seu rerum Ecclesiasticarum, qui scilicet dolo malo in Ecclesiam vel alia pia loca ignem iniecerunt, & tales vltra damni restitutionem excommunicati sunt ipso facto, vel rerum profanarum, & excommunicandi sunt: factaque publicatione seu denuntiatione ab Ecclesia non ab alio solui possunt, quam à summo Pontifice, *cap. tua nos 19 inf. de sent. excommunicat.* nisi in mortis articulo, quo casu quilibet sacerdos eos absoluere potest, & absoluti sepeliri in cœmeterio seu loco sacro. Compelluntur tamen hæredes ad satisfaciendum, quatenus facultates defuncti fuerunt illis, qui per incendium damnum passi sunt, vt saluti animæ consulatur, cùm non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. in litteris 5. h. tit.* Quod aliter se habet de iure Ciuili, quo delicta cum persona defuncti extinguntur. *l. defuncto ff. de publ. iudiciis, l. sancimus C. de pœnis.* Vbi Couar. *lib. 3. Var. resol. cap. 3. num. 7. vers. Tertio inquirendum.* Eodem iure incendiarij, qui ob inimicitias vel prædæ causa intra opidum ignem in domum aliquam vel alium locum intulerint, capite puniuntur, & plerumque vi exuruntur, *l. capitalium 28. §. incendiarij 12. ff. de pœnis.* Quæ pœna hodie apud nos recepta est, teste Damhoud. *in Praxi Crimin. c. 95.*

TITVLVS XVIII.

De Furtis.

§. I.

Furti definitio enucleata.

1 *Furtum vnde dicatur, & quid Furti nomine veniat.*
2 *Furtum & rapinam specie distingui.*
3 *Furti definitio.*

VM viderimus de raptoribus seu raptu, qui est species furti; *instit. de vi bon. rapt. in princ.* sequitur vt agamus de furtis in genere, eóque magis, quòd, vt antè diximus, ordine Decalogi furtum subiungatur homicidio & adulterio.

Vbi præmittendum primò, furtum dici vel à Furuo, id est nigro, eò quòd clam & obscurè fiat, & plerumque noctè, vel à Fraude, vel à ferendo, vel à Græco sermone, qui φῶρας fures appellant, similiter à ferendo, *l.1. ff. hoc tit. Alciat. 1. disp. cap. 19* Secundò, quamlibet illicitam rei alienæ acceptionem siue occupationem generaliter vocari Furtum & Rapinam, *can. Si quid 14 q. 5.* vbi dicitur, *Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Sic *Exod. 20.* in Decalogo, dum prohibetur furtum, omnis iniqua rei alienæ vsurpatio, siue sit Furtum, siue rapina, siue vsura, siue alia, nomine Furti intelligenda est. 1

Aliàs Furtum & rapina distinguuntur, tanquam duæ distinctæ species, vt patet ex Iustiniano *instit. de obligat. quæ quaſi ex delicto naſcuntur in princ.* vbi hæc quatuor Furtum, Rapinam, Damnum, Iniuriam, separatim enumerat, satis indicans illa natura & specie distingui: & ex iurisconſ. *in l. 2. §. ſi in re ff. de vi bon. rapt.* vbi ait non minimam esse differentiam inter eum, qui clam facit, & eum, qui vi rapit: idémque probatur ex Philosopho *lib. 5. Ethic. c. 2. circa finem:* & denique hac ratione, quia furtum ex sua ratione dicit acceptionem rei alienæ, clam factam, & ignorante domino; rapina verò eodem conscio, ac vim patiente; atque ita rapina includit in sua ratione violentiam, quam furtum excludit. Vide Couar. *ad cap. Peccatum part. 2. §. 1. num. 1. & 2. de R. I. in 6.* 2

Furtum itaque prout à rapina distinguitur, est rei alienæ fraudulosa contrectatio, lucri faciendi gratia; vel ipsius rei, vel etiam vsus, possessionisue, *l. 1. in fine ff. hoc tit.*

Dicitur, rei alienæ; quia propriæ rei, quatenus propria est, contrectatione, non fit furtum. Dico, quatenus propria est; quia quatenus alteri est communis, commodata, vel oppignorata, potest fieri furtum, eo quòd tunc auferatur & interuertatur illi sua pars, vel vsus, vel securitas, quam in ea re habebat. Ideóque si quis re commodata, deposita vel oppignorata vtatur, quàm acceperit, furtum facit, dummodò adsit animus fraudandi dominum, qui magis inspicitur, quàm res, *can. fin. 14. quæſt. 6.*

Dicitur, fraudulosa; quia simplex contrectatio non est furtum, nec furem, facit, nisi ei fraus sit admixta. Duo autem vel tria includit hæc particula, fraudulosa. Primò, vt contrectans rem sciat esse alienam: nam si putet probabiliter esse suam, aut se habere ius illam contrectandi, non committit furtum, quia est extra dolum & fraudem, sine qua furtum non committitur, 3

mittitur, *l. Quia iniuria 53.ff. hoc tit.l. Furtum 37.ff. de vsucap.* Secundò, vt contrectatio fiat inscio & inuito domino: nam qui contrectat rem, domino volente & consentiente, aut putans probabiliter dominum consentire, sive verè sive falsò id putet, furtum non facit, *l.de eo 63.ff.de donat. inter vir.& vxorem,leg. Inter omnes 46.§. recte 7.ff.hoc tit.* volenti enim & consentienti non fit iniuria: nec quis fraudare eum dicitur, qui scit & consentit, *l. Quod autem 6. §.praterea ff.Qua in fraudem credit.&c.* In dubio autem intelligitur quis inuito & vetante sive non consentiente domino contrectare rem, quando dominus ignorat, *l.Qui vas 48.§.quod si dominus ff.h.t.*

Per hanc itaque particulam à definitione furti excluditur rapina: nam licèt hæc fiat etiam lucri faciendi gratia, &c. tamen non fit occultè & fraudulenter, sicut furtum, sed aperta inuasione, per vim & arma, *vt patet ex Tit. ff.de vi bon.rapt.& ad L.Iul.de vi priuat.* Satisque colligitur ex dictis, non necessariò adiici definitioni clausulam, *inuito domino*, quia hæc includitur in dictione, *fraudulosa.*

Dicitur, contrectatio; quod est genus definiti: nam omne furtum est contrectatio, non è contra, vt patet ex dictis. Nec sufficit animus seu conatus contrectandi ad furem constituendum, *l.1. §. inde sola cogitatio, l.Vulgaris §. qui furti ff. hoc tit.l.3.§. rerum ff.de acquir. vel amittit.possess.* Ideóque si quis intrauerit alienam domum furandi animo, & nihil adhuc contrectauerit, non tenebitur actione furti, *dict. §.qui furti*; sed iniuriarum aut de vi, si per vim intrauerit, arbitrio iudicis puniendus; *l.saccularij 7.ff. de extraord. criminib.* Sed nec verbo nec scriptura quis furtum facit, quia sic non contrectat rem, *l.Si qui vxori 53. §. neque verbo 19 ff.hoc tit.* veluti si quis furandi animo neget depositum, neque enim furtum est ipsa infitiatio, licet prope furtum sit, *l. inficiando 67.ff. eod.*

Contrectare autem non tantùm est loco mouere & auferre, sed attingere seu attrectare, modò fiat defraudandi dominum causâ. Vnde rei immobilis, veluti fundi, locive fraudulosa occupatio non est propriè furtum, *l.Quam rem 38.ff.de vsucap.l.Verum 25.ff.hoc tit.* licet veteres quidam, Masurium & Sabinum secuti, aliter existimarint, §.7. *instit.de vsucap.* Gellius *lib. 11. cap.18.* Ratio est, quia hæ rès contrectari, auferri vel occultari, fraudandi dominum causâ, non possunt, *dict.l.25.* Nam contrectari est quasi manu tractari, quod non nisi de re mobili dici potest. Et hinc etiamsi quis maioris ponderis quid aperuerit vel refregerit, quòd totum tollere non possit, non est fur totius, sed earum partium tantùm, quas tulit, *l.Vulgaru 21.§.item si maioris 8.ff.eod.* Hinc insuper rei incorporalis non fit furtum: veluti, si quis fraudulosè impediat, ne vicinus sua virtute vtatur, quia res incorporalis nec tangi nec contrectari potest, sicut nec tradi, *l. Seruus 43. §. incorporalia ff. de acquir.rer.dominio.* Ideóque licèt quis, interuertendæ possessionis gratia, quæ incorporalis est, rem alterius contrectans, furtum facere videatur facit tamen in re corporali, ac mobili, & sic per consequentiam dumraxat, quatenus sublata re corporali interuertitur ius corporale, quod alter in ea habet.

Dictum fuit, lucrandi causa, quia qui ancillam alterius cedat vel abducit libidinis causa, non dicitur facere furtum, *l.Verum 39 ff.eod.* nec enim factum quæritur, inquit Vlpian. sed causa faciendi: causa autem faciendi libido fuit, non furtum. Excusatur proinde à furto etiam is, qui occultè capit rem alienam, extrema vrgente necessitate, *cap.3.hoc tit.* nam tali casu, quis rem alienam accipiendo, videtur accipere quasi propriam vel saltem communem, quia ius positiuum cedit naturali, quo omnia sunt communia. Alioquin non multùm vrgens necessitas non excusat; eóque casu capiens rem pœnitere debet & puniri mitiùs, *dict.c.3.& ibid.Gl.ff.* Vide Couar. *in cap.Peccatum part. 2.§.1.n.3.* Similiter non est dicendus fur, qui compensandi causa, dum aliter suum recuperare nequit, rem alienam capit.

Additum fuit, vel ipsius rei, etiam minimæ, *dict. l. Quam rem in fine*, vt scilicet illam totum sibi habeat.

Additum quoque fuit, vel vsus eius; etenim, qui re commodata, deposita aut oppignorata alteri, aliter vtitur, quàm acceperit, furtum facit, §. *furtum autem fit instit.eod.*

Non solùm autem furtum committit is, qui rem alienam surripit, sed & qui spe lucri furem recipit & celat, *cap.4.hoc tit.l. Qui vas 48. §.3. ff.eod.* Gomes. *lib.3.Var.resol. cap.5.num.15.* Tenetúrque quilibet furti conscius iudici ex officio in furem inquirenti, vel etiam ad instantiam partis læsæ, secundum Canones, indicare furem, *dict.cap.4.* Gutierrez *lib.1.can.quæst.cap.11.* Estque recepta vsu praxis monitionum seu mandatorum ad finem reuelationis, vt aiunt, idque in subsidium, & quando veritas aliter haberi non potest, Concil. Trid. *Sess.25.cap.3. de reform.* Gutierrez *d. loc.* Maranta *de iurisdict. part.3.cap.4.num.49.seqq.* Piasec. *part.2.cap.4.art. 13.n.14.*

§. II.

§. II.

De furti generibus & pœnis.

1 *Furtum aliud manifestum, aliud non manifestum.*
2 *Item aliud diurnum, aliud nocturnum, &c.*
3 *Pœna furti de iure Ciuili & Canonico.* 4.

1 FVrtorum duo sunt genera, manifestum & non manifestum. Manifestum est, quando fur deprehenditur cum re furtiua, antequam eò loci pertulerit, quò destinarat eo die, quo furtum fecit, manere cum re furtiua, *l.* 4 *ff. h. t.* siue deprehendatur in ipso actu furandi, siue in loco, in quo furtum fit, siue in alio, modò deprehendatur priusquam ad locum destinatum peruenerit. Furtum nec manifestum est, quod non est manifestum: nam furtum nec manifestum in legibus 12. Tabb. idem est, quod non manifestum.

Vtrumque hoc genus ex adiunctis, aliisque circunstantiis, variè diuiditur: nam aliud dicitur Conceptum; aliud oblatum, de quibus §. 4. *Institut. eod.*

Ex tempore, aliud dicitur diurnum, aliud verò nocturnum.

2 Ex persona furis aliud dicitur Domesticum, quod scilicet patrifamilias ab aliquo de familia, v.g. ab vxore, quod peculiariter rei amotæ nomine appellatur; vel à seruis aut liberis vel ministris, aliud dicitur non domesticum, cuiusmodi sunt reliqua.

Ex loco, aliud fit in tumultu, v.g. incendij, ruinæ, naufragij, &c. & hoc grauius est cæteris, quia tum maior occasio est furandi, cùm quis res suas minùs valet custodire, *l.* 18. *C. eod.* aliud fit in balneo, vnde balnearij fures, qui furantur vestimenta eorum, qui sunt in balneo aut se lauant; quod ex eadem causa grauius est.

Aliud denique est arborum furtim cæsarum: aliud gregis, quod Abigeatus dicitur: aliud simplex, aliud improbum aliud improbius. Quorum distinctiones seruiunt ad exagerandam vel lauandam pœnam.

3 Pœna autem furti manifesti de iure Ciuili, extra seu præter rei furtiuæ persecutionem, est quadrupli, nec manifesti verò dupli. Persequimur autem rem aut conditione furtiua, aut rei vindicatione, aut actionem ad exhibendum. Inter quas & furti actionem quid interfit, vide interpp. *ad instit. hoc tit.* sicut & aduersus quos habeat locum vtraque pœna & actio furti. Sed & criminaliter ob vindictam publicam de furto agi potest: & quidem iure Ciuili extra ordinem ad pœnam arbitrariam, *l. fi. ff. eod. l. fin. ff. de priuatu delictu.* Hodie verò ex Freder. Imp. Constitut. *in §. si quis quinque solidos de pace tenenda, in vsib. Feudor.* qui rem quinque solidis valentem, aut plus, fuerit furatus, laqueo suspendi iubetur; sin minùs scopis & forcipe excoriari ac tundi. Quod & vsus passim fere recepit. Vide Vvesemb. *ff. ad h. t. circa finem.* & Couar. *Var. resol. lib. 2. c. 3.*

At verò iure Canonico clericus, in furto 4
grauiori captus, & de eo conuictus, siue per sententiam, siue per confessionem, siue per euidentiam rei, deponitur, *can. Presbyter distinct.* 81. *iuncta Glos. ibid. in V. captum*; verbaliter scilicet, vt notat Ioan. And. *in cap. Tua inf. de pœnu*, Abbas *in cap. At si clerici sup. de iudiciis*: & in monasterium detruditur, *dict. cap. tua*, Hostien. *in Summa hoc. tit. §. fin.* Insuper efficitur infamis, sicut laicus, condemnatus in foro seculari: nam quicumque sit infamis secundum leges, etiam sit infamis secundum Canones, *arg. can. infames 6. quæst.* 1. Dixi, in furto grauiori; quia pœna ista non est imponenda, quando est furtum parui momenti.

TITVLVS XIX.

De Vsuris.

§. I.

Vsura quid sit, & quot modis accipiatur.

1 *Vsura quid sit.*
2 *Quot modis accipiatur: & definitio eius enucleata.* 3.
4 *Antichresis iure Ciuili eius licita, & Canonico prohibita.*

VSVRA proxima est vsura, nam & species est rapinæ *can. Si quis vsuram* 14. *quæst.* 2. imò non minùs crudelis est, qui trucidat pauperem fœnore, quàm qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti. *can. Quid dicam* 14. *quæst.* 4. & ex eodem fonte manat, quo furtum, nempe ex auaritia teneturque vsurarius non minùs,

minùs, quàm fuit, de restitutione, *c. Cum tu 5. cap. Tua nos 9. c. Consuluit 10. & aliis hoc t.* adeò vt quamvis debitor iuraret creditori se vsuras solutas non repetiturum, ad earum tamen restitutionem per Iudicem Ecclesiasticum compelli debeat, *c. Quia frustra 14. hoc tit.*

Vsura, si propriam notionem spectes, idem valet, quod vsus vnde & Latinè dicimus, quem habere vel alicui eripi vsuram huius lucis, & Cicero alibi, natura, inquit, dedit vsuram vitæ, sicut pecuniæ, Inde transfertur ad significandum incrementum, quod tanquam fructus provenit ex vsu cuiusque rei. Ita Cicero de Senect. *Terra nunquam sine vsura reddit, quod recipit.* Hinc factum est vt lucrum, quod ex vsura seu vsu pecuniæ provenit, tam sacri Canones quàm leges (vsuram) appellent: hoc tamen discrimine, quòd leges civiles vsuram magis in pecunia numerata constituant, aliàs autem res, quæ iure accessionis veniunt, invicem vsuram accipi velint, *l. Si is qui §. 1. ff. de pignor. l. Si pactione 4. leg. Si ea lege 17. Cod. hoc tit.* ius verò Canonicum in quavis accessione lucri supra sortem principale, vt patet *ex can. Consuluit 14. q. 3. per tot.* sive expressè sive tacitè hoc lucrum conceptum sit. Idem lucrum etiam vocatur Fœnus, *l. Improbum fœnus C. Ex quibus causis infamia, &c. & toto tit. ff & C. de nautico fœnore*; à fœtu scilicet seu fœtura quadam pecuniæ parientis atque increscentis, vt ait Varro apud Gell. *lib. 6. c. 11.* & Græcè eadem ratione Τόκος appellatur, quasi sit quidam partus, seu fructus pecuniarum, vt auctor est Ar. *1. publ. c.* Et hinc Fœnerare & Fœnerari, *can. 1. 14. q. 3. leg. Qui sive ff. de negot. gestis & similib.* quæ tamen non semper capiuntur in malam partem, vt Deuter. 19. *Fœnerabis gentibus multis, & à nullo fœnus accipies*, id est mutuabis Ecclesiast. 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.*

1 Tripliciter autem nomen Vsuræ hoc Tit. capitur; Primò, pro voluntate ineundi contractum vsurarium seu percipiendi lucrum ex mutuo vltra sortem; sicque nihil est aliud, quam voluntas capiendi lucrum supra sortem ex vi mutui. Nam & solâ voluntate seu intentione vsuram committi patet ex *cap. Consuluit 10. hoc tit.* & illis Christi verbis, Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*; sive scilicet principaliter, sive minùs principaliter, tanquam pretium mutui, seu tanquam debitum ex obligatione iustitiæ propter mutuum seu ex mutuo nata: quia per mutuum nulla ad tale lucrum nascitur obligatio, & ideò iniquum est illud sperare, tanquam ex obligatione iustitiæ per mutuum inductæ. Secundò sumitur pro ipsa conventione seu contractu vsurario, quo lucrum vltra sortem ratione mutui paciscimur aut saltem speramus, *c. 3. & 4. hoc tit.* Hinc dicimus vsurarium contractum, vsurarium negotium, *dict. leg. Qui sive in fine & leg. Si pupilli in fine ff. de negot. gestis*; sicque nihil est aliud quam mutuatio expressa vel implicita cum pacto reddendi aliquid vltra sortem ratione mutui. Tertiò pro ipso lucro vsurario. Hoc pacto dicuntur vsuræ solui vel restitui, *c. Cum tu 5. c. Præterea 7. h. t.*

Et hoc modo accepta Vsura definiri potest lucrum immediatè proveniens ex mutuo. Nomine lucri intelligitur acquisitio alicuius rei suprà sortem pecuniâ æstimabilis, vel aliàs indebitæ. Ideóque si alicui mutues, vt tibi desinat iniquè nocere, vel debitum antiquum soluat, aut reddat depositum, non erit vsura, quia nihil acquiris nisi alio titulo tibi debitum *c. 1. in fine hoc tit.* Similiter non est vsura, si mutues alicui, vt amicitiam vel favorem eius consequaris, licèt inde aliquid emolumenti vel beneficij speres, quia amicitia non æstimatur pecuniâ. Contrà verò, si mutuum dederis, eóque nomine pignus accipias, eo pacto adiecto, quod interea, dum mutuum non erit exsolutum, fructus ex pignore percipias vltra sortem tanquam lucrum vsuram committis, *d. c. 1. & 2. hoc tit.* quam vt evites debet eos in sortem imputare, id est quantum fructuum percèperis, tantum de sorte diminuere, *c. Conquestus hoc tit.*

Et in hoc differt ius Pontificium à Civili 2 nam iure Civili fructus pignoris paciscì, donec mutuum exsolutum fuerit, licet, & vocatur hæc vsura antichresis, id est reciprocus vsus, nempe quasi tu debitor vtaris meâ pecuniâ, & ego interea re tuâ, *leg. Si pecuniam 32. ff. de pign. actione, l. Si ea 17. Cod. h. t.* Idque ea ratione, quia incertus sit fructuum proventus ex re oppignorata, & fieri possit, vt non tantum commodi ex fructibus pignoris percipias, quantum lucratus fuisses pecuniâ mutuatâ, si ea interea in aliqua negotiatione vsus fuisses.

Additum fuit in definitione, *immediatè*; 3 quia totum lucrum provenire debet immediatè ex vi mutuationis: nam si immediatè proveniat ex amicitia, vel gratitudine, vel spe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, vel ratione periculi, cui mutuum exponitur, vel ratione laborum & impensarum, quæ probabiliter timentur in mutuum recuperando, vel denique ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, non erit vsura. Et hinc

fit, quòd, licet pactio inter debitorem & creditorem, vt tam diu creditor lucretur fructus pignoris, quamdiu mutuum non redditur, sit vsura, *cap. 1. 2. & cap. Conquestus 8. hoc tit.* nihilominus tamen directus dominus fructus feudi vel rei emphyteuticæ, sibi à vassallo vel emphyteuta pro debito oppignoratæ, legitimè percipiat, nec in sortem imputare teneatur, *cap. 1 sup. de feudis.* Ratio est, quia contractus feudalis & emphyteuticus inter alias tacitas conditiones, cum quibus semper censetur celebrari, nisi contrarium exprimatur, habet & hanc, vt si feudum vel fundus emphyteuticus oppignoretur directo domino, possit ipse percipere fructus, idque ne res apud directum dominum existens fructificet alteri; quod non videtur rationi consonum. Similiter gener fructus possessionum seu agrorum, pro dote promissa obligaturum, rectè percipit, nec in sortem aut dotem imputare tenetur, *cap. Salubriter 16. hoc tit.* Ratio est, quia non fuit mens soceri, vt ratione horum fructuum dos minueretur, sed vt gener frueretur illis ad sustinenda onera matrimonij, donec illis dos repræsentaretur; atque ita ex alia causa, quàm ex vi mutui eos percipit. Alioqui si constaret rem esse oppignoratam in securitatem dumtaxat dotis, nulla subesset ratio fructus illos retinendi, nisi ratione lucri cessantis.

Vt autem censeatur ex vi mutui prouenire lucrum vsurarium, requiritur, vt mutuator intenderit mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare obligatione iustitiæ, qualis per pactum induci solet, vel certè, vt mutuatarius putet hanc fuisse mentem mutuantis, Less. 2. *de iust. cap. 29. dubit. 2.*

Dictum quoque fuit, ex mutuo proueniens; quia in eo propriè locum habet vsura, *can. 1. cum seq. 14. quæst. 3.* & patet ex citatis Christi verbis. Ratio est, quia in mutuo transfertur rei mutuatæ dominium in accipientem: ideo enim iniquum est pro vsu rei, iam alterius factæ, aliquid exigere aut sperare. In aliis verò contractibus non habet vsura locum, nisi quatenus in iis mutuum implicitum (quod ad vsuram sufficit, *c. consuluit 10. hoc tit.*) continetur, ratione cuius proinde plures alij contractus vsurarij fiunt. Sic enim venditio rei pluris iusto pretio ob dilationem solutionis, & emptio minoris iusto pretio propter anticipatam solutionem est vsuraria, *cap. In ciuitate 6. dict. cap. Consuluit & c. fin. hoc tit.* quia venditor concedens dilationem, implicite emptori mutuat pretium vsque ad tempus solutionis; & dum emptor anticipat solutionem, implicitè mutuat vsque ad tempus traditionis. Et hoc mutuum Interpretes vocant obliquum seu breui manu contractum. Magis autem spectandum est, quod agitur, quàm quod simulatè concipitur, *l. insulam ff. de præscriptis verbis, toto tit. C. Plus valere, quod agitur, &c.* Similiter vsuraria est venditio, quando eidem apponitur pactum de recipienda re post certum tempus, modico constituto pretio, *cap. Ad nostram 5. sup. de empt. & vendit.* vel quando quis emit rem aliquam, pacto, vt post tempus restituat eam venditori recipiendo aliquid vltra sortem, fructibus, quos percœpit, in ea computatis *cap. Illo 4. sup. de Pignorib.* Aliud dicendum de venditione rei pluris iusto pretio ob dilatam solutionem, si verisimiliter dubitetur, an res, quæ venditur, plus minusve solutionis tempore sit valitura, nec venditor ante tempus illud venditurus: nam his duabus conditionibus concurrentibus licitia est venditio, nec vsuram continet, *dict. cap. In ciuitate.* Idque propter dubium euentum maioris vel minoris pretij tempore solutionis, quia vtrimque emptori & venditori emolumento vel damno esse potest, *cap. fin. hoc tit.* Facit *l. Si ea C. eod.* & quod de iactu retis & fructibus futuris emendis respondit Pompon. *in l. nec emptio 8. ff. de contrahenda emptione.*

§. II.

Quibus modis diuidatur Vsura.

1 *Vsura alia est Mentalis, alia Realis.*
2 *Realis vel Formalis vel Virtualis.*
3 *Item alia est Lucratoria, alia Punitoria, alia Compensatoria.*
4 *Rursus alia Centesima, alia Triennalis, bessalis, &c.*

PRimò dividi potest in Mentalem & Realem. Mentalis est, quando quis mutuat eo animo & intentione, vt lucrum ex mutuo accipiat, citra conuentionem, expressam vel tacitam, cum mutuatario, de tali lucro percipiendo. Realis est, quando quis mutuat cum pacto expresso vel tacito de lucro ex mutuo percipiendo. 1

Vnde subdividi potest in Expressam & Tacitam. Expressa est, quando pactum interuenit expressum de lucro ex mutuo percipiendo. Tacita, quando solùm tacitum adest pactum; veluti, si Titius solitus sit mutuare cum

cum vsuris, & mutuans Caio, dicat eidem, Scis consuetudinem meam in mutuando.

2 Secundò dividi potest Realis Vsura in Formalem & Virtualem. Formalis, in qua interuenit formaliter mutuum, cum lucro ex eo: veluti, si mutues Caio centum vt elapso anno centum & quinque recipias. Virtualis est, in qua mutuum interuenit tantùm virtute & implicitè, provt intervenire diximus in venditione rei pluris iusto pretio ob dilatam solutionem, & in emptione minoris iusto pretio ob anticipatam solutionem.

3 Præterea dividi solet Vsura in genere à iurisconsultis in Lucratoriam, Punitoriam, & Compensatoriam. Lucratoria dicitur, quæ merum lucrum continet, de qua hic agimus. Punitoria, quæ continet pœnam aliquam soluendam per mutuatarium, propter eius in mutuo reddendo moram, Compensatoria, quæ exigitur pro mutuo ratione iusti interesse, damni scilicet emergentis vel lucri cessantis, vel ratione periculi, laboris, aut expensarum, quæ probabiliter timentur in recuperando mutuo.

4 Denique dividi possunt Vsuræ pro diversa earum taxatione & moderatione. Hinc aliæ dicuntur Centesimæ, quæ assis locum obtinent, ita vt reliquæ ad centesimam vsuram rediguntur, & in partes assis distinguantur. Appellatur autem centesima, non quòd centesimo mense æquet sortem, vt nonnullis tradiderunt, sed quòd vsura sive quãtitas menstrua sit centesima pars sortis, *l. Eos C. de nau. fœnore*, *l. 4. ff. eod. tit. fin. ff. de iure dotium*, hoc est, centesima vsura est, quando in centum quolibet anno soluuntur duodecim, ita vt singulis mensibus pro centum denariis singuli pendantur denarij: nam veteres stipulabantur vsuras in singulos menses.

Duodecima autem pars, quæ quolibet mense soluebatur, est illa, quam Corn. Tacit. *6. Annal.* & Liuius *lib. 7.* vocat vnciariam vsuram, quia est pars duodecima centesimæ seu vncia ipsius assis; diximus enim centesimam vsuram esse assem vsurarum. Aliæ dicuntur Trientes & sunt tertia pars centesimæ, quæ scilicet pro centum quotannis quatuor reddunt, *l. 7. §. qui autem de administrat. tutorum*, *l. 3. in fine ff. ad L. Falcidiam.* Aliæ Bessales, quæ sunt duæ trientales centesimæ partes, quando pro centum penduntur octo annua, *dict. l. Eos*, Aliæ Semisses, quæ sunt dimidia pars centesimæ, & quolibet anno sex pro centum reddunt, *dict. l. Eos l. Alumna 30. ff. de admon. legatis.* Sunt item aliæ Quincunces, quæ quintam centesimæ reddunt, nempe quinque pro centum quolibet anno, *l. Cum quidam 17. in princ. ff. de vsuris.* Aliæ Quadrantes, cũ tres quotannis soluuntur, *l. lib. 2. §. 4. de annuis & menstruis legat.* Aliæ Septunces, cum septem; aliæ Dodrantes, cùm nouem; aliæ Dextunces, cùm decem præstantur: ita tamen, vt quatenus in specie sua excedunt, reuocentur ad modum à Iustiniano præscriptum *in d. l. Eos.*

§. III.

Quo iure vsuræ sint prohibitæ.

1 *Prohibita sunt iure divino, naturali & Canonico. 2. 3.*
4 *Iure Ciuili quatenus permissa.*
5 *Iure iustinianeo posteriori non esse prohibitas.*
6 *Anatocismus, id est vsura vsurarum sublata, à iustiniano.*
7 *Fœnus nauticum iure Canonico non omninò improbatum.*

QVæritur hic de solis lucratoriis: nam compensatoriæ, quibus venit omne, quod abest, sive ratione damni emergentis, sive ratione lucri cessantis, & punitoriæ non sunt aliquo iure prohibitæ, dummodò res ex veritate geratur, nec quidquam fit in fraudem vsurarum. Et proinde requiritur, vt in punitoriis debitor verè sit in culpa, non soluendo; pœna sit moderata, iuxta mensuram culpæ, & insuper vt mora sit notabilis; in quo tamen spectanda negotij qualitas & mos prouinciæ. At verò lucratorias prohibitas esse satis constat ex *Clement. vnica §. vlt. hoc tit.* & ex variis Scripturæ locis: Ideóque solùm dubitatur, quo iure sint prohibitæ.

Et quidem Primò prohibitas esse de iure divino, tam veteri quàm nouo, Patet *ex cap. Quia in omnibus 3. & sequentib. hoc tit.* Item *Psal. 14.* in quo dicitur eum qui pecuniam suam non dederit ad vsuram, habitaturum in monte sancto Domini à contrario sensu, & *Ezechiel 18.* vbi dicitur de eo, qui dederit ad vsuram, quòd non viuet. Et in nouo Testamento, ex verbis Christi citatis *Luca 6.*

Nec obstat illud *Deuter. 28. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet rem alienam*; quasi ab infidelibus vsuras exigere liceat: quia dicendum, solùm

fuisse permissas vsuras erga infideles, vel maioris mali euitandi causa, ne fratres suos vsuris exhaurirent, vel quia infideles erant hostes iudæorum, quos proinde poterant rebus suis siue artificio siue aliter priuare.

2 Secundò, prohibitas esse iure naturali constat ex eo, quòd contra ius naturale sit, vt idem bis, seu duplici pretio vendatur; & vt vendatur, quòd non est vendentis, sed emptoris. Iam autem qui vsuras accipit, vel eas accipit pro sorte, & sic pro eadem re accepit duplex pretium, nempe summam sorti æqualem, & insuper vsuram: vel accipit pro vsu sortis, & sic vendit alteri vsum rei non suæ, sed ipsius mutuatarij in quem per mutuum translatum est dominium, & consequenter vsus rei. Adde, quòd pecunia nullum ex se fructum pariat, sicque nihil sit in mutuo, quo lucrum possit exigi vltra sortem principalem: quandoquidem vsus rei mutuatæ non distinguatur à substantia rei, si æstimatio spectetur, quia vsus illius est alienatio, & quasi consumptio substantiæ, ideóque non potest pro vsu & pro substantia accipi distinctum pretium. Vide Couar. *3. variar. resol. cap. 1.*

3 Tertiò, esse similiter prohibitas iure canonico patet ex *12. quæst. 3. & 4. & hoc t. Decretal. eodemque in 6. & in Clement.*

4 De iure Ciuili res non est ita expedita. Nam in primis de iure Digest. Cod. permissas fuisse vsuras dummodò immodicæ non essent, docet Couar. *d. loco*: & patet ex *l. Placuit 26. & duabus seqq. ff. hoc tit. l. Eos, & duabus seqq. C. eod. l. Lect. 40. ff. de reb. cred.* diuersas tamen pro diuersitate personarum & temporum. Nam centesimas fœnerari potuisse deprehenditur ex *d. l. Lecta l. Si pro mutua C Si certum petatur.* Verùm iustinianus *in dict. l. Eos C. hoc tit.* rem ad æquissimam proportionem reducens, centesimas permisit dumtaxat in traiectitia pecunia, id est quæ mare traiicienda est periculo mutuantis, quæ ideò vsuræ nauticæ & fœnus nauticum appellantur; personis verò illustribus trientes concessit; bessales mercatoribus, & iis solùm, qui præerant ergasteriis, id est, officinis operarum, semesses denique reliquis personis, præter nominatas.

5 Verùm dubitatur, an eodem iure permissæ fuerint vsuræ, tanquam licitæ, vt existimant quidam, eo argumento, quòd ad eas exigendas concessa fuerit actio, si modò per stipulationem de iis conuenisset, patet *ex l. 1. & 2. & aliis Cod. eod.* an verò ob bonum publicum dumtaxat, ad euitanda maiora mala, sicut permittuntur lupanaria. Rursus controuertitur an posteriori iure iustinian. ista concessio non sit reuocata. Reuocatam existimant quidam, quia *in l. 1. C. de summa Trinit.* fateatur Iustinianus se velle viuere secundum legem beati Petri, Romanis traditam: & *in nouel. de Eccles. stat. titulu in princ.* approbet quatuor Concilia generalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calcedonense, præcipiens obseruari sacras sanctiones eorundem. Constat enim in Concilio Niceno expressè prohibitas & damnatas esse vsuras, *cap. Quoniam distinct. 47.* ita Gutierres *lib. 2. Can. Quæst. cap. 18. num. 7. & 8.* Verùm non planè sublatas esse, alij existimant, quasi dictum Concilium loquatur tantùm de Clericis, nec ad laicos pertineat: & tam *dict. l. 1.* quàm approbatio iustiniani tantùm intelligatur quoad materiam fidei Catholicæ, non etiam quoad ea, quæ idem Imp. aliis legibus statuerat. Quibus accidit, quòd *ex d. nouel.* constet, certo modo vsuras esse permissas: & *in nouel. 130.* permittantur vsuræ nauticæ.

Sustulit tamen iustinianus *in l. vlt. C. hoc tit.* 6 omnem anatocismum, id est vsuras vsurarum, quæ nascuntur ex eo, quòd vsuræ nondum solutæ annumerentur sorti, & pariant similiter lucrum; quod rursus adiicitur, & parit lucrum aliud, & sic in infinitum.

Cæterùm omnes leges ciuiles, quatenus vsuras approbant, vt actionem ad eas exigendas concedunt, sunt per ius Canonicum correctæ & damnatæ, tanquam illicitæ, *vt patet ex pluribus Canonibus.* Quinimò excommunicantur iudices, cogentes ad earum solutionem, *Clement. vnica eod.*

Obseruandum tamen, quamvis ius Cano 7 nicum vsuras, & illicitas, improbet; *& in cap. nauiganti vlt. hoc tit.* rescribat Pont. censendum esse vsurarium eum, qui nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuat pecuniæ quantitatem, pro eo, quòd suscepit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem: tamen per hoc indistinctè non improbari fœnus nauticum. Etenim vel improbat ibi Pont. centesimas dumtaxat, quæ iure Ciuili in pecunia traiectitia permittebantur; vel de eo loquitur, qui nolebat aliter nauiganti mutuare pecuniam, quàm suscipiendo in se periculum, lucri alicuius capiendi causa: cum enim tunc lucrum principaliter intendatur, & proueniat ex mutuo, erit verè vsurarium. Secus dicendum, vbi sponte debitor cum creditore conuenit, vt is suscipiat in se periculum, constituta certa mercede periculo proportionata: id enim licitum esse

esse docet Couar. *dict. l. 3. variar. resol. cap. 2. num. 5.*

§. IV.

De pœnis vsurariorum.

1 *Tenentur omnes vsurarij ad restitutionem, etiam mentales. 2.*
3 *Etiamsi iurasset debitor se non repetiturum.*
4 *Etiam criminaliter puniri possunt.*
5 *Sunt infames: sunt excommunicandi, suspendendi ab officio.*
6 *Non habent testamenti factionem, &c.*

CVm vsuram dixerim proximam esse rapinæ, *can. Si quis vsuram 14. quæst. 4.* vsurasque accipere iure divino, naturali, & humano vetitum sit; nec dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum *cap. Cùm tu 5. hoc tit.* tenentur in primis omnes vsurarij, tam reales quàm mentales, tam occulti quàm manifesti, ad restitutionem vsurarum; etiam Iudæi, *cap. Post mirabilem 12. & cap. penult. hoc tit.* Eaque obligatio transit & ad hæredes eorum pro parte hæreditaria, *dict. cap. Cum tu, cap. tua nos 9. hoc tit.* Quinimò licèt nihil ad eos peruenerit, tamen satisfacere compelluntur iure Pontificio, iuxta facultates defuncti, vt saltem hoc modo expietur peccatum vsurarij, *cap. vlt. sup. de sepult. cap. In litteris sup. de raptorib.* Quod cùm concernat fauorem & salutem animæ, etiam iure ciuili seruandum erit, *arg. cap. fin. sup. de præscript.* licèt aliàs de iure ciuili pœna personam delinquentis non egrediatur, *l. Sancimus C. de pœnis*; nec hæredes ex delicto defuncti conueniantur, nisi quatenus aut ex delicto ad eos peruenit, aut lite cum defuncto contestatâ, *l. vnica Cod. Ex delictis defunctor. §. non autem.* Vide Couar. 3. *var. resol. cap. 3. n. 7.* & Gutierrez *lib. 2. can. Quæst. c. 18. n. 46.* 1

Prædicta adeò obtinent, vt licèt debitor iurauerit se solutui ũ vsuras, aut non repetiturum, quod earum nomine soluerit, nihilominus creditorem vsurarium, compellere possit, vt vel remittat iuramentum, si nondum soluerit vsuras, *cap. 1. sup. de iureiur. cap. tuas 13. hoc tit.* vel soluras restituat, impetrata priùs absolutione à iuramento, vel eius remissione à creditore, idque officio iudicis per censuram Ecclesiasticam. 2

Hæc rursus obtinent etiam in vsurariis mentalibus *cap. Consuluit 10. hoc tit.* Non obstat, *cap. fin. §. 1. sup. de simonia*, vbi qui nullo pacto, sed solo animi affectu simoniam commisit, non obligatur ad accepti restitutionem, sed sola pœnitentia abolet delictum: quia diuersa est ratio, nam quod in vsura datur, coactè datur; quod verò in simonia, vltrò datur. Præterea in vsura turpitudo solùm ex parte accipientis; in Simonia verò ex parte vtriusque: in pari autem delicto potior est conditio possidentis, *c. in parì de R. l. in 6.* nisi aliud lex specialiter disponat, prout disponit in Simonia reali, non etiam in mentali, ad quam dispositio in reali, tanquam pœnalis extendi non debet, *c. odiâ de R. l. in 6.* 3

Quantum ad pœnam criminalem attinet, ea de iure Ciuili est arbitraria, vt docet Iul. Clar. *§. Vsura.* Et sicut contra vsurarium agi potest criminaliter, ita & ad torturam pro eruenda veritate deuenire licet, vbi legitima exstant indicia, Pet. Gaball. *resolut. criminal. casu 188. n. 6.* 4

Insuper vsurarij manifesti, id est facto vel iure tales, sunt infames etiam iure Ciuili, *l. Improbum 20. C. Ex quibus causis infamia irrog. can. Infames 3. quæst. 2. in fine.* Dicitur autem manifestus vsurarius facto, qui palam vsuram exercet, ita vt nulla tergiuersatione id negare queat: iure verò, qui vel hoc crimen confessus est in iure, id est iudicio, vel de eo per sententiam iudicis condemnatus, *c. fin. sup. de cohabitat. clericor. c. Cum olim & c. super inf. de verb. signif.* 5

Iure insuper Canonico vsurarij, si laici sint, iubentur excommunicari; si in Clerici, suspendi ab officio & beneficio, *c. præterea 7. h. t.* imò & deponi, *c. 1. h. t. can. 4. & 8. 14. q. 4.*

Præterea vsurarius manifestus neque ad communionem altaris, id est, perceptionem Eucharistiæ, neque ad Ecclesiasticam sepulturam, neque ad oblationes admitti debet, *c. Quia in omnibus 3. h. t.* & qui oblationes à talibus acceperit, eo ipso suspensus est ab officio, donec ad arbitrium Episcopi satisfecerit, acceptúmque compellitur restituere, *d. c. 3. h. t.* Qui verò scienter sepulturæ quem tradiderit, ipso facto est excommunicatus, nec absoluendus, donec arbitrio Episcopi satisfecerit, *Clement. 1. de sepult.* Vide Less. *2. de iustit. c. 20. dubitat. 22.*

Sed nec admittendus est ad confessionem suorum peccatorum, nec ad testamenti factionem, priusquam vsuras restituerit, vel de restituendis idoneè, id est, pignoribus vel fideiussoribus datis, cauerit, iuxta modum, qui statuitur *in c. 2. eod. in 6.* Præterea Ecclesiastici non possunt vsuriis manifestis alienigenis seu externis elocare domos, concedere illis habitationem in terris suis: imò tenentur eos expellere intra tres mẽses sub pœna suspensionis ipso facto, si sint Episcopi; excommunicationis verò, si sint minores Episcopis, interdicti autem, si sit collegiũ vel vniuersitas. Sed & Clemens V. *Clem.* 6

1. hoc tit. certas pœnas statuit in Potestates, Capitaneos, Rectores, Iudices, Consiliarios, aliósque officiales communitatum, qui de vsuris soluendis vel non restituendis statuta condunt, dictant vel scribunt, vel secundum ea pronuntiant. Vide Cov. 3. *Var. cap.* 3.

TITVLVS XX.

De crimine falsi.

§ I.

Falsum quid, & quibus modis committatur.

1 *Falsum & Falsitas quid sit.*
2 *Falsi crimen quâ ratione punibile sit.*
3 *Falsum committitur dicto, facto, scripto, & aliis modis.*

HOc crimine proximus vel maximè in bonis & rebus exterioribus læditur: de quo proinde ordo postulat, vt agamus, præsertim cùm inter præcepta legis divinæ etiam hoc sit, *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices.*

Falsitas secundum Iustinian. in *Novella 73. in princ.* nihil est aliud, quàm veritatis mutatio, vel potiùs immutatio. Et falsum nihil aliud, quam quod veritatem imitatur, & tamen verum non est: vt rescriptum, quod non est Papæ, & tamen videtur esse Papæ *c. Tua nobis sup. de officio Vicarij.* 1

Vt autem criminis punibilis rationem habeat, duo insuper requiruntur, Primum, vt dolo malo seu animo fallendi & corrumpendæ veritatis fiat, *l. 1. l. Impuberem ff. hoc tit. leg. Nec exemplum Cod. eod.* Ideóque qui dicit falsum, quod putat verum, falsi crimine non tenetur, quia ream linguam non facit, nisi mens rea, *can. Homines in fine 22. quæst. 2.* Secundum est, vt alteri noceat. *Gloss. in l. 23. Cod. hoc tit.* Addi potest & tertium, nempe vt lege aliqua statutum sit, talem immutationem veri esse punibilem pœnâ falsi, quia non omnis immutatio veritatis, ad alterius deceptionem instructa, falsi crimen habet, *leg. Quid sit falsum ff. hoc titul.* Ideò enim post legem Corneliam de falsis tot Constitutiones & Senatusconsulta prodita sunt, vt casus lege Corneliâ non expressi supplerentur, & ad classem falsorum redigerentur. 2

Quamquam autem variis modis falsum committatur, vt variis exemplis demonstrant Iuris vtriusque varij Tituli & variæ Leges ac Canones: tamen facilioris doctrinæ causâ ad tria vel quatuor capita revocari possunt. Aut enim committitur falsum dicto, seu facto, seu re aut scripto, aut vsu dicto, vt in teste, qui falsum testimonium dicit, vel verum supprimit dolo malo, *cap. 1. hoc titul. leg. 1. Cod. eod.* qui gravissimè eo nomine peccat, quòd Dei præsentiam contemnat, Iudicem mentiendo fallat, & proximum innocentem falso testimonio lædat, *dict. cap. 1.* Facto committitur, si quis falsam monetam percutiat, in aurum vitij quid, puta æs vel stannum, iniiciat, nummos radat, pingat, fingat, *leg. Quicumque 8. & seqq. ff. eod.* si pondera aut mensuras publicè probatas corrumpat, dolove malo fraudem faciat, *leg. penult. ff. eod.* si signum adulterium facit, sculpat, exprimat, §. *Item Lex Cornelia de falsis Institut. de publicis iudiciis:* si duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendat, *leg. Qui duobus 21. ff. eod.* si Iudicem corrumpat, *dict. l. 1. in princ. ff. eod.* si partum supponat, *leg. Qui falsum 19. ff. eod.* Scripto committitur, si quis testamentum vel aliud instrumentum falsum scribat, signet, recitet, celet, subiiciat, *d. §. Item Lex Cornelia Institut. de publicis iudiciis, leg. 1. §. 4. l. 2. l. Quid sit falsum 23. ff. h. t.* si in testamento sibi adscribat legatum vel fideicommissum, *l. Si quis legatum 6. ff. eod.* si prodat adversario instrumenta, apud se deposita: si rasis literis aliud in locum eius, quod scriptum erat, scribat, *cap. Olim sup. de rescriptis;* modò id faciat in loco suspecto, non aliter, *cap. Ex conscientia vlt. hoc tit.* Vsu denique, si quis falsis literis vtatur, falsas leges alleget, *l. fin. ff. eod.* si falsum nomen aut cognomen sibi vsurpet, illicitis insignibus vtatur, vel falso diplomate vias commeet, pro milite se gerat, *leg. Falsi 13. & l. eos qui 27. ff. eod.* Pluráque alia horum modorum exempla passim extant *in d. Tit. ff. & Cod.* Inter quæ licet plura sint, quæ propriè falsitatem in se non habeant, tamen ex interpretatione pro falsis habentur, & pœnâ falsi puniuntur: veluti, aperire literas sigillatas alterius, & potissimùm rescripta Principum, *cap. Olim sup. de potestate delegati*: aperire testamenta vel alia instrumenta, apud se deposita, & ostendere adversario deponentis, aliáque similia. Sic periuri & falsi rei habentur, qui in causis civilibus aut 3

crimina.

criminalibus dicta testium sine Iudicis auctoritate detegunt, iuxta Constitut. Pij V. *incip. Licet contra*, quam refert Pet. Matt. in 7. *Decretal. lib. 5. tit. 13. c. vnico.* Plurimis autem modis circa literas Apostolicas falsitas committitur; quorum decem numerat Pontifex *in cap. Licet 5. hoc tit.* Quo verò pacto Bullæ dicantur falsæ ex mutatione styli, docetur *in c. Quam gravi 6. eod.* qua de re vide Rebuff. *in Praxi beneficiali Tit. de praxi Cancellariæ Apostolicæ.*

§. II.

De pœnis falsi.

1 *Pœna falsi de iure Civili.*
2 *Item de iure Canonico, & maximè falsificantium literas Apostolicas.*
3 *Falsitas non præsumitur, sed probari debet.*

1 POena falsi vel quasi falsi, id est illius, quod ex Senatusconsulto vel interpretatione prudentium pro falso habetur, ex iure civili in servis est vltimum supplicium; in liberis hominibus deportatio, & olim omnium bonorum publicatio, *l. 1. in fine & l. fin. ff. hoc tit.* nam deportatio successit in locum pœnæ, quâ olim aquâ igne interdicebatur, *d. l. fin.* solétque bonorum publicationem inducere, *l. Pœna ff. de iure fisci.* Hodie verò bonorum publicatio generatim, exceptis certis casibus, sublata est, per *Authent. Bona damnatorum Cod. de bonis proscript.* Indéque factum videtur, vt compositores Institutionum, *tit. de publ. iudiciis*, meminerint tantùm deportationis. Subinde tamen pro criminis qualitate remissiùs punitur: veluti, relegatione ad tempus, *leg. falsi 13. leg. Qui duobus 11. l. penult. & similibus ff. eod.* Interdum etiam severiùs; veluti, pœnâ capitali, vt in crimine falsæ monetæ, *l. Quicumque 8. ff. eod.* in crimine suppositi partus, *l. 1. Cod. eod.* & similibus aliis.

2 Cæterùm hæc pœna falsi ex iure civili, qualiscumque sit, hæredem non tenet, nisi quatenus ad eum pervenit: ideóque si reus, ante crimen illatum aut sententiam dictam, vitâ decesserit, cessante lege Corneliâ, scelere quæsitum auferendum est ab hæredibus illius, *leg. Cum falsi 12. ff. eod.* nam turpia lucra etiam successoribus auferenda esse constitutum est, *leg. 5. ff. de calumniatoribus, l. 9. ff. de iure fisci.* Videatur plenius Iul. Clar. *5. Sent. §. Falsf.*

De iure verò Canonico, si quis per se vel per alios falsum admiserit circa literas Apostolicas, sive laicus sive Clericus, cum suis fautoribus, excommunicatur, ex Constitut. Sixti V. *incip. Excommunicamus*, quam refert Pet. Matth. in 7. *Decretal. l. 5. tit. 9. c. 4.* & insuper si Clericus sit, officiis & beneficiis Ecclesiasticis exuitur. Deinde degradatur, & seculari potestati (per quam & laicus de falsitate convictus legitimè punitur) puniendus traditur, si per hoc crimen commiserit, *cap. Ad falsariorum 7. hoc tit.* Qui autem falsis literis vtitur, si Clericus sit, officio & beneficio privari debet; si laicus, tamdiu excommunicationi subiici, donec satisfecerit, *d. c. Ad falsariorum*, vbi idem statuitur servandum in iis, qui falsas literas impetrant: quos ab hac excommunicatione absoluit summus Pont. dumtaxat, præterquam in mortis articulo, *ex Bulla Cœna Domini §. 6.* Vt & eos qui personæ qualitatem & conditionem mentiuntur, vt aliquid consequantur faciliùs, literæque per huiusmodi fallam rei narrationem extortæ & impetratæ decernuntur omninò surreptitiæ, invalidæ & nullæ, ex Constitut. Innoc. VIII. *incip. Sicut*, & Leonis X. *incip. Inhærendo vestigiis*, quas refert Pet. Matth. in 7. *Decretal. lib. 5. tit. 9. cap. 1. & 3.* Quippe suppositis ad examen personis beneficium venantur & impetrant, excommunicantur ex Constitutione Pauli IV. *incip. Inter cæteras*, quam ibidem refert P. Matth. Sententia verò vigore literarum falsarum lata non debet transire in rem iudicatam aut mandari executioni: nec fides vlla adhibenda est rescriptis Pontificiis, si visa fuerint falsitatis redarguenda, *cap. 2. hoc tit.*

Cæterùm committens falsum in literis delegati non tam acriter puniendus est: & extra literas Apostolicas Clericus falsum admittens ab Ecclesiastico Iudice deponitur, *c. Cum non ab homine sup. de iudiciis*: & quandoque pro gravitate criminis in monasterium detruditur, *can. Si Episcopus 8. dist. 5. iuncto cap. Tua inf. de pœnis.* Sed & qui literas falsas sciens apud se detinet, easque intra viginti dies à tempore, quo falsas esse cognoverit, non destruit aut resignat, excommunicationis vinculo constrictus ab alio, quàm à summo Pontifice, absolui nequit, *c. dura 4. §. adiiciente h. t.*

Crimine falsi diximus quoque teneri adulteratorem monetæ, *l. 1. & 2. Cod. de falsa moneta*, Covar. *de vitt. numis. collat. c. 8.* Déque tonsoribus ac rasoribus monetæ, sive aureæ sive argenteæ, vltimo supplicio afficiendis exstat Constitutio Pij V. *incip. Cum nihil*, relata à P. Matth. *in 7. Decretal. lib. 5. tit. 14. cap. vnico.* 3

In

In his verò *ditionibus* tales bullienti oleo immergi solent, vt hîc Zyp. notat.

Denique falsitas non facilè præsumitur, sed probari debet, maximè in literis iustitiæ, siue ad lites, *c. penult. hoc tit.* quia tales facilè impetrantur. Sed nec in literis gratiæ quævis litura aut rasura in loco non suspecto statim falsitatem arguere debet, *cap. Licet 5. cap. Quamgravi 6. & cap. vlt. h.t.* vt neque obesse, quod vel in syllaba erratum sit *leg. Qui habent 54. ff. de manumissis testam.* Gotfredus *in Summa hoc tit. n. 9.*

TITVLVS XXI.

De Sortilegiis.

1 *Sortilegi qui dicantur.*
2 *Sortes aliæ Diuisoriæ, aliæ Consultoriæ, aliæ Diuinatoriæ.*
3 *Diuinatoriæ, & earum pœnæ.* 4.

1 SORTILEGIA etiam falsitatem in se continent, quia sortilegi per sortes fallunt homines, cùm solius Dei sit futura nosse: ideóque tractatur hoc loco de crimine sortilegij, quia cum crimine falsi affinitatem habet, licet aliàs pertineat ad ea crimina, quæ vergunt in iniuriam Dei.

Sortilegi, inquit Isidorus *in can. 1. 26. q. 1.* sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturam inspectione futura promittunt.

2 Non tamen omnes sortes sunt illicitæ. Non in primis Diuisoriæ, vt vocantur, id est quibus vtuntur homines, vt sciant, quid cuique tribuendum sit: veluti in litibus, & controversiis dirimendis, in hæreditatibus, possessionibus, & aliis bonis communibus, dividendis; in honoribus, dignitatibus sæcularibus & publicis officiis atque administrationibus distribuendis. Harum enim vsus non modò iure naturali, sed & Ciuili permittitur, *leg. Sed cum ambo 14. ff. de iudiciis, l. Si duobus 3. Cod. Communia de legatis* §. *Optionis Instit. de legatu.* Sic Israëlitis distributæ partes terræ per sortes., *Num. 33. Iosue 15.*

Similiter neque illicitæ sunt Consultoriæ, id est quibus diuina voluntas exquiritur, vt sciatur quid agendum, quid cauendum fugiendumve sit, provt sæpe veterum Hebræorum populum, & Apostolos dum Matthiam in Apostolum loco Iudæ elegerunt, aliósque sorte vsos fuisse legimus, *can. 26. q. 1.* His enim vti licèt, quando necessitas exigit.

At verò Diuinatoriæ, id est quibus homines vtuntur, vt præsciant futura vel etiam præ- 3
sentia aut præterita occulta detegant, quia ordinariè non fiunt absque dœmonis conspiratione, aut tacita eius imploratione, & quia sub iis magna plerumque latitat superstitio & idololatria, *can. Sors 1. versic. His ita respondetur 26. q. 1.* in iisque magna sita est temeritas, quasi in quem sors tua sit casura, ille sit, quem quæras, & quasi Deus Opt. Max. tuæ sorti sit allegatus, vt per eam tibi demonstret, quem quæris, *can. Non exemplo 26. quæst. 2.* omninò illicitæ, & iure Canonico prohibitæ sunt, *c. 1. hoc tit. can. Sortes & pluribus aliis 26. q. 5.*

Hinc prohibitum est, ne electiones ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas quæ magis idoneis conferri debent, fiant per sortes, quasi hoc modo teneatur Deus indicare & reuelare magis dignum, *cap. 3. & ibid.* Abbas *n. 3. hoc titul.* Item ne quis furta inquirat per sortes, in codicibus scilicet vel tabulis, *cap. 1. hoc titul.* vel ex aliis signis, puta inspectione astrolabij, aut alterius instrumenti Astronomici, *cap. 2. hoc tit.* quasi ex astrorum inspectione deprehendi possit fur. Damnata propterea iure Canonum est Astrologia diuinatrix siue iudiciaria, quæ ex astris seu signis cœli nascentium mores, actus & eventus prædicere conatur, *cap. Illud & can. Igitur 26. quæst. 2.* quæque ex elementis occulta promit & prodit, & futura coniectat, *d. can. Igitur in princ.* Damnata etiam Constitut. Sixti V. quam refert Quaranta V. *Astrologia.*

His igitur, qui ita sorte abutuntur, com- 4
munio Ecclesiæ interdicitur: ficut & ariolis, aruspicibus, aliisque incantatoribus, nisi resipiscant: Clerici verò sunt degradandi. Sed & iure Ciuili in tales animadvertitur, vt videre licet *in titul. Cod. de maleficis & Mathematicis.*

Vt autem omnes superstitiones, sortilegia & magiæ iure diuino & humano prohibitæ sunt, ita prudenter admodum inquit Zyp. *hoc tit.* piissimi Belgarum Principes iam olim suis Edictis sanxerunt, vt ij qui sub vulgari Ægyptiorum nomine vagantur, ex his ditionibus semper exterminarentur. Et postmodum Carolus V. Imp. *an. 1537. 5. Febr.* Philippus eius filius, Hispaniarum Rex, *an. 1560. 2. Septemb. & in Addit. ad Latum Introitum Brab.* vetuerunt,

runt, sub pœna confiscationis corporis & bonorum, ne huiusmodi homines eorumve affeclæ, quive se tales dicerent, aut eorum habitu vterentur, in suis ditionibus subsisterent aut versarentur. Itemque Rex Edicto *an.* 1592. 20. *Julij* quod exstat in Synodo vltima Antuerp. admodum seuerè præcipit iudicibus omnibus, cùm Ecclesiasticis tum sæcularibus, vt omni modo adnitantur extirpare magis & superstitiones omnes, cuiuscumque coloris & tituli, Physionomiam, Necromantiam. Chiromantiam, &c. cum clausula, vt quisque hac in re fungatur officio suo, sub pœnis in dicto Edicto relatis. Tandemque Sereniss. Principes *in Edicto ad Synodum provincialem Mechlin. an.* 1607. *art.* 11. mandarunt huiusmodi augures extra provincias suas relegari, & graues mulctas indici eos consulentibus. *Et art.* 14. dictam Regis Ordinationem executioni mandari volunt. Quamquam ex Concordatis Brab. *§. de criminibus, sortilegiis, &c.* (vt & ex Galliæ Senatusconsultis hodie, etsi olim secus, vt constat ex Choppin. *de sac. polit. lib. 2. tit. 2. num.* 11.) ad solos sæculares horum criminum cognitio & correctio remissa esset. Nihilominus tamen eadem ad iudicem spectat Ecclesiasticum, casu quo fiant sortilegia per inuocationem dæmonum aut abnegationem fidei, tanquam tunc sapientia hæresin; hæreticum enim esse à dæmonibus exspectare responsa, declararunt Sixtus IV. Alexander VI. & Hadrianus VI. Eiusque rei cognitionem Inquisitoribus demandauit Leo X. Maximè verò puniri debent, secundum Innoc. VIII. qui morbos, grandines, auras læsiuas, sterilitatem in hominibus & pecoribus procurant, maribus & fœminis actus coniugales impediunt, seu ligulam stringunt, vt vulgò loquuntur. Constitutiones eorum refert P. Matth. *in 7. decretal. lib. 5. tit.* 12.

Qui plura de sortilegiis & eò spectantibus desiderat, videat Farinac. *tract. de hæresi quæst.* 181. & latissimè Tholos. *Syntag. iuris vniuersi lib.* 34. *cap.* 1. *& pluribus seqq.* Azor. *instit. moral. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 16. *&* 17. Delrio *Disquis. Magic. lib.* 3. *p.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 8.

TITVLVS XXII.

De collusione detegenda.

1 *Collusio quid sit, & in quibus causis locum habeat.*

2 *Pœna colludentium.*

1 CRIMINI falsi affine quoque est crimen collusionis, quia illi etiam quædam inest falsitas: nam Colludere in iure dicuntur, qui aliud agunt, aliud simulant, quod ipsum falsi speciem habet.

Est igitur Collusio inter actorem & reum latens ac fraudulosa conuentio, qua interueniente delicta aliquando manent impunita, *Glos. in cap.* 3. *hoc tit.* v. g. si, duobus litigantibus, reus videns se superatum iri ab actore, promittat centum, vt veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat, vt pœnam sibi infligendam euitet, dicetur cum aduersario suo colludere. Et ista conuentio dicetur Collusio: quæ committi potest in causis tam ciuilibus, quam criminalibus, tam in temporalibus quàm spiritualibus & Ecclesiasticis, tam per partes principales, id est, actorem & reum; quam per procuratores & aduocatos. Eique dicitur inuolui quædam falsitas; & proinde pœnam aliquam meretur, quandoquidem nemini dolus suus patrocinari debet.

2 Hinc colludens in causa beneficiali, puta per collusionem beneficium censuale constituendo, seu pensioni subiiciendo, beneficio suo priuandus est, *cap. audiuimus* 3. *hoc tit.* & desistente accusatore potest iudex ex officio suo inquirere super crimine illato, absolutioque à crimine per collusionem facta non impedit facultatem iterum accusandi & inquirendi de eodem, *c. vlt. h. t.*

Cæterùm quia sæpè per eiusmodi inquisitionem ex officio, desistente accusatore, iudex detegit collusionem actoris cum reo, ideò hic Tit. inscribitur *de collusione detegenda.*

TITVLVS XXIII.

De delictis puerorum.

1 *Puer, doli capax, crimen committens puniendus.*

2 *Pater ex delicto filij non tenetur.*

1 QVONIAM in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis prouectioris ætatis seueriùs corrigendum leges statuunt, *cap.* 2. *hoc tit.* cùm tamen furtis, mendaciis & periuriis plena sit puerilis ætas, *cap.* 1. *h. tit.*

ideò hîc post crimina, quæ in maioribus promiscuè notantur & puniuntur, oportunè quæritur de delictis puerorum, an ij talium criminum rei & obnoxij pœnis haberi possint.

Dicitur autem Puer, qui intra septennium & decimum quartum annum constitutus est, si masculus sit, & inter septennium ac duodecimum, si fœmina.

Quòd si igitur puer crimen aliquod perpetrarit, puta furtum, mendacium, homicidium, aut, aliud, non debet id manere impunitum, si fuerit doli capax, vt intelligere potuerit, se malè agere, illud committendo, *leg. Impuberem 23. ff. de furtis.* Mitiùs tamen puniri par est, quàm si ab aliis commissum esset, quia aliquid ætati indulgendum, *d.c.1. h.t. & l. Infans 12. ff. Ad L. Corn. de sicar.* Quin etiam puberes sed minoris 25. annis, si quid deliquerint, non tam severè puniendi sunt, quàm maiores, vt respondit Iurisconf. *in l. Auxilium 37. vers. In delictis ff. de minoribus.*

2 An verò pater ex delicto filij, sive puberis sive impuberis, quem in sua potestate habet, conveniri possit, quæsitum est. Et respondit Pont. non posse, sed ipsemet filius conveniri debet, *d.c.2. h.t.* Quod idem etiam iure Civili proditum est, *Instit. de noxalib. actionib. in fine.*

TITVLVS XXIV.

De Clerico venatore.

1 *Venatio cum strepitu interdicta Clericis.*
2 *Non etiam quieta & quæ sine strepitu fit.*

1 TRACTAT deinceps Pont. de delictis peculiaribus Clericorum, quæ aut non deprehenduntur in laicis, aut graviùs puniuntur in Clericis quàm laicis. Cuiusmodi in primis est venatio voluptatis causâ suscepta, quæ vnà cum canibus, accipitribus, aut aliis eiusmodi ad venandum Clericis interdicitur, *c.1. & 2. h.t.* quia pugnat cum professione & statu Clericorum. Et ideo si Episcopus sæpiùs talibus venationibus det operam, tribus mensibus à communione; si verò presbyter fuerit; duobus; si Diaconus aut Subdiaconus, ab omni officio suspenditur, *d.c.1. & ibid.* Abbas & Glossa. In minoribus verò constituti arbitrio Iudicis puniri debent, ex quo nulla eis certa pœna statuta est, *arg. c. de causis sup. de officio delegati.*

Hæc tamen prohibitio intelligi debet potissimùm de venatione saltuosa & clamosa, quæ cum strepitu fit canum & armorum: nam quieta venatio, quæ fit absque strepitu, cum laqueis, retibus & paucis canibus, modò etiam rarò fiat, nec avocet ab officiis divinis, non est omninò prohibita Ecclesiasticis, sive fiat causâ necessitatis, sive exercitij, sive moderatæ recreationis, vt docet Less. *2. de Iustit. cap. 5. duob. 9. num. 40.* post Abbatem *in dict. cap. 1. hoc tit.* 2

TITVLVS XXV.

De Clerico percussore.

1 *Clericis interdicta percussio, non moderata correctio.*

1 ICVT Clericis interdicta est venatio, ita & percussio: adeo vt, si Clericus percussor monitus non desistat, iubeatur deponi, *cap.1. hoc tit.* & si Episcopus iusserit aliquem cædi crudeliter fustibus, ab administratione Missarum duobus mensibus suspendi, *cap.2. hoc tit.* Nam Clericos ita decet mansuetudo vigorque disciplinæ, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, *can. Sunt namque 15. distinct. 45.* & sibi subiectos malè meritos non tam verberibus corrigere debent, *can.2. & aliis d. dist. 45.* 1

Permittitur tamen Clericis levis & moderata percussio; modò Episcopus non percutiat propriis manibus, sed per alium, qui non sit laicus, *c. Vniversitatis inf. de sent. excommunicat.* Sic Abbates & Priores sæpiùs Monachos suos verberant & castigant.

TITVLVS XXVI.

De Maledicis.

1 *Clerici maledici pœna.*
2 *Item eius, qui summo Pont. maledixerit.*
3 *Quique in Deum & Sanctos blasphemus fuerit, ex vtroque Iure. 4.*
5 *Item ex moribus & Constitutionibus hodiernis.*

CVM

CVM percussio alia fiat manu, alia linguâ, *iuxta Gloss.* & Abbatem *ad Rubr. h.t.* rectè & de hac sequitur, id est de maledicis, sic dictis à maledicendo: qui, præsertim si Clerici sint graviter puniendi sunt.

1 * Et quidem Clericus quilibet maledicus, maximè sacerdos, cogendus est postulare veniam; aut, si noluerit, degradandus est, nec vnquam absque satisfactione ad officium revocandus, *can. Clericus maledicus dist. 46.* * Qui verò summo Pontifici maledixerit, in depressionem officij & beneficij puniendus erit, arbitrio Iudicis, gravius aut mitius, spectatâ atrocitate verborum, personarum qualitate, loco, tempore & aliis circunstantiis, *arg. c. 1. hoc tit.*

3 Gravissimè autem puniendi sunt blasphemi in Deum, B. Virginem ac Sanctos, *cap. 2. hoc tit.* qui scilicet in Deum convitium aliquod evomunt probrosè Deo tribuendo, quod ei non convenit, aut detrahendo, quod eidem convenit.

4 Tales in veteri lege iussu Dei lapidibus à populo obtuebantur, *Levit. 24.* Iure verò Canonico olim, laici quidem excommunicabantur, Clerici deponebantur, *can. Si quis 22. q. 1.* Postmodum statutum fuit, vt solemni pœnitentiâ & pœnâ pecuniariâ coërcerentur, quam si tenuerit recipere, & peragere pœnitentiam, Ecclesiæ interdicitur ingressus & mortuis Ecclesiastica denegatur sepultura, *d. c. 2. h.t.* Quod tamen accipiendum est de laicis: nam Clericis publica pœnitentia remittitur, *can. Ex pœnitentibus dist. 50. can. Quicumque dist. 57. cap. 1. sup. de bigamis.*

Iure Civili pœna est vltimum supplicium, *Novel. 77. Vt non luxurientur homines, &c.* in eos scilicet qui ex consuetudine & absque emendationis ac correctionis spe maledicunt, Covar. *in c. Quamvis pactum de pactis in 6. p. 1. §. 7. n. 8. 9. & 10.*

5 Cæterùm hæ pœnæ, tam Canonicæ, quàm civiles, in desuetudinem abierunt, & ex Constitutionibus regnorum ac regionum aliæ atque aliæ receptæ sunt, vt testantur Covar. *ibid. n. 22.* Boër. *decis. 301. n. 14. & 15.* Iul. Clarus *§. Blasphemia n. 3.* & alij, quos citat Zerola *d. loco.* In Belgio nostro habemus Constitutionem Caroli V. *an. 1517. vlt. Novemb.* quâ pro prima vice blasphemis pecuniarum pœnam pro arbitrio Iudicis imponi iubet, pro secundâ publicæ ignominiæ exponi, pro tertia fustigari & in exilium mitti. Verùm mitigatæ hæ pœnæ alterâ Constitut. eiusdem Principis, *an. 1518. 5. Ianuarij*, quâ pro prima vice pœna est sexaginta floren. pro secunda ac tertia duplicatur ac triplicatur pœna, cum carcere sex dierum in pane & aqua; pro quarta per duas horas exponi ignominiosè iubentur, vel, si graviores fuerint blasphemiæ, nempe si blasphemando Deum negaverit, aut similes, mancipari carceri ad mensem vnum: provt etiam improbè iurantes aut peierantes arbitrariè ac sine dissimulatione puniri debent, ex Edicto *an. 1531. 7. Octob.* Zyp. *h.t. n. 2.* Vbi subiicit *num 4. ex Constit.* Pij V. auctores libellorum famosorum, vel literas, indices aliquorum falsorum criminum, alicui scribentes, omnibus pœnis à Iure statutis subiici; eosdemque ex Constitut. Greg. XIII. ipso facto infames esse, & ad triremes vel perpetuò vel ad tempus pro criminis admissi qualitate condemnandos. Vtramque refert P. Matth. in 7. *Decretal. lib. 5. titul. 5. cap. 2.* Alias Constitutiones Caroli V. & Maximiliani Imp. & Regum Galliæ refert Pet. Greg. Tholosan. *Syntag. Iuris vniversi lib. 33. cap. 12. num. 12.* Vbi *num. 13.* subiungit, spectandum esse in hoc crimine, an quis sit solitus assiduò peierare, an iracundiâ nimiâ, quæ ad dementiam accedit, an verò dementiâ (quæ excusat, *l. Infans ff. Ad L. Corn. de sicariis*) an in graviorem, an breviorem blasphemiam prorumperit, vt gravius vel puniatur, vel excusetur, aut pœna minuatur.

TITVLVS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

1 *Pœna Clerici ac Sacerdotis excommunicati celebrantis.*

DELICTA iam explicata omnibus Clericis communia sunt, ob quæ Clerici vel suspenduntur, vel deponuntur, vel excommunicantur: quæ sequuntur, circa functionem Ordinum Ecclesiasticorum versantur, ex eo quòd tales Clerici, suspensi, depositi vel excommunicati, subinde celebrare & divinis officiis sese ingerere præsumant; & sic aliud delictum de novo committunt ac priori accumulant.

Si quis igitur Clericus, depositus, degradatus, vel suspensus, in Ordine suo ministret, & monitus non desistat, excommunicatur; & si

nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Sacerdos verò, sciens se excommunicatum (maiori scilicet excommunicatione) vel aliàs interdictum, celebrans vel se ingerens celebrationi divinorum, fit irregularis, id est in perpetuum ab officio sacerdotali deponi ac beneficiis omnibus spoliari debet, *c. Lator, c. Fraternitati tuæ 6. h.t.* licèt per solum rumorem ac famam sciat se excommunicatum: quo tamen casu cum eo potest misericorditer dispensari, *cap. Illud Dominus 5. hoc tit.* Sed nec collatio beneficij facta Clerico excommunicato tenet; & tali beneficium conferens suspenditur à beneficiorum collatione, *c. 7. h.t.* nisi tempore collationis fuerit absolutus, *cap. Proposuit 8. hoc tit.*

Dixi, sciens se excommunicatum; nam si ignoranter, non sit irregularis, ac proinde quoad hoc nullâ indiget dispensatione, nisi fortè ignorantia esset crassa ac supina aut erronea, *c. Ad Apostolicæ 9. h.t.*

Addidi, maiori scilicet excommunicatione; quia minori excommunicatione innodatus, licèt celebrando peccet, graviter, tamen non fit irregularis, *c. vlt. h.t.* Et licèt eligi prohibeatur, non tamen eligere, vel ea, quæ sunt iurisdictionis, exercere, *d. c. vlt.* Similiter si aliis conferat Sacramenta, quamvis peccet, nullius tamen notam incurrit irregularitatis, & tenet collatio, suumque effectum habet, cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione remotus, *d. c. vlt. in fine.* Et hoc est, quod dici solet ab Interpretibus, implicitum minori excommunicatione suspensum esse à Sacramentis Ecclesiasticis quoad se non quoad alios: quod desumptum est ex *c. vlt. sup. de cohabit. Clericor. &c.* Vide Covar. *in c. Alma mater de sent. excommunica. in 6. p. 1. §. 8. n. 1. & 2.*

TITVLVS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

1 *Pœna Clerici ministrantis in ordine, quem non suscepit.*
2 *Item laici & non ordinati celebrantis.*

GRAVISSIME quoque delinquit Clericus, dum eius Ordinis quem nondum suscepit, ministerium & functionem exercet: veluti dum Subdiaconus Diaconi, vel Diaconus Sacerdotis officio fungitur. 1

Si igitur Clericus ministret in pertinentibus ad Ordinem, quem nondum suscepit, puta si nullâ instante necessitate baptizarit, aut aliquod divinum officium exercuerit, deponendus est, & ampliùs non ordinandus, *c. 1. h.t.* Dixi, si nullâ instante necessitate; quia si vrgeat necessitas, potest quilibet baptizare, vt diximus *ad tit. de baptismo.*

Diaconus verò Missam celebrans ad Sacerdotij Ordinem promoveri non potest, & à Diaconatu suspenditur ad biennium vel triennium, provt Diœcesano visum fuerit, *c. 2. h.t.* De beneficio tamen cum eo misericorditer agi poterit per Episcopum, ne sustentatione privatus ad sæculi negotia in opprobrium Cleri cogatur reverti, *dict. c. 2.* Sic quoque videtur Episcopus cum eodem posse dispensare, vt post dignam pœnitentiam ad officium Diaconatus revertatur, non tamen vt ad maiorem Ordinem promoveatur, Abbas *in d. c. 2.* eo argumento, quòd Episcopus solùm dispenset in casibus à Iure expressis; expressum autem sit, quòd dispensare possit in beneficio & Diaconatu, non verò quoad promotionem ad altiorem Ordinem.

Sed quid si non Clericus Missam vel aliud sacrum ministerium celebret? Iudicis arbitrio puniendus erit, ex quo huc vsque nulla à sacris Canonibus imposita sit pœna; ideò fortè, quòd antiqui Patres non existimarint laicos vnquam eo temeritatis prorupturos, provt postmodum aliquando prorupisse compertum fuit. 2

At verò Clemens VIII. Constitut. *incip. Etsi aliàs an. 1601.* quam refert Piasec. *2. p. c. 4. art. 14. n. 12.* decrevit, vt quisquis non sacerdos Missam celebraverit vel confessionem Sacramentalem audiverit, ab Ecclesia abiiciatur, & ab Ordinibus, quos habet, ritè degradatus curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis plectendus. Vbi licèt non comprehendatur sacerdos sine iurisdictione confessiones accipiens, nihilominus ob grave sacrilegium, quod non multum ab altero textu abest, severè arbitrio æqui Iudicis puniendus est, Zyp. *hoc tit.* Lopez *in Addit. ad* Bernardum Diaz. *cap. 12. in lit. cap. ex Constitut. Pauli IV.*

***

TITVLVS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

1 *Quid sit per saltum promoveri & pœna sic promoti.*

DELINQVVNT præterea Clerici in Ordinibus suscipiendis, dum vel per saltum promoventur, vel Ordinem furtivè suscipiunt, nulláque differentia est inter non ordinatum & non ritè ordinatum, *arg. l. Quoties ff. Qui satisdare cogantur.*

I Cùm igitur serie quadam & gradatim, non autem per saltum & ordine præpostero Ordines suscipiendi & conferendi sint, *can. Sollicitudo dist. 52. totâ dist. 59. 60. & aliis*, si quis prætermisso Ordine inferiorem suscipiat, v.g. Diaconatum aut Subdiaconatum vel Presbyteratum, ante Diaconatum, collatio quidem tenebit, & character imprimetur, Abbas *in cap. vnico hoc tit.* sed per sententiam ei executio Ordinis interdicenda est, donec congruo tempore præternissus suppleatur, & cum eo pœnitentiâ impositâ dispensetur, vt in Ordine suscepto ministret: quæ dispensatio fieri potest per Episcopum, quando non ministravit, vt patet ex Conc. Trid. *sess. 23. cap. 14. de reformat.* Idque non solùm, si promotus fuerit per saltum, omisso aliquo sacrorum Ordinum, sed etiam omissis minoribus aut vnoeorum vel etiam omissâ primâ tonsurâ, iuxta declarat. 1588. Notant tamen Dominicus, Præpositus & alij *in d. can. Sollicitudo*, quòd si quis scienter se fecerit ordinari per saltum, vel ambitionem vel superbiam, deponi omninò debeat, nec cum eo dispensari, vel non facilè, & quidem per summum Pontificem, non per Episcopum, Hostiens. *ad d. c. vnicum.*

TITVLVS XXX.

De eo qui furtive Ordinem suscepit.

1 *Furtivè suscipere Ordinem quis dicatur.*
2 *Pœna Ordinem furtivè suscipientis.*
3 *Examen ordinandorum omninò necessarium.*

ALIVD delictum Clerici in suscipiendis Ordinibus traditur hoc tit. dum scilicet furtivè Ordinem suscipit; quamvis cùm quis per saltum promovetur etiam furtivè promoveri dicatur. F

Furtivè suscipere Ordinem quis dicitur, dum clandestinè eum suscipit; quod variis modis. Primò, quando quis sine ordinatione & consensu Episcopi vel sine examine in multitudinem ordinandorum irrepit, *can. Quando Episcopus dist. 24. can Extra conscientiam distinct. 44.* Secundò, quando admissus ad minores tantùm ordines, vnâ & eadem die etiam Subdiaconatum suscipit, *cap. 2. hoc tit.* Tertiò, quando quis contra inhibitionem superioris eodem tempore ad duos sacros Ordines suscipiendos sese ingerit, *c. vlt. hoc tit.* Quartò, quando per saltum ordinatur.

Quantum ad pœnam sic Ordinem suscipientis attinet, distinguendum est: nam prohibitus suscipere Ordinem sub pœna excommunicationis, non potest in ordine sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere citra dispensationem summi Pont. nisi in monasterio aliquo habitum susceperit regularem, ciúsque vita & mores id exegerint; quo casu etiam Abbas illius loci quoad Ordines dispensare poterit, *cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* Si verò sententia excommunicationis lata non fuerit, non poterit Episcopus, post peractam pœnitentiam, nisi alia impediant, dispensare *d. c. 1. 2. & 3.* Alioquin Conc. Trid. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* furtivè ordinatum suspensum esse vult ab executione ordinum, quamdiu Ordinario videbitur expedire. Possèque hodie Episcopum cum furtivè promoto dispensare, si crimen sit occultum & non deductum ad forum contentiosum, ex dicto Concil. *Sess. 24. cap. 7.* tradit Lopez *in Praxi Crim. Canonica cap. 35. in V. Lata est excommunicatio.* 2

Quòd si Episcopus, dum confert Ordines, vtatur his verbis, *Non intendimus ordinare non examinatos & approbatos*, tum qui se ingerit citra examen & approbationem in numerum ordinandorum, denuò ordinandus est, iniunctâ prius pœnitentiâ, ob grave delictum, quòd sic se ingerendo ordinum susceptioni commisit, Lopez *in Praxi Crimin. cap. 25.*

Prædictum autem examen ordinandorum 3
necessarium est non solùm in Clericis sæcularibus, sed & in Regularibus, privilegiis

quibuſcumque quoad hoc penitùs excluſis, iuxta Concil. Trident. *dict. ſeſſ. 23. cap. 12.* Niſi fortè quis ad Epiſcopatum promoueatur, quo caſu valebit perinde Prælatorum atteſtatio, ac ſi publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus oſtendatur, Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 2. de reform.*

TITVLVS XXXI.

De exceſſibus Prælatorum & ſubditorum.

1 *Excedit Prælatus, ſubditos exactionibus premens.*
2 *Item vniens Eccleſias, quod ſolius eſt Epiſcopi.*
3 *Sed neque Epiſcopo vnire qualibet beneficia licet.*
4 *Excedit Abbas ingerens ſe iuriſdictioni Epiſcopi.*
5 *In quibus ſubditus aduerſus ſuperiorem excedere dicatur.*

1 HACTENVS variis Titulis actum eſt de criminibus, omnium Clericorum communibus: nunc paucis agendum eſt de exceſſibus ſiue delictis peculiaribus ipſorum Prælatorum erga ſubditos, & horum erga Prælatos ſiue ſuperiores ſuos.

Excedere licet aliàs idem ſignificet, quod ſuperare & antecellere, tamen hoc loco idem eſt, quod tranſgredi limitem ſeu terminum debitum; & huiuſmodi tranſgreſſio hic vocatur exceſſus.

Prælati verò excedere dicuntur in ſubditos, quando iniquis oneribus eos premunt, quod ipſis ex auaritia, omnium malorum radice, *can. bonorum diſtinct. 47.* commune eſt. A quibus proinde iubentur abſtinere, ſiue Archiep. ſiue Epiſc. ſiue his inferiores, *cap. 1. 2. & c. Nimis iniqua 16.* (vbi recenſentur quindecim grauamina inferri ſolita Religioſis, à quibus iubentur Prælati abſtinere) *& c. Nimis praua 17.* (vbi ponuntur duodecim grauamina Prædicatorum & Minorum, à quibus pariter præcipiuntur abſtinere Prælati) *hoc tit.* puniendi alioqui pro ratione delicti, *dict. cap. 1. in fine.* Imò poſſunt ſubditi Prælati ſuis impunè non parere, ſi quod imperant vel exigunt, ſit contra libertatem & priuilegia, ſui ordinis, *can. ſanè 5. hoc tit.* Et ſi fortè eo nomine Prælati eos excommunicauerint, huiuſmodi excommunicatio eſt nulla, *cap. Cum ad quorundam 7. hoc tit.* tanquam iniqua & iniuſta, cum eos velut filios & fratres benignè ac fraterna debeant charitate fouere, *dict. cap. 1. in princ. & aliis à Gloſ. ibid. citatis in V. charitate.*

Interdum excedunt Prælati, ingerendo ſeſe 2
rebus, non ad ſe, ſed ad ſuperiorem ſpectantibus: veluti, ſi Prælatus, non Epiſcopus, velit vnire Eccleſias, id eſt, ex duabus facere, vnam, quod ad ſolum Epiſcopum ſpectat, *c. ſicut vnire 8. hoc tit.*

Si item Epiſcopus ex vi decreti, Conc. Trid. 3
ſeſſ. 23. cap. 18. quo permittit Epiſcopo applicare & vnire Seminario beneficia ſimplicia primò vacatura, velit vnire ea, quæ eo decreto non comprehenduntur, cuiuſmodi ſunt vacatura per reſignationem, non quidem ſimplicem, ſed conditionalem, in fauorem ſcil. tertij, & non aliter, vel ſub reſeruatione penſionis, aut ſimili, vel quæ ſunt ſuæ collationis; quod non poteſt, *ex declar. Cardd.* Prout nec poteſt facere vnionem Eccleſiæ curatæ cum altera item curata, niſi fortè propter paupertatem, vt inde ſufficiens competentia vni aſſignetur, Conc. Trid. *ſeſſ. 21. c. 5.* & Conc. Prouinciale Mechlin. 1607. à ſede Apoſt. confirmatum: vt neque regularia curata aut diuerſarum dioeceſeon, Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 9. de reformat. & ſeſſ. 24. cap. 13. §. in vnionibus* Similiter licet idem Conc. *ſeſſ. 24. cap. 15.* permittat Epiſcopo vnire præbendis Cathedralibus tenuibus alia beneficia, tamen ex quo loquitur tantùm de præbendis, non extendit ſe conceſſio illa ad fabricam, Sacriſtiam, Capellanias, aut menſam Capitularem, licet tenuem, quia aliud eſt Capitulum, aliud ſinguli de Capitulo. Et hinc fit, quòd debita menſæ Capitulari cedant iis, qui tempore ſolutionis ſunt de Capitulo, etiam de nouo admiſſi, licet debita iam ante ceſſerint, quia ſolutio fit Capitulo, quod ſemper eſt idem, *arg. l. Proponebatur ff. de iudiciis*, non verò ſingulis de Capitulo docet Gonz. *ad reg. 8. Cancell. Gloſſ. 37. n. 25.* ex Calderino *conſ. 21. de præbendis.* Si, inquam, eiuſmodi beneficia vnire Seminario, aut alicui alteri ſiue beneficio ſiue officio, Epiſcopus voluerit, dicetur excedere limites ſuæ poteſtatis ad vniendum.

Excedit & Abbas, non Epiſcopus, ſi is co- 4
gnoſcat de cauſa matrimoniali, aut publicas pœnitentias iniungat, vel indulgentias concedat, quod de iure communi ſolis Epiſcopis permittitur, *cap. Accedentibus 12. hoc tit.*

Interdum

Interdum etiam excedunt Prælati in collatione beneficiorum: veluti, si aliquid suo vsui reseruent, vel sibi ea conferant, *cap. ad aures 3. & cap. Illud 6. hoc tit.* vel si conferant indigno, aut alteri, prima collatione nondum improbata: quo casu conferens pro ea vice potestate conferendi priuandus est, *cap. inter dilectos* 11. *hoc tit.*

5 Contrà subditus in superiorem excedere dicitur, si non sit continens, *cap. Clerici 4. hoc tit.* si Ecclesiam suam, vel sibi subiectam, citra consensum Episcopi subiecerit siue vnierit alteri, non obstante, assensu vel confirmatione Metropolitani, *d. cap. sicut vnire 8. hoc tit.* si de crimine publicè glorietur, *cap. Quam sit graue 9. hoc tit.* si homicidio auctoritatem consiliumve directè vel indirectè præstiterit, *cap. Ex litteris 10. hoc tit.* si, cùm inferior esset Episcopo, publicas pœnitentias iniunxerit aut indulgentias concesserit: aut aliàs dignitatem vel officium vsurparit superioris, *d. cap. Illud 6. hoc tit.* Si Ecclesiasticam læserit potestatem, interdicti sententiam violando, *cap. Tanta est 18. hoc tit.* Si contra fidem homagij præstiti negauerit Prælatum esse suum Dominum, vel de eo coram iudice sæculari conquestus fuerit, aut eundem inuaserit, *cap. Grauem 25. h. t.*

TITVLVS XXXII.

De noui operis nuntiatione.

1 *Nuntiare opus nouum quid sit.*
2 *Quare introducta sit nuntiatio noui operis.*
3 *Forma eiusdem & effectus.* 4.

1 TAM Prælati quàm subditi etiam aliquando excedunt in ædificando seu nouo opere construendo, etiamsi in piis rebus versentur, vt in ædificandis Ecclesiis & aliis locis, in præiudicium vicinorum, vel aliarum Ecclesiarum, aut piorum locorum. Quia verò hic excessus per noui operis nuntiationem coërcetur, ideò hic Tit. inscribitur *de noui operis nuntiatione.*

Opus nouum facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat, *l. 1. §. opus nouum 11. ff. eod. tit.* Nuntiare hoc loco sumitur prohibere: & ideò nuntiat opus nouum, qui denuntiat vicino, ne de nouo ædificet, Nuntiatio verò noui operis est solemnis prohibitio vicino facta, ne in opere nouo ædificando pergat, donec de iure ædificationis constiterit, aut præstita sit eo nomine satisdatio.

Dixi, in opere nouo ædificando; quia noui operis nuntiatio solùm competit aduersus opera, quæ nondum facta sunt, ne fiant, non autem aduersus ea, quæ iam ante nuntiationem facta sunt; nam eo casu recurrendum ad interdictum quod vi vel clam, vel aliud simile.

Fit autem nuntiatio noui operis vel ad con- 2
seruandum ius nostrum, vel ad auertendum damnum, quod nobis infertur, vel ad publicum ius seruandum, *l. 1. §. nunc videamus, iuncto §. nuntiatio ff. eod.* Potéstque fieri à quocumque, cuiusque interest nuntiare, proprio vel alieno nomine, & cuicumque existenti in opere nouo exstruendo, siue is sit seruus, siue liber, siue dominus, siue faber siue maior, siue fœmina, nam sufficit sic fieri, vt domino possit renuntiare.

Quod ad formam attinet, tribus modis nun- 3
tiatur nouum opus, vel simpliciter verbo, vel auctoritate magistratus seu Prætoris per publicam personam, vel denique per iactum lapilli in ipsum opus; *l. de pupillo 5. §. 10. ff. eod.* Et differunt hi modi quòd in verbali nuntiatione possessor amittat possessionem, non autem qui nuntiat per Prætorem vel iactum lapilli.

Effectus huius nuntiationis vtroque iure est, 4
quòd, postquam nuntiatum est, ædificans deficere debeat à cœpto opere: alioqui si spretâ nuntiatione porrò pergat, quidquid postea ædificatum fuerit, sive iure sive iniuria, expensis ipsius ædificantis destrui iubetur, *c. 1. & 2. h. t. dict. l. 1. ff. eod.* tum quia nuntiatio ista est quædam appellatio extraiudicialis, qua pendente nihil attentandum est; tum quia facta nuntiatione, is, cui facta est, iuris, non facti via se tueri debet, id est, iudicem adire, & se illius iurisdictioni subiicere; ideóque si non adierit, ob contemptum iudicis opus factum demoliri cogitur. Quod verum est; nisi notoriè constiterit nuntianti non competisse vllum ius nuntiandi, aut periculum fuerit, aut nuntiatio (quæ debet fieri in re præsenti, id est eo loci, vbi nouum opus fit) facta sit separatim ab opere, id est alio loco, quàm vbi opus fit) nam his casibus impunè iperni potest. Videatur plenius Gaill. *obs. 16.*

Ne tamen per eiusmodi nuntiationem opus aliquod temerè diutiùs impediatur statutum est, vt nouum opus nuntians intra tres menses probet

probet opus inceptum iniuria construi, *dict. cap. 1. & vlt. hoc tit.* Quibus peractis seu lapsis, ædificanti, oblata satisdatione de opere suis sumptibus demoliendo, in casum, quo iniustè ædificatum pronuntietur, permittitur in opere cœpto pergere, *dict. cap. vlt. & l. vnica Cod. eod.*

TITVLVS XXXIII.

De Privilegiis & excessibus privilegiatorum.

§. I.

De Privilegiis.

1 *Privilegium quid, & quomodo à Beneficio ac Legibus distinguatur.*
2 *Privilegia non extendenda extra personas, locum aut rem 3.*
4 *Privilegia quibus modis amittantur.*
5 *Ad privilegij substantiam non est necessaria scriptura.*

1 TRACTATVR hoc tit. de Privilegiis in ordine ad delicta & excessus privilegiatorũ, vel potiùs de vtrisque simul ex proposito; nam vt privilegia Clericis ac Religiosis concessa temerè violari non debent, ita neque delicta eorum manere impunita qui privilegiorum limites excedunt, isque abuntur.

Dicuntur autem Privilegia, quasi priuatæ leges, *can. 3. dist 3.* quia scilicet alicui particulari personæ aut communitati seu corpori, vel loco, speciale ac singulare ius concedunt, vt colligitur *ex dict. can. 3. cap. abbate inf. de verb. signif. & aliis.* Addit communis sententia, contra ius vt distinguat Privilegium à beneficio Principis, quod speciale ius concedit secundum aut præter ius, non autem contra ius, Bart. *in l. 1. ff. de iuris & facti ignor. & in l. fin. C. Si contra ius, &c.* latè Iason. *in l. fin. num. 27. ff. de Constitut. Principum.* Verùm non videtur necessaria additio ista, cùm sæpè vnum pro alio sumitur, aut sub alio contineatur, tanquam species, vt privilegium sub beneficio, provt ostendit Suarez 8. *de legibus cap. 1. num. 5.* possitque privilegium etiam præter ius dari.

A cæteris autem legibus distinguitur privilegium quod illæ ius commune statuant & concedant, hoc verò ius singulare, * & ideo 2
ad alios, quàm quibus concessum est, non extenditur, licèt in aliis vel par vel maior sit ratio, *cap. Sane 9. hoc tit. cap. Privilegia de R. I. in 6. & aliis similibus.** Similiter nec ad alia loca vel res, 3
quàm quæ privilegij tenore exprimuntur, producitur, *cap. Porrò hoc tit.* Ideóque exemptus, ratione certæ rei vel certi loci, non censetur exemptus ratione alterius rei aut loci, *cap. Cum Capella 16. h.t.* quæ Constitutio est Innoc. III. cui inhærendum esse peculiariter censuit Conc. Trid. *sess. 24. cap. 11.* deque hac re videri plenius potest Vveym. *in sua Analysi ad d. c. Cum capella*; vbi latè tract. de Capella Ducis Burgundiæ, cuius in *dict. cap.* fit mentio. Hinc etiam exempti vel privilegiati, licèt non teneantur nisi coram suo iudice respondere aduersariis, tamen ratione delicti, contractus, aut rei, in loco non exempto, coram locorum Ordinariis conueniri possunt, vbi vel deliquerint, vel contraxerint, vel res sua sita est, non etiam ratione domicilij, *cap. Volentes h.t. in 6.*

Similiter privilegium monasterio indultum, ne Monachi eius possint à quoquam interdici, suspendi vel excommunicari, accipiendum est de Monachis in ipso monasterio commorantibus, vel in Ecclesiis eidem quoad temporalia & spiritualia subiectis non etiam de aliis, aut aliò missis, puta ad Ecclesias vel Prioratus subiectos Ordinariis: quia tunc loci Ordinarius, non obstante privilegio vel qualitate monachali, etiam quoad prædicta in eos iurisdictionem exercere poterit, quamdiu ibi manent, *cap. Quoniam 21. h.t. dict. cap. Volentes §. in eos autem*; quæ est Constitutio Innoc. IV. quam & Conc. Trid. *sess. 7. cap. 14. de reformat.* innouandam censuit. Neque enim monasterio aliquo per privilegium exempto à iurisdictione Ordinarij, ideò & capellæ, eidem monasterio subiectæ, censeri debent exemptæ, *dict. cap. Cum capella & c. Ex ore 17. hoc tit.* quia non facilè præsumitur summus Pontifex iurisdictione Ordinarij velle in aliquo derogare, nisi id in terminis expressum sit, *cap. Pastoralis 19. hoc tit.* quia privilegium, vt dixi, ius est singulare, quod neque vltra res, aut loca, quàm quibus datum est, extendi debet: ita vt non vlteriùs detrahat iurisdictioni Ordinarij, quàm diserte exprimit, & eatenus cesset, quatenus contra illud præscriptum est in toto vel in parte. Sicque interpretandum venit, vt quantum fieri potest, non lædatur ius commune aut tertij, vt colligitur *ex l. Quoties Cod. de precibus imp. offerendis, cap. 2.*

&

& 2. sup. de presbyt. modo tamen per talem interpretationem non reddatur prorsus inutile, *cap. in his 30. hoc tit.*

Quòd si instrumentum privilegij perditum sit, per testes probari poterit, si modò de his tribus deponant; primò, quòd instrumentum privilegij aliquando extiterit; secundò, quòd talis fuerit eius tenor, qualis fuisse asseritur à privilegiato; tertiò quòd illud fuerit sine vitio, *cap. Cum olim 14. hoc tit.*

4 Amittuntur verò privilegia semel concessa pluribus modis, de quibus videre licèt Panormit. *in cap. suggestum sup. de decimis*, Felin. *in cap. Qua in Ecclesiarum sup. de Constitut.* Primò, amittitur privilegium morte privilegiati, si personale sit, *cap. Privilegium de reg. iuris in 6. & aliis.* Cæterùm licet mandatum obitu mandantis finiatur, non tamen privilegium morte concedentis, quia privilegia Principis perpetua sunt, & decet esse mensura, *can. 1. & 2. 25. quæst. 2. can. decet de R. I. in 6.* Sunt enim fauores & gratiæ, quæ morte concedentis non extinguuntur, vt colligitur *ex cap. Si cui nulla de prabend. in 6. & aliis.* Aliud dicendum, si concedens privilegium, addiderit, donec decessero, aut vsque ad beneplacitum meum, Suarez *dict. loc. cap. 32. sup. finem.* Vbi etiam *num. 2. & seqq.* docet, quando destructo loco, cui concessum est privilegium, finiatur, & restituto restituatur. Secundò per abusum, si privilegiatus suo privilegio deroget, *cap. dilecti 4. cap. Vt privilegia 24. in princ. eod.* Vide Suarez *de legibus lib. 8. cap. 36.* Tertio, lapsu temporis, quod privilegio constitutum est, *dict. l. Quoties C. de precib. Imp. offer.* Sex hic modus obtinet tantùm in privilegio temporali. Quartò, si privilegiatus contrauenial suo privilegio. 5. per delictum. 6. si datum sit ad faciendum aliquid, eoque per decennium non vtatur privilegiatus, data vtendi facultate & occasione, *arg. l. 1. ff. de nundinis.* An verò privilegium datum ad aliquid faciendum finiatur vnico actu, vide Suarez *dict. lib. 8. cap. 29. n. 7.* Contraria præscriptione 30. aut 40. annorum, *cap. si de terra 6. cap. accedentibus 15. hoc tit.* Vide Suarez *dict. lib. cap. 34. 8.* Cessante ex toto causa finali, *cap. Cum cessante sup. de appellat. 9.* Si incipiat alicui esse perniciosum, præsertim ei, in cuius bonum datum, *suggestum & ibi Gloss. sup. de decimis 10.* per sententiam latam contra privilegium, in iudicio exhibitum, à qua non fuit appellatum, *arg. cap. suborta in fine & ibi Glos. sup. de sent. & re iudicata 11.* Privilegium speciale prius tollitur per speciale posterius, faciens mentionem de prioris, *cap. Caterum cap. Cum ordinem sup. de rescriptis.* Similiter generale privilegium prius, sicut & mandatum, per posterius speciale tollitur, licèt prioris generalis nullam faciat mentionem, *cap. 1. & cap. Pastoralis sup. de rescript.* Speciale verò privilegium non tollitur per subsequens generale, nisi de eo mentionem fecerit, *dict. cap. Cum Ordinem*, nam species semper derogat generi, sive præcedat, sive sequatur, Abb. *in cap. sup. de rescriptis 12.* Per renuntiationem tacitam vel expressam, de qua, quomodo fieri possit vel non, vide Suarez *dict. lib. cap. 33. cum aliis quos citat. 13.* Per reuocationem, de qua vide eundem Suares *dict. lib. cap. 37. cum aliis, quos citat.* Quid autem dicendum sit, quando locus vnius vel Ecclesia alteri vnitur, vide Glos. & Hostiens. *in cap. 1. sup. ne sede vacante, &c.*

Denique licèt privilegium sit rescripti spe- 5
cies, ad substantiam tamen eius non requiritur scriptura, vt satis colligitur *ex can. institutiones 25. quæst. 2. Clement. Dudum de sepulturis*, ibi, *gratias aut privilegia, verbo aut scripto concessa, & ibid. Glos. ac de Extrauag. DD. Dominici de pœnit. & remiss.* ibi, *tam verbo quàm scripto confectis exinde litteris, vel non*: & iterum, *quas concedi quomodolibet in posterum continget, verbo, litteris, &c.* Subinde tamen requiritur scriptura ad privilegij probationem.

§. II.

De excessibus privilegiatorum.

1 *Privilegia praua interpretatione non extendenda.*

2 *Privilegia regularium quatenus limitata aut limitanda.*

QVantum ad excessus privilegiatorum attinet, de quibus, quatenus privilegiati sunt, hoc tit. agitur, sciendum, huiusmodi excessum non esse aliud, quàm privilegiorum abusum. Nam sicut privilegium alicui datum neque directè neque indirectè est à quoquam violandum, *c. Quando 26. hoc tit.* nec maligna interpretatione ita restringendum, vt privilegiato prorsus sit inutile, *cap. in his 30. hoc tit.* ita è diverso privilegiati non debent praua interpretatione privilegia sua, contra & præter mentem concedentis, in alterius præiudicium producere & extendere. Et propterea exemptis per privilegium à iurisdictio- 1

ne Ordinarij non licet Ecclesias vel decimas de manu laicorum sine consensu Diœcesani recipere, *cap. 3. hoc tit.* Similiter non licet excommunicatos nominatim vel interdictos ab Episcopo admittere ad divina vel sepulturam, *dict. cap. 3. Excomunicatos & cap. ad hæc hoc tit.* nec in Ecclesiis suis, quæ ad eos pleno iure non pertinent. Presbyteros, inconsulto Episcopo, instituere vel destituere, *dict. cap. 3. in Ecclesiis.* Hinc etiam exemptus in loco non exempto potest absque licentia Episcopi; &, de facto construxerit, cedit iure Episcopi, *cap. Cum olim 14. hoc tit.* Denique confratres exemptorum seu ipsorum oblati, nisi se ad eos in totum transtulerint, nullatenus eximuntur ablatur ab Episcopali iurisdictione, *dict. cap. 3. §. de confratribus:* & quicunque privilegiis suis quoquo modo abutuntur, vel aliorum privilegiis derogant, suis priuandi sunt, *cap. dilect. 4. & cap. vt privilegia in princ. 24. h.t.*

2 Cæterùm licèt Regulares variis summorum Pontificum privilegiis à iurisdictione Ordinariorum sint exempti, prout videre licet ex eorum priuilegiis, latè collectis & explicatis apud Eman. Roder. *Quæst. Regular. tom. 1. à quæst. 45.* omnesque tam Mendicantes quàm non mendicantes sua sibi privilegia communicent, illisque æqualiter, etiam vni tantùm Ordini concessis, gaudeant: in plurimis tamen ista eorum privilegia fuerunt à diversis Pontificibus restricta & limitata, speciatim ab Innoc. III. in Conc. Lugdunensi. Bonif. VIII. *tot. hoc tit. in 6.* Conc. Constantiensi *sess. 43.* Leone X. in Conc. Lateranensi, Constitutionem, *editam an. 1516.* refert Piasc. *2. part. cap. 3. a. 6. num. 5.* ac nouissimè per Conc. Trid. prout videre licet tum apud Piasc. *dict. loc.* vbi ex professo tradit casus, quibus non obstantibus suis privilegiis, subsunt iurisdictioni Episcoporum, tum apud Erasc. Choquier *tract. de iurisd. Ordinarij in exemptos part. 2. quæst. 45.* vbi eiusmodi casus 116. enumerat. Videatur etiam Zyp. *hoc tit.* qui *num. 2.* refert ex Chopino à Senatu Parisiensi iudicatum, huiusmodi exemptionem non extendi ad iura quædam honorifica: Episcopo in Ecclesia exempta adiudicatam eminentiorem sedem: sacrum concionandi munus aut Concionatoris dandi arbitrium, irrequisito Canonicorum collegio, & ius dimissorias litteras tribuendi, cum libero in confessum Capituli introitu, quoties de Ecclesiæ commodis obsequiove Principi debito Concilium iniretur. Insuper tradit, quòd, licet sacra Congregatio censuerit, Regulares Canonicos, qui de mandato suorum Superiorum Parochiali Ecclesiæ, suo monasterio vnitæ, deseruiunt, si delictum commiserint, curam animarum aut administrationem Sacramentorum non concernens, non posse ab Ordinario, sed tantùm à superiori Regulari puniri (quod quomodo concordet cum *cap. 3. sess. 6.* Conc. Trid. se non videre ait:) nihilominus in his partibus possessio habeat, vt qui in cura extra monasterium stant, pleniùs subdantur correctioni ordinariæ. Addit ex Gonzales *ad reg. 8. Cancell.* Gregorum XIII. statuisse non licere Canonicis regularibus congregationis Lateranensis habere beneficia curata in perpetuum vel etiam ad tempus absque dispensatione summi Pontificis. Et ita nunc praxim Romanæ Curiæ habere, vt qualescumque Monachi sine dispensatione Papæ beneficia curata obtinere non possint. Quamvis autem exempti ab Episcopo excommunicari nequeant, nisi in casibus, in quibus Conc. Trident. vult cessare eorum exemptiones, *cap. vlt. sess. 25.* Bulla Pij V. *incip. In Principis* 1565. 24. *Febr.* tamen in casibus, in quibus à iure excommunicantur, citari possunt, & declarari excommunicati & vitandi, Zyp. *hoc tit. in fine.*

TITVLVS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

1 *Purgatio duplex Canonica & Vulgaris.*
2 *Canonica quomodo fiat.*
3 *Compurgatores quot & quales assumendi. 4.*
5 *Pœna deficientis in purgatione.*
6 *Purgatio quando permitti debeat.*

1 TRACTATV criminum absoluto, restat posterius huius libri caput de pœnis, quibus ea coërcentur & puniuntur. Verum cùm pœna infligi nequeat, nisi crimine luce meridiana clariùs probato, *l. vlt. Cod. de probat.* & tamen, deficientibus accusationibus vel probationibus, crimina manere impunita reipubl. pernitiosum sit; introducta est purgatio, quâ reus de obiecto sibi crimine se purgat seu excusat: sic enim accipitur hoc loco Purgatio, estque duplex Canonica, vulgaris.

Purgatio Canonica est innocentiæ alicuius criminis, de quo quis diffamatus est Canonicè facta ostensio, seu demonstratio. Colligitur

ex

ex cap.2.3. & 4. hoc tit. Vocatur Canonica, eò quòd à sacris Canonibus inuenta & prodita sit, *tot.h.t.decretal.*contra Vulgarem.

2 Et fit hoc modo: in primis reus, tactis sacrosanctis Euangeliis, iurat se crimen obiectum non perpetrasse, nec per se, nec per submissam seu tertiam personam, neque aliquem suo nomine se sciente commisisse, *cap. Quoties 5. hoc tit.* modò fide dignus sit: nam hoc iuramentum nec temerè nec nisi fide dignis deferri debet & solet:

3 Insuper adhibet sibi compurgatores, interdum duodecim, interdum septem, interdum pauciores, pluréve, *cap.8. & 10. hoc tit.* pro arbitrio scilicet iudicis, pro qualitate delicti, personæ, rei compurgatorum numerum determinabit, vel ita videbitur, compurgatores omittet, *dict.cap.8. V. sicut expedire, cap. Significasti in V. iuxta arbitrium tuum sup.de adult. & aliis.* Quin imò quandoque ipsius rei, si leuior sit diffamatio, simplici negatione contentus erit. Planè *in c. qui Presbyterum 17.quæst.4.* statuitur, vt qui Presbyterum occiderit, si liber sit, cum septuaginta duobus iuret) magno sanè numero nisi fortè legendum sit duodecim, vt alij Codices habent: sin autem seruus, super duodecim vomeres feruentes se expurget; quæ est purgatio vulgaris, postmodum ab Honorio III. damnata, *cap. vlt. inf. de purgat. vulgari.*

4 Debent autem hi compurgatores esse vicini, probatæ & honestæ vitæ, *cap.Cum dilectus 11. hoc tit.* saltem de nullo crimine condemnati vel suspecti, *cap. Constitutus 9. hoc tit.* qui reum familiariter nouerint, *cap.Cum P.7. hoc tit.* & iurare, tactis sacrosanctis Euangeliis, se credere, reum crimen obiectum non commisisse, & verùm iurasse. Vnde hoc iuramentum compurgatorum est credulitatis; rei verò, qui se purgat veritatis, *d.cap. Quoties cap.de testib.13. hoc tit.*

5 Quòd si verò diffamatus de crimine defecerit in hac purgatione, vel quia iurare nolit, vel quia non inueniat compurgatores, qui eum expurgare velint, tanquam conuictus de crimine, auctorque sceleris puniendus erit, *c. de hoc 11. cap. insinuatum 13. sup. de simonia*; & si crimen tale sit, quod mereatur depositionem, deponendus, *dict. cap. Cum 3.* Quin etiam si crimen graue sit, vel monitus non vitauerit occasionem, quæ eum infamem reddat, suspendi potest ab officio & beneficio, donec se purgauerit, *cap.2.*

6 *& c.inter 10.h.t.*

Non permittitur tamen hæc purgatio, nisi vbi de crimine magna est suspicio, nec tamen magna probatio, *cap.Cum delictus 15. hoc tit.* vbi enim crimen aliter probari potest, vel adsunt indicia ad torturam, non est indicenda purgatio, *d.cap. Si quis de gradu hoc tit.* Ricc. *decis.680.* sicut nec vbi crimen est notorium vel propria confessione, vel testibus, vel euidentia facti, sed debita tunc pronuntiatur sententia & pœna infligitur, *dict.cap.Cum dilectus*, ideoque hoc remedium subsidiarium reputatur, Ricc. *d. loc.* Sic nec reo indicenda est necessariò, quando infamia ortum non habet ex probabilibus coniecturis, sed tunc diffamatus simpliciter absoluendus est, nisi aduersarius valde instet, *cap. Cum in iuuentute 12. versic. cæterum quia procurator hoc tit.*

Cæterùm licet hæc purgatio à sacris Canonibus inducta sit, & pro magna parte in desuetudinem abierit, præterquam in Regularibus, Ricc. *dict. decis.680.* nec olim fuerit in vsu, nisi quoad Clericos, Iul. Clarus *§.fin. quæst 63. n.4.* tamen in foro etiam sæculari vsu receptam esse quibusdam in locis, veluti in Flandria & aliis, testatur Damhouderus *in Praxi Crimin.cap.44.* præsertim in causis hæresis, Iul. Clarus *dict.loc.* Bern. Diaz. *praxi Crim. Can.cap. 149. num.2. & ibid.* Lopez *ad cap.148. in fine*, & potissimùm, dum aliquis accusator non est, *cap. Nos inter 6. hoc tit.* Notatque Zyp. *hoc tit. num.1.* Ioannem Ducem an. 1312. in tabulis Legatum Brab. sanxisse, vt ad huiusmodi purgationem admittatur diffamatus cum duobus compurgatoribus; qui si extraneus sit, iuret se innoxium, & innocentiæ suæ, testes siue compurgatores inuenire non posse. Addit ex Concordatis Hannoniæ initis inter Episcopum Cameracensium & Consiliarios suæ Maiestatis, 2. *Martij* 1541. quòd in casu vehementis suspicionis aut notoriæ diffamationis, deficiente probatione, Officialis possit indicere modo consueto purgationem.

Effectus autem purgationis huius est, absolui, & in pristinum statum restitui, *can.omnibus 2.quæst.5. Mennam, Presbyter ibid.* non tantùm, si omninò innocentes fuerint, sed & si culpam commiserint, ex qua nata fuerit diffamatio, vt patet ex *dict.cap.Inter 19. hoc tit.* vbi Decanus, ob culpabilem familiaritatem cum hæreticis diffamatus & suspensus, purgatione peracta, fuit loco restitutus. Sic verò purgatus & restitutus deinceps vitam suam instituere bonisque operibus adornare debet; vt infamia conuertatur in bonam famam, & scandalum ac suspicio omnis de Catholicorum mentibus deleatur, *dict.c. Inter in fine.*

Æquum porrò videtur, vt se purgans si causam culpabilem suspicionis dederit, condemnetur in expensas, prout olim obtinuisse, & cautum esse in statutis Curiarum Ecclesiasticarum provinciæ Mechlin. 12. *Octob.* 1617. atque obseruatum à Conc. Brabantiæ eodem anno, refert Zyp. *d. loc. num.* 3. Quamquam in Concordatis Hannoniæ cum Episcopo Cameracensi an 1449. decretum fuerit, ne reus, per purgationem absolutus, expensas vllas luat. Vide Diaz *c. vlt. sup. prax. & ibid.* Lopez.

TITVLVS XXXV.

De Purgatione vulgari.

1 *Purgatio vulgaris quo pacto fiat.*
2 *Causa prohibitionis.*

1 PVRGATIO Vulgaris, sic dicta à Vulgo (à quo instigante diabolo, inuenta & inducta est) fit vel per duellum, vel per aquam calidam aut frigidam, vel per ignem, id est per ferrum candens, per prunas & rogum, vel alia similia, *cap. Ex tuarum 8. de purgat. Canonica, cap. 1. & 2. fin. hoc tit. can. Monomachiam 2. quæst. 5.* Vt v.g. si alter alterum criminis alicuius accuset, quod probare non possit, & prouocet ad duellum, vt vter ceciderit, is habeatur reus criminis vel falsæ accusationis, *dict. cap. 1. & 2. hoc tit.* vel si quis dicat se falsò accusatum, & ferrum candens manu comprimat, vel semper ignitum ferrum nudis plantis incedat, absque adustione, habeatur innocens; sin secus, reus *c. vlt. hoc tit.* Exempla refert Couar. *l. 4. var. resol. cap. 23. & ibid. in Annotat.* Vffelius Delrio *disquisit. magic. lib. 4. c. 4. q. 4. sect. 3.*

2 Cæterùm hæc purgatio tribus de causis meritò sacris Canonibus reprobata & vetita est. Prima, quia per eam sæpè contingeret quem condemnari, qui esset absoluendus; & absolui, qui condemnandus, *d. c. 2. h. t.* Secunda, quia inuenta à diabolo, *can. Mennam. can. Consuluisti 2. quæst 5.* Tertia, quia per eam tentetur Deus, *d. c. vlt. h. t.* Vbi tamen publica salus duellum exposceret, licitum esset, imò laudabile, *arg. text. in l. 1. § sed si quis operas ff. de postulando*; vbi, licèt locans operas, vt cum bestiis pugnet, sit infamis, tamen non est infamis, qui locat operas, vt expugnet feram, regioni noxiam. Videatur plenius de vtraque hac purgatione Tholosan. *Synt. iuris Vniuersi l. 48. c. 35.*

TITVLVS XXXVI.

De Iniuriis & damno dato.

§. I.

De Iniuriis & earum pœnis.

1 *Iniuria generaliter & specialiter sumitur.*
2 *Specialiter pro contumelia, & fit re aut verbis.*
3 *Pœnæ iniuriantium ex vtroque iure.*

1 IN iudicio criminali prosequendo & terminando non solùm de pœna, ob crimen commissum luenda, tractandum est, verùm etiam de priuata iniuriarum aut damni dati reparatione. Sed & cùm deficiente accusatore, & purgatione Canonicè præstitâ, absoluendus sit reus, teneaturque accusator siue denuntiator accusator actione iniuriarum & de damno dato, ideó recto ordine subnectit hunc Tit. Pont.

2 Iniuria dupliciter sumitur, generaliter & specialiter. Generaliter dicitur omne id, quod non iure fit, indeque suam appellationem habet, *l. 1. ff. de iniuriis.* Specialiter rursus tripliciter sumitur, primò pro contumelia, quæ à contemnendo dicitur; secundò, pro culpa seu damno, culpâ & non iure dato, vt in *lege aquilia*; tertio, pro iniquitate seu iniustitia, vt quando iudex iniquè iniustè iudicat. Hic verò sumitur pro contumelia; & duobus potissimùm modis fit, re & verbis. Re, si manu alicui inferantur: vt si quis alium pulset aut verberet. Verbis fit dupliciter; Primò, quando quis ad contumeliam alterius verba contumeliosa profert. Vnde & conuitium dicitur: significat enim conuitium iniuriam verbis factam, *dict. l. 1. §. 1. ff. eod.* maximè si cum vociferatione & in cœtu hominum fiat, aliàs non dicitur propriè conuitium, sed infamandi causa dictum, *l. Item §. ait Prætor*: veluti si quis in cœtu hominum alium appellet scurram, nebulonem: si dicat, Tu mentiris, licet addat, saluo honore; quia verbum iniuriosum præcedens declarat voluntatem iniuriantis, quæ deest in reseruatione inde facta, & quia dici solet, protestationem repugnantem cum ipso actu esse nullam, *arg. l. Cum precario*

precario ff. de precario. Secundò fit litteris seu scripturâ, vt si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem aut carmen famosum, vel historiam, scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, sive suo sive alterius nomine, vel sine nomine: item qui emendum vendendumve curauerit, *l. lex Cornelia* 5. §. *si quis librum* 9. *ff. h. tit.* inuenerit, elegerit, nec corruperit, sed dolosè manifestarit, *l. vnica C. de famosis libellis.*

Ex famoso autem libello grauissima nascitur iniuria, quæ pœnâ capitali punitur, *d. l. vnica C. de fam. libello*; nempe si criminaliter agatur, alioqui, si ciuiliter, condemnatus iubetur esse intestabilis, *dict. l. si quis librum.* Eaque constituta est non tantùm in auctorem libelli, sed & in eum, qui de via repertum non decerpserit, sed euulgauerit & in publicum proiecerit, vt à quovis legeretur.

3 Cæteroquin quòd ad pœnas & æstimationem iniuriarum attinet, illud hic præmittendum est, iniurias quasdam pertinere ad læsionem corporis, vt cùm quis pulsatur aut verberatur; quasdam ad læsionem dignitatis: vt cùm comes matronæ abducitur; alias ad infamiam, vt cùm pudicitia alicuius attentatur *d. l.* 1. §. 2. alias ad læsionem rerum, *vt in tit. ad leg. aquiliam.* Rursus ex his quasdam dici iniurias atroces, quasdam leues. Atroces sunt contumeliosiores & maiores, habita ratione personæ, temporis, loci & rei, prout hæc omnia explicantur *in l. aut facta* §. 1. *ff. de pœnis l. Prætor edixit* §. *atrocem cum l. sequenti, ff. hoc tit.* §. *atrox instit. eod.*

Pro varietate igitur iniuriæ, atrocis vel leuis, crescit vel minuitur æstimatio iniuriæ. Agiturque ob iniuriam aut ciuiliter aut criminaliter. Ciuiliter, ad æstimationem iniuriæ, vt scilicet Iudex tanti reum condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris, prout ei visum fuerit, §. *in Summa*: *iuncto* §. *Pœna instit. eod.* Criminaliter agitur ad pœnam extraordinariam, officio iudicis reo irrogandam. Et quidem vtroque hoc modo agitur ex præscripto iuris Ciuilis, quo etiam vna actio tollit aliam, *l. 6. 7. & vlt. de eod.* quia vtrumque iudicium ad pœnam & vindictam comparatum est, & vnum idemque delictum vindicari iterum non debet, *l. Senatus* 14. *ff. de accusationib.*

At iure Pontificio si quis in Clericum aut Religiosum violentas manus iniecerit, excommunicatur ipso facto, *can. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *cap.* 5. *cum similibus inf. de sent. excommunicat.* & in eum, qui Cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percusserit, &c. veluti in reum læsæ maiestatis animaduertitur, *c. Felic. de pœnis in 6. vbi pleniùs vide.* Qui autem in Episcopum hæc perpetrauerit, iisdem ferè pœnis coërcetur, *Clement. 1. de pœnis cap. vnico eod. tit. in 6.* Denique qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumelioſa confinxerit, & repertus scripta non probauerit, flagellari debet. Qui autem libellum famosum inuenerit, nec ruperit, quasi auctor huiusmodi delicti vtroque puniendus est, *cap. 1. & vlt. V. quæst. 1. l. vnica C. de famosis libellis.*

§. II.

De Damno dato.

1 *Damnum quoque modo datum reparari debet.*

2 *Victus victori condemnandus in expensas.*

SEd probato crimine reus ante omnia damnum alteri iniuriâ quoquo modo, etiam leuissimâ culpâ datum, sive per se, *cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* sive per alium, vel alij opem ferendo, *cap. vlt. eod.* planè resarcire debet, *dict. cap. 1. & cap. 6. eod.* sive Clericus sit, sive laicus, *c. olim 7. h. t.* sive damnum datum sit in rebus vel animatis vel inanimatis, *tot. tit. ff. & Codice, ad L. Aquiliam & potissimùm, l. in lege ff. eodem*, quia factum suum cuique nocere debet, non alteri, vt habet, regula iuris, *l. imperitia* 132. *ff. de R. I.* cùm non debeat quis affectare id, in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem imperitiamve suam alicui futuram periculosam. Idem est in eo, cuius negligentia damnum illatum est: vt in Medico; qui deseruit curationem ægroti; in Notario, cuius negligentia error in instrumento admissus est; in eo, qui negligenter ignem custodiuit, ne longiùs serperet: nam hi omnes & similes ad restitutionem damni rectè conueniuntur, vt latiùs tradit Canis. *in Summa, lib. 3 tit. 2. §. damnum*, quem pleniùs vide, vt & ea, quæ traduntur *in tit. instit. ad L. Aquiliam, & de not. alib. actionibus*, ne superfluè, quæ ibi traduntur, repetamus. 1

Non solùm autem damnum illatum resarcire reus debet, sed & expensas, quas occasione litis iniustè motæ aduersarius iustè fecerit, refundere tenetur *dict. cap. olim 7. hoc tit. 4. inf. de pœnis*: quia regulariter victus victori in expensas condemnatur, etiam in causis ciuilibus & 2

pecuniaris, *cap. Properandum § sive autem Cod. de iudiciis.* Adeò vt statutum de damnis non resarciendis disponens, etiamsi quis illud servare iuraverit, non extendatur ad expensas, *c. Innostra 8. hoc tit.* quia aliud appellatur damnum, aliud expensæ; & iuramentum strictè accipiendum est de iis tantùm, de quibus expressim fuerit actum.

TITVLVS XXXVII.

De Pœnis.

§ I.

Pœnæ quotuplices & quo pacto infligendæ.

1 *Pœna à mulcta in quibus distinguatur.*
2 *Pœna alia Civilis; alia Criminalis.*
3 *Civilis alia Conventionalis, alia Legalis, alia Iudicialis.*
4 *Criminalis alia Perpetua, alia Temporalis.*
5 *Temporalis alia Pecuniaria, alia Corporalis, alia Spiritualis.*
6 *Pœna item alia est Personalis, alia Realis, alia Mixta.*
7 *Item alia Capitalis, alia non capitalis.*
8 *Iudex Ecclesiasticus secundum Canones iudicare debet.*
9 *Quid Iudex in infligenda pœna attendere debeat.*
10 *Etiam hæredes delinquentium iure Canonico interdum puniri.*
11 *Iudex Ecclesiasticus quatenus pœnam pecuniariam infligere possit.*

1 REI criminum, de quibus hucusque satis superque actum est, præter damna & expensas, etiam pœnas pati debent; easque vel à Canonibus statutas, vel arbitrio, Iudicis pro qualitate criminis, infligendas, si nullæ à Canonibus statutæ sint, *cap. Dilectus filius 11. hoc tit.* cùm vt dicitur *in cap. Vt fama §. 1. inf. de sent. excommunic. leg. Ita vulneratus § fin. ff. Ad L. Aquil.* expediat Reipubl. ne crimina maneant impunita, & eo fine pœnæ adinventæ sint, vt homines à delictis coërceantur & in officio contineantur eoque pacto Respubl. pacata & tuta sit.

Pœna (à Pendendo dicta iuxta Varronem *de Lingua Lat.*) est supplicium, quo quis ob delictum afficitur; sive noxæ vindicta, seu delictorum omnium coërcitio vel satisfactio, à lege vel ministro legis imposita. 2

Distinguitur à Mulcta; primò, quòd pœna generale sit nomen, omnium delictorum coërcitio; mulcta verò specialis delicti. Secundò, quòd multa animadversio tantùm pecuniaria sit, Pœna etiam capitis & existimationis irrogari soleat. Tertiò, quòd pœna à lege, mulcta ex arbitrio eius, qui mulctam dicit, & vt plurimùm vbi pœna non est à lege imposita, indicatur. Quartò, mulctam is indicere potest, cui adiudicatio data est, pœnam verò quisque cui criminis executio competit irrogare potest, ita hæc discrimina traduntur *in l. Aliud fraus 131. ff. de verb. signif.*

Dividi autem pœna in genere multifariam 3
potest; & primò in Civilem & Criminalem. Civilis est, quæ non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum, puta civiliter agentis, etiam de crimine, *arg. l. vnica C. Quando civilis actio præiud. crim.* Et hæc vel est Conventionalis, vel Legalis, vel Iudicialis. Conventionalis ex conventione partium, veluti si quid datum sanctumve non fuerit, committitur & præstatur: ita vt, si vterque conventioni contraveniat, vterque in pœnam incidat, *cap. Constitutus 7. hoc tit.* Legalis est pœna civilis, quæ à lege imponitur, pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam aut contemptum. Iudicialis propriè est, quæ à Iudice infertur.

Criminalis est, quæ tendit ad vindictam pu- 3
blicam; totiésque infligenda est, quoties delictum iteratur, *c. 1. h. t.* * Et hæc dividi potest 4
in Perpetuam & Temporalem, quarum illâ nuquam vnus pro alio punitur, *can. 1. q. 4.* & de qua intelligitur illud, *Filius non portabit iniquitatem patris.*

* Temporalis subdividi potest in Pecunia- 5
riam, Corporalem Spiritualem. Pecuniaria alias Mulcta vel Emenda, vel Compositio vocatur. Tholosan. *Partit. Iuris can. lib. 4. tit. 16. cap. 1.* Corporalis est duplex: alia enim corpori ipsi infligitur, alia autem versatur circa statum vel dignitatem personæ, vt servitus, infamia. Spiritualis est quadruplex. Excommunicatio, Interdictum, Suspensio & Degradatio, de quibus dicetur postea.

Aliter dividi solet pœna in Personalem, Re- 6
lem & Mixtam, Personalis est, quæ personam tantùm afficit, vt Depositio, Suspensio, Excommunicatio, Incarceratio, in monasterium detrusio

detrusio, Verberatio, Servitus, Relegatio ad triremes, publica ad infamiã criminosi in theatro aut columna ostentatio, quam moribus nostris infamiam irrogare asserit, Bus. *ad l. Ictus ff. de his qui notantur infamia*, vt refert Zyp. *hoc titulo*, Realis est, quæ in odium personæ rebus imponitur; vt missio in possessionem beneficij vel eius privatio, rerum confiscatio. Mixta denique est, quæ partim est personalis partim realis, vt Interdictum, absolutio vassalli à fidelitate.

7 Tertiò, dividi potest pœna in genere secundum divisionem criminum: vt enim crimina alia sunt capitalia, alia non capitalia, ita & pœnæ aliæ capitales, *l.3. ff.de publ. iudiciis.* Capitalem pœnam dividit Iurisconsultus *in l. Capitalium ff.de pœnis*, in vltimum seu summum supplicium, metalli, coërcitionem & deportationem. Vnde patet capitalium alias esse maiores, alias minores. Quin etiam inter vltimi supplicij pœnas maior ea dici potest, quæ maius opprobrium infert. Alias divisiones pœnarum omitto, de quibus videri potest Tholos. *d.loco.*

§ Porrò sicut Iudex sæcularis secundum leges civiles iudicare debet, *Institut. de officio Iud. in princ.* & à præscripta iure pœna non discedere *l.1. §.1. Ad SC. Turpill.* ita & Iudex Ecclesiasticus secundum Canones iudicare, nec à pœnis per eos statutis recedere debet, *cap.1. sup. de constitut. cap.1. sup.de sentent.& re iudicata.* nisi causa subsit, quia tum permissum est vtrique pœnam vel augere vel minuere, vel etiam prorsus remittere, *cap. fin. sup. de transact. l.3. & 4. Cod. Ex quibus causis irrog. infamia*; pro varietate scilicet circunstantiarum, causæ, personæ, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, & eventus, *l. Aut facta* 18. *ff.h.t.*

9 Nam in primis in infligenda pœna Iudex diligenter attendere debet, an delictum sit voluntarium, an involuntarium, tunc enim maleficia puniuntur, cùm ex corde committuntur, *Gloss. in cap.1. sup. de convers.coniugat.can. Illa cavenda* 15. *quæst.1.* Similiter considerare debet personarum statum, conditionem, gradum, qualitatem, *l.2. & 3. ff.de termino moto.* Sic quoque diversitas temporis plurimùm facit ad distinctionem criminum & pœnarum, *can. fin. distinct.* 14. sicut & loci, *can. Ante terminum can. Aliter distinct.* 30. *c. Cum olim sup. de Clerc. coniugatis.* Vt & diversitas quantitatis: nam qui ovem surripit, fur; qui gregem, abigeus dicitur, *d.l. Aut facta l.1. & fin. ff. de abigeis.* Et vt delictorum alia sunt maiora, alia, minora, *c. adulterij malum, c. flagitia, c. Quod in omnibus* 31.*q.7.* ita & pœnarum aliæ maiores, aliæ minores: quas ita inferre Iudex Ecclesiasticus debet, ne vnquam pœnam ingerat sanguinis, *c. Clericu & c. penult. sup. Ne Clerici vel Monachi, &c.* sed vt, si quando vel ex delegatione Principis vel alio iure cognitio criminis, pœnam sanguinis exposcentis, sibi competit, eam vel ad ipsum remittat Principem, vel alicui Iudici laico demandet, *c. In Archiepiscopatu sup. de raptorib.* Vide Canis. *in Summa lib.3. tit.22. ad finem.* Sic quoque crimina ob frequentiam maiorem puniri graviùs possunt, quàm aliàs puniri deberent, *d.l. Capitalium §.solent, & l. Servos* 8. *§.viles autem C. Ad L. Iul. de vi publica.* Quotiesque ex eodem facto plures delicti species oriuntur, totidem etiam pœnæ infliguntur, *l.2 ff.de privatis delictis*; aut saltem altera imponenda augetur *l. vnica §.1. C.de raptu virg.*

Quin etiam ob gravitatem criminum hæredes delinquentium subinde iure quoque Pontificio puniuntur. Nam qui verbi gratia Episcopum suum occiderit, non tantùm ipse omnia quæ ab Ecclesia obtinet, amittit, sed & liberi, vsque ad quartum gradum, ab Ecclesia illiusque beneficiis arcentur, *c. Ad aures* 10. *c. In quibusdam* 12. *h.t.* 10

Nec obstat, quod dicitur, filium non portaturum iniquitatem patris, quia id accipiendum est de pœna æterna, non de temporaria, *c. Vergentis* 10. *sup. de hæreticis.* 11

Cavere etiam Iudex Ecclesiasticus debet, ne pœnam inferat pecuniariam, quando alia est à Canonibus statuta, *cap. Licet 2. hoc titulo*, quia secundum Canones iudicare debet. Alioqui si nulla certa pœna à Canonibus statuta sit, relinquitur eius arbitrio, vt etiam pecuniariam infligat, si ita videatur, vt satis constat *ex cap. Presbyteri 2. hoc titulo, c. Postulasti sup. de Iudæis.* Felin. latè *in c. Irrefragabilis n.6. sup. de officio Ordin.* modò omnem avaritiæ vitet suspicionem *d.c. Licet*, nec pœnam in proprium vsum, sed in piam convertat causam, Conc. Trid. *sess.15. cap.3. de reformat.* adeò vt ne quidem merces Vicarij, vel Officiariorum desumi inde debeat, provt declarasse Sacrosanctam Congregationem post Ant. Genuens. refert Ricc. *in Praxi pæn. dec* 340.

Hinc licet Edictum Principum nostrorum de Festis, velit in condemnatione nominatim exprimi vsum pium, cui addicatur multa, ob festorum violationem inflicta, neutrum tamen inquit Zyp. hic praxis observat, ob exilitatem, vt credit, dotium Episcopalium in Belgio. Putat tamen Riccius *d. loco*, in omni ca[illegible]sus lendam

lendam esse Sacr. Congregat.

Pœna verò pecuniaria, quæ solet vulgo apponi in contractibus, licet exigi de iure possit, Felin. *in c.1. de Constitut. num.43.* tamen de consuetudine non exigitur; nisi quatenus concurrit interesse aliquod, Piasec. *d. p.2. c.4. art.14. n.18. in fine*, post Navar. *in Manuali c.23.n.68. c. Suam 9. iunctâ Gloss. fin. hoc tit.*

§. II.

De aliis observandis circa pœnarum impositionem.

1 *Carceris pœnâ quatenus Iudex Ecclesiasticus vti possit.*
2 *Clericus perpetuo carcere includi non debet.*
3 *Laici per Iudicem Ecclesiasticum incarcerari possunt.*
4 *Verberum pœna quatenus licita iure Canonico.*
5 *Clericus pro crimine torqueri etiam potest.*
6 *Damnatio ad triremes.*

QVantum ad corporalem pœnam attinet, cuiusmodi est Incarceratio, Verberatio, Damnatio ad triremes, eam quoque infligere
1 Iudex potest Ecclesiasticus: * carceris tamen non passim nec leviter, & non nisi prævia informatione; quia præiudicium generat irreparabile, Iudexque iniustè Clericum carcerari mancipans, pœnam excommunicationis non effugit, *cap. si Clericos, de sentent. excommunicat. in 6.* Nec carcer debet esse squalidus, sed decens & conveniens qualitati criminis & personæ, secundum Concil. Trident. *sess.25.c.6. de reform.*

2 Perpetui etiam carceris pœnâ plecti Clericus nequit, nisi in casibus à iure expressis, *cap. penult. & vlt. sup. de haret.* quibus scilicet de iure Civili infligenda esset pœna mortis; non simplex, sed atrocior, iuxta enormitatem & atrocitatem delicti, puta ignis, damnationis ad bestias, membrorum lacerationis, &c. Piasec. *2.cap.4.art.14.num.1.* post Diaz. *in Pract. Crim. Can. cap.137.* Prospiciendumque hoc casu, ne defectu alimentationis aut cibi inclusus carcere moriatur; nam secutâ ex ea causa morte Iudex fieret irregularis, Abbas, *cap. A nobis sup. de Apostatis.* Aliàs Clericus etiam custodiæ tantùm causâ committi carceri potest, licet civiliter agatur, si vtique de fuga sit suspectus, *c. Si Clericos 15. de sent. excommunicat. in 6. cap. Dilectus sup. de appellat.*

Sed & laicis in criminibus Ecclesiasticis à
3 Iudice Ecclesiastico infligi carceris pœna potest, *Clement. 1. de hæreticis.* Quinimò ad apprehendendos & mancipandos carceri Clericos Iudex Ecclesiasticus laicorum ministerio vtitur licitè, nec tunc laici pœnam incurrunt excommunicationis, capiendo Clericum, vel etiam percutiendo, si se defendat, & aliter detineri non possit, Piasec. *d. loco n.5.* ex Hostiens. & Angelo.

Verberum quoque pœna vsitata & recepta
4 est iure nostro, *c.1. sup. de calumniat. can. fin. dist.35.* eiusque frequens est mentio apud Gratian. vt *in can.1.5. q.1. in can. Nullus Clericus 11. quæst. 1. can. Cum beatus dist. 45.* vbi ait, quòd Presbyteri & Abbates non nisi pro gravioribus & mortalibus culpis subiacere verberibus debeant. Et non nisi per Clericum vel ipsum Iudicem Clerico sunt infligenda verbera, *c.Vniversitatis 24. inf. de sent. excommunicat.* etiam incorrigibili. Diaz. *in Praxi cap. 125.* ita tamen, vt Episcopus ipse neminem manibus suis percutiat, *can. Non liceat dist.86.* id quippe alienum à sacerdote esse debet.

Cavendum etiam, vt citra mortis aut mutilationis periculum, verbera infligantur & ne in vindictam sanguinis transire videantur, *c.In Archiepiscopatu 4. sup. de raptorib.* Quamquam si casu & ex post facto sanguinis sequeretur effusio, non per hoc incurreretur irregularitas, quia ea non contrahitur nisi morte vel membri mutatione, Diaz. *d.c.135.*

Abstinere item oportet Iudicem Ecclesiasticum quàm maximè ab huiusmodi corporalibus pœnis, & vt iis non nisi in atrocioribus vtatur culpis, faciliusque contra minores Clericos, quam Sacerdotes, Piasec. *d.loco num.6.* Et verbis potiùs quàm verberibus Clerici corripiendi sunt: leviter enim castigatus reverentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimiæ increpatio nec increpationem recipit, nec salutem, *d.can.Cum beatus dist.45.*

Huc pertinet, quòd Clericus pro crimine §
5 torqueri possit, quamvis civiliter adversus eum agatur, Diaz. *c.117.* dummodò magna & violenta ad hoc vrgeant indicia, per duos minimùm testes probata & fuerit Clericus infamatus de eo crimine: neque enim ob testimonium vnius, qui fuerit particeps criminis, quis torquendus est, nisi alia suffragentur; nec etiam ad testimonium vnius testis, bonæ famæ, si tem reus ex sua parte habeat adminicula integræ conversationis.

Confessio autem extra iudicium facta licèt non sufficiat regulariter ad torturam in Clerico,

Diaz.

Diaz *dict. cap.* 117. tamen contrarium vſu ſeruari, ex aliis, quos eam in rem citat, notat Piaſ. *dict. loc. num.* 7. Vbi etiam ſubiungit, quòd, licèt tortura non debeat infligi Clerico per laicum, tamen vſu obtinuerit contrarium. Videatur de hac pœna pleniùs Diaz *d. loc. ad eum.* Lopez

Pœna quoque corporalis eſt damnatio & relegatio ad triremes in Italia vſitatiſſima, de qua Diaz *cap.* 134. Quâ pœnâ ſi Clerici damnentur ad vitam, priùs degradantur; ſi ad tempus, deponuntur verbaliter tantùm & vtroque caſu licitè verberantur à miniſtris triremium, Piaſ. *d. loc. n.* 8.

§. III

De Pœna priuationis

1 *Ad priuationem beneficij requiritur ſententia iudicis declaratoria.*

2 *Quo modò quis priuandus ob abſentiam vel non reſidentiam.*

1 NEmo priuandus eſt beneficiis vel officiis ſuis, niſi in caſibus, à iure expreſſis: & in caſibus, quibus quis ipſo iure priuatur, ſententia requiritur iudicis declaratoria, aut antè quis tenetur dimittere beneficium, Piaſ. 2. *part. cap.* 4. *art.* 14. *num.* 15. & 16. Vbi etiam docet, quòd, ſententia priuationis appellans, durante appellatione non ſit priuatus: & proinde, ſi reſignet interim beneficium, validam eſſe reſignationem, licet beneficium iam antè fuiſſet impetratum ob priuationem; idque pro indubitato practicari in Curia Romana.

2 Vt verò quis priuetur ob non reſidentiam ſeu abſentiam à beneficio, poſt præuiam monitionem per cenſuras primùm Eccleſiaſticas, ac deinde per ſequeſtrationem & ſubſtractionem fructuum, compellitur ad reſidentiam, ita vt poſt quemlibet terminum pœnæ exſpectetur abſens ad minùs per ſex menſes, *cap. Quoniam Paragrapho porrò ſup. Vt lite non conteſtata, &c.* & demùm, ſi adhuc pertinaciter ſe abſentet, venit, priuandus, Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Citandus verò abſens, ſi ſciatur, vbi ſit, eſt perſonaliter: ſin autem id ignoretur; in Eccleſia ſua ter ſucceſſivè; nec ſufficeret vna citatio pro tribus, *Gloſ. in dict. cap. Quoniam in V. canonibus*, Abbas *conſil.* 67. *lib.* 1. Felin. *in cap. conſuluit num.* 13. *ſup. de officio delegat.* Neque valeret ſententia, qua priuaretur non reſidens, non præmiſſa trina citatione, vel non ſeruata forma dicti Concil. ſi ſcilicet non reſidens non fuerit primò cenſuris, ſequeſtratione fructuum, & aliis iuris remediis compulſus & punitus, vt fuiſſe deciſum in Rota Rom. poſt Genuen. refert Piaſ. *d. loc. num.* 18.

Ne autem iudices faciliùs in rigorem declinent, ſanxit Pius IV. Conſtitut. *incip. Cupientes*, quam refert Quaranta *V. de benef. priuat.* ne ipſi iudices eorumve affines aut familiares ea beneficia obtineant, quibus alij priuantur.

Denique crimina, quæ priuationem inducunt ipſo iure, & qui huiuſmodi priuationem effectus ſequantur latè recenſet Azor. 2. *part. inſtitut. Moral. lib.* 7. *cap.* 17. vt & ea, ob quæ quis iudicis ſententia priuandus venit, *d. l.* 7. *cap. ſeq.* quæ breuitatis cauſa videri apud eundem poſſunt.

§. IV.

De Pœna Exilij.

1 *Pœna exilij cur vtilis, & quatenus ea extendatur.*

3 *Hodie pœnæ omnes arbitrariæ.*

IN exilium quoque mittere iudicem Eccleſiaſticum poſſe, conſtat *ex cap.* 1. *ſup. de calumniat. can. Cum beatus diſt.* 45 *can. Hi qui* 3. *quæſt.* 4. Eamque pœnam conducere plurimùm, vbi crimen puniendum cohæret loco, & per loci mutationem tolleretur ſcandalum & delinquenti ocaſio iterùm delinquendi, iuxta illud Iſidori *in can. Valet. diſt.* 81. *Valet.* inquit, *interdum conuerſis pro anima ſalute mutatio loci. Plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus, Congruumque eſt inde corporaliter auelli, vbi quiſque illecebris deſeruiuit. Nam locus, vbi quiſque prauè vixit, hoc in aſpectu mentis apponit, quod ſæpè ibi cogitauit vel geſſit.* 1

Hæc tamen exilij pœna non extenditur extra diœceſim & territorium iudicantis Felin. *in cap. Poſtulaſti num.* 2. *ſup. de foro compet.* Quamquam Archiepiſcopus non ex ſua tantùm diœceſi, ſed & ex tota prouincia mittere in exilium poſſit, Piaſ. *dict. loc. num.* 14. Vbi addit, hanc pœnam poſſe ex iuſta cauſa relaxari per Epiſcopum; quod & tradit Diaz *c.* 126. 2

Illud hic reſtat ſubiiciendum, pœnam eſſe arbitrariam, vbicumque ius vtrumque illam nominatim non exprimit; hodiéque ex praxi omnes ferè pœnas vbicumque iurorum factas 3

esse arbitrarias: ac proinde poterit hoc tempore Iudex moderari pœnas legum pro varietate & circunstantiis delictorum, locorum & personarum.

TITVLVS XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

§. I.

De variis Pœnitentiæ significationibus & divisionibus.

1 *Pœnitentia nomen æquivocum.*
2 *Dividitur generaliter sumpta in bonam & malam.*
3 *Pœnitentia hoc loco quid significet.*
4 *Est vel Publica, eáque solemnis & non solemnis, vel Privata.*

PŒNÆ, quas iam recensui, fori sunt externi seu iudicialis: postulat ordo, vt aliquid etiam dicamus de pœnis fori pœnitentialis seu interni sive animæ, id est de Pœnitentiis eiusque partibus, Confessione, Contritione, & satisfactione, item de remissionibus seu Indulgentiis.

1 Vbi in primis obseruandum, nomen Pœnitentiæ esse æquivocum, eiusque varias significationes. Et primò quidem, generaliter eius vsu spectato, dicitur prioris sententiæ seu consilij mutatio & conversio; pœnitereque generaliter dicitur: qui nollet feciſſe vel omisisse, quod fecit, vel omisit, idque sive bonum sive malum.

2 Vnde Pœnitentia sic generaliter sumpta dividi potest in Bonam, quæ habetur de actu malo; & Malam, quæ de bono. Id autem dupliciter rursus contingit, vel sine dolore, vt in Beatis, quos sine dolore suorum pœnitet peccatorum: & in Deo, qui *Genes. 6. Pœnitet*, inquit, *me feciſſe hominem*; pro cuius explicatione vide *can. Incommutabilis 22. q. 4.* vel cum dolore in viatoribus, qui non solùm nolunt, sed etiam dolent se peccasse, iuxta illud D. Aug. *in can. Pœnitentia 4 dist. 3. de pœnit. Pœnitentia*, inquit, *est quadam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse.*

Inde verò transfertur ad significandam specialem virtutem seu habitum pœnitendi ac dolendi de peccato. Eiusque actum, provt sic accipitur, definiens D. Ambr. *in can. Ecce nunc tempus 39. in fine de pœnit. dist. 1. & can. 1. & 6. dist. 3.* Pœnitentiam, inquit, agere est, præterita mala plangere, & plangenda non committere. Quod intellige quoad propositum & intentionem: quia non est de ratione pœnitentiæ, ne semel commissa iterum committantur, sed bene propositum & intentio illa amplius non committendi.

Tertiò, translatum est hoc nomen ad significandum Pœnitentiæ Sacramentum, de quo hic agitur, vt *in c. Quod in te 11. h.t.* Ac denique ad significandam pœnam seu vindictam, sive sponte susceptam sive à Sacerdote impositam, in satisfactionem Peccatorum, vt *in cap. Omnis vtriusque 12. h.t. & d. c. Pœnitentia dist. 3.* ibi, *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta*: & rursus ibid. dicitur; Pœnam tenere, qui semper punit, quod commisisse dolet. Quo modo etiam hic accipitur nomen Pœnitentiæ. 3

Et quidem ita acceptum hoc nomen: provt pœnam seu vindictam significat, potest Pœnitentia fieri duplex, nempe Publica & Privata. Publica rursus duplex, Solemnis & non solemnis. Publica solemnis est, quam imponit Episcopus ob grauissima crimina publica, in capite quadragesimæ peragendum, seruatis solemnitatibus de quibus *in can. Pœnitentes 63. & can. In capite dist. 50.* Et hæc, ne Ecclesiæ vilescat auctoritas, non nisi vnica esse debet, sicut vnum est baptisma, teste Ambr. *c. Si quis post remissionem d. dist. 50.* Idque ex speciali Ecclesiarum quarundam consuetudine: nam alibi iterare licet, *c. Nihil prodest 21. §. ex persona de pœn. d. dist. 3.* Nec aliter sacerdotibus olim imponi poterat, quàm cœlestis militiæ cingulo exutis, seu depositis, propter scandalum, *arg. c. Alienum & c. Confirmandum dist. 50. c. Quæsitum 7. h.t.* quia vt dixi, non nisi ob grauissima & famosissima crimina imponebatur. Et inde factum est, ne publicè pœnitentes ad Ordines sacros promoveri valeant, vt dixi *lib. 1.* nec item, quamdiu tales sunt, communicare, nisi in mortis articulo, nec matrimonio iungi. Hoc verò tempore hæc pœnitentia non est in vsu. 4

Publica pœnitentia non solemnis est, quæ publicè citra vllam Iuris solemnitatem, peragenda iniungitur. Cuiusmodi est peregrinatio, certi habitus delatio, & his similia: quia manifesta peccata non sunt occultâ correctione purganda, *cap. 1. h.t. can. Si peccaverit 2. q. 1. can. Ego Berengarius de consecrat. dist. 2.* Et hæc imponi potest à Sacerdote: solemnis autem non nisi ab Episcopo, *d. can. Pœnitentes, &*

pluribus

pluribus aliis similibus. Quando autem publica pœnitentia imponenda sit, vide Conc. Trid, *sess.24.c.8.*

Privata seu secreta pœnitentia est, quæ nec solemnis, nec publica est, sed privatim suscipitur vel iniungitur, peragiturque quæ etiam pro gravioribus criminibus, sed occultis, imponitur, *d.c. Quæsitum h.t.* Occulta enim peccata non sunt publicè punienda, *can. Si peccaverit 2. quæst.1. can. fin. 15. quæst.5. canone. Si quis potestatem 23. quæst.4.*

§. II.

De Pœnitentia, vt est Sacramentum.

1 *Pœnitentiæ definitio.*
2 *Materia eius remota sunt peccata mortalia, non venialia. 3.*
4 *Materia propinqua sunt Contritio, Confessio & Satisfactio.*

1 DE Sacramenti huius institutione, ratione, ac necessitate patet ex dictis ante de Sacramentis in genere, & videre licet Concil. Trid. *sess.14 c.1.* vbi ait, hoc Sacramentum Pœnitentiæ non secus lapsis post Baptismum ad salutem necessarium esse, quàm nondum regeneratis ipsum Baptismum. Vnde *in can. Secunda de pœnitent. distinct.1.* appellatur. *Secunda post naufragium tabula:* quia vti fracta navi vnum vitæ servandæ per fugium naviganti superest, si fortè vel tabulam aliquam fractæ navis arripere liceat, atque ita evadere: ita post innocentiam Baptismi amissam seu fractam per peccatum mortale, nisi quis ad hanc pœnitentiæ confugerit tabulam, haud dubiè de eius salute desperandum erit,

2 Potest autem Pœnitentia, quatenus est Sacramentum novæ legis, definiri, esse Sacramentum, quod Contritione, Confessione & Satisfactione concurrentibus, peccatorum operatur remissionem.

3 Hac definitione indicatur duplex eius materia, remota scilicet & propinqua. Remota sunt peccata, non vt amplectenda, sed vt detestanda maximè: quæ proinde sunt materia Pœnitentiæ circa quam, vt vocant; sicut lignum est materia ignis, à quo absumitur, & morbus Medicinæ, non autem eo modo, quo æs est materia statuæ, seu materia ex qua.

Peccatum verò est duplex, Originale, quod ab ortu nobis congenitum per Baptismum in Christo condonatur; & Actuale; quod est factum, dictum, vel concupitum, contra vel præter legem Dei, aut Ecclesiæ. Et hoc rursus est duplex, Mortale, sic dictum, quia mortem animæ præsentem adfert; de quo eiusque variis speciebus vide *can.vnum oratorium distinct. 25.* & Veniale sic dictum, quia facilè ei venia tribuitur ac remittitur, veluti per orationem Dominicam, *can. de quotidiana de pœnitent. distinct.3.* per eleemosynam, modicum ieiunium, aspersionem aquæ benedictæ *c. Aquam de consecrat. distinct.3. can. Qui vult. de pœnit. distinct.6.* Et sine hoc ne quidem iusti viuunt: nam, vt Proverb.24. dicitur, *Septies cadit iustus & resurgit, can. Septies de pœnit. distinct.3.*

* Neque est materia necessaria huius Sacramenti, hoc est non tenemur illud confiteri, licet vtiliter confiteamur; vt definitum exstat in Conc.Trid. *sess.14. cap.5.* Ideoque sola mortalia peccata, post Baptismum commissa, sunt materia necessaria Pœnitentiæ, necessarióque confitenda. Dico, post Baptismum commissa; nam commissa ante Baptismum non sunt necessariò confitenda. Imò nec subiiciuntur clavibus Ecclesiæ.

Materia proxima sunt tres actus pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio, Conc. Florent. *in instruct. Armeniorum,* & Trid. *sess.14. in doctrina de sanctissima Pœnitentiæ Sacramento cap.3.4.5. & can.4.* qui etiam partes integrales eius vocantur, qui ex Dei institutione in pœnitente ad integritatem Sacramenti & plenam perfectamque peccatorum remissionem requiruntur, Conc. Trid. *d. cap. 5.* Vnde *in can. Perfecta de pœnit. distinct. 3.* dicitur, *in corde Contritio, in ore Confessio, in opere tota humilitas* (id est Satisfactio) *Hæc est perfecta & fructifera pœnitentia.* Vocantur autem à Conc. Florent. & Trid. hi tres actus quasi materia, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia non sint eiusmodi materia, quæ extrinsecus adhibeantur, vt aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione, panis cum vino in Eucharistia. Vide pleniùs *Gloss. in d. Can. Perfecta, & in Can.1.2. & 3. de pœnit. dist.1.*

§. III.

De Contritione.

1 *Contritio quid sit, & ad eam requisita. 2.3.4.*
5 *Est duplex, Contritio propriè dicta, & Attritio. 6.*

1 CONtritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, Conc. Trident. *dict. loco.* Adde ex eodem, & simul confitendi ac satisfaciendi.

2 Ad Contritionem igitur requiritur in primis odium & detestatio peccati præteriti, quia sine his vera contritio & pœnitentia concipi non potest. Hinc quotiescumque Scriptura aliquos invitat ad pœnitentiam, hortatur & ad odium detestationémque peccati, Ioan. 1. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, c. Convertimini* 33. *cum seq. &c. Quis aliquando* 87. *de pœnit dist.* 1. Hanc detestationem peccati, quam contritio essentialiter includit, in viatore necessariò consequitur dolor tanquam immediatus eius effectus. Ac proinde propositio illa Conc. Trid. Contritio est dolor animi, est causalis: illa verò Contritio est odium ac detestatio peccati, est formalis & essentialis.

3 Secundò requiritur propositum de cætero non peccandi, iuxta illud Isaiæ 1. *Quiescite agere perversè:* & illud, *Derelinquat impius viam suam, d.c. Quis aliquando:* & illud Ezech. 18. *Proicite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum*; aliáque similia.

4 Tertiò requiritur propositum confitendi & satisfaciendi, vt patet ex Conc. Trid. *loco citato*, & Conc. Compluten. in quo damnata fuit opinio Petri Osniacensis, asserentis, per solam cordis contritionem remitti peccata mortifera sine ordine ad claves.

Tametsi autem hoc propositum, quemadmodum & propositum de cætero non peccandi, ordinariè debeat esse explicitum & formale: tamen dari potest casus, in quo iustificari quis potest absque expresso; sed cum vtroque virtuali, non peccandi, inquam, de cætero & confitendi, veluti, dum non occurrit vel invincibiliter ignoratur esse necessarium eiusmodi expressum propositum, vel quando ex defectu temporis haberi nequit, vt quando quis subitò, ad martyrium rapitur:

5 Contritio duplex est: vna perfecta, quæ propriè Contritio appellatur; altera imperfecta quæ Attritio dicitur, Conc. Trid. *d. loco c.* 4. Contritio perfecta est dolor ac detestatio peccati propter Deum summè dilectum, ob eius bonitatem supernaturalem, seu vti auctor est gratiæ ac gloriæ. Et ideò semper est cum charitate & voto Sacramenti, hominémque Deo reconciliat, priusquam actu suscipiat Sacramentum, vt pater ex Conc. Trid. *d.c.* 4.

6 Attritio est contritio imperfecta: quamvis non omnis contritio imperfecta sit propriè dicta attritio, seu salutaris. Verùm Attritio propriè dicta est dolor ac detestatio peccati super omnia, cum Proposito, vitæ melioris, ac voto Sacramenti; non tamen propter Deum summè dilectum, sed vel ob gehennæ ac pœnarum metum, vel ob turpitudinem peccati. Concil Trid. *d. loco.*

Vnde patet, Attritionem propriè dictam specie differre à Contritione: nec vnquam posse fieri contritionem propriè dictam, licèt quis ex attrito possit fieri contritus; quia ad hoc solùm requiritur identitas subiecti; ad illud verò requiritur identitas actus.

Dixi antè, Attritio propriè dicta; quia cùm attritio in genere non sit aliud, quàm contritio imperfecta, fit, vt tot sint species attritionis, quot modis contingit dolorem ac detestationem peccati à perfecta contritione deficere.

§. IV.

De quantitate Contritionis.

1 *Dolor de peccatis, vt sit contritio, debet esse summus.*

2 *Saltem in vniversali, non in particulari.*

3 *Dolor sensus necessarius non est, licèt vtilis.*

1 QVemadmodum amor Dei debet esse maximus ac summus, saltem appretiativè, licet non intensivè iuxta probabiliorem sententiam: ita etiam dolor de peccatis, vt sit contritio, quæ oritur ex amore & charitate Dei, debet esse summus, non quidem intensivè, sed saltem appretiativè, vt DD. loquuntur, id est, vt omnis verè pœnitens saltem virtualiter & implicitè atque in vniversali ita doleat de peccato suo super omnia, vt pro nulla re creata vellet Deum, offendisse, aut in posterum offendere. Hinc D. Aug. *in can. Si quis positus* 2. *in can. Si quis autem* 4. *& in can. fin. de pœn. distinct.* 7. dubitat de illorum salute, quos non, antequam ægritudine premantur, pœnitet peccasse, quia scilicet difficile sit pressum morbo, metu mortis, & aliis curis, erigere animum ad hunc summum dolorem, requisitum ad perfectam contritionem, concipiendum.

2 Dixi, atque in vniversali; quia *iuxta doctrinam* Innoc. *d. loco, & aliorum communem*, non tenetur pœnitens tales comparationes in particulari

ticulari facere, quòd mallet amittere coniugem, proles, bona omnia, ignitas subire sartagines, quàm Deum offendere. Imò cavendum Confessariis, ne eiusmodi comparationes in particularibus pœnitentibus proponant; quia obiecta huiusmodi in particulari proposita voluntati, longè maiorem adferunt difficultatem, quàm dum proponuntur in vniversali: & facilè, illis succumbit quis in particulari, quibus non succumberet in vniversali.

3 Cæterùm licet dolor sensus (veluti singultus, planctus, lacrymæ, & id genus alij) non sit necessarius, sed sufficiat causalis seu qui est in voluntate, *argum. can. Si propterea* 28. *can. Si cui* 30. *de pœnitent. distinct.* 1. tamen & ille admodum vtilis ac bonus est, exemplo Davidis, Petri, Magdalenæ, Ninivitarum, & aliorum. Quamvis etiam vtilissimum sit de singulis peccatis mortalibus contritionem elicere, singulâque detestanda sint, ac de illis dolendum, iuxta illud Esaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: non tamen id absolutè necessarium est, sed sufficit vnico actu contritionis simul omnia peccata, post examen occurrentia, detestari: vt patet ex eo, quòd traditur, peccatorem in momento posse iustificari, iuxta illud Ezech. 33. *In quacumque hora conversus fuerit & ingemuerit peccator*; relatum *in can. Ponderet dist.* 50. *& iuxta can.* 3. *de pœnit. dist.* 7. Quod falsum esset, si pro numero peccatorum mortalium numerus actuum doloris requireretur. De modo acquirendi contritionem vide Concil. Trid. *sess.* 14. *c.* 5.

§. V.

An & quando obliget præceptum Contritionis.

1 *Contritio de necessitate est præcepti & medij.*
2 *Non obligatur quis statim à commisso peccato ad contritionem.*
3 *Præceptum contritionis quando obliget sub peccato mortali.*

1 CONtritionem peccati esse necessariam necessitate præcepti simul & medij colligitur satis ex Conc. Trident. *sess.* 6. *c.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 4. vbi definit, contritionem omni tempore fuisse necessariam peccatori ad iustificationem; indicans se loqui de vtraque necessitate: & ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*

Et licet optimum ac tutissimum sit, statim commisso crimine conteri, iuxta illud, *Non tardes converti*: tamen cùm præceptum contritionis sicut & confessionis, sit affirmativum, non obligat ad perpetuum, sed solùm determinato tempore; vti & reliqua præcepta affirmativa. Ideóque non obligatur homo sub peccato mortali statim post commissum peccatum ad contritionem, quamvis commoditatem habeat illam eliciendi. Eius tamen dilatio sine causa, quæ nulla esse potest, circunstantia est aggravans peccatum commissum. 2

Obligat vero præceptum contritionis sub peccato mortali in periculo salutis animæ, vel corporis: veluti in gravi infirmitate, in partu periculoso, instante naufragio, dum ineundum est prælium, aut instituenda longa & periculosa navigatio, v.g. in Indiam; dum Sacramentum aliquod est administrandum vel suscipiendum. 3

§. VI.

De Confessione.

1 *Confessio quid, & minister illius.* 2.
3 *In eo requiritur potestas ordinis & iurisdictionis.*
4 *Proprius sacerdos in hoc Sacramento quis dicatur.*
5 *Nullus audire Confessionem potest, nisi approbatus ab Ordinario.*
6 *In mortis articulo vel alio periculo quilibet sacerdos absoluere potest.*
7 *Alienus sacerdos approbatus ex licentia proprij audire confessiones potest.*
8 *De casibus Romano Pont. reservatis.*
9 *De casibus Episcopo reservatis.*

SEcunda pars integralis Pœnitentiæ est Confessio, quam iure divino omnibus post Baptismum in mortale peccatum lapsis, necessariam esse, atque à Christo ipso institutam (Ioan. 20. illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* & Matth 16. & 18 *Quodcumque solueritis super terram, &c.*) definit ac docet Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *& can* 6. 7. *&* 8. Vnde facilè refelluntur opiniones quorundam, *apud Gloss. in Summa dist.* 6. *de pœnit.* aliter de huius institutione sentientium.

Est autem Confessio sacramentalis, de quâ hîc agimus, peccatorum suorum sacerdoti proprio ad eorum sacramentalem remissionem obtinendam facta declaratio. 1

Dicitur, peccatorum ſuorum, *ex cap. Omnis vtriuſque 12. hoc tit.* in verbis *omnia ſua ſolius peccata.*

Dicitur, Sacerdoti: nam eum ſolum eſſe miniſtrum huius Sacramenti definitum eſt in Conc. Lateran. Floren. ac nouiſſimè Trid. *can. 6. & 10.* Colligiturque ex præcitatis verbis Chriſti *Ioan. 20.* loquentis ſolis Apoſtolis, & ſic ſolis ſacerdotibus: & *Matth. 16. & 18.* vbi ſimiliter non omnibus, ſed ſoli Petro & Apoſtolis promiſſæ ſunt claues regni cælorum.

Dicitur etiam, proprio; id eſt ei, qui habet abſoluendi poteſtatem, propriam, aut delegatam: nam in miniſtro huius Sacramenti iure diuino requiritur non ſolùm poteſtas Ordinis, quæ illi confertur in ſua conſecratione, dum ordinatur Sacerdos, ſed etiam iuriſdictionis; quæ quidem confertur etiam in ſua ordinatione, ſed quaſi in habitu & incompletè, quia nequit exire in actum, niſi habeat ſubiectos, quos accipere debet ab Eccleſia; & accipit, quando legitimè præficitur curæ animarum vel beneficium curatum obtinet, Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 15. de reformat.* tunc enim illi completa confertur iuriſdictio.

Et hinc fit, quòd poteſtas iuriſdictionis ab Eccleſia impediri poſſit, non etiam poteſtas ordinis ſeu conſecrandi.

Defectu igitur poteſtatis Ordinis Confeſſio laico, aut Clerico non ſacerdoti, etiam in neceſſitate, non eſt ſacramentalis, ne quidem ad effectum valet abſolutionis, iuxta communem Theologorum ſententiam, veram ac definitam in Conc. Trid. *ſeſſ. 14. can. 10.*

Non obſtat *canon. Quem pœnitet §. quare de pœnit. diſtinct. 1.* nec *canon. Qui vult confiteri ibid. diſtinct. 6.* vbi Auguſtinus ſeu auctor libri de vera & falſa pœnitentia ſic ait: *Tanta vis confeſſionis eſt, vt, ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo*, id eſt, laico, vt patet ex ſequentibus: quia id intelligi debet de conſilio cauſa humilitatis & conſilij aut auxilij petendi & accipiendi à proximo, non autem ad effectum ſacramentalis confeſſionis, vide Nauar. *ad can. 1. dict. diſtinct. 6.*

Defectu verò iuriſdictionis non poteſt abſoluere quilibet ſimplex Sacerdos, excepto articulo mortis, ſed is ſolùm, cui competit iuriſdictio, ordinaria vel delegata, in confitentem, vt patet ex Conc. Trid. *14. c. 7. & 7. & can. 9. & 10. & ſeſſ. 23. c. 15.*

§ Proprius autem Sacerdos in primis ſummus eſt Pontifex reſpectu totius Eccleſiæ, cuius Paſtor in Conc. Florent. appellatur; Epiſcopus in ſua diœceſi, vt & Vicarius Epiſcopi, quia is quoque nomine Ordinarij & repræſentat Epiſcopum, Sanch. *de matrimonio lib. 3. diſputat. 29. num. 15.* Gutierrez *lib. 1. can. quæſt. cap. 11. n. 8.* Zyp. *hoc tit. n. 1.* Item Parochus in ſua parochia, *dict. can. Omnis vtriuſque &c. Quod autem 14. hoc tit.* non etiam per totam diœceſin: adeò vt relictâ parochiâ ſuâ, abſque licentia vlteriori non poſſit amplius confeſſiones audire. Piaſ. 1. *part. cap. 1. art. 2. num. 3.* multò minùs in aliena diœceſi, ſi in altera tantùm ſit approbatus; quia Conc. Trid. ita intelligi debet, vt ſit approbatus ab ordinario loci, in quo audit confeſſiones, vel ſit electio, ex vi Bullæ Cruciatæ: quod & in aliis eiuſdem Conc. decretis ſæpè vſu venit, Zyp. *dict. num. 1. in fine* & Piaſ. *dict. loc. ex declarat. Sacræ Congregat.* Prælati quoque ordinum reſpectu ſuorum ſubditorum: & alij de eorum licentia, *dict. cap. Omnis vtriuſque & c. 2. eod. in 6.* permiſſione Iuris: quo licet Epiſcopis, aliiſque ſuperioribus, imò & minoribus Prælatis exemptis, etiam præter ſui ſuperioris licentiam, prouidum & diſcretum ſibi eligere Confeſſarium, *cap. fin. hoc tit.* à quo abſolui quouis loco poſſint, & à caſibus ac cenſuris, à quibus ſubditos ſuos poſſunt abſoluere. Quod licet multis Abbatibus conceſſum ſit, non tamen Abbatiſſis, quia non ſunt Prælati, nec claues habent iuriſdictionis. Similiter Parochi & ſimplices Sacerdotes, vbi non eſt contraria conſuetudo, vel præceptum Epiſcopi, qui illorum proprius eſt ſacerdos, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, quem volunt, in caſibus non reſeruatis. Vel denique ex priuilegio, vt Religioſi Mendicantes & quidam alij, quibus ſi quis ex licentia Papæ confeſſus fuerit, non tenetur iterum eadem peccata confiteri Parocho ſuo, *Extrauag. Vas electionis de haret.* Conc. Later. ſub Leone X. *Seſſ. 11.*

Vbi obſervandum, quòd cùm Bonif. VIII. *in Extrauag. Super cathedram de ſepult.* ſtatuiſſet, vt Mendicantes præſentent Epiſcopo idoneos; qui ab eo acciperent poteſtatem prædicandi & confeſſiones audiendi, poſtea benedictus XI. *Extrauag. inter cunctas*, ſuſtulerit ſtatutum illud, conceſſa Mendicantibus facultate prædicandi, abſque eo, quòd ſe Epiſcopis præſentarent. Verum ſtatutum Bonif. VIII. innouatum deinde fuit per *Clement. dudum de ſepult.* Tandémque Conc. Trid. cui hodie ſtandum eſt, *ſeſſ. 23. cap. 18.* definivit, neminem, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut idoneus iudicetur, & approbationem

approbationem ab eis obtinuerit, privilegiis,& consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus.

6 Dixi antè, excepto articulo mortis;quia tunc quilibet sacerdos,nullo prorsus excepto, potest absoluere ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis, vt patet *ex cap. Felicis de pœnit in 6. & similibus aliis*,ac denique Conc. Trid.*sess.* 14.*cap.*7.sicut & alio tempore à peccatis venialibus, aut etiam mortalibus, semel antè confessis, permittente in Ecclesia. Vide Nauar. *in Manuali cap.*4.*num.*5.*& in can. Placuit. De pœnit.dist.*6.*num* 22.Verius autem, hic non distingui articulum mortis ab euidenti periculo, *arg. cap. Eos qui de sentent. excommunicat. in* 6. vbi Pont. meminit *articuli mortis*, & postea vocat *periculum*. Cui adde,fauores ampliandos esse, & odia restringenda; Ecclesiámque,velut piam matrem, voluisse saluti filiorum suorum consulere, non solùm ipso mortis puncto, sed & in probabili periculo, potissimùm dum non abest alius, magis idoneus. Vide Nauar.*in Manual.c.*26.*n.*26.*&* 31.

7 Sufficit autem ad confitendum alieno sacerdoti licentia à proprio, sive tacita, sive expressa: modo tamen signo aliquo exteriori fuerit manifestata Nauar.*in dict.can. Placuit.* Hancque licentiam dare alteri approbato possunt, qui propriam & ordinariam iurisdictionem habent: quales sunt suprà recensiti, & inter eos Parochus, licet careat potestate ordinis. Nauar.*in dict.can. Placuit num.*60. Imò etiam substitutus à Parocho, si hic illi absolutam Sacramenta administrandi facultatem dederit: non item delegati & subdelegati, nisi expressim talem facultatem à delegante vel subdelegante acceperint.

8 Obseruandum etiam hic, multos esse casus reseruatos summo Pontifici, à quibus nullus Confessarius, absque speciali licentia, absoluere potest: cuiusmodi sunt in primis, qui recensentur in Bulla, Cœnæ Domini, quam refert Piasecius *part.*2, *cap.* 1. *a.*3. subiiciens alios quadraginta duos, desumptos tam ex corpore iuris communis, quàm ex diuersorum Pontificum Constitutionibus. Permittit tamen Conc. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. Episcopis facultatem absoluendi in foro conscientiæ delinquentes quoscumque sibi subditos per seipsos,aut per Vicarium, ad specialiter deputandum, quibuscumque casibus occultis, non deductis ad forum contentiosum, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis; etiam in crimine hæresis, vt tamen eo casu soli Episcopi per se absoluere possint, quorum censetur in hoc crimine electa industria, non eorum Vicarij.Attamen prædictum Conc.Trid. decretum non procedere quoad casus Bullæ Cœnæ Domini declaratum fuisse à Greg.XIV. & Clement. VIII. post Genuens.refert Piasecius *dict. cap.* 1. *art.*3. *num.*4. subiungens declarationem Cardd. quoad causas hæresis. Idémque tenet Nauar *in Manuali cap.*27.*num.*275. Hincque videmus quotidie in praxi, inquit Piasecius *dict. loc.* multos Episcopos obtinere à Sede Apostolica facultatem absoluendi ab hæresi etiam occulta. Eadem de re fusiùs agit Zerola 2. *part. V. Absolutio ad* 8. & Zypæus *hoc tit.n.*5.6. *&* 7. quoad Episcopos Belgij.

Extra casus, reseruatos summo Pontifici, absoluere potest Episcopus in foro animæ, estque ordinarius rector & confessor suæ diœcesis, Piasecius *dict. cap.* 1. *artic.* 2. *in principio.*

Cauendum etiam est inferioribus Episcopo, 9
licet ab eo approbati fuerint, ne absoluant à casibus, Episcopo reseruatis, nisi ad hoc specialem facultatem obtinuerint, quia ea non continetur sub approbatione: neque enim in generali confessione veniunt ea,quæ requirunt speciale mandatum *cap.Si Episcopus hoc tit.in* 6. *Clement. Non potest de Procurat.* Sunt autem casus Episcopis reseruati, alij de iure, vt leuis percussio Clerici *cap. Peruenit. inf. de sent.excomm.* quæ cùm potiùs sit facti, quàm iuris, ex omnibus circumstantiis, veluti quantitate personæ percussæ, percutientis, modo & loco percussionis, committitur arbitrio iudicis seu Ordinarij *ex communi DD. sententia*, *& Extrau. Ioan.*22.*quam refert* Piasecius *dict. cap.* 1. *art.*3. *num.* 5. Alij de consuetudine: alij verò, quos ipse Episcopus sibi reseruauit, prout reseruare potest,*iuxta cap.pen & ibi Glos.hoc tit.in* 6.*Clem. dudum §. per eiusmodi*, *iuncta Glos.de sepult. & nouissimè* Conc.Trid.*Sess.*14.*can.*6.Adeò vt nulli alij, ne quidem Regulares, quorumque indultorum prætextu,ab iis absoluere possint,quantumuis sint generaliter ab ipso Episcopo approbati, vt respondisse Sac.Congregat. Carolo Borromæo refert Piasecius *dict.loco num.*3. Zerola 2. *part.V. Absolutio Ad primum.*Imò nec Pœnitentiarius ipse, ex sui officij, sine speciali mandato, Nauar. *cons.* 20. *hoc tit.* Riccius *in Praxi decis.*572.

De casibus autem Episcopo reseruatis videre licet Piasecius *d. art.*3. *num.* 4. *&* 5.Quo loco tradit Episcopum in reseruandis huiusmodi casibus oportere modum, præscriptum decreto Sacræ Congregat. ad Archiepiscop. Neapolit. quod ibidem *num.* 12. refert, vt & Ricc. *dict. decis.* 562. nempe vt non reseruet sibi in primis

casus

casus contentos in Bulla Cœnæ Domini, seu aliàs reseruatos Sedi Apostolicæ, neque eos, quibus annexa est maior excommunicatio, à iure imposita, neque eos in quibus absolutio non datur, nisi factâ restitutione; neque eos, qui versantur circa res parui momenti; neque peccata carnis, nisi cum magna circumspectione. Sic quoque Clemens VIII. animaduertens quosdam Regulares, dum conscientiam superiori aperire reformidant, adduci posse in æternæ damnationis periculum sanxit, ne eorum superiores sibi absolutiones reseruent, nisi in expressis, seu eorum aliquibus, de quibus vide Zyp. *h.t.n.16.*

§. VII.

Quos & quando obliget præceptum Confessionis.

1 *Confiteri omnes tenentur saltem semel in anno.*
2 *Et quidem mortalia peccata, non venialia.*
3 *Et instante Paschate.*
4 *Confessio actualis quibus casibus obliget.*

1 EX præcepto Ecclesiæ, quæ ius diuinum determinauit ad tempus, omnes vtriusque sexus fideles, vbi ad annos discretionis peruenerint, tenentur saltem semel in anno omnia peccata sua mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habuerint, confiteri proprio sacerdoti, vel alteri probato, de eius licentia, *cap. Omnis vtriusque hoc tit.* Licèt olim statutum fuisse videatur, vt ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini quisque fidelium confiteretur, *can. Etsi non frequentius 16. de consecrat. dist. 2.*

2 Dixi, mortalia; quia venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, neque ex præcepto Christi, neque ex statuto Ecclesiæ tenetur quis confiteri, vt patet ex Conc. Trid. *sess. 14. cap 5.* nisi fortè ratione conscientiæ erroneæ ad illa confitenda obligetur: pura si existimet se ad ea confitenda teneri, quia putet esse mortalia, aut de illis dubitet, vel ratione alicuius voti particularis aut statuti, cui subest. Quo pacto *in Clement. ne in agro §. 1. sane de statu Monachor.* præcipitur Benedictinis, vt tam in monasteriis quàm extra constituti, singulis mensibus saltem omnes & singuli accedant ad confessionem & communionem. Idem de Monialibus statuitur in Conc. Trid. *sess. 15. cap. 10. de Regularib.*

Confitentur hodie Communiter Christiani 3
instante Paschate; non quòd ab Ecclesia illud tempus sit determinatum pro confessione, vt satis constat ex *dict. cap. Omnis vtriusque hoc tit.* Couar. *in c. Almæ mater part. 1. §. 1. num. 6. & 7.* Conc. Trid. *dict. loco* sed quia tunc obliget præceptum de communione, quam præcedere debet confessio.

Tametsi verò quis non teneatur mox, atque peccauit, confiteri, licèt commoditatem confitendi habeat, vt constat *ex dict. cap. Omnis vtriusque & ibi* Panor. Conc. Trid. *dict. loc.* Nauar. *in princ. dist. 5. de pœnit.* vbi argumenta in contrarium soluit: in lege Euangelica toties propositum obligat confessionis, quoties contritionis præceptum.

Ipsa autem actualis confessio obligat, Primò 4
in mortis articulo seu euidenti periculo, siue statu, cui mors certa, vel vt plurimùm, coniuncta est, qualis est status agonizantium, grauí & acuta febri laborantium, eorum scilicet, de quibus desperant Medici, quibus imminet partus difficilis, aut naufragium, aut aliud probabile periculum mortis, Abbas *in cap. Pastoralis §. 1. sup. de offic. iud. Ordin. & in cap. Cum infirmitas 13. hoc tit.* vbi ea præcipuè de causa Innocent III. præcipit Medicis sub pœna exclusionis ab ingressu Ecclesiæ, vt vocati ad infirmos, graui & periculoso morbo laborantes, eos antè omnia moneant & inducant, vt Medicos aduocent animarum, Quod decretum non solùm innouauit Pius V. motu proprio *in supra gregrem 11. Martij 1566.* apud Piasec. *part. 2. cap. 3. art. 3. num. 18.* sed etiam iussit, vt Medici, dum creantur Doctores, iurent se hanc Constitutionem seruaturos: vetuitque ne Medici vltra tres dies visitent ægrotos, in lecto iacente, nisi peccata confessi fuerint. Cuius Bullæ obseruatio, inquit Zyp. *hoc tit. num.* 18. Medicis, quantum fieri potest, commendata est in Synodo Antuerp. 1609. Sed quia hic morbi non ita solent esse acuti, vt intra paucos dies perimant, sicut in Italia, & aliis locis calidioribus, difficilius in vsum deduci potest.

Secundò obligat, quando quis existimat se à peccato aliquo abstinere non posse, aut vincere aliquam tentationem, nisi confiteatur, quia quisque iure diuino tenetur adhibere remedia necessaria ad vincendum peccatum.

Tertiò, quando sumenda est Eucharistia, &

& adest copia Confessarij, *iuxta Gl. ff. cap. de homine sup. de celebrat. Missar.* Concil. Trid. *sess. 13. c. 7. & can. 11.* Quòd si, necessitate vrgente, Sacerdos sine prævia confessione celebraverit, quam primùm confiteatur, inquit Conc. Trid. *d. c. 7. in fine.*

Ad susceptionem verò aliorum Sacramentorum sufficit & requiritur quem contritum esse, *can. Per Esaiam 1. quæst. 1.* illis verbis: *Omnia Sacramenta prosunt digne sumentibus*: nam inde à contrario colligitur, non pœnitentibus & indignè sumentibus non prodesse. Idem dicendum de administrante Sacramenta, per *d. can. Per Isaiam*, illis verbis: *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* At tamen vtile admodum est ad aliorum quoque Sacramentorum susceptionem confiteri. Hinc *in can. Vt ieiuni de consecrat. distinct. 5.* præcipitur, vt suscepturi confirmationem moneantur priùs confessionem facere. Et Synodus Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* hortatur coniuges, vt antequam contrahant, vt saltem triduo ante consummationem matrimonij, confiteantur.

Quartò, ratione iuramenti aut voti, *arg. c. Magna sup. de voto, &c.* aut pœnitentiæ à Confessario iniunctæ; vel ratione statuti, religionis, aut præcepti superioris.

Quintò, ratione conscientiæ erroneæ, dum putat quis se ad confessionem teneri, quamvis sufficiat illam deponere, Navarr. *in Manuali cap. 2. n. 20. arg. cap. Inquisitioni inf. de sentent. excommunicat.*

Sextò, quando quis credit probabiliter se alioquin non habiturum eo anno Confessarij idonei copiam, Navar. *dict. loco*: sicut ad audiendum Sacrum, quòd vnicum mane celebratur, tenetur quis, licèt alioquin ad illud audiendum sit latitudo totius diei.

§. VIII.

De conditionibus & qualitatibus Confessionis.

1 *Conditiones ad Confessionem requisitæ de necessitate sunt tres.*

1 SAcramentalis Confessionis qualitates sexdecim exprimuntur his versibus:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Nuda, frequens, discreta, lubens, nec non verecunda,
Integra, secreta & lacrymabilis accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Pro quarum maiori explicatione vide Navar. *in can. Fratres de pœnitent. distinct. 5.* Sunt autem istæ conditiones de perfectione Confessionis non tamen omnes de necessitate, sed tres dumtaxat, nempe, vt sit lacrymabilis, id est cum contritione, vel saltem attritione illa salutari, vt Sacramentum ex attrito faciat contritum, id est conferat illi eum effectum, quem consequeretur, si esset contritus. Secunda, vt sit syncera & pura ab omni mendacio & simulatione, verbisque superfluis, etiamsi se quisque accuset, in quantum sibi conscius est, aut probabiliter existimat se deliquisse, non augendo nec aggravando, aut minuendo, vel excusando peccata, sed certa tanquam certa, dubia tanquam dubia accusando. Alioqui cùm mendacium semper sit peccatum, *can. Primum 23. q. 2. c. Super eo sup. de vsuris*; gravius est, quod in iudicio committitur; ideóque mendacium de peccato mortali in confessione seu confessionis iudicio, puta si neget se commisisse peccatum mortale, quod commisit, aut affirmet se commisisse, quod non commisit, est peccatum mortale, cùm sit contra integritatem Confessionis: nisi fortè in posteriori casu ignorantia excuset, qui scilicet existimet se melius facere, accusando se graviter de eo, de quo dubitat, quia hoc modo etsi falsum dicat, non tamen mentitur perniciosè ad fallendum, *arg. can. Animadvertendum 22. quæst. 2.* vbi dicitur mendacium esse falsa vocis significatio, cum intentione fallendi. Adde, quòd bonarum mentium sit, timere culpam, vbi non est, *c. Ad eius de pœnit. distinct. 5.*

Tertiò, vt sit integra, omnium scilicet (& quidem singulorum, quando sunt diversæ speciei & generis) peccatorum mortalium, etiam occultissimorum, vt quæ sunt adversus duo vltima Decalogi præcepta, quorum post diligens & debitum examen memoriam habet: insuperque circunstantiarum, quæ peccati mutant speciem, Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* Conc. Florent. *in Instruct. Armenior.* Aliàs enim Sacerdos, à Christo Iudex constituitus, non posset ferre iustam sententiam, nec iuxta mensuram delicti infligere pœnam, sive satisfactionem imponere: quam tamen requirit Concil. Trid. *dict. loco* iuxta illud Deuter. 25.

debet iuxta mensuram delicti esse plagarum modus.

Quòd si eiusdem speciei sint peccata, debet eorum exprimi numerus, non quidem Mathematicè, sed moraliter, quoad fieri potest. Sin autem ignoretur certus numerus, is exprimendus est, quem putat probabilem, veluti, dicendo, Quinquies plus minùs non ieiunaui in Quadragesima. Quòd fine probabiliter quidem plus vel minùs eiusmodi numerum confiteri possit, sufficit iudicare tempus, conditionem, & propensionem animi in talis aut talis speciei peccata.

§. IX.

De circumstantiis in Confessione exprimendis.

1 *Circumstantiæ quæ sint.*
2 *Exprimendæ circumstantiæ, quæ speciem peccati mutant.*
3 *Quæ item excommunicationem annexam vel casum reseruatum habent.*
4 *Quæ peccatum mortale aggrauant aut minuunt, aut ex veniali mortale reddunt.*
5 *Circumstantiæ temporis quatenus exprimendæ.*
6 *Et eæ, quæ personis communes sunt.*
7 *Circumstantiæ quoque finis exprimendæ.*

1 QVantum ad circumstantias peccatorum attinet, eæ nihil aliud sunt, quàm accidentia eorum actuum, qui sunt peccata; & variæ sunt, *iuxta can. Auth. facta* 19. *de pœnit. distinct.* 1. *cap. Sicut dignum sup. de homicidio, Author. facta ff. de pœnis*: & continentur hoc versu.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis,
Cur, Quomodo, Quando?

De quibus vide Nauar. *in can. Consideret de pœnit. dist.* 5. Subinde autem ad integritatem Confessionis necessaria est circumstantiarum expressio, vt patet ex Concil. Trident. *loc. citato.*

2 * Et quidem in primis earum, quæ speciem peccati mutant, Conc. Trid. *dict. sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. Facit *dict. can. Consideret.* Talis circumstantia est loci sacri: vt si quis in loco sacro furetur, vel fornicetur, vel cum iniuria sanguinem humanum effundat, vel aliquem è loco sacro contra immunitatem Ecclesiasticam vi abducat, cùm enim talia in loco sacro committi, ob eius reuerentiam, legibus specialibus prohibeantur, *can. Quisquis* 17. *quæst.* 4. *cap. Proposuisti sup. de consecrat. & similibus, l. Præsenti Cod. de his qui ad Ecclesias confug.* huiusmodi circumstantia loci sacri specialem habet repugnantiam cum ratione ac speciali lege, ideóque nouam deformitatem alterius rationis à deformitate prioris obiecti superaddit. Hinc furtum rei non sacræ è loco non sacro, dicitur simplex furtum: at vérò furtum rei non sacræ in loco sacro ad custodiam positæ Sacrilegium vocatur.

Talis quoque subinde circumstantia personæ. Nam si persona sacra, vel quæ votum castitatis emisit, fornicetur, non simplicem fornicationem, sed sacrilegium committit. Quòd si vterque, vel alter fornicantium sit coniugatus, constituitur adulterium; si inter consanguineos vel affines hoc crimen committatur, est incestus; si cum virgine, stuprum; si inter personas omninò solutas à vinculo matrimonij, cognationis, affinitatis, Ordinis & voti, est simplex fornicatio; si inter personas eiusdem sexus vel cum brutis animantibus, est sodomia.

Secundò, eæ circumstantiæ exprimendæ 3
sunt, quæ excommunicationem annexam vel casum reseruatum habent, vt percussio enormis Clerici, subreptio bonorum naufragantium: est enim necessarium Confessario scire, num pœnitens sit excommunicatus, *can. Excommunicatos can. Rogo* x 1. *quæst.* 3. vel casum aliquem reseruatum habeat.

Tertiò, quæ intra eandem speciem transferunt peccatum à veniali ad mortale, qualis est magnitudo furti; aut etiam inter eandem speciem peccatum mortale valde aggrauant, licèt speciem non mutent, iuxta probabiliorem sententiam, quia aliàs non poterit Sacerdos, tanquàm iudex, debitum proferre iudicium, nec secundum mensuram delicti iniungere pœnitentiam, quod tamen requirit Conc. Trid. *loco antè citato, can. Non afferamus* 24. *quæst.* 1. 4

Vnde a pari sequitur explicandas quoque esse eas circumstantias quæ valde notabiliter minuunt peccatum aut etiam efficiunt nullum: veluti, si quis infirmus ex præscripto Medici comederit carnes in Quadragesima, aut in graui admodum necessitate positus abstulerit rem alienam, *iuxta text. in can. Discipulos de consecrat. dist.* 5. *Glos. in cap. Si quis propter sup. de furtis*, id exprimere debet. Sententia nihilominus contraria, negans eiusmodi circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem esse exprimendas, tuta est, pro qua vide Nauar. *in can. Consideret, de pœnit. d. st.* 5.

Quantum

Quantum verò ad circunſtantiam temporis attinet, veluti dici feſti, vtile quidem eſt confiteri non tamen ordinariè eſt neceſſum, quia præceptum de colendo Sabbato ac Feſto, *Exod.* 20. *& Leuit.* 23. præcipit dumtaxat quietem ab operibus ſeruilibus corporalibus ſeu manualibus, mechanicis, non etiam à ſpiritualibus, qualia ſunt peccata, quorum pleraque penitus ſunt mentalia, ac proinde nullatenus inter ſeruilia corporalia opera poſſunt cenſeri, *can. Teſtamentum, can. ſed penſandum diſt. 6. can. Scut de pœnit. diſt.* 1. Idem dicendum de circunſtantia dici ieiunij, aut orationis. Aliud tamen dicendum, ſi quis intenderet feſtum vel ieiunium vel orationem per ſcelus violare, Nauar. *in dict. can Conſideret num.* 23. *ad* 1. *& in Manuali cap.* 6. *num.* 10. *&* 11.

5 Non obſtat *dict. can. Conſideret*, innuens circunſtantiam temporis eſſe confitendam: quia in eo Can. multa ab Auguſt. conſultiuè dicuntur. Vnde ad iſta verba, *omnis iſta varietas conſtituenda eſt*, ſubaudi, de conſilio, non de præcepto: niſi talis varietas ſit, quæ peccatum mortale in aliam peccati mortalis ſpeciem, aut veniale in mortale transferat: cuiuſmodi non eſt circunſtantia temporis.

6 Similiter nec circunſtantiæ perſonis communes, quæ peccatum aggrauant in eadem ſpecie v.g. ſi bonus aut malus iuuenis aut ſenex ſuperior, aut inferior peccet, niſi ſcandalum vel alia circunſtantia accedat. Quamuis alioqui eiuſmodi circunſtantiæ perſonis communes peccatum augeant: nam cæteris paribus, magis peccat in dignitate conſtitutus, quam priuatus, *can. Homo Chriſtianus 5. diſtinct.* 40. *cap.* 2 *ſup. de tranſlat. Epiſc.* illis verbis: *Idem Archiepiſcopi tanquam maiores plus exceſſerint.* Vbi Glo. citat illud Iuuenalis, ex Satyra 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe.
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Sic magis peccat Prælatus, quam ſubditus, *can. Præcipuè* 11. *quæſt.* 3. & ſic de ſimilibus.

7 Quartò circunſtantia finis exprimenda eſt, quando eſt prohibita alia lege ſpeciali ab actu principali, quia trahit ad aliud peccatum: vt ſi quis foretur ad mœchandum, non tam fur quàm mœchus dicitur iuxta Ariſtot. 5. *Ethic.* vel ad occidendum, quo caſu magis homicida dicetur, Videatur Nauar. *in Manuali cap.* 6. *n.* 4. *in fine.*

§. X.

Quando liceat dividere ſeu dimidiare Confeſſionem.

1 *Dividi Confeſſio poteſt ob neceſſitatem pœnitentis.*
2 *Ob neceſſitatem Sacerdotis.*
3 *Ob ſociorum neceſſitatem.*
4 *Ob periculum, quod inde ſequeretur.*
5 *Ob periculum reuelandi peccatum alterius.*

1 TAmetſi, quantum eſt ex natura Confeſſionis, ſeu per ſe, omnia peccata mortalia, cum circunſtantiis prædictis, ſint vni eidemque Sacerdoti confitenda, aliterque facta ſeu dimidiata confeſſio ex intentione confitentis & ſine legitima vrgente cauſa non valeat, *can. Conſideret* §. *cautus, & ibi* Nauar. & *can. Non poteſt de pœnit. diſt.* 1. *& cap. fin. diſt.* 5. *cap. Omnis vtriuſque* 12. *hoc tit.* tamen legitima cauſa ſubſiſtente, ſeu per accidens dividi poteſt, vt docet Nauar. *dict. loco* veluti primò ob neceſſitatem pœnitentis, ſi poſt vnum atque alterum peccatum, etiam veniale, confeſſum priuetur vſu loquelæ vel rationis, immineatque periculum mortis, omninò abſoluendus eſt.

2 Secundò, ob neceſſitatem Sacerdotis; veluti, ſi Sacerdos, poſtquam incœpit audire confeſſionem, fiat æger, ita vt progredi nequeat, nec ſit alius, per pœnitentem audire poſſit, & immineat periculum mortis; abſoluere eum debet.

3 Tertiò, ob ſociorum neceſſitatem: veluti, quando imminente naufragio non omnes, in naui exiſtentes, vel in bello humi iacentes, aut in hoſpitali moribundi audiri poſſunt, Sacerdos, vt ſubueniat omnium neceſſitati, dictante id ratione & expoſcente charitate, poteſt excipere aliqua eorum peccata, & abſoluere.

4 Quartò, quandocumque ex confeſſione alicuius peccati ſequeretur periculum vitæ, corporalis vel ſpiritualis, propriæ vel alterius, tale peccatum ſubticere licet, ſi non ſit commoditas alteri integrè confitendi, Nauar. *in Manuali cap.* 7. *num.* 3. vbi *num.* 1. putat idem obtinere, quando veriſimiliter timetur magna diffamatio complicis, apud Sacerdotem, qui illum nouit, nec eſt commoditas alteri confitendi. Quamuis contra alij putent ob hoc ſolum non eſſe lici-

tum subticere. Iudicium de hoc dubio Theologis relinquo.

5 Quintò, quando Sacerdos non potest aliter confiteri peccatum suum, quàm reuelando alienum, auditum in confessione, dimidiare confessionem debet, omittendo tale peccatum, quia maior est obligatio secreti seu sigilli confessionis, quàm integritatis confitendi. Est communis, Nauar. *in Manuali c.8.n.6.*

Quo pacto autem seruari possit integritas Confessionis, dum pœnitens habet aliquos casus reseruatos, & inferiori confitetur, dissentiunt DD. Nam quidam tenent posse inferiorem etiam à reseruatis absoluere, obligando pœnitentem, vt reseruata iterum confiteatur superiori. Alij contrà existimant, inferiorem non habere huiusmodi potestatem præterquam in articulo mortis; quia nullo iure extra articulum mortis inueniatur concessa talis potestas, ne quidem tacitè, & contrarium videatur satis indicare Conc. Trid. *sess.14.cap.7.* Nolim tamen hic alteram damnare sententiam, sed potiùs Theologis iudicium malim relinquere.

An verò qui post signa tantùm doloris & pœnitentiæ edita priuatur vsu linguæ & rationis, ita vt nullum in specie peccatum confiteri possit, absolui queat & debeat in periculo mortis, etiam controuertunt Interpp. iuris vna cum Theologis. Fauorabilior ac praxi conformior videtur affirmantium opinio: quæ probari videtur *ex can. Is qui, & can. His qui* XXVI. *quæst. 6.* Conc. Araufícano, *cap.* 11. vbi dicitur, quòd subitò obmutescens, & baptizari, & pœnitentiam accipere possit, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeatur, aut præsentis proprio nutu. Fauet ratio, quia hic omnia requisita ad absolutionem Sacramentalem adsunt, nempe dolor externus manifestatus cum aliqua confessione peccati in genere: quod sufficit.

Nec obstat, quòd Conc. Trid. *sess.14. cap.5. & can.9.* dicatur anathema ei, qui dixerit, ad absolutionem non necessariam esse confessionem, non tantùm in genere, sed etiam sigillatim, & in specie: quia dicendum, ita necessariam esse confessionem in specie, sicut necessaria est integra confessio omnium peccatorum mortalium, nempe quando haberi potest: Idque solum voluit Conc. Trid. contra hæreticos.

* * *

§. XI.

An Confessio possit esse publica, fierique per litteras aut interpretem, vel nuntium.

1 *Potest esse publica Confessio, & fieri simul à pluribus.*
2 *Potest fieri per interpretem.*
3 *Confiteri per scriptũ est contra vsum Ecclesiæ.*

NOn esse de essentia confessionis sacramentalis, vt fiat vni sacerdoti dumtaxat, secreto vel publicè colligitur ex Conc. Trid. *dict. sess. 14. cap. 5.* vbi inter cætera dicitur, quòd non satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda Ideóque meritò Leo *in can. Quamuis 82 de pœnitent. dist. 1.* sustulit consuetudinem, quâ homines pœnitentes cogebantur publicè confiteri.

Poterunt igitur plures tempore naufragij, si 1
vnicus dumtaxat sit Sacerdos, non sufficiens omnibus secretò audiendis, omnes simul alta voce eidem confiteri, & ab eo absolui, hac forma, *Ego vos absoluo ab omnibus peccatis vestris, In nomine Patris, &c.*

Poterit etiam à fortiori quis confiteri per 2
Interpretem, cùm ita minùs publica fit confessio, quàm priori casu, Nauar. *in can. Fratres de pœnit. dist.5. n.86.* Poterit & pluribus sacerdotibus simul confiteri & ab iis absolui, vtentibus eadem absolutionis forma, *Ego te absoluo, &c.* vel hac, *Nos te absoluimus.*

Cæterùm licèt non sit contra naturam huius 3
Sacramenti confiteri peccata Sacerdoti per scriptum absque verbis: est tamen contra perpetuum & communem vsum Ecclesiæ, qui fuit, vt confessio voce perageretur, quandocumque id fieri posset. Similiter non licet confiteri absenti per litteras aut nuntium, saltem ordinariè, iuxta Cathechismum Rom. *cap. de Sacramento pœnit. & declarationem Cardd. ad* Conc. Trid. *sess.24. cap.6. de refor. §. dispensare,* Nauar. *in can. Quem pœnitet, de pœnit. dist.1. & in Manual. c.21. n.36.* vbi pleniùs vide.

§. XII.

De nullitate Confessionis.

1 *Nulla est, vel ex parte pœnitentis, idque ex variis causis:*

2 *Vel*

3 *Vel ex parte Confessarij, ex variis similiter causis.3.*

1 VAriis modis potest contingere, vt Confessio sit nulla, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarij.

Ex parte pœnitentis primò fit nulla, ob defectum intentionis, si non intendat suscipere Sacramentum; aut suscipere quidem intendat, sed ob finem, qui est peccatum mortale, & per consequens obex absolutionis, nam veniale, non reddit irritum Sacramentum. Secundò, ex defectu attritionis vel contritionis: quò refertur defectus abstinendi à peccato. Nam peccato venia non datur, nisi correcto, *cap. peccatum de R.I. in 6. can. Legatur* XXII. *quæst. 2.*

2 Estque communis sententia. Tertiò, ex defectu integritatis, dum scienter, sine legitima causa, vel ex crassa & culpabili negligentia, non confitetur omnia mortalia, cum circunstantiis necessariò exprimendis. Quartò, ratione excommunicationis, non ignoratæ; quia quatenus de illa non confitetur ei, qui potest absoluere, ponit obicem Sacramento: nam excommunicatus, etiam minori excommunicatione, excluſus est à participatione Sacramentorum, *cap. Si celebrat. sup. de Clerico excommunicato minist.* Vide Nauar. *in dict. can. Fratres de pœnit. dist. 5. ante num. 41.*

Dixi, non ignoratæ; quia secus, si eam ignoret, & bona fide petat absolutionem, quia nullo iure vel ratione contrarium probatur; & rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, *cap. Sine culpa de R.I. in 6.* Quintò, ex defectu diligentiæ sufficientis ad reuocandum in memoriam peccata commissa. Adhibenda autem est tanta diligentia, quanta iudicio prudentis & boni viri adhiberi debet in re magni momenti, qualis haud dubiè est salus animæ.

3 Ex parte Confessarij est nulla; primò ex defectu intentionis, si non intendat absoluere. Patet ex antedictis de intentione ministri ad Sacramentorum administrationem requisita. Secundo, ex defectu potestatis seu iurisdictionis, vt patet ex dictis antè circa definitionem Confectionis. Tertiò, si eius iurisdictio impedita sit per excommunicationem, vti in hæretico, *can. 1. §. laboret de pœnit. dist. 6.* cui, tanquam ab Ecclesiæ vnitate per culpam diuiso, *can. Sanè* XVI. *quæst. 7.* nequidem in extrema necessitate licet confiteri, Nauar. *in dict. §. laboret.* Vnde & Hermenegildus Rex maluit apetere mortem, quàm communionem sacram sumere è manibus Episcopi Arriani, *can. fin.* XXIV. *quæst. 1.* Vide pleniùs Nauar. *in dict. can. Laboret.* Vbi notandum, post Conc. Constantien. solos notorios Clericorum percussores aut nominatim excommunicatos priuari iurisdictione. Quartò, si non proferat absolutionis verba: nam in hoc iudicio debet sententia ferri voce Sacerdotis; nec satis est illam scribere, vti in aliis tribunalibus, in quibus potest per ministrum ferri, modò illa sit scripta à iudice & approbata. Quintò, ex defectu scientiæ in Confessario requisitæ, veluti si tanta laboret ignorantia, vt absoluere nesciat, vel peccata mortalia contra decem præcepta Decalogi ignoret. Vbi obseruandum, Deum ordinariè huiusmodi defectus essentiales in ministris non supplere, nec dare gratiam extra Sacramentum, nisi contritis.

§. XIII.

De sigillo seu secreto Confessionis.

1 *Sigillum Confessionis quid sit.*
2 *Qui ad hoc sigillum teneantur.*
3 *Teneri autem omnes iure naturali, divino positiuo & Ecclesiastico. 4. 5.*
6 *Pœna reuelantis Confessionem.*

SIgillum Confessionis nihil est aliud, quàm 1
obligatio non reuelandi ea, quæ audita sunt in Sacramentali Confessione; sic dictum per metaphoram, quia vt sigillum continet occultam rem obsignatam in charta vel tabula, *l. 1. §. fin. l. Si quis ex signatoribus, ff. Quemad. testam. aper.* ita hæc obligatio efficit, ne in confessione audita manifestentur.

Ad hoc autem sigillum seruandum tenetur 2
non solùm Confessarius ipse, sed & interpres, & alius quicumque, sive vir, sive fœmina, sive laicus, sive Clericus, qui sive de industria, sive directè, sive indirectè, sive mediatè, sive immediatè, confessionem alterius audiuerit, quia præceptum seu obligatio huius sigilli seruandi non cadit in ipsum Sacerdotem primariò, sed in ipsam scilicet confessionem, quam verat reuelari. Et ideò ad quemcumque tranſeat, cum hoc onere suo, nempe sigilli non reuelandi, transit, *cap. Ex litteris sup. de pignorib. c. Pastoralis sup. de decimis, & similibus.*

Teneturque quilibet ad seruandum hoc 3
sigillum triplici iure, naturali, diuino positiuo, & Ecclesiastico. Naturali, quia illud docet, non

faciendum alteri, quod nollemus nobis fieri: nemo verò vellet secretum, quod alter commisit, maximè peccata sua, occulta, manifestari aliis. Accedit, quod ex eiusmodi revelatione gravissima possent sequi mala, veluti infamia proximi, & alia; ipsaque Confessio redderetur gravissima & odiosa, ab eáque multi meritò deterrerentur ac retraherentur.

4 De iure divino positivo probatur, quia Christus instituens Sacramentalem Confessionem, haud dubiè etiam sigillum eius, sine quo consistere nequit, nec fieri commodè potest, omnibusque esset exosa, instituisse censendus est, *arg. c. Praterea sup. de offic. deleg. & l. 2. ff. de iurisdict. omn. iud. c. 1. pen. ff. de vsufructu* Navar. *in can. Sacerdos n. 33. de pœnit. dist. 6.* Et hinc sequitur, à nullâ potestate humanâ posse præcipi alicui, sub quantavis pœna, etiam excommunicationis, revelationem confessionis, vel super eius sigillo dispensari, prout fusiùs probat Navar. *d. loco n. 130.*

De iure Ecclesiastico patet ex *d. can. Sacerdos & c. Omnis vtriusque h. t.*

5 Nec obstat, quòd in istis Iuribus fiat tantùm mentio sacerdotis expressio autem vnius fit exclusio alterius, *c. Nonne sup. de præsumpt.* quia qui de vno dicit, de alio quidem dissimili negat, sed non de simili, *can. Qualis dist. 23. arg. c. Si tibi absenti iunctâ Gloss. de præbent. in 6.* Iam verò licet Confessarius & alij non sint quoad omnia similes, sunt tamen tales quoad obligationem seu onus secreti confessionis, vt constat ex iam dictis. Ideò verò in citatis Iuribus fit potiùs mentio sacerdotis, quàm alterius quia frequentiùs contingit sacerdotibus Potentia revelandi, quàm aliis, quibus rariùs confessio aperitur. Quæ autem causa frequentioris vtius exprimuntur, non restringunt regulam.

Non obstat etiam huic sigillo Confessionis *c. 1. h. t.* nec §. *secreta sub can. Quis aliquando de pœnit. dist. 1.* cum *d. c. 1.* concordans, à contrario sensu, quibus probatur, pro manifestis peccatis imponendam esse pœnitentiam publicam: quia dicendum cum Navar. *in dict. can. Sacerdos num. 100.* ista iura intelligi debere de correctione exteriori, de qua multa *capp. hoc tit.* loquuntur, vt *cap. 2. c. Quod autem, c. Licet 6. a. Quæsitum, c. Cum ex eo, & c. penult.* non autem de interiori seu Sacramentali: nisi eo casu, quo pœnitens sponte peccet, vel suscipiat talem pœnitentiam, sicque expressè vel tacitè consentiat in Confessionis suæ publicationem ex iusta aliqua causa, vt satisfaciat Deo & populo, cui scandalo fuit, Navar. *d. loco & in can. Falsas de pœn. dist. 5.* vbi plenius probat, Canones Pœnitentiales, qui in fine Decreti Gratiani edit. Gregorianæ leguntur, de simili correctione exteriori intelligendos esse, dum de publica pœnitentia imponenda loquuntur.

Denique pœna revelantis Confessionem, secundum Gregor. *in d. can. Sacerdos* est depositio & perpetua peregrinatio. Verùm quia huiusmodi peregrinatio non soli Clerico, sed toti Clericorum ordini erat dedecori, *c. Diaconi distinct. 23.* ideo *in d. cap. Omnu vtriusque hoc tit.* temperatur, vt sit depositio & perpetua recluso in arctum monasterium: derogat enim lex nova veteri, quatenus statuit contrarium, licèt eius mentionem non faciat, *c. 1. de Constit. in 6.*

Ista tamen pœna non habet locum in aliis 6
à Sacerdote, saltem in laicis: quia cùm laici non sint in ordine constituti, nequeunt quoque deponi ab ordine, *argument. leg. Decem ff. de verb. oblig.* Cæterùm de hac pœna revelantis confessionem vide plenius Lopez *ad proxin. crimin. Can.* Diaz. *cap. 113. cum alius, quos citat.*

§. XIV.

De Satisfactione, tertia parte Pœnitentiæ, & quotuplex ea sit.

1 *Cur necessaria sit pœnitenti Satisfactio.*
2 *Satisfactio in genere & in specie quid sit. 3.*
4 *Specialiter accepta, alia est voluntaria, alia Sacramentalis. 5.*

QVamvis subinde possit tanta esse contritio, vt simul cum culpa remittatur tota pœna, sicuti per Baptismum & Martyrium, vti constat in latrone pendente de cruce, in Maria Magdalena, S. Paulo, & aliis: * quia 1
tamen non semper per Sacramentum Pœnitentiæ, dimissâ culpâ, tota pœna remittitur, sed æterna in temporalem mutatur, vt definit Concil. Trid. *sess. 6. cap. 14. & can. 3. & sess. 14. cap. 8. & can. 12.* patetque ex variis tum Canonibus tum Scripturæ sacræ testimoniis, eâ ratione, quòd cùm peccatum non solùm sit contra Dei amicitiam, sed etiam contra iustitiam, fiat, vt pœnitente in amicitiam & gratiam divinam recepto, maneat debitum luendæ pœnæ temporalis; loco perpetuæ & infinitæ, cuius Deus per Sacramentalem absolutionem obliviscitur; ideo ad satisfaciendum

iustitiæ

iustitiæ necessaria est pœnitenti post confessionem satisfactio, pro pœna illa temporali in quam virtute absolutionis infinitam & perpetuam mutatur.

Est autem Satisfactio in genere nihil aliud,
2 quàm compensatio quædam, quâ is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum alter pro iniuria sibi illa iustè requirit, *arg. l.1. ff. Qui satisd. cog. & similibus.* Atque ita latiùs patet restitutione, quam sub se comprehendit, tanquam genus, vt innuit Glos. *in c. Peccati venia de R.I. in 6.* Navar. *in can. Satisfactio de pœnit. dist.3.* Nam restitutio est repositio rei in pristinum statum, *leg. Restituere ff. de verb. significat. can. Si quem §. fin. 2. qu. 3.* seu redditio rei ablatæ, sive iure sive iniuriâ ablata sit, vel damni illiciti compensatio, *toto tit. Decretal. de restituit. spoliat.* Atque ita restitutio respicit rem, dum præstat æquivalens, vel rem ipsam exhibet: & habet locum; vbi damnum est datum, vel res alterius ablata. Et proinde est actus externus iustitiæ commutativæ, cuius est constituere æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compensationem. At verò satisfactio respicit personam, dum præstat id, quod alteri satis est, etiamsi non sit æquivalens debito: & habet locum etiam pro iniuria illata, & honore violato, etiamsi nullum damnum datum sit. Sic enim Deo satisfacimus, cui tamen damnum non inferimus, nec quicquam restituere possumus, cum omnia sint Dei perfectissimè. Denique satisfactio fit etiam pro damno irreparabili; restitutio pro reparabili tantùm.

3 Satisfactio verò, specialiter pro tertia parte pœnitentiæ accepta, est compensatio Deo facta pro iniuria ei illata per peccatum, cum proposito de cætero non offendendi, & spe veniæ.

Nec obstat huic definitioni *can. Satisfactio 3. de pœnit. dist.3.* vbi Augustin. definit, Satisfactionem Pœnitentiæ esse peccatorum causas excidere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere: quia dicendum, definitionem illam non esse completam quoad expressionem, sed solùm tacitè & implicite: nam cum satisfactio duo respiciat, nempe redditionem vel placationem debiti, & insuper abstinentiam à novo debito vel nova offensa, dicta definitio Aug. secundum tantum exprimit, ac primum continet implicitè dumtaxat.

Est verò duplex satisfactio, alia voluntaria,
4 alia Sacramentalis. Voluntaria est, quam quis sponte suscipit; cuius innumera sunt exempla in sacra Scriptura, veluti Iob. *vlt. c.* Davidis *in can. Totam cum seq. & can. Illud de pœnit. dist. 5.* Achab. *in §. è contra sup. can. Si post ordinationem dist. 50. & §. Achab. quoque sub can. Voluisset, & in can. Sicut Achab. de pœnit. dist.3.* quæ, sicut & alia innumera, evidentissimè ostendunt stoliditatem Lutheri ac Melanæthonis, asserentium, pœnas susceptas sponte esse hypocriticas, & cum Dei præcepto pugnare.

Sacramentalis est, quàm Sacerdos per po- 5
testatem clavium sibi traditam non solùm ad solvendum sed etiam, ad ligandum (vt constat ex illo Matth.16. *Quodcumque ligaveris &c. in can. Ita Dominus dist.10. can. In novo testamento, can. Quamvis dist.20.* & illo Matth.18. *Quacumque alligaveritis, &c.*) pœnitenti iniungit. Et hæc longè Præstantior priori est; tum quia ex obedientia suscipitur; tum quia effectum, efficaciam ac fructum suum trahit à Sacramento, quod ex opere operato operatur: illa verò à virtute pœnitentiæ tantùm. Et hinc fit, quòd hæc impleta etiam in peccato mortali reviviscat, & suum effectum sortiatur, remota fictione, seu accedente gratiâ, & recuperatâ charitate; non autem illa. Vide Navar. *in can. 1. n.48. de pœnit. dist.6.* vbi rationem reddit.

§. XV.

Per quænam opera satisfiat, & de modo in satisfactione servando.

1 *Satisfacit pœnitens per bona opera, etiam non pœnalia.*
2 *Item per bona opera aliàs debita.*
3 *De modo servando in pœnitentia imponenda.*

SAtisfacit verò pœnitens per bona opera, 1
non modo pœnalia, sed etiam non pœnalia. Nam & datissimus ac liberalissimus potest satisfacere per eleemosynam, & temperatissimus per ieiunium; quorum tamen neuter ex talibus sentit pœnam aut tristitiam, licet quo magis pœnalia sunt, eo magis sint satisfactoria.

Rursus non tantùm per opera bona, aliàs 2
non debita, sed & per aliàs debita, satisfacere, quis potest, Navar. *in can.1. de pœnit. dist. 6. num.40.* & in *Manuali cap.26. num. 23.* Nec mirum, posse quem vnico actu satisfacere duplici obligationi aut pluribus cùm vnico ieiunio satisfaciat quis vigiliæ & quatuor temporibus; vnico sacro diei festo ac Dominico; vnicâ re-

citatione

citatione officij beneficio & ordini sacro; & sic de similibus.

3 Quis autem modus in Satisfactione seu Pœnitentia imponenda sit servandus, docet Conc. Trident. *sess.* 14. *c.* 8. Cùm enim Sacerdos simul sit constitutus Iudex & medicus, eique datæ sint claves ad solvendum & ligandum, curare debet, vt secundum mensuram delicti sit plagarum modus, *Deuter.* 25. Ideóque diligenter perpendat necesse est quantitatem & qualitatem, aliásque circunstantias delicti, *c.* 3. *& cap. Deus* 8. *hoc tit.* contritionem atque ætatem pœnitentis; *can. de his, cum aliquot seqq.* 26. *q.* 7. *cap.* 2. *sup. de delictis puerorum, & similibus.* Item scientiam, veluti an amens vel furiosus deliquerit, *can. Iudicat.* 3. *quæst.* 9. *can. Si quis insaniens* 15. *quæst.* 1. an putaverit se delinquere, an non, *leg. fin. ff. de ritu nupt.* Insuper sexum, *can. indignantur* 22. *quæst.* 6. ac conditionem, *can. Qui compulsus* 22. *quæst.* 5. *can. Aut facta de pœnit. dist.* 1. Præterea observare debet modum, tempus, locum, delinquendi voluntatem propositum, eventum, cæteráque, quæ, vt delicta, ita & pœnas delinquentium variant, *iuxta l. Aut facta ff. de pœnis.* nam, etiam his omnibus spectatis, lex civilis pœnas arbitratur *d. l. Aut facta*: vt de his fusiùs Tolosan. *Syntag. Iuris universi lib.* 30. *à cap.* 2. *vsque ad* 11. Navar. *in can. Mensuram de pœnit. dist.* 1.

§. XVI.

An pœnitens teneatur acceptare & adimplere pœnitentiam sibi impositam.

1 *Teneri acceptare & adimplere probatur.*

1 TEneri pœnitentem semper acceptare & adimplere pœnitentiam rationabilem sibi impositam, nisi legitimè commutetur, probatur ex *cap. Omne vtriusque* 12. *hoc tit.* Gloss. *in can. Contrarium de pœnit. dist.* 5. Ratio peti potest ex Conc. Trid. *d. sess.* 14. *cap.* 8. *& can.* 13. Cùm enim ibi dicatur, Sacerdoti datas esse claves, non solùm ad soluendum, sed etiam ad ligandum, haud dubiè poterit eis debitè vtendo obligare pœnitentem ad rationabilem pœnitentiam, pro peccato mortali impositam. Censetur autem rationabilis, quæ cuiuscumque statui & fragilitati congruit, etiamsi non sit condigna.

Si tamen quis vellet omninò reservare pœnam, in purgatorio persoluendam, suo iudicio relinquendus erit, Navar. *in can. Consideret* §. *ponat se de pœnit. dist.* 5. *& can. Sacerdos eod. tit. dist.* 6. vbi testatur hanc esse communem DD. sententiam *in c. Significavit* 3. *h. t.*

§. XVII.

An vnus pro alio tam vivo quàm mortuo satisfacere possit.

1 *De fide est, iustum pro alio iusto satisfacere posse.*

2 *Sacramentalis satisfactio per alium adimpleri nequit.*

DE fide est, posse vnum iustum pro alio iusto satisfacere. Colligitur ex Symbolo Fidei, in quo confitemur communionem Sanctorum, id est, secundum omnium Catholicorum interpretationem; omnium bonorum totius Ecclesiæ, iuxta illud Davidis Psalm. 18. *Particeps ego sum omnium timentium te, Domine, & custodientium mandata tua.* Confirmatur, quia *ad Ephes.* 4 1. *Corinth.* 12. *ad Roman.* 12. Omnes in gratia existentes dicuntur vnum corpus in Christo; singuli autem alterius membra. Etenim membra viva vnius corporis & capitis se mutuò iuvant, varioque labores, imò interdùm sectiones & vstiones pro se invicem sustinent. Vnde *ad Galat.* 6. Dicitur, *Alter alterius onera portate*; onera, inquam, non modò corporalia, sed etiam spiritualia. 1

Dixi, iustum pro iusto; quia vt aliena satisfactio prosit, debet vterque & satisfaciens, & is, pro quo satisfacit, esse in gratia & charitate: quia satisfactio vnius pro alio admittitur, quatenus ambo sunt viva membra vnius corporis Christi per gratiam & charitatem: & peccatum quamdiu manet, reddit impium incapacem remissionis pœnæ, pro peccato debitæ.

Sacramentalis tamen satisfactio, cùm sit pars Sacramenti, est actus personalis, qui proinde non magis potest per alium fieri, quàm vnus pro alio baptizari, confirmari, vel confiteri. Ideóque si quis in articulo mortis nequeat illam adimplere per se ipsum, ab ea implenda excusatur; & si committat alteri, proderit quidem illi, non tamen erit Sacramentalis; multóque minùs proderit, quàm si ipsemet illam adimpleviſſet. 2

§. XVIII.

§. XVIII.

De Remissionibus seu Indulgentiis.

1 *Indulgentia nomine quid hoc loco significetur.*
2 *Esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias patet.*

1 SAtisfactioni affinis est materia Indulgentiarum, quæ hoc loco Remissiones specialiter appellantur, cùm aliàs Remissio in genere sit liberatio ab aliquo onere iniuncto vel iniungendo.

Vni illud quoque præmittendum est, Indulgentiam apud latinos sumi interdum in malam partem, pro molli scilicet & delicata quadam permissione, ac nimia licentia; vt apud Quintil. *Mollia illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentu & corporis frangit*: & apud Plinium. *Vt simia catulos fera complexa necat, ita nonnulli parentes, immodico erga liberos affectu & indulgentiâ, corrumpunt illos.* Interdum in bonam partem: quandoque verò pro remissione culpæ, quâ Deus multùm de iure suo remittit, vt *Iudith. 8. Indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus:* quandoque pro remissione pœnæ, peccato debitæ, iuxta illud *Isaiæ 6. Misit me vt mederem contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Quo modo & in foro externo remissiones pœnarum vocantur indulgentiæ: *Indulgentia*, inquiunt Imp. *quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, sed pœna gratiam facit, l. vlt. C. de generali abolitione.* Ad cuius exemplum pœnarum temporalium in foro conscientiæ debitarum remissio rectè dicitur indulgentia. Et his duabus posterioribus significationibus accipitur Indulgentia *hoc tit. Decretal.* Hic autem agemus de ea secundum postremam significationem, non quidem quomodolibet, sed provt sumitur pro condonatione pœnæ temporalis, Deo debitæ, pro peccato iam remisso, quoad culpam, extra sacramentalem absolutionem facta seu concessa à Prælato Ecclesiæ. Nam licet per contritionem & confessionem Sacerdoti factam deleatur culpa peccatorum; remanet tamen pœna temporalis, in quam æterna commutatur, subeunda, vt antè diximus, & patet *ex can. Si peccatum de pœnit. dist. 1.* Hæc autem per remissionem & indulgentiam extinguitur.

2 Esse verò in Ecclesia huiusmodi potestatem concedendi indulgentias, patet *ex cap. Cum ex ex 14. hoc titul. Extravag. Vnigenitus eod.* ex Conc. Trid. *sess 21. c. 9. & sess. 25. in Decreto de indulgentiis*: ex Scriptura item sacra, *Matth. 16.* illis verbis, *Tibi dabo claves regni cœlorum*; & aliis, quibus Christus promisit Petro, eiúsque successoribus, claves regni cœlorum, vnáque cum clavibus ampliſſimam potestatem tollendi impedimentum ingressus in regnum illud: cuiusmodi haud dubiè est non solùm culpa, sed etiam reatus pœnæ. Rursus *Matth. cap. 18.* illis verbis, *Quæcumque solueritis super terram, &c.* & *Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c.* Quibus concessa est Apostolis omnibus potestas remittendi peccata, non solùm quoad culpam, verùm etiam quoad pœnam, vt colligitur ex illa particula, *Quæcumque*, & ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quo in arbitrio Episcoporum fuit, habitâ ratione personarum & peccatorum, remittere vel minuere pœnas, pro peccatis debitas; quod nihil est aliud, quàm concedere indulgentias. Addere his licèt, quæ de indulgentiarum tum origine tum progressu, commentatus est Boët. Epo. *ad Constit. Alexandri III. incip. Quod autem hoc tit.*

§. XIX.

Quid sit thesaurus Indulgentiarum, & vnde originem trahat?

1 *Originem habet ex redundantibus Christi & Sanctorum satisfactionibus.*
2 *Quo modo thesaurum illum dispenset summus Pontifex.*

PRo Indulgentiarum maiori explicatione, sciendum est, opus in charitate factum, non solùm esse meritorium gratiæ & gloriæ, quatenus est charitate informatum, verùm etiam satisfactorium, quatenus est ipsi operanti pœnale; & satisfactionem Christi tam fuisse abundantem, vt non solùm pœnam omnem, pro peccatis totius mundi debitam, tollere possit, si debitè per Baptismum vel per Pœnitentiæ Sacramentum omnibus hominibus applicetur, sed ob coniunctionem humanitatis cum divinitate infinitè illam excedat, *Extravag. Vnigenitus hoc tit.* nec tamen omnibus applicari: & similiter Sanctos, vt Ioan. Baptistam, Martyres, Confessores, Monachos, Eremitas ac Virgines, multò plura sine comparatione esse passos, quàm eorum peccata mereban-

bantur, iuxta illud *Iob. 6. Vtinam appenderentur peccata mea in statera, & calamitas, quam patior, quasi arena maris multò grauior appareret.* Quod ipsum clariùs apparet in Dei Matre, cuius, licet nullo vnquam peccato contaminata fuerit, animam gladius doloris pertransiuit.

1 Vnde necessum est, tam Christi, quam Sanctorum has redundantes satisfactiones, cum non sint remuneratæ quoad satisfactionem, licèt quoad meritum præmium retulerint remanere in acceptatione diuina, & ex iis constari thesaurum, ad vtilitatem militantis Ecclesiæ, pro indigentibus, prout definit Clemens Pont. *in dict. Extrauag. Vnigenitus.* Quemadmodum omni Republica benè ordinata thesauri & æraria conflari solent ex bonis redundantibus, pro publicis necessitatibus. Et in veteri lege erat gazophylacium, in quo recondita erant necessaria pro pauperibus. Hunc autem thesaurum, cùm non debuerit esse superuacuus, inanis, aut superfluus, non in sudario repositus, nec in agro absconditus, *dict. Extrauag. Vnigenitus.* Christus B. Petro, eiusque successoribus suis, in terris Vicariis, commisit, fidelibus salubriter ex iustis & rationabilibus causis dispensandum.

2 Dispensat autem illum summus Pontifex, Petri successor, quando concedit indulgentias, hoc est, quando merita satisfactoria Christi & Sanctorum redundantia applicat in satisfactionem pro alienis peccatis, & sic per modum solutionis, quatenus per illa æquiualens debito offertur. Nam etsi Deus absolutâ & independenti potestate sua remittere possit pœnam omnem, sine vlla compensatione non tamen ita vult remittere: adeò vt nequidem in Baptismo vel aliis Sacramentis remittat pœnam, siue temporalem, siue æternam, absque meritò Passionis Christi. Et ideò Pontifex non potest absoluere à pœna Deo debita, applicatione huius thesauri, quem semper applicare intelligitur, quando concedit indulgentias. Et hinc patet indulgentiam esse condonationem & solutionem, sed diverso respectu; condonationem respectu recipientium, solutionem in ordine ad Christum & Ecclesiam.

§. XX.

An indulgentiæ possint concedi animabus in purgatorio existentibus?

1 *Aliter mortuis, aliter viuis concedi indulgentias.*

POsse patet: tum ex eo, quòd ad hoc, vt 1
vnus pro alio satisfaciat non sit necesse, vt iuridicè absoluatur, verùm sufficiat, vt tantum soluatur pro eo, quantum debet: tum ex facto summorum Pontificum, veluti Paschasij V. qui dedit indulgentias plenarias, per modum suffragij, animæ in purgatorio, pro qua quis celebrarit aut curauerit celebrare quinque Missas in Capella Ecclesiæ sanctæ Praxedis Romæ: quas indulgentias successu temporis alij idem Pontifices confirmarunt.

Longè tamen aliter mortuis, aliter viuis conceduntur indulgentiæ ab Ecclesia seu summo Pontifice, eius capite. Nam cùm viui, quamdiu viuunt, subsint tribunali Ecclesiæ militantis, seu Pontificis iurisdictioni, & potestas concedendi indulgentias spectet ad clauem iurisdictionis vt docet D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3.* & patet *ex cap. Quod autem 4. hoc tit.* (licet Hostiensis *in cap. accedentibus sup. de excess. Prælat.* contrarium docere videatur) ideo Pont. potest viuis concedere indulgentias per iuridicâ absolutionem, seu directò absoluendo illos à pœnis debitis, quamuis absoluendo soluat etiam & satisfaciat pro ipsis ex prædicto thesauro Ecclesiæ, vt habetur *in dict. Extrauag. Vnigenitus.* Atque ita non dimittit gratis pœnas viuis, pro peccatis debitas; sed dimittit simul soluendo & satisfaciendo pro ipsis.

At verò mortuis, quia non subsunt ampliùs Ecclesiæ militantis tribunali, vt satis constat ex illo, *Quodcumque ligaueris & solueris super terram, &c.* ideò absque iuridica absolutione, per nudam huius Ecclesiastici thesauri applicationem, concedit indulgentias, satisfaciendo scilicet & soluendo pro illis ex isto thesauro Ecclesiæ: ad eum modum quo viui mortuis suffragantur Missarum sacrificiis vel precibus oblatis, vel eleemosynis datis, vel ieiuniis susceptis, vel aliis denique quibuscumque piis operibus, nomine mortuorum factis; vel quo Princeps aliquis solueret pro reo, in alterius Principis potestate constituto aliquid ex thesauro suæ Reip. quo ipsius debitum exsolueret.

Et hinc patet, qua ratione dici soleat, indulgentias concedi mortuis seu animabus in purgatorio existentibus per modum suffragij, seu compensationis & solutionis. quia scilicet Pontifex satisfactiones Christi & Sanctorum, tanquam quoddam suffragium immediatè illis applicat absque vlla absolutione iuridica per se impensa.

§. XXI.

Quibus competat potestas concedendi indulgentias.

1 *Competit summo Pontifici, Concilio Generali.*
2 *Episcopo, Archiepiscop. Legato summi Pontificis.*
3
4 *Et concedantur subditis tantum.*

1 COmpetit primò summo Pontifici, tanquam Christi Vicario, & vocato in plenitudinem potestatis, *dict. Extrauag. Vnigenitus, can. Quodcumque 24 quæst. 1.*

2 Secundò, Concilio Generali, tanquam representanti Ecclesiam. Eâque potestate vsa est Synodus Basiliensis.

Tertiò, iure communi & ordinario competit Episcopis in suis diœcesibus, *cap. Quod autem 4. hoc tit.* Archiepiscopis item in suis provinciis, modò tamen statutum Concilij Generalis non excedant, *cap. nostro postulasti penult. hoc tit.* id est modò in dedicatione basilicæ vltra annum, & in anniuersario dedicationis vltra quadraginta dies non concedant indulgentias, *cap. Cum ex eo 14. hoc tit.* Alioquin si excesserint, eas inualidas decernit Bonifac. VIII. *cap. fin. hoc tit. in* 6. Quod intellige quoad partem, quam dare non possunt: nam quoad eam, quam dare possunt, semper sunt validæ, Glos. *in cap. indulgentia hoc tit. in 6. & in dict. cap. Cum ex eo*, quia vtile per inutile non vitiatur, *c. Vtile de R. I. in 6.*

3 Quartò, Legatus summi Pontificis potest speciales & certas concedere in prouincia sibi decreta, *Glos. in dict. cap. penult. hoc tit.* Abbatibus verò, aliisque Prælatis inferioribus, non competit hæc potestàs, nisi speciali priuilegio vel legitimâ consuetudine fuerint vallati, *cap. accedentibus sup. de excess. Prælat. Glos. in dict. cap. penult.*

4 Cæterùm quia concedere indulgentias est iurisdictionis, non verò ordinis, vt dictum est, ideò Pont. mox atque electus est, etiam non sacerdos, concedere eas potest; & similiter Episcopus, mox atque electus est, & confirmatus à Papa, licèt nondum sit consecratus vel sacerdos. Ex eadem causa suis tantùm subiectis quis eas concedere potest, *d. cap. Quod autem* non tamen inuitis: quia licet aliàs actus iurisdictionis exerceri in inuitum possit, non tamen tunc, quando in suscipiente requirit aliquam dispositionem, vt patet in Sacramento Eucharistiæ. Alia est ratio de absolutione ab excommunicatione.

§. XXII.

De effectu Indulgentiarum.

1 *Per indulgentias datur remissio pœnæ non culpæ.*
2 *Conceditur indulgentias sub triplici forma.*

1 EFfectus Indulgentiarum non est remissio mortalis culpæ, nec etiam pœnæ æternæ, quia hic effectus est proprius Sacramentorum, Baptismi & Pœnitentiæ; nec indulgentiæ dantur secundum iura nisi contritis & confessis, *cap. 1. hoc tit. in Extrauag. Clemen. vnica circa finem de reliquiis & veneral. Sanct.* saltem in voto, *Glos. in dict. cap. 1. ad V. confitebuntur.* Adeò vt, si quando in formula concessionis significetur dari consequentibus indulgentias remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam id intelligi debet diversis respectibus, quòd scilicet detur remissio culpæ per contritionem & confessionem, à Deo scilicet, qui tanquam causa principalis culpam remittit, iuxta illud Esaiæ, *Ego solus deleo iniquitates tuas per memetipsum*: pœnæ autem per indulgentias, non quidem cuiuslibet; sed temporalis, quatenus in formula fuerit expressum, iuxta id, quod dici solet, indulgentias tantum valere, quantum sonant, suppositâ scilicet iustâ causâ & sufficienti dispositione in recipiente, vt patet ex *dict. Extrauag. Vnigenitus*: vbi definitur, Pontificem posse virtute thesauri Ecclesiæ aut æqualem aut partialem pœnam pro peccatis debitam, remittere. Ideóque diligenter inspici semper debet tenor formulæ seu litterarum, quibus concedunt.

Solent autem concedi sub triplici forma: 2 primò, per dies vel annos: secundo, per dimidiam, tertiam, quartam partem remissionis peccatorum: tertio, sub forma plenariæ, plenioris & plenissimæ, *cap. Extrauag. 1. hoc tit.* Et tum datur remissio totius pœnæ debitæ, quia hodie non est distinctio inter plenam, plenariam, pleniorem, & plenissimam indulgentiam: sicut nec vlla est differentia quoad relaxationem inter iubilæum & plenariam indulgentiam: licet in iubilæo soleat dari facultas absoluendi à votis, casibus reseruatis eligendi

Confessarium &c. quæ facultas non datur per quamcumque plenariam indulgentiam.

Si igitur in litteris dicatur, *Concedimus indulgentias viginti annorum aut dierum de pœnis iniunctis*, intelligitur de iniunctis tantùm, nisi Pontifex aliud declararet. Si verò in forma non fiat restrictio ad iniunctas à Confessario, tum intelliguntur dari tam de iniunctis, quam quæ rationabiliter iniungi possent, & de pœnis purgatorij illis correspondentibus, *iuxta communem doctrinam*: quia vbi neque ratio restringit, nec nos restringere debemus, *Glos in can. Consuluisti 1. quæst. 5. per varia iura, quæ ibid. alleg.* Et ridiculum esset dari indulgentias centum & centum annorum, si solùm intelligerentur de iniunctis, quandoquidem nemini vnquam iniungatur tot annorum pœnitentia.

Concedere autem indulgentias vnius anni aut vnius diei est remittere tantam pœnam purgatorij, quæ est maxima, vt inquit August. *in can. nullus de pœnit. d. 7.* quanta remitteretur per pœnam vno anno vel vno die factam. Innoc. *in cap. Qui autem hoc tit.* Ideóque quando datur indulgentia centum annorum aut dierum absolutè sine restrictione ad iniunctas vel iniungendas, quamvis nonnulli per centum annos aut dies intelligant tot annos aut dies purgatorij, probabilius tamen videtur intelligi centum annos aut dies, quibus aliquis in hac vita iuxta Canones pœnitentiales, pœnitere deberet, si tamdiu viueret, & per consequens tantum remitti de pœna purgatorij, quantum huic pœnitentiæ canonicæ respondet: quia iste modus dandi indulgentias ortum habet ex antiquo vsu dandi indulgentias de iniunctis, proindéque ita semper videtur intelligendum, licèt non exprimatur. Et ex his patet, quid sit concedere indulgentiam dimidiæ vel tertiæ partis peccatorum.

§. XXIII.

De causa indulgentiarum.

1 *Causa debet esse iusta & rationabilis.*
2 *Causa requiritur non æquiualens, sed sufficiens.*
3 *Eaque spectatur tum ex opere, tum ex parte finis intenti.*

1 AD validitatem indulgentiarum non sufficit potestas concedentis & iusta ac rationabilis requiritur causa, quia, vt antè diximus, *ex dict. Extrauag. Vnigenitus*, Pont. non dominus sed fidelis dispensator thesauri Ecclesiæ est constitutus, ac proinde non nisi ex iusta & rationabili causa indulgentias concedere debet: alioquin non tam dispensaret, quàm dissiparet. Hinc *cap. Cum ex eo hoc tit.* indulgentiæ indiscretæ damnantur, & concessæ sine causa vlla sunt nullæ. Accedit, quòd cùm reatus pœnæ post culpæ remissionem relictus sit, iure diuino Deo debitus, non possit summus Pont. sine iusta causa quemquam eximere ab obligatione iuris diuini, vt patet in iniusta dispensatione à voto & iuramento, quæ ideò etiam est nulla.

Aliud dicendum de iis, quæ à mero iure humano dependent, vti absoluere à censuris & casibus reseruatis, eligere Confessarium, aliisque similibus quæ absque iusta causa concessa subsistunt; licèt taliter concedens peccet.

Et hinc fit, quòd licèt indulgentia siue iusta causa non valeat ad tollendam obligationem pœnæ Deo debitæ, valeat tamen ad tollendam obligationem per agendi pœnitentiam ex præcepto Confessarij iniunctam, quia hæc est solùm iuris humani, super quo summus Pont. dispensare potest.

Non tamen requiritur causa æquiualens, quia 2
sic indulgentia non esset remissio aut absolutio, sed commutatio: Ideóque sufficit, vt sit sufficiens. Et hæc sufficientia commensuranda est secundum quantitatem indulgentiarum, vt scilicet maior indulgentia maiori causa indigeat, *dict. cap. Cum ex eo, & Extrauag. Vnigenitus.* Adeò vt si causa indulgentiarum non sit omninò, sed tantùm ex parte sufficiens, tum indulgentiæ valeant, secundum proportionem causæ, & non quoad partem, quæ causam excedit. Vide Nauar. *in Comment. indulgentiis not. ab. 15.* Ratio verò est; quia sicut indulgentia sine vlla causa concessa tota est nulla, vt diximus, ita concessa ob causam non sufficientem non ex toto sed ex parte, erit nulla quoad partem, quæ causæ non correspondet, sed eam excepit, quia vt se habet totum ad totum, ita pars ad partem, *l. Qua de tota ff. de rei vindicat.*

Hinc sequitur non semper tantum valere 3
indulgentias, quantum sonant, sed secundum proportionem causæ. Spectatur autem causa indulgentiarum ex duplici capite: primò ex opere, quod Pont. requirit pro indulgentia, quale est ieiunium, oratio, eleemosyna: secundò, ex parte finis intenti, qui debet esse bonum commune Ecclesiæ, veluti fauor fidei, conseruatio religionis, eiusdémque augmentatio,

tatio, conuersio infidelium; & quanto finis est excellentior & magis necessarius Ecclesiæ, tantò cæteris paribus maior potest dari indulgentia, licèt opus ob quod datur, sit leue, quia sufficit esse proportionatum ad finem consequendum. Hoc modo subinde vel solùm reuerentiam exhibenti alicui imagini datur magna indulgentia.

§. XXIV.

De requisitis ex parte volentium acquirere indulgentias.

1 *Debent esse membra Ecclesiæ, contriti & confessi.* 2.
3 *Opera præscripta per se adimplere.*
4 *Esse in statu gratiæ & absque peccato mortali.*

1 IN primis debent esse membra Ecclesiæ, quia aliis Ecclesia suos thesauros non distribuit, *cap. Nihil sic debet* 1. *quæstion.* 3. *can. Si quis Catholica* 25. *quæst.* 4. & cùm dentur ex potestate clauium, quæ Baptismum præsupponit, videtur catechumenum non esse earum participem ante susceptionem Baptismi.

2 Secundò, debent esse contriti & confessi, *cap.* 1. *hoc tit. in Extrauag. Clement. vnica circa fin. de reliquiis & venerat. Sanctorum.* Ideóque semper in Bullis dicitur, *verè pœnitentibus & confessis.* Sufficit tamen confessio antea facta, si modò quis in statu gratiæ perseuerauerit vsque ad tempus indulgentiarum, Turrecrem. *in §. in leuitico, num.* 8. *sub can. mensuram de pœniten. dist.* 1.

3 Tertiò, subire debent, & quidem per se, nisi aliud exprimatur, illa opera, quæ pro indulgentiarum consecutione præscribuntur: alioquin partem eorum tantùm adimplens, neque totam indulgentiam, neque partem acquirit: quia neque relictum neque pars relicti sub conditione, quæritur, si pars dumtaxat, non etiam tota conditio impleatur, *l. Cui fundus ff. de condit. & demonstrat.* Est autem concessio indulgentiarum conditionata.

4 Quartò, debent eo tempore, quo promerendæ sunt indulgentiæ, esse in gratia & absque peccato mortali: quia membrum mortuum; cuiusmodi est existens in peccato mortali, nullum potest viuentis corporis suscipere influxum. Et ideò, quando idem est tempus operis & acquisitionis, necessum est, vt opus fiat quoque in gratia, Nauar. *in dict. Comment. de indulgent. notab.* 19. Alioquin *iuxta communem doctrinam*, adimpletio operis in peccato mortali non impedit indulgentiarum acquisitionem, quando diuersum est vtriusque tempus. Ratio est, quod non sit necesse, vt opus ipsum sit meritorium remissionis seu indulgentiarum; verùm sufficit: quod sit actio mortaliter bona & vtilis ad placandum Deum, & auertenda flagella temporalia, Nauar. *dict. loco.* Aliàs actionibus malis nemo consequitur indulgentias, *iuxta communem.* Optimum tamen & securius est, proficere ipsum opus in gratia, quia sic non solum est satisfactorium, sed & meritorium.

Dum autem quis acquirit alteri indulgentias, non est opus ipsum esse in gratia, modò is sit, cui acquiruntur, iuxta Nauar. quia indulgentia nititur vllo opere, quod facit peccator, sed thesauro Ecclesiæ, per Pontificem distributo, huius autem distributionis est capax, quisquis est in gratia & indiget satisfactione.

Peccatum verò veniale non impedit fructum indulgentiarum, nisi vitiet ipsum præscriptum. Quod addo, quia tum tale opus, v.g. ieiunium vel eleemosyna facta ex vana gloria, displicet Deo, meliúsque esset abesse quam adesse.

Similiter nequit quis consequi indulgentiam plenariam quamdiu manet in affectu peccati venialis: quia quamdiu manet talis tamdiu manet culpa & reatus pœnæ qui culpam necessariò comitatur. Potest tamen consequi indulgentiam pro remissione pœnæ debitæ pro aliis peccatis remissis. Quando igitur in formula præscribitur confessio, communiter intelligitur de his, qui peccatum habent mortale, vt scilicet per confessionem disponant se ad gratiam, fiantque capaces indulgentiarum: alioqui ad earum capacitatem sufficit quem esse in gratia, quod potest fieri per contritionem cum proposito confitendi. Aliud dicendum esset si Pont. requireret confessionem tanquam conditionem sine qua non.

§. XXV.

Quoties quis possit consequi indulgentias, & quamdiu durent.

1 *Indeterminatè concessas semper lucrari licet.*

2 *Ad opus limitatum semel tantùm.*
3 *Ad certum tempus, exspirant lapso tempore.*

1 QVando conceduntur indeterminatè, vel toties quoties, semper illas consequitur, qui facit opus præscriptum modò iteratio non cedat in contemptum & derisum indulgentiarum, iuxta Nauar. *dict. loco notab. 15. & 31.*

2 * Quando autem conceduntur ad opus limitatum, à primis scilicet vesperis vsque ad secundas, vel vsque ad noctem, semel tantum potest eas consequi, Nauar. *dict. notab. 31. cum aliis, quos citat.* An verò multas indulgentias, à diversis Pontificibus concessas, possit quis simul vno actu lucrari (veluti vno sacro tot animas è purgatorio liberare, quot habet grana benedicta) non satis conuenit. Tutiùs videtur, vt, quando aliud Pont. non exprimit, pro diversis indulgentiis multiplicentur actus, quia non videtur credendum Pontificis aliam fuisse vel esse mentem.

Notandum hic quòd, sicut ex ærario publico non debet succurri iis, qui cum possint de suo æs alienum soluere, nolunt, quia hoc pacto daretur materia delicti & negligentiæ, *cap. Ex parte sup. de consuet. l. Conuenire ff. de pact. dotal.* ita neque ex thesauro Ecclesiæ, debeat solui pro negligentibus, qui nihil aut parum curent operibus pœnalibus satisfacere, & pœnam purgatorij redimere; quibus proinde nihil prosunt indulgentiæ. Similiter non potest quis sibi thesaurizare, indulgentias, quæ ipsi prosint pro futuris pœnis, quia solutio non fit ante debitum contractum, sed illud supponit. Ideóque si quis non indigeat aliqua indulgentia, quam aliàs lucraretur, illa remanet in thesauro Ecclesiæ.

3 Quòd si verò indulgentiæ non habeant tempus determinatum non expirant morte concedentis, sed demùm per reuocationem ab eo, qui potest reuocare aut per interitum loci aut rei, cui sunt concessæ. Vide Nauar. *in dict. Comment. notab. 31.* determinatæ autem ad certum tempus exspirant elapso tempore.

§. XXVI.

De Iubilæo.

3 *Ratio nominis & collatio cum iubilæo veteris legis.*
3 *Primò celebratum fuit iubilæum centesimo, deinde quinquagesimo, hodie vigesimo quinto anno.*
4 *Effectus iubilæi.*

NOmen Iubilæi deriuant quidam à Iubilo sive Iubilando, quod significat lætitiam immensam, quæ verbis nequit exprimi, sed voce & tripudio manifestatur. Festus Pompeius *Iubilare*, inquit, *est rusticâ voce inclamare, scilicet Io, Io.* Alij aliunde deducunt. Propriè verò dici videtur *à Iobel*, quod Hebraicè *Buccinam* significat: & inde annus quinquagesimus in veteri Lege annus iubilæus appellatus est, quia eo anno personabant buccinæ, vt constat ex Iosuë 6. v. 4. *Septem autem Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo:* & *Leuit. 25. Numerabisque tibi septem hebdomadas annorum, & clanges buccina mense septimo: erit autem hic solemnis.* Eoque multa fiebant, vt constat *ex d. Leuit. 25. & 17. & Num c. penult.* 1

Inde verò translata est vox illa ad significandum apud Catholicos illum annum, quo dantur pleniſſimæ peccatorum remissiones & indulgentiæ, concessa potestate cuilibet Sacerdoti à se hoc selecto absoluendi à quibuscumque peccatis, quantumvis enormibus, vt vel ad Episcopum vel ad Pontif. recurrere non sit opus; idque ex similitudine quadam. Nam vt in illo anno iubilæo veteris Legis debita temporalia, ita in hoc spiritualia condonantur: vt in illo libertas temporalis, ita in hoc spiritualis, restituitur: vt in illo possessiones terrenæ alienatæ recuperabantur, ita in hoc nostro virtutes & merita per peccata deperdita dimissâ culpâ restaurantur: vt in illo exules in patriam redibant, ita in nostro exules à patria cœlesti ad eandem reducuntur: vt in illo denique, secundum aliquos, in carcerem coniecti soluebantur, ita in nostro ligati vinculis & funibus peccatorum relaxantur & soluuntur. Videatur Turrecrem. *in §. item in Leuit. ad 8. in fin. sub can. Mensuram de pœnit. dist. 1.* 2

Constituit autem Bonifacius VIII. anno Christi 1300. *in cap. 1. hoc tit. in Extrauag. commun.* vt hic annus iubilæus centesimo quoquo anno celebraretur: Quamquam Bonifacium hunc non primum fuisse Iubilæi centenarij auctorem probabile sit, idque se ex ore ipsius Bonifacij audiuisse scribat Ioan. Picardus, cognomento Monachi, *ad dict. cap. 1.* Pomodum verò anno 1350. Clemens VI. Iubilæum reduxit ad annum quinquagesimum, *Extrauag. Vnigenitus hoc tit.* ac tandem an. 1425. Sixtus IV. secutus Pauli II. decretum ad annum 25. contraxit, *cap. 4. hoc tit. in Extrauag. commun.* Attamen præter hæc statuta Iubilæi seu indulgentiarum generalium tempora, solet Pontifex frequenter, 3

frequenter, Ecclesiæ necessitate ita postulante vel pro pace inter Christianos Principes firmanda, indulgentias plenissimas concedere.

4 Quando igitur maximæ indulgentiæ in Ecclesia conceduntur, id fit per modum iubilæi: & dum in eo datur facultas eligendi Confessarium, per quem quis possit absolui à censuris, potest eâ facultate vti, qui omninò habet animarum consequendi indulgentias, & faciendi opus præscriptum, licèt postmodum ob impedimendum aliquod, vel ex negligentia præscriptum opus omiserit. Ideóque si quis incœperit ieiunare feriâ quartâ, cum bona fide præstandi reliqua, & interim confiteatur, atque á censuris absoluatur, non per hoc in censuras relabetur, quoad reliqua ieiunia & opera, in iubilæo præscripta, nisi Pontifex aliud expresserit, *iuxta communem sententiam*, de Graphiis *decis. aut. part. 1. cap. 15. n. 37.* imò quando oppositum non exprimitur, potest quis ex vi eiusmodi facultatis ratione iubilæi toties absolui à casibus reseruatis, quoties in eos relabitur, priusquam durante adhuc iubilæo indulgentiam sit consecutus, quia hæc videtur esse mens Pontificis, Videatur Nauar. *in dict. comment. notab. 3. num. 4.* quique plura de Indulgentiis & iubilæo desiderat, videat eundem Nauar. *dict. loco*, Turrecrem. De Graphiis, *locis citat.* Ioan. Francisc. de Pauinis in *Glos. ad d. Extrauag. Vnigenitus.* Rutil. Benezonum *tract. de Iubilæo.*

TITVLVS XXXIX.

De sententia excommunicationis.

§. I.

Quid sit excommunicatio: & species Censuræ Ecclesiasticæ.

1 *Ratio ordinis & inscriptionis Tit.*
2 *Censura Ecclesiastica qua dicatur.*
3 *Species illius sunt excommunicatio, Suspensio, & interdictum.*
4 *Excommunicatio vnde dicta, eiusque definitio.*

POST tractatum de pœnis, quæ in foro tam contentioso quàm spirituali seu pœnitentiali infligi solent, subiiciendum est aliquid de quadam speciali, qua coërcentur ij, qui aduersus prædictas pœnas rebelles ac refractarij existunt, nempe de Excommunicatione: hæc enim rebellium & contumacium pœna idcirco vocatur, *can. nullus, can. Certum 11. quæst. 3.* præsertim cùm ab homine infligitur: nam dum infligitur á iure, infligitur ratione delicti, secundum Abbatem in *rubr. hoc tit.* Estque pœnarum omnium grauissima.

1 Inscribitur autem hic Tit. *de sententia excommunicationis*, non quòd excommunicatio sit propriè sententia: cùm nec definitiva sit, quandoquidem causam non definiat, quippe cùm petenti absolutionem nunquam denegetur audientia, *cap. Ex parti inf. de verb. signif.* Nec etiam interlocutoria, cum hæc dicatur, quæ profertur à iudice inter principium & finem causæ, vt notatur *Clement. de sequestrat. possess. &c.* excommunicatio autem quandoque feratur extra iudicium, vt *in cap. dilecto hoc tit. in 6.* Verùm sic inscribitur, quia excommunicatio sæpissimè per sententiam contra rebelles & contumaces profertur & exercetur. An verò sententia ista magis accedat ad interlocutoriam, quàm ad definitiuam tam in interponenda appellatione, quam in aliis notatur *in cap. per tuas 40. hoc tit. capite venerabilibus eod. in 6.*

2 Quia verò excommunicatio est species censuræ Ecclesiasticæ, ideò aliquid de ea pro clariori intelligentia præmittendum est. Censura igitur latinè propriè est idem, quod Censeris (cuius erat de moribus ciuium indagare & indignos ab honoribus repellere) dignitas: indéque deriuata vox est ad significandam seueram aliquam correctionem vel potiùs mulctam, quæ loco pœnæ imponitur. Prout verò est in vsu Ecclesiæ, & à Canonibus vsurpatur, definiri potest pœna spiritualis & medicinalis, priuans primario vsu aliquarum actionum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem; ita imposita, vt per eandem ordinariè absolui possit, ita Suarez *de censura disp. 1. num. 5.*

Genus definiti est pœna spiritualis, quia omnis censura Ecclesiastica est pœna spiritualis, non è contrà: nam irregularitas sæpè est grauis pœna spiritualis, non tamen est censura, sed inhabilitas quædam.

Dixi, Primario vsu &c. quia priuat etiam vsu actionum corporalium, siue externarum actionum, vt communicatione humana, honore, salutatione, sed in ordine ad spiritualia. Nec priuat hominem spiritualibus habitualibus,

tualibus, seu permanentibus, & internis, vt sunt character, gratia habitualis, virtutes infusæ: ideóque non privat potestate Ordinis.

Dixi, Ita imposita, vt per eundem, &c. quia ex institutione sua est vinculum quoddam dissolubile: quandoquidem ab Ecclesia instituta sit, non solùm, vt sit pœna sed etiam vt sit medicina seu resipiscere hominem faciat, *can. Corripiantur* 24 *q* 3. nam id non præstaret, si esset perpetua & absque spe remissionis.

3 Censuræ Ecclesiasticæ ex institutione Ecclesiæ tres sunt species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, *c. Quærenti inf. de verb. signif.* Ratio est, quia illæ tres sufficiunt ad effectum seu finem censurarum, qui est inobedientes & contumaces aut corripere, aut si duriores sint ab Ecclesia præscindere.

Excommunicatio idem sonat, quod extra communionem ejectio, & græcè Anathema dicitur; licèt hæc vox interdum etiam in bonam partem sumatur, & interdum; pro solemni excommunicatione.

Excommunicatio in genere est censura Ecclesiastica, separans hominem à communione. Per genus definiti excluditur irregularitas, quia non est propriè censura, ne quidem illa, quæ ex delicto contrahitur, sed inhabilitas quædam. Per sequentem partem excluditur suspensio & interdictum. Nam suspensio solùm separat ab vsu officij vel beneficij, vel vtriusque, non etiam à communione Sacramentorum vel convictu fidelium. Interdictum verò separat dumtaxat à divinis officiis, sacris, & sepultura Ecclesiastica, non autem à fidelium communione, in quo differt ab excommunicatione maiori.

§. II.

Quotuplex sit Excommunicatio.

1 *Dividitur Excommunicatio in Maiorem & Minorem.*

2 *Item in eam, quæ est à iure & quæ ab Homine.*

3 *Et hæc non nisi trina monitione prævia fieri potest.*

4 *Item alia est lata sententiæ, alia ferendæ.*

5 *Maiori excommunicatione qui notentur.*

6 *De monitoriis ad finem revelationis, vt vocant.*

7 *Præterea excommunicatio alia est Iusta, alia iniusta.*

VAriis modis dividi potest; ac Primò in 1
Maiorem & Minorem. Maior est censura Ecclesiastica; privans hominem communione, tam activâ, quàm passivâ Sacramentorum, & hominum, colligitur ex *c.* 8. 9. *& penult. hoc tit.* Hostiens. *in Summa hoc tit. n.* 1. Et hæc est excommunicatio simpliciter dicta, altera secundum quid. Ideóque intelligitur maior, dum excommunicatio simpliciter sine expressione maioris vel minoris à Iudice fertur *d. c. penult.* licèt aliàs dispositiones pœnales in dubio intelligantur & præsumantur de minori pœna, *cap. In pœnis de R. I. in 6.*

Excommunicatio minor est; quæ tantùm separat à perceptione passiva Sacramentorum, *d. c. penult.* Et ideò minori excommunicationi implicitus, potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, & eligere, non tamen eligi, *c. vlt. sup. de clerico excommunicato ministrante.* Et hæc licet olim soleret ab homine & à iure inferri pro omni sacrilegio, vt patet ex *can. Minor.* 17. *q.* 4. tamen nunc solùm incurrit eam scienter participans cum irretito maiori excommunicatione, *cap. Cum desideres* 15. *versic. quia quicumque excommunicato, hoc tit.* in humanis scilicet rebus, & extra crimen, ob quod est excommunicatus. Nam qui in divinis cum eodem communicat, veluti, percipiendo ab eo Sacramenta vel eodem cum illo ritu orando, aut alia divina officia exercendo, aut in eodem crimine, incurrit etiam maiorem excommunicationem, *cap. significavit & aliis hoc tit.*

Dixi, scienter; quia ignorantia non improbabilis excusat. *can. Quoniam* 11. *quæst.* 3. Excusantur etiam vxores, liberi, servi, ancillæ, seu mancipia, nec non rustici servientes, & quotquot ex officio tenentur excommunicato adesse, nec adeò curiales sunt vt eorum consilio scelera perpetrentur, *dict. can. Quoniam*: item peregrini propter necessitatem; & qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis, *d. can. Quoniam.* Insuper credito debitoris excommunicati, *cap. Si verè* 34. *hoc tit.* Præterea qui cum excommunicato in his, quæ ad absolutionem vel ad salutem animæ pertinent, in sermone participat, *cap. Responso* 43. *c. Cum voluntate* 54. Hinc versus ille Gloss. *in d. c. Cum desideres.*

Hæc Anathema quidem soluunt ne possis obesse.
Vile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Notandum verò hîc post Conc. Trident. Constantiense

stantiense nos teneri ad vitanda solùm duo genera excommunicatorum, nempe nominatim excommunicatorum & denunciatorum: item, eorum, qui sunt notorij Clericorum percussores. Quod & Leo X. ordinavit in Concil. Lateran. cuius ordinationem refert Piasec. 2. *part. cap. 4. art. 13. num. 19.* ita vt alij notorij, etiamsi evidenter constet fuisse excommunicatos, sive à iure sive ab homine, vitandi non sint, antequam fuerint denuntiati, Covar. *in cap. Alma mater §. 7.* Guitt. *lib. 1. can. quæst. cap. 1.* Navarr. *in Manuali cap. 27. num. 35.* Eoque magis obtinet quod Concil. Basileense solos Clerici percussores notorios decreverit esse vitandos, Piasec. *dict. loco* vbi refert eiusdem Concilij decretum. Ipsi tamen excommunicati non minùs tenentur alios vitare, post dictum Concilium, quam antè, quia expressè significat per suum decretum nullo modo se relevare excommunicatos ipsos, sed solùm in favorem aliorum id edidisse. Sunt autem hi excommunicati vitandi in his, quæ continentur hoc versu:

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Per Os, prohibetur amplexus, collocutio, salutatio verbis vel literis. Per Orare, vetatur, ne pro illis oremus publicè, & tanquam ministri Ecclesiæ, neve coram ipsis divina officia celebremus, vel cum ipsis intersimus sacris. Per Vale, prohibentur omnes salutationes, & resultationes, sive fiant verbo, sive scripto, sive nutu, sive alio signo. Per Communionem, interdicitur omnis communicatio, tam in divinis, quam in humanis, modo antea dicto. Per Mensam, interdicitur simul comedere in eadem mensa, vel simul dormire in eodem lecto; non autem in diversa mensa, modò idem non sit convivium.

3 Secundò, excommunicatio alia est à iure, alia ab homine. A Iure est, quæ infligitur ab ipso Iure Pontificio vel Synodo sive generali, sive particulari. Et hæc semper durat, seu est perpetua: ferturque propter futurum delictum, & quidem non nisi ob mortale, *can. Nemo 11. q. 3.* nulláque requiritur præcedens monitio, sed ipse canon est & facit pro monitione, Innoc. *in cap. Sacro 48. hoc tit.* Ab homine est, quæ per mandatum aut sententiam hominis infertur. Et hæc mortuo, sive naturaliter sive civiliter, aut deposito iudice, qui eam tulit, exspirat; *Glossa in c. A nobis 28. in V. non nisi, & ibi* Abbas & DD. quantum scilicet ad eos, qui illam ante mortem vel depositionem eius non incurrerunt: alioqui manet eâ excommunicatione ligatus, qui illam ante contraxit.

Insuper hæc non nisi trinâ monitione præmissâ ferri potest, *d. c. Sacro. c. Statuimus, cap. Constitutionem hoc tit. in 6.* Nec sufficit vna monitio pro tribus, nisi in vna ponantur tria interstitia, primum pro prima; secundum pro secunda; & tertium pro tertia: & quidem ad minùs sex dierum, pro quolibet interstitio prout in praxi quotidiana servari testatur Piasec. 2. *p. cap. 4. art. 13. num. 8.* Vbi subiungit, quod etiam in ferenda sententia declaratoria excommunicationis, requiratur præcedens monitio, & aliàs esse nullam, ex Felino *in c. Rodulphus n. 41. sup. de rescriptis.* Monitionem istam oportet esse personalem, nisi reus vel malitiosè latet, prout de Clerico non residente præsumitur, vel impediat, quò minùs moneri possit aut non detur tutus ad eum accessus. Quibus tamen casibus non sufficit constare Iudici de aliqua harum causarum privatim: verum ex actis hoc constare debet; ita vt nuntius legalis omnem adhibeat diligentiam pro invenienda persona, faciatque relationem ad acta, non potuisse se invenire; tuncque cum attestatione duorum testium denuò citet in loco solito habitationis *arg. d. c. Sacro.* Maranta *6. p. de citat. n. 126.* Aliàs Iudex, excommunicans aliquem, non præmissis monitionibus, punitur, & ipso facto incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, *d. c. Sacro*; nisi periculum esset in mora vel nisi excommunicaret in defensionem proprij iuris, vt si turbetur in sua iurisdictione, *cap. Dilecto eod. in 6.* Piasec. *d. loco.* Vbi nihilominùs existimat, excommunicationem latam sine monitione, vel non servato iuris ordine, tenere excepta excommunicatione maiore lata contra communicantes cum excommunicatis, quæ est omninò nulla, si non fuerit præmissa monitio.

Tertiò, alia est latæ sententiæ, alia ferendæ. 4 Excommunicatio latæ sententiæ dicitur, quæ ipso facto incurritur, ante denuntiationem aut sententiam Iudicis. Et hæc nunquam incurritur, sive à iure, sive ab homine, nisi verbo exprimatur: cuiusmodi verbum est, Ipso facto, vel ipso iure sit excommunicatus, Excommunicamus; vel aliud æquivalens, veluti, Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Ita si dicat Iudex Nisi infra decem dies paruerit, excommunico, lapso eo termino tenetur reus abstinere à participatione cum fidelibus, nisi excusetur iuris vel facti ignorantiâ probabili.

Maiori excommunicatione involuuntur 5 ipso facto hæretici, eorumque fautores, re-

ceptatores, falsarij litterarum Apostolicarum: Simoniaci: Item effractores & spoliatores Ecclesiarum, *cap. Conquesti 22. hoc tit.* incendiarij *cap. Tua nos 19.* inijcientes manus violentas in Clericum etiam consentientem, *cap. Contingit 36. hoc tit.* aut inijci mandantes vel inijcientem non impedientes, cum impedire possunt, *cap. Quanta 47. hoc tit. & alij plures* de quibus Host. *in summa hoc tit. §. 3* Nauar. *in manuali cap. 27. num. 49. & seqq.* & quia postremo casu nulla requiritur iudicis sententia, quâ reus pronunnietur excommunicatus, *can. Si quis suadente, 17. quæst. 4.* Ideò vocatur Canon latæ sententiæ, *dict. can. Si quis suadente, cap. Cùm non ab homine 14. hoc tit.* Eóque tenentur etiam, qui in Monachum vel Religiosum, etiam non Clericum, & conuersum manus violentas iniecerint, *cap. Non dubium 3. & alijs hoc tit.* quia hoc privilegium est commune omnium personarum, id est, omnium, quæ se divino cultui manciparunt. *can. Quisquis 17. quæst. 4.* Ab hoc tamen *can. Si quis suadente*, seu excommunicatione ab eo lata, excipiuntur plures casus, quos videre licet *in cap. Si verò, §. si verò, cap. Perpendimus, cap. In audientia, cap. Cum voluntate, cap. Veniens, cap. Vt fama tua & aliis hoc tit.*

Excommunicatio sententiæ ferendæ est, quæ non incurritur ipso facto, sed per sententiam iudicis Ecclesiastici. Talis continetur his formulis, Excommunicatur, sub pœna excommunicationis.

Quia verò nulla pœna in Ecclesia est maior excommunicatione, *can. Corripiantur 4. quæst. 3.* ex quo priuat hominem non solùm participatione in divinis; sed & humanis cum fidelibus, Host. *in summa hoc tit. num. 1.* Ideò Prælati non possunt quemquam suorum subditorum excommunicare, nisi subsistente iustâ causâ, exprimenda in ipsa sententia, & propter contumaciam trinâ monitione præmissâ, *dict. cap. Contingit, in verbo, si tertio à te commoniti, dict. cap. Sacro*; & non solùm verbo, sed in scriptis, eiusque copia danda reo, si petat. Alioquin iudex contraueniens suspenditur ipso iure per mensem à divinis officiis & ingressu Ecclesiæ, *cap. 1. hoc tit. in 6.* Hanc tamen suspensionem non incurrit Episcopus cum *in dict. cap. 1.* non fiat eius specialis mentio. *arg. cap. Quia periculosum eod. in 6.*

Cæterùm hac in re reuocanda quoque in memoriam est Concilij Trident. moderatio, *sess. 25. cap. 3. de reformat.* qua index Ecclesiasticus in causis ciuilibus & criminalibus prohibetur vti excommunicatione, nisi in subsidium, quando scilicet executio realis vel personalis haberi non potest. Sed neque punire debet pœna excommunicationis in contractu etiam sponte apposita, aut declarare excommunicatum contractui contrauenientem, prout ordinauit Pius V. cuius ordinationem refert Piasec. *dict. cap. 4. art. 13. n. 12.*

Videndum etiam iuxta decretum dicti Concil. *loco citato*, ne monitoria illa, quorum suprà meminimus *ad Tit. de furtis*, ad finem reuelationis, vt vocant rerum deperditarum aut subtractarum concedi solent, ab alio, quàm ab Episcopo decernantur (vel eius Vicario generali, si hanc illi facultatem Episcopus expressim concesserit, vt sæpiùs respondisse Sacr. Congregat. post Genuens. testatur Piasec. *dict. loc. num. 4.*) & non nisi pro re graui, iudicanda & determinanda arbitrio Episcopi, perpensis maturè omnibus circunstantiis, loci, temporis, pauperis, paupertate petentis, prout latiùs deducit D. Martha *de iurisdict. part. 3. cap. 4.* Gutierrez *lib. 1. can. quæst. cap. 11.* Nam posset dici summa viginti vel triginta ducatorum sufficiens ad concedenda monitoria personæ pauperi, quæ tamen in persona diuite pro leui reputari posset. Et quidem Curia Romana seruat, vt non concedantur monitoria; nisi pro summa ad minùs quinquaginta ducatorum, vt refert Martha *dict. loc. num. 23.* Piasec. post Zerolam & Genuensem *dict. loc.* Circunstantia quoque temporalis efficere potest, vt hodie negentur, quæ aliàs concederetur, Zyp. *hoc tit. num. 1.* Vbi addi Pium V. *27. Iulij 1570.* præscripsisse formam quo concedendis monitoriis, quam refert Piasec. *dict. loc.* & speciatim, vt non in genere sed in specie subtracta designentur, Zerola *part. 2. V. Excommunicatio §. 1.* nec concedantur, nisi ei cuius interest, nec quando aliter haberi veritas potest, Zyp. & Piasec. *dict. loc.* Quando verò ex Vrbe huiusmodi rescriptum impetratur, publicandum est verbo tenus, sine alteratione sensus sermonis: alioqui excommunicatio esset nulla, præterquam, quòd pro idiotis in vernaculam linguam transferri, & ita publicari possit, vt rescripsisse Sac. Congregat. post Genuens. testatur Zyp. *d. loc.* 6

Denique quo pacto formari debeant monitoria, & quibus casibus excusetur quis à restitutione eorum, quæ deperdita vel etiam à reuelatione, Vide Piasec. *d. loc.*

Quartò, dividitur Excommunicatio in iustam, id est legitimè latam, quàm scilicet fert is, qui potest, propter quod & quomodo debet; & iniustam, id est illegitimè latam qualis est ea, quam fert is, qui non potest, vel fert aliter 7

aliter ob aliud, quàm debet. Iniusta est duplex: alia iniusta valida, qualis est ea, quam iudex legitimus in eum, qui meretur excommunicari, sed ex odio, aut non in scriptis, nec post trinam monitionem, vel aliis similibus modis fert. Nam vt aliæ sententiæ, licèt sint iniustæ, regulariter valent quoad forum exterius, & earum virtute in reum tanta est executio, quanta iustarum, *cap. Cum inter sup. de sent. & re iudicata l. In re iudicata ff. de reg. iuru* : ita & excommunicatio iniusta, inualida esse potest, & ideò dicit iuris textus, excommunicationem iniustam semper esse timendam. Alia est iniusta, nulla, & irrita: & hæc nullo modo timenda est, vt si quis excommunicet exemptum, vel suæ iurisdictioni non subditum, *cap. Cum capella cap. Quando sup. de privilegiis cap. nullas sup. de parochiis* vel eum, qui ante latam sententiam excommunicationis legitimè & ex sufficiente causa appellauit, *cap. Per tuas 40. cap. Ad præsentiam sup de appell.* vel si contineat intollerabilem errorem iuris vt si quis excommunicetur, quia non commisit peccatum mortale, *can. Qui resistit. 11. quæst. 3.* vel si iudex ferens sententiam non intendat ligare, nam excommunicatio sumit vires ab intentione, vel si feratur à delegato in casu sibi non permisso; aut contra intentionem delegantis, *can. fin. sup. de prebend.* vel à iudice excommunicato, interdicto aut suspenso, *Gloss. in cap. Præsenti hoc. tit. 6.* vbi plures casus nullitatis colligit Piasecius *dict art. 13. num. 10. & 11.* suspenso, inquam, à iurisdictione. Alioquin suspensus ab Ordine tantùm ea exercere potest, quæ sunt iurisdictionis, tenetque excommunicatio sicut & suspensus ab Ordine tantum potest ea facere, quæ sunt iurisdictionis, Piasecius *d. cap. 4. art. 12. num. 5. & 6.*

§. III.

De effectu maioris excommunicationis.

1 *Priuat participatione Sacramentorum.*
2 *Suffragiis Ecclesiæ, electione. 3.*
4 *Suspendit ab officio & beneficio.*
5 *Liberat subditos ab obedientia superiorum excommunicatorum.*
6 *Non potest taliter excommunicatus esse testis, &c.*
7 *Mortuus priuandus est Ecclesiastica sepultura.*

IN primis priuat hominem participatione 1
qua activa qua passiva Sacramentorum, ita vt ea nec accipere, nec dare possit. Adeò vt si det, fiat irregularis; excepto casu necessitatis.

Secundò, priuat hominem suffragiis generalibus Ecclesiæ, ita vt non liceat pro excommunicato publicè & nomine Ecclesiæ orare. Item communicatione cum fidelibus, tam in diuinis, quàm in conuictu: vsu sacri Ordinis, quem si excommunicatus scienter exerceat, fit irregularis irregularitate Papæ reseruata, *cap. 2. sup. de Clerico excommunicato, &c. Is qui habet hoc tit. in 6.* quam irregularitatem non incurrit minori excommunicatione excommunicatus, *cap. Si celebrat sup. de clerico excommunicato:* prout nec qui appellat à sententia excommunicationis, de qua probabiliter dubitat, an sit valida, licèt postea declaratur malè appellasse, Piasecius *d. loc. num. 27. & 28.* 2

Insuper priuat electione, tam activa quàm passivâ, ad officia Ecclesiastica vel dignitates sæculares, *cap. Venerabilem sup. de electione*: annullat collationem beneficij factam excommunicato. 3

Similiter electionem, præsentationem, permutationem Beneficiorum, & impetrationem litterarum Apostolicarum: suspendit ab officio & beneficio adeò vt, quamdiu quis excommunicatus & in mora petendæ absolutionis, sit incapax fructuum beneficij, teneatúrque si illos recipiat restituere. Si tamen habeat officium publicum valebunt acta per eum ratione illius officij v. g. sententiæ & alij actus iuridici, si sit iudex, quamdiu Ecclesia eum tolerat, non priuat eum iurisdictione, sed tantùm ab ea suspendit ob grauia & multa incommoda, quæ aliàs sequerentur, actus eius erunt nulli. 4

Præterea liberat subditos ab obedientia superiorum excommunicatorum, si vtique sint denuntiati aut notorij Clericorum percussores, ita vt ne quidem absque peccato possint illis seruire, *can. nos sanctorum, can. iuratos 25. quæst. 6.* 5

Ad hæc non potest talis excommunicatus esse testis, aduocatus, actor, procurator, *cap. fin. sup. de procurat.* Potest tamen esse reus, séque in iudicio etiam per se defendere, & alia, quæ ad defensionem necessaria sunt, peragere, *c. Intelleximus sup. de iudiciis.* 6

Nec obstat, quòd ibi dicatur, debere per alium respondere: quia vel verbum (debet) referendum est ad verbum respondere, illud enim

enim per se & directè agebatur, & quærebatur in illo textu : ita vt additum sit, per alium, ad indicandum conuenientem modum pro euitanda communione. Vel intelligendum est, debere saltem per alium respondere.

Licet autem de iure disputetur, an excommunicatus non tamen hæreticus, aut reus læsæ Maiestatis possit concedere testamentum, prout videre licet apud Glos. *in cap. decernimus in V. Et testificando hoc tit. in 6.* vbi in negativam magis inclinat : tamen verius videtur potuisse testari, licèt illicitè Notarius & testes cum eo communicarent, Zyp. *hoc tit num. 5.* vbi quod hodie licitè conficiant testamenta : sicut & in plerisque locis etiam hæretici, vt in Germania, post Interitum, vt vocant Caroli V. qua de re pro Belgio vide eundem Zyp. *tit. de hæretic.*

3 Denique mortuus in excommunicatione tali, Ecclesiastica caret sepultura, & si sepultus sit in loco sacro, cuiusque corpus vel ossa discerni queant, exhumari debent & abiici, *cap. Sacris sup. de sepult.* Quod intelligunt quidam de denuntiato & notorio Clericorum percussore.

§. IV.

De effectu minoris excommunicationis.

1 *Priuat perceptione Sacramentorum passivâ.*
2 *Disponit ad irritandam electionem ad beneficia.*
3 *Taliter excommunicatus peccat certe casu venialiter conferens sacramenta.*
4 *Interposita appellatione non suspenditur effectus excommunicationis lata sed bene eius declaratio.*

1 EFfectus eius sunt tres præcipui : Primus est priuare hominem passivâ Sacramentorum perceptione : ita vt si suscipiat, peccet quidem, non tamen fiat irregularis, *cap. Si celebrat sup. de clerico excommunicato.*

2 Secundus, quòd electionem ad beneficia reddat talem, vt meritò irritari possit, licèt eam de facto non irritet, *d.c Si celebrat.*

3 Tertiùs, quod tali excommunicatione innodatus conferens Sacramenta peccet venialiter, Couvar. *in c. Alma mater. part. 1. §. n 8. 12.*

4 Præterea effectus excommunicationis in genere est, quod non suspendatur appellatione post latam sententiam interpositâ, *cap. Is cui hoc tit. in 6.* quamvis declaratio excommunicationis appellatione suspendatur, Glos. *in cap. Cupientes in V. Priuatos de elect. in 6.* ita vt liceat communicare cum declarato excommunicato, durante appellatione, nec ipse celebrans incurrat irregularitatem, si dubitet de valore excommunicationis aut confidat suæ appellationi. Quamvis sit tutiùs in talibus abstinere ab illis actibus qui inducunt irregularitatem ob vulgatum axioma, quòd etiam iniusta excommunicatio liget, quodque salutarius animæ sit sequendum, Pias. *dict. cap. 4. art. 13. sub num. 28. vers. notandum.* Insuper excommunicatio suspendi non potest, sed vel statim ligat vel statim nulla est, *cap Pastoralis sup. de appell.*

§. V.

Quinam excommunicare possint.

1 *Possent quicumque iurisdictionem Eccles. habent in foro externo.*
2 *Episcopus existens extra diœcesin non potest.*
3 *Potest extraneos in sua diœcesi & suos in aliena.*
4 *Possunt delegati potestatem habentium.*
5 *Laici & mulieres non possunt, & nemo seipsum nec parem nec superiorem.*

PRimo generaliter, qui habent ordinariam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori : vt in primis summus Pontifex tanquam vniuersalis Ecclesiæ pastor, Episcopi etiam ante consecrationem : quia potestas excommunicandi pertinet ad clauem iurisdictionis, Couar. *in dict. l. Alma mater §. 11. num. 1.* Omnes item Prælati maiores & inferiores Episcopis habentes iurisdictionem ordinariam in foro exteriori : vt Abbates, Præpositi Ecclesiarum collegiatarum regularium & secularium etiam non benedicti Priores absoluti qui non constituuntur ab ipso Abbate, sed per electionem : Item Capitulum sede vacante, generales Ordinum & generaliter quicumque habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, & sic de similibus. 1

Etsi autem Episcopus extra suam diœcesim existens aliquem excommunicare non possit, *cap. Vt animarum de constit. in 6. can. Episcopum non debere 9. quæst. 2.* quia ad excommunicationem requiritur iurisdictio & tribunal quod 2

non

videri potest Couar. *dict. loc.* Nauar. *dict. loc. à n.*49. Suarez *de censura disput.*21. *& seq.* sicut & de non reseruatis idem *disput.*23.

6 Quintò, hodie per Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. possunt Episcopi per se vel per vicarios suos absoluere in foro interiori ab excommunicatione reseruata Papæ, quæ prouenit ex delicto occulto, (non etiam ex delicto notorio) excepto quod facultas absoluendi ab Hæresi in foro conscientiæ detur Episcopis tantum, non autem eorum vicariis. Cum autem possit quis excommunicationibus partim à iure, partim ab homine & ob diuersas causas esse ligatus, potest ab omnibus vnica absolutione absolui, si omnes exprimat absoluenti, alioqui potest ab vna absolui & non ab alia.

7 Quod si dum impetrat absolutionem explicet falsam causam vel non omnes principales, absolutio non erit valida, *cap. Cum pro causa sup. eod.* quia tunc non censetur iudex eum velle absoluere: Secus si constaret iudicem velle sine causa absoluere, nam valet absolutio, nisi iniustè detur, modò detur ab eo qui habet potestatem & non decipiatur à pœnitente, Nauar. *d. loc. num.*38. minus valet absolutio si etiam extorqueatur, imò extorquens hoc ipso nouam excommunicationem incurrit, *cap.* 1. *de his quæ vi metusque causa in 6.* vide Nauar. *dict. loc. num.*123.

8 Cum autem excommunicatio sit pœna à iure humano statuta nec pendeat à voluntate excommunicati, potest quis etiam inuitus absolui. Quantum verò ad formam absolutionis attinet non habet certa verba, sed quæcumque significantia absolutionem sufficiunt. Forma verò ordinaria est hæc, Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam ob talem vel talem causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ ac communioni fidelium, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. De prærequisitis ad absolutionem petendam, vide Tholosan. *part. iuris. Canonici lib.*5. *tit.* 16. *cap.*12.

9 Potest autem absolutio concedi ad tempus tantum cum reincidentia: vt si iudex velit absoluere aliquem ad effectum, vt ferat testimonium, vel ad cautelam; de qua vide quos citat Piasec. 2. *part. cap.* 4. *num.*88. *vers. absolutio item.* Etsi autem excommunicatio possit de consensu partis priusquam incurratur tolli, non tamen vbi semel est incursa, nec potest ita deferri vt semel sublata lapso termino in quo de consensu partis debebat incurri, iterum alio termino arbitrio partis incurratur, nisi huiusmodi prorogatio fiat auctoritate iudicis, ex qua non etiam ex pacto nascitur excommunicatio, Piasec. *dict. loc. num.* 88. *in fine.* Statuit autem Conc. Trid. *sess* 25. *cap.*3. vt contra quemcumque insordescentem per annum (perfectum scilicet) in excommunicatione & aliis censuris Ecclesiasticis procedatur tanquam contra suspectum de hæresi, quod intellige sive ex criminali sive ex ciuili causa (Quod olim controversum fuit) excommunicatus sit, nam immediatè ante Conc. quem excommunicari potuisse ex vtraque causa tradit Menoch. *lib.*2. *arbitrar. cent.*5. *c.*416. *num.*54. vbi *num.*59. docet procedi debere contra eum præuia citatione vt se purget: in Concil. verò Tribur. decretum fuit, inquit Zyp. *hoc tit. num.*4. vt qui post excommunicationem inclinati non fuerint ad pœnitentiam subeundam, per Principem sæcularem subigantur: vnde infert perseuerantes per tempus aliquod in excommunicatione posse ante annum puniri pœna temporali & mulctâ pecuniaria per ipsummet iudicem Ecclesiasticum, idque iuri & praxi consonum probare Gutt. *lib.* 1. *canon. quæst.* 1. *cap.*12. *num.*2. & sanxisse in Gallia Beatum Ludouicum anno 1228. ex Chopp. ibid. refert Zyp.

§. VIII.

De Suspensione.

1 *Suspensio variè capitur, & quomodo hic.*2.
3 *Est multiplex.*
4 *Quomodo differat à priuatione & depositione.*

QVia de prima specie censuræ Ecclesiasticæ iam egimus, non abs re fuerit de duabus aliis speciebus, nempe suspensione & interdicto aliquid subiicere, vt earum cognitio habeatur.

Omissis autem Suspensionis aliis significationibus, vt quâ fur suspendi & quis suspenso esse animo dicitur, & similibus, suspensio generaliter in iure & passim apud DD. sumi solet pro prohibitione vsu officij vel facultatis alicuius: sic enim sententia per appellationem suspendi dicitur; & pro interdicto ab ingressu Ecclesiæ sumitur *in cap. de sent. excomm. in 6.* & pro impedimento vtendi aliquo temporali munere *in Extrauag. vnica Ioannis 22 de sententia excommunicationis.* 1

Hic verò strictiùs sumitur pro censura Ecclesiastica, qua Clerico ob culpam suam inhibetur à iure vel à iudice exercitium Ordinis, officij, 2

officij, vel beneficij sui Ecclesiastici, sive in totum sive in partem, sive in perpetuum, sive ad tempus; *c. Tuarum sup. de privilegiis, iunctis exemplo Glossæ in c. 3. V. Suspendi sup. de pœnis.* Et hinc patet laicum non posse suspendi: vti nec Ecclesiasticum alio respectu, quam quatenus est Ecclesiasticus: * & insuper suspensionem esse multiplicem, nempe aliam esse à iure (quales enumerantur apud Silvestrum, *verb. suspensio* §. 6. *n.* 40. & sexdecim enumerat Navar. *c.* 17. *art.* 154.) aliam ab homine, aliam perpetuam (quoad partem scilicet) quia prohibitio totius exercitij officij vel beneficij in perpetuum, est potius depositio vel privatio, quàm suspensio, Navar. *d. loco n.* 151. *vbi alios citat.* aliam temporalem, aliam in totum, aliam in partem, aliam ab Ordine, aliam ab officio, aliam à beneficio, aliam à pluribus ex his simul. Quibus adde aliam incurri ipso facto, vt quando dicitur: sit ipso facto suspensus, suspendimus; & tales à iure multæ feruntur, quas tangit *Gloss. in Clem. cupientes de pœnis*, & recenset Navar. *d. loco n.* 154. Alia non incurritur ipso facto, vt dum dicitur: suspendatur sub pœna suspensionis. Alia est à divinis: alia ab aliis, vt colligitur *ex c.* 1. § *fin. h. t. in* 6. *c.* 1. *de re iudicata eod. lib.* Suspensio verò ab officio vel beneficio differt à privatione officij vel beneficij & depositione, quòd suspensio sit censura Ecclesiastica, inducens irregularitatem, si quis actum aliquem officij, à quo suspensus est, exerceat, à qua non nisi per Summum Pontificem liberatur, *cap.* 1. *de sent. & re iudicata in* 6. Salvo quòd hodie ex Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* permittatur Episcopis in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: at verò privatio & depositio non sunt censuræ Ecclesiasticæ.

4 Secundò per suspensionem non amittitur beneficium, nec ea pars fructuum, quæ est planè necessaria ad sustentationem: secus per privationem beneficij aut depositionem.

§. IX.

Quis possit suspendere, & quæ sit forma suspensionis?

1 *Suspensio fit ab eo qui potest excommunicare.*
2 *Idque propter culpam & plerumque mortalem.*
3 *Debet fieri scripto.*

SVspendere autem potest omnis & solus, qui excommunicare; ideóque licet confessarius & parochus possint alicui prohibere, ne celebret, ita vt contraveniens peccet, non possunt tamen suspendere per censuram, ita vt per violationem incurratur irregularitas, Gloss. *in cap. Is cui de sentent. excommunicat. in* 6. 1

Requiritur verò ad suspensionem culpa aliqua; & plerumque requiritur mortalis: quia tam graves pœnæ non debent communiter ferri ob venialem: quamvis si ferantur, possint etiam ob venialem incurri, sicut & interdictum, Navar. *dict. loco num.* 15. Cæterùm quia suspensio non potest ferri sine propria culpa, cuius sit pœna, ideò ea suspensio, quæ fit ob senectutem, lepram, debilitatem, vel aliam similem causam, licet generaliter suspensio dici possit, non est tamen suspensio de qua hic agitur, quæ scilicet est censura strictè sumpta, quæ autem crimina sint digna suspensione non potest certâ tradi regulâ, Pial. 2. *part. cap.* 4. *num.* 78. *in fine* ex Abbate & Diaz. 2

Quantum ad formam suspensionis attinet, non est certa aliqua & determinata seu certis verbis præscripta, sed sufficit, si scribatur verbis ad rem significandam accommodatis. 3

Dico, si scribatur; quia suspensio debet fieri in scriptis expressâ causâ seu peccato, ob quod fertur; sicut & excommunicatio: alioquin Iudex Ecclesiasticus incurrit suspensionem à divinis officiis & ab ingressu Ecclesiæ per mensem, *cap.* 1. *sup. hoc titul.* valida tamen esset aliter lata. Debet etiam præcedere monitio, quando fertur ob contumaciam, non etiam, quando solùm in pœnam, Navar *d. loco n.* 159.

§. X.

De effectu suspensionis & forma absolutionis à suspensione.

1 *Exercens contra suspensionem incurrit irregularitatem.*
2 *Secus si non solemniter.*
3 *Suspensio solùm in tantum ligat quantum exprimit iudicis sententia.*
4 *Suspensus tamen ab ordine inferiori suspenditur quoad omnes superiores.*
5 *Forma absolutionis.*

Effectus

1 Effectus suspensionis est, vt antè diximus: inducere irregularitatem, si quis actum aliquem officij, à quo suspensus est exerceat. Hinc suspensus ab ingressu Ecclesiæ efficitur irregularis, si in ea exerceat aliquem actum, ordini sacro deputatum, non autem si domi vel in Oratorio priuato celebret, Piasc. 2. *part. cap.* 4. *num.* 78. *vers. Suspensus item.* Nullus tamen suspensus, præterquam ille, qui suspensus est à diuinis, siue absolutè, siue in aliquo loco incurrit irregularitatem contraueniendo suspensioni, licèt peccet vt ex Felino *dict. loco tradit* Piasc. & suspensus à diuinis tum demum incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum alicui ordini sacro vel minori specialiter deputatum, id est, cuius faciendi specialis potestas traditur in ordinatione: vt in presbyterio potestas consecrandi & baptizandi solemniter, in Diaconatu potestas canendi solemniter Euangelium, ac etiam prædicandi solemniter tanquam ex officio, si non lege diuina qua videtur soli sacerdotio peculiaris, tamen lege & consuetudine humana secundum Nauar. *cap.* 27. *num.* 163. in Subdiaconatu potestas solemniter canendi Epistolam, Acolytatu ferendi cereos, &c.

2 Secus si non solemniter aliquid istorum faciat: vt si cantet Epistolam, ferat cereos tanquam alius laicus, vel actum Ordini sacro vel minori non specialiter deputatum exerceat: vt si psallat in choro, si suspensus à perceptione Sacramentorum illa percipiat, nam etsi ea suscipiendo peccet mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem, sicut nec Sacerdos, qui suspensus à beneficio in electione votat, etsi de similibus quæ non specialiter alicui ordini sacro vel deputata sunt: prout tradit Nauar. *d. n.* 163. Circa verò effectum suspensionis.

3 Notandum, supensum ab vno non ideò suspensum esse ab alio non connexo: & proinde suspensus ab Ordine non est suspensus à iurisdictione, aliâ ratione, quàm ordinis competenti. Similiter suspensus à iurisdictione non est suspensus ab ordine; nec suspensus ab ordine est suspensus à beneficio, nec suspensus à beneficio per hoc est suspensus ab officio, vel è contra: vide Nauar. *dict. loc. num.* 160. Item suspensus à superiori ordine, v.g. sacerdotali, non est suspensus ab inferiori v.g. quoad Diaconatum vel Subdiaconatum, & suspensus ab exercitio Pontificalium solùm suspensus est ab illis, quæ dependent ab ordine Pontificali, & ideò officium Sacerdotale licitè exercere potest, sicut & suspensus ab Ordine sacerdotali exercere potest officium Diaconi vel Subdiaconi, *nam* suspensio *in tantum ligat, in quantum* iudex exprimit in sententia, & ideò suspensus ab ingressu vnius Ecclesiæ potest in alia licitè suum officium exercere, & iudex semper debet exprimere à quibus actibus suspendat, Diaz. *in praxi c.* 122.

Suspensus tamen ab ordine inferiori: v.g. 4
Diaconatu suspensus est quoad omnes superiores: v.g. Sacerdotalem & Pontificalem, Nauar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 163. Notandum verò hic Episcopum nunquam incurrere suspensionem vel censuram aliquam iuris vel hominis nisi de ipso expressa fiat mentio, *cap. Quia periculosum hoc tit. in* 6. casus tamen in quibus expressè suspenditur recenset Piasc. 2. *part. cap.* 4. *num.* 80.

Quantum verò ad formam absolutionis 5
spectat, non est etiam certa aliqua seu certis verbis determinata, sed sufficit si voluntas absoluentis significetur, solet tamen quando certa est suspensio, hæc ordinariè seruari, Absoluo te à vinculo suspensionis quam incurristi propter talem vel talem causam, & restituo te ad hoc vel illud à quo fuisti suspensus, In Nomine Patris & Filij &c. quando verò est incerta & dubia hæc: Si teneris aliquo vinculo suspensionis à quo te possim absoluere, absoluo te &c. Vide plenius Nauar. *d. loc* & Sucr. *de censuris dist.* 15. Suspensus autem sicut & interdictus ad tempus, adueniente tempore ipso facto est absolutus nec indiget alia absolutione, durante verò tempore suspensionis incurſæ à iure ob delictum commissum, non potest totaliter absolui ab Episcopo sed dispensatiue potest Episcopus pœnam moderari, Nauar. *d. loc. num.* 162. Piasc. *d. loc. num.* 81. si verò suspensio fuerit inflicta à iure ob contumaciam, tum ab illa absoluere poterit Episcopus, nisi conditor Canonis absolutionem sibi reseruauerit, *c. nuper sup. h. t.* Nauar. & Piasc. *dictu locu.*

§. XI.

De interdicto.

1 *Definitur & distinguitur contra alias censuras.*
2 *Est triplex, Personale, Locale, & Mixtum.*
3 *Interdicto loco interdicuntur eius annexa: secus est in personis.*
4 *Interdictâ Vniuersitate interdicuntur sub eâ consentientes.*

5 *Subdiuisiones Interdictorum. 6. 7.*
8 *Interdictum generale non comprehendit infantes & amentes.*

OMissis aliis Interdicti significationibus, de quibus Suarez *de censura disp. 32. sect. 1.* hic vsurpatur, prout est censura Ecclesiastica, prohibens vsum quarundam rerum diuinarũ vt fidelibus communem, quatenus talis est. In hac definitione abstrahitur à loco & persona, & ab vsu actiuo & passiuo, quia interdictum in genere etiam ab illis abstrahit. Dicitur, vt fidelibus communem; vt separetur interdictum à suspensione, quæ priuat etiam aliquo vsu, verùm non vt communi, sed vt proprio alicuius potestatis Ecclesiasticæ: & ideò suspensio per se solùm priuat vsu actiuo, ac proinde per se solùm priuat Clericos; at verò interdictum priuat indifferenter, & de se est commune. Additur, quatenus talis est; vt distinguatur ab excommunicatione, quæ priuat quidem vsu talium rerum sacrarum, sed non quatenus est vsus rei sacræ, sed quatenus est communicatio cum aliis fidelibus. Interdictum verò formaliter priuat vsu talis rei sacræ per se ac independenter à communicatione cum aliis. Adde & hoc aliud discrimen, quod excommunicatio priuet non solùm communicatione in diuinis, sed etiam in humanis; interdictum verò solùm priuet vsu sacrarum rerum, non quidem omnium, sed earum quæ in iure expressæ sunt, & modo in iure declarato: Suarez *loco citato.*

1 * hic vsurpatur

2 Interdictum est triplex, Personale tantùm, Locale tantùm, & Mixtum, id est, Locale & Personale simul. Locale tantùm dicitur, quo locus solus interdicitur: vt v.g. Ecclesia, Parochia, oppidum, regnum. Personale tantùm, quo solæ personæ interdicuntur. Inter ista duo interdicta hoc discrimen est, quòd, quando solus locus est interdictus, possint personæ, quæ in eo sunt, nec fuerunt causa interdicti, in alio loco audire diuina, dare, & suscipere. Quando autem personæ sunt interdictæ, nusquam id possunt, *cap. Si sententia de sent. excom. in 6.* Quòd si verò solæ personæ alicuius Ecclesiæ vel Ciuitatis interdictæ sint, in ea ab aliis & coram aliis, puta peregrinis & alienigenis non interdictis, celebrari potest, etiam ianuis apertis.

3 Rursus interdicta aliqua ciuitate, castro, aut villa, eo ipso etiam suburbia atque ædificia contigua interdicta intelliguntur, sicut & interdictâ Ecclesiâ etiam capellæ eius ac cœmeterium contiguum interdicta censentur: secus si non sint contigua, *cap. Si ciuitas eod. in 6.* idque ne interdictum reddatur elusorium. Aliud est in personis: nam interdicto Clero non intelligitur interdictus populus, nisi aliud expressum sit. Nomine tamen Cleri comprehenduntur Monachi, & Monachæ, religiosi, & religiosæ, nouitij & nouitiæ. Similiter si propter delictum domini & Rectoris ciuitas sit interdicta, ciues eiusdem, qui culpabiles non existunt, alibi diuinis licitè interesse poterunt, nisi & ipsi quoque propter dominum vel Rectorem puniendum interdicti fuerint, *dict. cap si sententia.* Quod in excommunicatione contingere non potest, quia pro peccato vnius non potest alius, puta ipsius familia, excommunicari.

4 Interdicta vniuersitate vel populo alicuius loci, singuli de vniuersitate seu populo, etiam religiosi & religiosæ interdicti censentur, Nauar. *cap. 27. num. 146.* Vbi tamen obseruandum, quòd ciuitas, terra, vniuersitas non possit interdici pro debito pecuniario, sine speciali mandato Papæ ex Constit. Bonif. VIII. *in Extrauag. prouide §. Præsentis hoc tit.* Felin. *in cap. Sane 2. sup. de off. deleg. num. 3.* idem ex Constitutione Clementis VII. & Leonis X. in concordatis Galliæ, quas omnes Constitutiones refert Petrus Matth. *7. decretal. lib. 2. tit. 8.* & antè Carolus V. Galliæ Rex 5. Ianuarij 1369. Chopp. *in præfat. de sac. polit. num. 8.* & ex concordatis Brabantiæ: nec pro delicto priuatæ personæ, sed bene pro delicto domini Officiarij vel communitatis delinquentis.

5 Mixtum interdictum est, quo interdicitur locus & simul persona vel personæ. Exemplum quotidianum est interdictum illud, quod Canonistæ appellant ambulatorium, quo scilicet interdicitur persona & locus, vbi est, vel vbi fuerit, quasi simul ambulet cum persona. De mixto interdicto, quatenus est locale, iudicandum, vt de locali tantùm; & quatenus est personale, vt de personali.

6 Potest verò vnumquodque horum interdictorum subdiuidi in generale, quo scilicet interdicitur locus vniuersalis, vt regnum, prouincia, vel vniuersitas hominum, vt populus talis regni aut prouinciæ; & speciale, quo interdicitur locus particularis, vel loca particularia: vt Ecclesia, vel aliquæ Ecclesiæ alicuius ciuitatis, regni, aut prouinciæ vel personæ singulares, vna, vel plures, certæ vel incertæ. * Et horum vnumquodque dividi vlterius potest in simplex & mixtum, hoc est in generale tantùm, aut in particulare tantùm, aut generale & particulare simul: de quo quatenus est generale, iudicandum, vt de generali tantùm, & quatenus

est

est particulare, vt de particulari, tantùm.

7 Præterea in interdictum à iure, & interdictum ab homine seu iudice. Interdictum à iure fertur in Ciuitatem siue aliam Vniuersitatem, si v. g. portorium ex rebus Ecclesiarum vel Ecclesiasticorum, quas negociationis causa, non deferunt, exegerit vel extorserit, *cap. de penult de cens. in 6.* vel si repræsalias aduersus Ecclesiasticas personas concesserit, *cap. 1. de iniuriis in 6.* vel si Ciuitas hostiliter insecuta fuerit, aut cœperit Cardinalem Romanæ Ecclesiæ vel Episcopum suum, siue aliis id facientibus opem tulerit, suaserit, vel consuluerit, *cap. fin. de pœnis in 6. cap. 1. eod. tit. in Clement.* vel si Ciuitas in electione Roman. Pontificis (cùm eo mortuo apud se electio celebranda est, non obseruauerit, quæ seruanda iubet, *cap. Vbi periculum de elect. in 6.*) Item si dominus territorij Legatum vel Nuntium Apostolicum non admiserit: nam eius ditiones interdicto Ecclesiastico subiiciuntur, & sic de similibus casibus, de quibus vide latiùs in auctoribus citatis. Ita supra dicta exempla profert Canisius *in summa iur. Canon. lib. 3. tit. 23. §. interdictum à iure* Interdictum verò à iudice Ecclesiastico non nisi ex causa, eáque scripto interdicti comprehensa, ferri debet, *cap. 1. hoc tit. in 6.* non tamen, vt diximus, ex causa pecuniaria vel ob culpam priuati hominis, sed propter culpam eius, qui loci Dominus est, vel in eo iurisdictionem habet, ita Canis. *d. loc. §. interdictum verò à iudice.*

8 Interdicto autem generali nunquam includuntur infantes & amentes, ac proinde possunt ad diuina admitti, quia sicut sunt incapaces præceptorum humanorum, ita & pœnarum Ecclesiasticarum: quod verò non possint sepeliri in loco sacro, fit, quia locus ipse est inhabilis.

§. XII.

Quis possit & ob quam causam interdicere, quæ sit forma interdicti, quis effectus & pœna interdicti violati.

1 *Interdictum debet ferri ob grauem causam & scripto.*
2 *Qui potuit interdictum debet quoque obseruare.*
3 *Forma interdicti.*
4 *Quanam ea prohibentur & quæ non.*
5 *Pœna transgredientium.*

INterdicere potest, qui excommunicare & suspendere; & similiter qui potest excommunicari & suspendi, potest etiam interdici, & insuper loca. * Non debet autem iudex Ecclesiasticus ferre interdictum nisi pro causa graui, veluti ob inobedientiam vel graue crimen, conuictum cum contumacia, eáque scripto interdicti comprehensa, *cap. 1. eod. in 6.* & præuia monitione, quando illud fertur ob contumaciam; secus si in pœnam præteriti delicti. Nam tunc non requiritur præuia monitio, vti nec interdicto à iure lato, quia cognitio iuris habetur pro admonitione. Non debet etiam ferre ex causa pecuniaria, *cap. 2. hoc tit. in Extrauag. com.* aut ob culpam priuati alicuius hominis, Couar. *cap. alma mater part. 1. §. 1. n. 5.* sed ob culpam eius, qui loci Dominus est aut in eo iurisdictionem habet, *cap. non est sup. de sponsalibus dict. cap. Si sententia.* Et interdictum regulariter est nullum iis casibus, quibus excommunicatio est nulla, Nauar. *c. 27. n. 187.* 1

Is autem ipse seruare debet interdictum, qui illud tulit: ideò si Episcopus celebret in Ecclesia à se interdicta incurrit pœnam iuris, scilicet irregularitatem. Aliàs nunquam Episcopus à iure vel ab homine censetur interdictus aut suspensus, nisi specialis eius fuerit facta mentio, *iuxta cap. Quia periculosum hoc tit. in 6.* 2

Quantum autem ad formam interdicti attinet, non est certa aliqua & determinata, sed sufficit si verbis effectum interdicti significantibus exprimatur. Ordinaria verò forma est hæc: Talem populum aut locum, &c. interdicto Ecclesiastico subiicimus, *ex cap. Cum in partibus sup. de verbor. signific. cap. Sane sup. de officio delegati.* 3

Interdicto autem prohibentur omnia diuina officia sacra, Ecclesiastica sepultura, item solemnitas conducendi corporis cum orationibus, comitatu Cleri superpelliciate & processionaliter, vt moris est, incedentis (quamvis si quis sepeliatur in Ecclesia tempore interdicti non fit exhumandus: quia multi facta tenent, quæ fieri prohibentur, Gloss. *in cap. à Nobis 2. V. forma sup. hoc tit.* Pialec. 2. *part. cap. 4. n. 47.*) exceptis iis quæ expressè vel tacitè permittuntur, vt colligitur *ex dict. cap. non est.* Permittuntur autem Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia, sed hæc duo postrema tantùm morientibus, *cap. Quoniam eod in 6.* Item permittitur Missæ, aliorumque diuinorum officiorum celebratio, *cap. Quod in te, sup. de pœnit. cap. Alma Mater hoc tit. in 6.* dummodò submissâ voce, ianuis clausis, non pulsatis 4

campanis, dicantur, *dict. cap. Alma Mater*: præterquam in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis Diuæ Virginis, quibus diuinorum officiorum celebratio, etiam pulsatis campanis, apertis ianuis, altaque voce permittitur, vt latiùs *in d. cap. Alma Mater.* Adde & solemnitatem Corporis Christi & eius Octauam per Extrauag. Martini V. & Eugenij IV. licitè etiam interdicti possunt in Ecclesiam orationis causa, quando ibi diuina officia non peraguntur. Similiter potest concio haberi interdicti tempore, & ad eum finem pulsari campana: sicut & pro Aue Maria, vt moris est, *cap. Responso 43. hoc tit.* Piasec. *dict. cap. 4. art. 11. num. 8.* Vbi addit, etiam contractum matrimonij tempore interdicti non esse prohibitum, ex Abbate, Arm. & Glossa, quamvis solemnis benedictio sponsis tum dari non debeat, Nauar. *cap. 27. num. 179. vbi alios citat.*

5 Scienter vero celebrans vel actum aliquem Ordini sacro deputatum exercens in loco interdicto, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit ei concessum, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium quàm per Romanum Pontificem liberari; & adeò fit ineligibilis, vt nec ad eligendum cum aliis debeat admitti, *cap. Is qui §. Is verò eod. in 6.* Aliud dicendum de celebrante in cessatione à diuinis, nam is non incurrit irregularitatem, Religiosi verò tam exempti, quàm non exempti violantes interdictum sunt excommunicati, *cap. 1. & 3. hoc tit. in Clem. iuncto cap. 12.* Conc. Trid. *Sess. 24. de regularibus* sicut & Domini locorum *iuxta Clem. 2. hoc tit.* salua tamen Constitutione Martini V. quam refert Canis. *in Summa iuris Canonici lib. 5. tit. 23. §. sanè.* Sic sepeliens interdictum in Ecclesia cum officio & pompa exequiali solita, quia tum exercet actum sacerdotali Ordini deputatum, incurrit irregularitatem, Piasec. *dict. loc. num. 11.* Syluest. *quem citat.*

Cæterùm licet in Ecclesia, polluta sanguinis vel seminis humani effusione, vel Simoniacè consecrata, aut præsenti maiori excommunicatione innodato, celebrari à iure veterur, *cap. Is qui eod. in 6.* tamen in tali Ecclesia celebrans scienter, licet temerariè agat, non incurrit irregularitatem: quia id non est in iure expressum. Interdictos autem nemo vitare tenetur in humanis, sed solùm in diuinis, postquam fuerit denuntiatum interdictum, Piasec. *dict. loc. n. 9.* ex Nauar. *d. c. 27. n. 170.*

§. XIII.

De Irregularitate.

1 *Definitur irregularitas.*
2 *Distinguitur à Censuris.*

1 ETsi Irregularitas generaliter sumi possit ad designandum impedimentum, ratione cuius homo incapax illius gradus vel actionis, quæ aliis communis est, eáque ratione omnes censuræ Ecclesiasticæ, aliaque impedimenta dici possint irregularitates: tamen hic specialiter sumitur prout à censuris distinguitur; de eáque hic agendum est, propter magnam similitudinem, quam cum censuris habet.

Est itaque Irregularitas hic, inhabilitas seu impedimentum Canonicum, ex se & natura sua directè ac primariò impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum. Dico, Canonicum; quia irregularitas inducta est à iure Canonico, nec potuit introduci à iure ciuili aut potestate temporali, cùm hæc de spiritualibus rebus, quales sunt ordines Ecclesiastici vel Clericorum status, nõ disponat. Per hanc itaque partem excluditur omnis incapacitas ad Ordines suscipiendos, orta ex iure diuino: qualis est non baptizati aut fœminæ. Similiter excluditur peccatum mortale, quod licet suo modo excludat à perceptione Ordinum, saltem sacrorum, quia peccato mortali contaminatus non potest illos sine nouo peccato accipere: non tamen id habet ex aliqua lege Ecclesiastica, sed ex natura sua, sicut & carentia membrorum necessariorum ad ministerium Ordinis, quæ proinde pariter per eandem partem excluditur.

2 Dicitur, directè impediens; vt distinguatur irregularitas à censuris, quæ etsi sint etiam impedimenta quædam Canonica respectu aliquarum rerum vel actionum, tamen directè non impediunt susceptionem ordinum, verùm excommunicatio, v. g. priuat communicatione fidelium, & sub ea ratione, susceptione & vsu Ordinum, quia communicationes cum aliis fidelibus, non verò quatenus Ordines sunt. Interdictum priuat auditione diuinorum, suspensio priuat muneribus, respicitque solum actus, eorumque vsus prohibet, & imponitur solis Clericis, ac proinde primam tonsuram supponit, cuius susceptionem, vt & aliorum Ordinum: ac totum statum impedit irregularitas,

tas. Per eandem partem excluditur Depositio, quia priuat Ordinibus iam susceptis; irregularitas verò susceptionem impedit. Quantum verò ad dispensationem super irregularitate, quatenus ea permissa Episcopis vel non vide Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 6. de reformat.* Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 34. num. 55. & seqq.* & quæ suprà diximus in Paragraph. 1. De suspensione in fine.

§. XIV.

De Depositione & Degradatione Clericorum.

1 *Quid depositio verbalis.*
2 *Quid actualis, & ob quæ crimina feratur.*
3 *Verbalis non tollit privilegium clericale.*
4 *Verbalis absoluta & respectiua variè distinguuntur. 5. 6.*
7 *Quid depositio ad degradationem ordinata, & quid Degradatio.*
8 *Depositio non tollit Ordinem, nec priuat onere Ordini coniuncto.*

QVamvis Depositio & Degradatio non sint propriè censuræ Ecclesiasticæ, cùm non sint pœnæ medicinales, vti sunt censuræ Ecclesiasticæ, sed vindicativæ tantùm: quia tamen, vt hic sumuntur, sunt etiam solemnes pœnæ Ecclesiasticæ, & magnam habent affinitatem cum ipsis censuris Ecclesiasticis, adeò vt Suspensio subinde vocetur depositio, Glossa *in can. Si quis Episcopus dist.* 86. & è contra, ideò de his quoque agendum est.

1 Depositio in genere fieri potest dupliciter, scilicet verbaliter, & verbalis depositio nuncupatur, & actualiter, diciturque actualis depositio seu degradatio: quæ inter se differunt, quòd verbalis depositio fiat per solam sententiam Episcopi adsistente certo numero Episcoporum, si Clericus qui deponitur in sacris sit constitutus: & quidem si sit Episcopus, in præsentia duodecim Episcoporum, si Presbyter, sex; si Diaconus aut Subdiaconus, in præsentia trium: vt communiter tradunt *ex can. Felix & cac. Si quis 13. quæst. 7.* Seruanda tamen quoad hæreticos limitatio adhibita *in cap. 1. de hæret. in 6.* Hodie verò standum est definitioni Conc. Trid. *Sess. 13. cap. 14. de reform.* quoad depositionem Sacerdotum & inferiorum: nam ibi de depositione Episcoporum nihil statuit, vel quia illa reseruata est summo Pontifici, tanquam proprio Episcopo aliorum Episcoporum, vel quia ob dignitatem Episcopalem non expediebat præsentiarum Episcoporum in inferiorem præsentiam commutari. Vide Conc. Trid. *sess. 24. cap. 45. de reformat.* In minoribus verò nulla aliorum Episcoporum præsentia opus sed sufficit sententia Episcopi.

Realis depositio seu degradatio fit ad instar 2
exauctorationis militaris, cùm scilicet ob delictum Clerico vestibus clericalibus induto ac si in officio ministrare deberet, vestes & insignia Ordinis sui detrahuntur per Episcopum ordine retrogrado: vide *cap. 2. de pœnu & cap. 3. cum sequent. 15. 1. quæst. 7.* Insuper depositio realis seu degradatio solùm fieri solet in tribus casibus notatis à Glossa *in cap. Ad abolendam sup. de hæreticis*; scilicet ob crimen hæresis, *dist. cap. Ad abolendam*; crimen falsi litterarum Apostolicarum, *cap. Ad falsariorum sup. de crimine falsi*: denique ob calumniam & contumeliam grauem proprio Episcopo illatam, *cap. Si quis Sacerdotum 11. quæst. 1.* Hunc tamen casum restringunt Doctores ad calumniam & contumeliam coniunctam incorrigibilitati, quia alias iniquum videretur, quod propter simplicem iniuriam illatam Episcopo degradaretur Clericus & brachio sæculari traderetur: non tamen latrocinium, homicidium, aut alia similia atrocia crimina.

Insuper differunt, quòd per depositionem 3
verbalem non amittatur priuilegium Clericale seu fori, secus per degradationem; ideóque degradatus statim fori sæcularis, à quo per privilegium fuerat exemptus: ac proinde privilegio sublato statim reuertitur ad pristinum forum, eundémque degradatum iudex illicò tradit sæculari iudici. Quod dum facit, efficaciter pro eo intercedat necesse est, vt citra mortis periculum sententiam circa eum moderetur, *c. nouimus inf. de v. s.*

Verbalis Depositio rursus fieri potest dupli- 4
citer, aut absolutè & per se, sive ordine ad aliud, & vocatur Depositio absoluta, quæ non, aut vix videtur distingui à Suspensione perpetua; aut in ordine ad depositionem realem seu actualem, sive, quod idem est, ad degradationem realem, & vocari potest. Depositio Verbalis Respectiva. Inter quas hoc discrimen primò statui potest, quod depositus absolutè tantùm non possit sine noua sententia degradari; depositus verò cum respectu ad degradationem possit statim degradari, & tradi Iudici sæculari.

Et hinc resultat alia differentia, nempe

quòd ad respectivam depositionem certa solemnitas sit à iure præscripta, vt patet *Ex c.2. de pœnis in 6.* non autem ad absolutam: quodque respectiva nunquam imponatur vel incurratur ipso iure & facto, quia requirit prædictam solemnitatem, quæ non potest nisi mediante hominis sententia adhiberi, Depositio verò absoluta interdum imponitur ipso iure, vt patet *ex c.1. de homicidio in 6. can.2. dist.5.*

4 Rursus Depositio Respectiva & Degradatio dici possunt differre, sicut sententia & sententiæ executio: nam per verbalem depositionem respectivam profertur sententia; per degradationem mandatur executioni, quoad aliquas actiones vel effectus, qui per ipsammet sententiam absque hominis actione perfici non possunt. Vnde & pro iisdem criminibus imponuntur, quia veluti vnam integram pœnam complent; sicut sententia & executio idem crimen respiciunt.

5 Vnde rursus fit, quòd Degradatio cum præuia depositione solùm videatur posse fieri in quibus post degradationem Clericus traditur brachio sæculari, *iuxta cap. 2. de pœnis in 6. d.c. nonimus inf. de verb. signif.* vti sunt casus suprà numerati, crimen, inquam, hæresis, crimen falsi litterarum Apostolicarum, & calumnia grauis proprio Episcopo illata. Quibus adde, si non ordinatus celebret: nam & is pœna degradationis puniendus est, ex Ordinatione Clem. VIII. quam refert Piasc. *part. 2. cap. 4. art.14. num.12.* item crimen nefandum contra naturam, prout voluit Pius V. cuius Constitutionis verba refert Nauar. *in manuali cap. 27. num. 149.* & addit eam intelligendam esse non de quocumque committente hoc crimen, sed exercente, cum frequentatione actuum. Quin & in aliis delictis atrocibus pro arbitrio pœnam hanc infligi posse, tenet Diaz *c.128.*

6 Et hinc iterum resultat discrimen inter depositionem Respectivam, & Degradationem à depositione Absoluta; quia hæc habet locum etiam in aliis criminibus, vt furto, homicidio, periurio, &c. *cap. Cum non ab homine sup. de iudiciis*; in quibus etiam, si quid atrocius commissum fuerit à Clerico, post depositionem in arctum monasterium pœnitentiæ peragendæ causa includitur, *cap. tua sup. de pœnis, can Sacerdos dist. 81.* Quo casu ex beneficiis suis ali debet, vel ab Episcopo, si sit pauper, *c. de lapsis 11. quæst.6.* Cæterùm hisce temporibus hæc detrusio in monasterium vix est in vsu, cùm monasteria passim recipere tales recusent, nec ab Episcopo, vt recipiant, cogi possint, quippe vbique ferè exempta, Piasc. *dist.106. num.9. in fine.* Vbi paulò ante tradit, neminem deponendum, nisi in casibus à iure expressis, vel illis tantùm, quibus ius Ciuile infligit pœnam mortis: hodie tamen pœnas omnes esse arbitrarias, possèque iudicem pro arbitrio suo hanc pœnam imponere.

Ex prædictis depositio, ad degradationem 7
ordinata, definiri potest, quòd sit priuatio perpetua Clericali muneris, per Canonicam sententiam, cum debita solemnitate prolatam: degradatio verò sit perpetua priuatio Clericalis muneris & priuilegij, per similem sententiam, adiunctâ reali actione & ceremoniâ per Canones instituta. Ita Suarez *de Censuris disp. 30. sect.1.n.9.*

Ex ea autem, quòd depositio & Degradatio 8
sint pœnæ ex institutione sua perpetuæ, sequitur iure Ordinario eas tolli à nemine posse, sed tantùm per potestatem absolutam summi Pontificis: qui rarò, vel nunquam id facit: Imò secundum præsentem Ecclesiæ statum non datur remissioni locus, quandoquidem degradatus statim traditur sæculari brachio pœna mortis mulctandus.

Ex eo verò quòd depositio non priuet Ordine ipso, cùm per characterem indelebilem imprimatur, ac proinde non possit auferri ab Ecclesia; sequitur sacerdotem depositum verè consecrare, verè vngere, cæterósque actus Ordinis validè exercere; quando scilicet non requirunt iurisdictionem (quod addo, vt excludatur absolutio sacramentalis:) & similiter Episcopum depositum verè ordinare, confirmare, si debita forma & materia ac legitima intentione vtatur. Ob eandem causam depositio non priuat onere Ordini coniuncto: v.g. recitandi horas Canonicas, seruandi castitatem, & inhabilitatem ad matrimonium contrahendum, si depositus sit sacris initiatus.

Illud denique hic subiiciendum, edicta Princ. nostrorum aut Concordata non aliter prohibere exercitium censurarũ, quam contra Officiarios sæculares. Imò dissertè eadem Concordata executiones decretorum & sententiarum Ecclesiasticarum per censuras fieri permittunt, teste Zyp. *h.t. in fine.*

TITVLVS XL.

De Verborum significatione.

1 *Varia Verbi significatio.*

2 *Verba*

2 *Verba non semper accipienda prout sonant, sed iuxta mentem proferentis.*

DVo sequentes Tituli per vniuersam iuris nostri materiam diffunduntur, ideóque postremo loco, vti factum quoque in digestis, collocantur. Et primus quidem *de verborum significatione* vtilitatem suam habet, cùm sæpè dubitari contingat de significatione terminorum, seu vocum ipsarum.

1 Nam vt alias Verbi significationes omittam, quibus significat nunc secundam personam in divinis, nunc apud Grammaticos tertiam orationis partem nunc apud Logicos conceptum in intellectu retentum, quo aliquid cogitamus, quod deinde vocibus declaramus; nunc quod à re sive facto distinguitur, iuxta illud.

Non opus est verbis, credite rebus ait.

Et dum dicitur, *Non opus est verbis, sed factis, dare alicui verba* pro decipere: sumitur Verbum hic generaliter, prout idem est, quod vox seu dictio aliquid significans, sive sit verbum, sive nomen, sive pronomen, sive aliqua alia pars Orationis apud Grammaticos: quod Varro à veritate deducit, quasi verum nos loqui oporteat. Hoc verò Tit. potissimùm traditur, quid significent, & quomodo verba accipienda sint, sive voce proferantur, sive scripto, veluti in testamento, vel rescripto, vel alio instrumento contineantur verbi gratia quid veniat appellatione Noualis, vt *in cap.* 1. quid nomine Patris, vt *in cap.* 2. quid Vnigeniti, vt *in cap.* 3. quid Primogeniti, vt *in cap. Ioseph, &c.*

2 Quantum autem ad modum, quo accipi debent, in primis traditur, verba, cùm inuenta sint, vt indicent proferentis mentem; *l. Labeo ff. de suppellect. legata*, non semper accipienda esse, prout sonant, sed magis inspiciendam esse mentem proferentis; & cùm de ea constat, non esse laborandum de verbis, *cap. intelligentia, cap. nihil obstat, cap. Praterea hoc tit.* quia non intentio verbis, sed verba intentioni seruire debent, *cap in his hoc tit.* adeò vt verba contractuum pro rei qualitate, & tuendæ voluntatis seu intentionis causa contra propriam significationem interdum accipiantur & intelligantur, vt *in l. Ex conducto* 15. §. *Papinianus & in l. in leg.* 29. *de locati.* Et ideò non vitiatur factum, vario modo narratum, vbi idem in substantia concluditur: & intelligi debent verba eo respectu & ad eum finem, ad quem proferuntur, *l. debitor* §. *fin. ff. ad Trebell.* & restringi ad rem, super qua proferuntur, §. *Quod autem instit. de legitima agnatorum tutelæ.*

Proponuntur etiam variarum vocum definitiones, veluti Pacti, *in cap. Pactum interdicti, in cap. Cum in partibus noualis, in d.c.* 1. *& cap. Quid per nouale*, similiter quis dicatur Præpositus, *& c. Quamuis eod.*

Si verò quæratur de verbis rescripti summi Pont. tum consulendus est Pont. vt *in cap. olim & aliis hoc tit.* Alias verò accipienda sunt verba iuxta sensum seu significationem, secundum quam, inspectis rerum circumstantiis, verisimile est proferentem accepisse, *cap. Quærenti hoc tit.* ne dum proprietas spectatur, omittatur sensus veritatis, *d.c. præterea, & c. Quid dicitur, & c. Ioseph. hoc tit.* Quòd si verba obscura fuerint, ita intelligenda sunt, vt res de qua agitur, potius valere possit, quam perire, *d.c. Abbati vers. profecto.*

Insuper quarundam vocum etymologiæ traduntur, veluti vnde dicatur ius, *c. ius dictum*: vnde dicatur Pactum, *d.c. pactum*: vnde dicatur Forus; *c. Forus eodem.* Denique traditur privilegia Principis latissimè esse intelligenda, *cap. olim eod.* ac verba in iis sic esse accipienda, vt aliquid adferant seu operentur, nec remaneat ambiguitas, *d. cap. Abbati eod.*

TITVLVS XLI. & Vlt.

De Regulis iuris.

1 *Regula vnde dicta.*
2 *Regula definitio apud iurisconsultos.*

REGVLA sumitur ex iure, non verò ius ex Regula, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & propterea, postquam de toto iure Pontificio actum est, subiicitur coronidis loco Tit. *de Regulis iuris*; & quidem post Tit. *de Verborum significat.* quia disputatio de vocibus simplicibus præcedere debet disputationem de compositis. 1

Dicitur autem Regula ex eo, quod rectà ducat, vel, vt alij volunt ex eo, quòd regat vel normam rectè viuendi præbeat, vel quod distortum prauumque corrigat, vt habetur *in can. Regula dist.* 3. Et Græcè dicitur Canon, *can. Canon. eadem distinct.* 3. Vnde & ius Pontificium dicitur Canonicum, id est, Regulare.

Iurisconsultis Regula est quædam compendiosa enarratio multarum rerum, variis partibus iuris definitarum. Vnde Azo Regulam definit 2

finit esse plurium rerum traditionem compendiosâ narratione factam: & Paulus iurisc. *in l.1.ff.h. tit.* Regulam esse, quæ rem, quæ est, breuiter enarrat. Cuius sensus est, quòd in regula sit oratio, quæ rē, quæ est, id est, ius quod ipsa controuersia sequi oportet, seu causam ac rationē plurium rerum in arte iuris definitarum breuiter, id est, generaliter & quidem ex iure constituto & recepto enarrat. Cum enim, vt & in aliis scientiis, non omnia facta & individua vtpote infinita, possint aliquâ ratione comprehendi ac cognosci, ita neque leges neque Senatusconsulta ita scribi potuerunt, vel possunt, vt omnes casus, qui quandoque incidunt, comprehendant, *l. neque leges ff. de LL.* necessum fuit, exemplo aliarum scientiarum, etiam in iure, ex iis, quæ in variis eius partibus definita sunt, aliquas generales regulas constituere, que continerent causam & rationem primariam, qua moti fuerunt prudentes ad ita definiendum, & proinde nobis primariam rationem iuris controuersi decidendi præberent. Sic Vlpianus, cùm in diversis iuris partibus obseruasset primùm moribus receptum, deinde legibus constitutum, quòd fœminæ non possent esse iudices, Magistratum gerere, postulare, curatrices esse, & sic de similibus: inde desumpsit & constituit vniuersalem regulam, quòd fœminæ ab omnibus ciuilibus officiis vel publicis remotæ sint, *l.2.ff.eod.* Et rursus, cùm variis in partibus iuris definitum esset, pisces, feras, bestias, lapillos in littore maris inuentos, fieri primò occupantis, quia in nullius bonis sunt, inde desumpta est hæc compendiosa regula: Quæ in nullius bonis sunt, fiunt primò occupantis; sic de similibus.

Atque ita patet in primis, cur regula dicatur ex iure nasci, non autem ius ex regula. Secundò patet, quanta sit vtilitas Regularum iuris, quodque id sint regulæ iurisconsultis, quod Medicis Aphorismi, Geometris Postulata: & cur dicat iurisconsultus *in l.1.ff.eod.* quod si vitiata sit regula, perdere officium suum.

Porrò regulæ, quæ hic traduntur, sunt, Quòd omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluatur *cap.2.* Quòd dubia in meliorem partem sint interpretanda, *cap. 2.* Quòd propter scandalum vitandum non sit veritas omittenda, *cap. 3.* Quòd necessitas illicitum faciat licitum; & similes. Quarum prima primariam continet rationem & causam, cur stipulatio, quæ est verbis contracta, possit verbis ipso iure dissolui; non etiam emptio, locatio, mutuum, & alij contractus, aliter quàm verbis initi: idem cur emptio, locatio, mandatum, societas, quæ solo consensu, contrahuntur, possint etiam solo contrario dissensu dissolui; & sic de aliis regulis iuris Can. vt fusiùs hic Peckius, ad quem Lectorem remittimus, & ad Dei Opt. Max. eiusque intemeratæ Matris Virg. Mariæ honorem, hisce Paratitlis seu summariæ Explicationi Decretalium, per modum institutionum iuris Can. finem imponimus: omnia in eius tradita S.R. Ecclesiæ censuræ submittentes, & quæ illa probauerit, approbantes; quæ improbauerit, improbantes.

INDEX

INDEX
Rerum & Verborum Notabilium.
Quæ his Libris explicantur.

A

ABBAS ſui Monaſterij Religioſis Minores ordines conferre poteſt, Lib. 1. Tit. 11. §. 3. n. 6.
Abbatiſſa non niſi quadragenaria eligēda, l. 1. t. 14 §. 1. n. 6
Abolitio vel eſt generalis, vel ſpecialis, l. 5. t. 2. num. 4.
Accuſatio quid ſit, l. 5. t. 1. §. 1. n. 1
Libellus accuſatorius quid continere debeat, num. 2.
Qui accuſare poſſint vel non poſſint, ib. §. 2
Qui non poſſint accuſari, §. 3
Adulterium & generaliter & ſpecialiter ſumitur, l. 5. t. 16. §. 1. n. 1
Pœnæ adulterij ex vtroque iure, n. 2. & 3
Pœnæ Clerici adulterij, n. 5
Adulterium deprehenſum cum vxore an occidere liceat, n. 4
Adulterium quando impediat aut dirimat matrimonium, l. 4. t. 7. n. 2. & 3
Ætas requiſita ad obtinendum beneficium, ad Epiſcopatum & alias dignitates, l. 1. t. 14. §. 1. n. 1. 2. 3.
Ætas requiſita ad tonſuram, ad ordines cum minores tum maiores, ibid. §. 4.
Ætas requiſita ad ſponſalia contrahenda, l. 4. t. 1. §. 2. n. 1. ad contrahendum matrimonium, ibid. §. 7. & eod. l. 1. t. 2.
Affinitas quid ſit, qui Affines, l. 4. t. 14. §. 3. n. 1
Oritur Affinitas etiam ex illicito coitu, ibid. num. 2.
Affinitas orta ex copula illicita ſoluit ſponſalia de futuro, l. 4. t. 13. n. 1. & t. 14. §. 3 n. 4.
Antichreſis quæ dicatur, l. 3. t. 21. §. 3. n. 1
Iure civili licita eſt, & canonico prohibita, l. 5. t. 19. §. 1. n. 4.
Apoſtata idem, qui defertor, l. 5. t. 9. n. 1
Pœnæ Apoſtatarum, n. 3. ibid.
Apoſtaſia alia eſt fidei, alia obedientiæ, alia religionis, n. 2. ibid.
Apoſtoli qui & vnde dicantur, l. 1. t. 28. §. 10 n. 1. & 2.
Alij ſunt dimiſſorij, alij reverentiales, alij refutatorij, ibid. n. 3
Intra quod tempus peti & recipi debeant ibid. n. 4.
Appellatio quid, & quotuplex, l. 2. t. 28. §. 2 n. 2. & 3.
Appellare cui liceat, ibid. §. 2
A quibus Iudicibus, §. 3
A quibus ſententiis ſeu actibus, §. 4
Coram quo interponi appellatio debeat §. 5.
Et ad quam ſit appellandum, §. 6. ibid.
Quando & quo tempore interponi debeat §. 7.
Qualiter ſit interponenda appellatio, §. 8
Idque à ſententia cum definitiva, tum interlocutoria. §. 9
Intra quod tempus petendi Apoſtoli, §. 10
Quibus appellationibus ſit deferendum, §. 11
Intra quod tempus introducenda & proſequenda ſit appellatio, §. 12. 13. & 14
Effectus appellationis, nihil attentandum eſſe appellatione pendente, §. 15

Permissa tamen quædam iudici vel partibus pendente appellatione, §.17
Arbitri qui dicantur, & quotuplices sint, l.1. t.43. §.1.
In quo differant à iudicibus, ibid.n.5
Quo pacto adsumi soleant. ibid.§.2
Qui eligi in arbitros possint. §.3
Quot eligi possint. ibid.§.4
Super quibus accipi non possint arbitri, ibid. §.5.
Quo pacto potestas eorum finiatur, ibid. §.7.
Archidiaconus quis, eiusque officium, l.1.t.23. n.2. & 3.
Qualitates in Archidiacono requisitæ, l.1. t.14. §.2.n.3.
Archiepiscopi potestas. Est summus Episcoporum, l.1.t.8.§.2.n.1
In quos iurisdictionem exercear. ibid.n.2
Archipresbyter quis dicatur, eiusque officium, l.1.t.24 n.5.
Alius Vrbanus, alius Ruralis, n.6
Attentatorum remedium quando locum habeat, l.2.t 28.§.15.n.4
Privilegia illi remedio competentia, §.16

B

Baptismus vnde dicatur, l.3 t.42.§.1
Eius materia, forma, divisio, ibid.n.3.4.5
Minister huius Sacramenti: & cur in eo patrini necessarij, ibid.§.2
Quinam baptizandi, & quo in loco, §.3
Effectus baptismi, §.4
Begginas & Canonicas fœminas non esse Religiosas, l.3.t.31.§.3.n.10.11
Beneficium Ecclesiasticum quid sit, & quæ in eo considerentur, l.3.t.5.n.3.& seq.
Variæ illius divisiones, ibid.§.2.per tot.
Beneficia sæcularia sæcularibus & regularia regularibus conferenda, ibid.n.14
Beneficia Eccles. acquiruntur per institutionem Canonicam, l.3.t.7.§.1.n.1
Beneficia quædam certæ familiæ debita sunt, l.3.t.7.§ 4.n.8.
Beneficia non conferenda, nisi vacent, d. l.3. t.8.§.1.
Variis autem modis vacare dicuntur, ibid. §.2.
Conferri debent intra sex menses, ibid.§.3
Beneficia quandoque non conferri, sed commendari sive dari in commendam, d.§.3.n.
Beneficia compatibilia, vel non quæ sint, ibid. §.4.
Incompatibilia quædam sunt primi generis, quædam secundi generis. ibid.n.3.& 5
Beneficia sine diminutione aut reservatione fructuum conferenda, l.3.t.12.n.1
Item gratis, sine modo & conditione, ibid. num 6.
Item liberè non obreptitiè, n.9.& 10
Bigamia quotuplex, l.1.t.21.n.1.2. & 3
Bigami cur ordinari prohibeantur, ibid.n.4
Pœna sic ordinatorum, ibid.n.5

C

Calumniari, Calumnia & Calumniator quid sit, l.2.t.7.§.1.n.2. & l.5.t.2.n.1
Canonia & Canonicatus quid sit, l.3.tit.5.§.1. num.2.
Canonicam portionem ex legatis Ecclesiæ detrahit Episcopus, l.3.t.26.§.3.num 5. & d.l.3. t.28. §.6.
Quod tamen fallit certis casibus, d.§.6. n. 5. & seqq.
Non fit autem detractio illa, nisi deductis oneribus, ibid.n.9
Canonica portio etiam Ecclesiæ parochiali debita est, si quis extra eam sepulturam elegerit, d.t.28.§.5
Quantitas illius portionis, ibid.n.2
Ex quibus bonis detrahi debeat, n.4
Capella & Capellania vnde nomen habeant, & in quo differant, l.3.t.37.n.1.& 2
Capella curata à sæculari regi debet, ibid.n.3
Capituli nomine quid intelligatur, lib.3. tit.9. num.1.
Capitulum sede vacante quæ beneficia conferre possit, ibid.n.3.5
Similiter succedit in iurisdictionem rerum tam spiritualium quàm temporalium, ibid.n.6.
Non tamen exercet ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, ibid.n.12
Absque consensu Capituli Prælatus arduа negotia expedire non potest, l.3.t.10.n.1
In levibus, vt & in statutis condendis, opus est solo consilio, ibid.n.2.& 3
Requiritur verò consensus maioris & sanioris partis, l.3.t.11.n.1
Carceris pœnâ quatenus Iudex Ecclesiasticus vti possit, l.5.t.37.§.2.n.1
Casus summo Pont. reservati, l.5. t.38. §.6. num.8
Casus reservati Episcopo, n.9
Cautio quid & quot modis vtiliter caveatur, l.3.t.21. §.1. n.1.

Census quid significet, l.3.t.39.§.1.n.1
Census debetur Episcopo, nomine Cathedratici. ibid.n.2
Item patrono, quem sibi reservaverit, ibid. num.3.
In qua moneta soluendus sit, n.6
Censura Ecclesiastica quæ dicatur, l.5.t.39.§.1. num.2.
Species illius sunt Excommunicatio, Suspensio & Interdictum, n.3
Citatio quid sit, quotuplex, & requisita ad eandem, l.2.t.2.§ 3.n.2.3
Executio citationis quo modo fieri debeat, ibid. §.4
Effectus eiusdem, ibid.§.5
Citatio, an die festo vel ad diem festum fieri possit, l.2.t.9.n.13
Clausula, *Si ita est; Si preces veritate nituntur*, l.1.t.3.§.2.n.4.
Per clausulam *Motus proprij, Non obstante*, &c. tollitur subreptio in rescriptis, ibid. § 7.n.6.
Clerici peregrini qui dicantur, l.1.t.22.§.1.n.1
Admitti non debent, vt celebrent publicè, ibid n.3.
Clericus in iudicem laicum consentire non potest regulariter, l.2.t.2.§.1.n.10.11
Clericus coram iudice laico reconveniri potest, l.2.t.4.n.3.4.5
Clerici quo modo instituere & componere vitam debeant, vt sint continentes, & abstinentes ab omni crimine &c. l.3.t.1.n.5. & seq.
Clericis interdicta habitatio cum mulieribus, l.3.t.2.n.1.
Clerici concubinarij Missam audire an liceat, ibid.n.6.
Clericis cœlibatus commendatus, lib.3.t.3.§.1. num.1.
Clerici sacris initiati matrimonium ipso iure nullum est, ibid.n.2
Clerico minoribus ordinibus contrahente matrimonium quatenus amittatur beneficium, ibid.§.2.
An & quatenus immunitate gaudeat Ecclesiasticâ, §.3
Clerici beneficiati quatenus teneantur ad residentiam, l.3.t.4
Ægrotantes vel debilitati non tenentur, l.3. tit.6.
Clerici acquisitorum intuitu Ecclesiæ an sint Domini, l.3.t.25.n.5.& 6
De iis bonis testari non possunt, d.l.3.t.26. §.3.n.7.
Quamvis secus de consuetudine, ibid.n.9
Clericis interdicta quo modo succedatur, l.5. t.27.n.6.& 7
Clerici negotiis sæcularibus sese immiscere vetantur, l.3.t.50
Pœna Clericorum negotiantium. ibid.n.3
Clericis interdicta venatio, l.5.t.24. Item percussio, d.l.5.t.25
Clerici maledici pœna, l.5.t.26
Clericus excommunicatus, depositus vel interdictus celebrans quo modo puniatur, ibid. t.27.
Item celebrans in ordine, quem non suscepit, t.28.
Item promotus per saltum, t.29
Item furtivè ordinem suscipiens, t.30
Clericus perpetuo carcere includi non debet, l.5.t.37.§.2.n.2
Clericus pro crimine torqueri non potest, n.5
Coadiutor quis, & quibus detur, l.1.t.18.§ 7
Cognatio alia naturalis, alia spiritualis, alia civilis, l.4.t.11.n.2
Cognatio spiritualis quæ dicatur, ibid.n.4
Hæc dirimit matrimonium postea contractum, ibid.n.8
Cognatio legalis quatenus impediat contrahi aut dirimat matrimonium, l.4.t.12
Cognatio naturalis quid & quotuplex. l.4.t.14. §.1.n.1. & 2
Cognati & Agnati qui dicantur, n.3
Cognatorum alij ascendentes, alij descendentes, alij collaterales, n.4
Inter hos quatenus prohibitæ sint nuptiæ, ibid.5.6.7
Cognationum gradus & computatio, ibid.§.2
Collatio quid sit, & quotuplex, l.3. t.7.§.1. num.4.
In quo differat ab electione, præsentatione & postulatione, ibid.n.5
Qui conferre beneficia possint, ibid.2
Quibus conferre debeant, §.3
Idoneitas ad beneficia in quibus consistat, §.4.
Collusio quid sit; & in quibus causis locum habeat. l.5.t.22.n.1
Pœna colludentium. n.2
Commodatum quid sit, l.3.t.15.n.1.& 2
Commodatarius ad quid teneatur, ibid.n.3
Compromissarij arbitri qui dicantur, l.1. t.43. §.1.n.4.
Compromissum fit vel adiectâ pœnâ vel non adiectâ, ibid.§.2.n.1.& 2
Compromisso semper standum secundum Canones, ibid.n.4.

Eius effectus, ibid.§ 6
Concilium quid sit, in Procem. §.10.n.1
Eius divisio in Sæculare & Ecclesiasticum, num.2.
Ecclesiasticum aliud est Generale, aliud Particulare, ibid.n.3
Concilia generalia quot sint, n.4
Particularium alia Nationalia, alia Provincialia, alia Dioecesana, n.6
Ad Provincialia qui vocandi, ibid.n.8
Confessio sacramentalis quid sit, & quis minister illius, l.5.t.38.§.6.n.1.2. & seq.
Quos & quando obliget præceptum confessionis. ibid.§.7
Conditiones & qualitates requisitæ ad confessionem, §.8
Circumstantiæ in confessione exprimendæ, §.9.
Ex quibus causis dividere seu dimidiare Confessionem liceat, §.10
Nullitas confessionis ex quibus causis oriatur, §.12
De sigillo confessionis, §.13
Confessio de alio facta alteri non nocet, n.8
Confessio simplex in iudicio & per verbum Credo in quo differat, l.2.t.18.n.5
Confessio extraiudicialis semiplenè probat, ibid.n.6. & 7.
Confessio potest esse publica & fieri per interpretem, §.11
Confessus quatenus habeatur pro iudicato, ibid.10.
Confirmatio electi à quo & qualiter fieri debeat, l.1.t.6.§.7
Confirmati potestas ante consecrationem, ibid. num.7.
Confirmationis Sacramentum cur necessarium: eiusque materia, forma & effectus, l.1.t.15.§.2.
Consecratio Episcopi, & eius forma, l.1.t.6
Consecratio Ecclesiæ vel altaris quando & quo ritu fieri debeat, l.3.t.40.n.1
Quo pacto probetur Ecclesiam consecratam esse, ibid.n.3
Quibus casibus iterari possit consecratio, vel non ibid. n.4.
Constitutio vnde dicta, & quid sit, l.1.t.2. §.1.n.1.& 2.
Eius condendæ modi tres per Epistolam, Decretum & Edictum, ibid.n.4
Constitutionum Ecclesiasticarum species, Dogma, Mandatum, &c. ibid.6
Qui eas condere possint, ibid.§.2.n.1
Qualiter & quos obligent, n.2.& seqq.
Aliæ sunt Generales, aliæ Speciales vel Personales, ibid.n.7
Consuetudo quid sit, l.1.t.4.§.1.n.2. requisita ad consuetudinem introducendam, ibid.§.2
Consuetudo alia est præter legem, alia secundùm legem, alia contra legem, ibid. §.3. num.2.3.4.
Contractuum alij nominati, alij innominati: item alij bonæ fidei, alij stricti iuris &c. l.3. t.14.n.1.2.3
Contritio quid sit, & ad eam requisita, l.5.t.38. §.3.n.1. & seq.
Contritio quomodo ab Attritione differat, n.5. & 6.
Quanta esse debeat contritio, ibid.§.4
Quatenus obliget præceptum obligationis, §.5.
Contumacia quid sit, & contumax quis, l.2. t.14.n.2. & 3.
Pœnæ contumacis litigatoris, ibid.n.4
Ob contumaciam rei quo modo actor tatur in possessionem bonorum, l.2.t.15.n.1. & seqq.
Pœna actoris contumacis, ibid.n.7
Corpore vitiati cur ordinari prohibeantur, l.1. tit.20.
Custodis officium, l.1.t.27

D

DAmnum quoquo modo alteri datum reparari debet, l.5.t.36.§.2.n.1
Decimas deberi solo iure Ecclesiastico, l.3.t.30. §.4.n.3.& 4.
Multorum fructuum & insolitas non deberi decimas, ibid.n.5.& 6
Ex quibus rebus debeantur, & quotuplices sint, ibid.§.5
In quo differant prædiales à personalibus, ibid.n.3.
Quibus debeantur, §.6.& à quibus, §.7
Quibus modis quis eximatur à præstatione decimarum, Paragrapho 8.
Decimæ novales quæ dicantur & quibus debeantur, paragraph.9.n.2.3
Cognitio decimarum ad quem spectet, ibid. num.7.
Pœnæ detinentium vel non soluentium decimas, §.10
Degradatio quid sit, & effectus illius, l.5.t.39. §.14.
Delegare sive Iudicem delegatum dare potest Summus Pont. l.1.t.29.§.1.n.2
Item quilibet Ordinarius, ibid.n.5

Forma delegandi, ibid.§.2
Delegari qui prohibeantur, ibid.§.3
Delictum, Peccatum & Crimen quandoque promiscuè sumi, l.5.t.3.§.2.n.1
Delictorum alia Deum principaliter, alia proximum lædunt, ibid.n.2
Item alia sunt merè Ecclesiastica, alia merè sæcularia, ibid.n.3
Denuntiatio in causa criminali alia est civilis, alia Evangelica, alia Canonica, l.5.t.1.§.5. n.1.2.3.
Denuntiatio Evangelica in quo differat ab accusatione, ibid.n.4
Eiusque generalis & specialis, n.5
Denuntiationes sive banna in causa matrimoniali remitti quandoque possunt, l.4.t.3. num.3.
Pertinent quippe ad solemnitatem non ad essentiam, ibid.n.5
Depositum quid significet, l.3.t.16
Depositarius ad quid teneatur, ibid.n.3.4
Depositio alia verbalis, alia actualis, quæ & Degradatio, l.5.t.39.§.14.n.1.& 2
Verbalis non tollit privileg. clericale, n.3
Diaconus quis dicatur, & munus illius, l.1. t.23.n.1.
Dignitatem, personatum, officium qui habere dicantur, l.3.t.5.§.2.n.4.5.6
Dilatio quid sit, & quotuplex, l.2.t.8.§.1
Hodie, dilationes omnes sunt arbitrariæ, ibid. n.6.
Potestque iudex ex causa plures dilationes concedere, ibid.n.12
Quatenus dilationes propagari possint, ibid. §.2.
Effectus dilationum, ibid.§.4
Divortium in quo à Repudio differat, l.4.t.19 num.1.
Quid divortij nomine intelligatur, d.n.1
Pro docendi labore, vel pro arte, quam quis profitetur accipere pecuniam non est simoniacum, l.5.t.5 n.2.& 3
Donatio vnde dicatur, & quid sit, lib.3. t.24. §.1 n.1.& 2.
Alia est mortis causâ donatio, alia inter vivos, ibid.n.3
Hanc non nisi ex certis causis revocari, illam facilè revocari, n.6.& 7. ibid.
Donationes inter vivos latissimè interpretandas esse, ibid.§.2.n.1
Donatio inter vivos quo modo perficiatur, §.3.
Donatio excedens 500. solidos insinuari debet, ibid.n.3.& 4.
Donatio item alia propria, alia impropria, §.4.
Qui donare possint, §.5
Dos quid sit & quotuplex: quid item donatio propter nuptias, l.4.t.20.n.1.& 2
Duellum vnde dictum, l.5.t.14.n.1
Duella hodie prohibita vtroque iure, n.2
Pœnæ duellantium ex iure Canonico, n.3
Ex decreto Conc. Trid. n.4. ibid. & quando istis pœnis locus sit, n.5.6.7. ibid.

E

Ecclesiæ nomine quid intelligatur, l.3. t.8.§.1.n.1.
Ecclesiæ de novo erigi non debent sine auctoritate Pont. vel Episc. ibid.n.3
Et non nisi cum dote competenti, n.4
Ecclesiæ novæ erectione nocere non debet vicinis ædibus, n.5. ibid. nec præiudicium inferri antiquæ Ecclesiæ, n.6
Quinam ad Ecclesiarum reparationem teneantur, ibid.§.2. per tot.
Ecclesiarum variæ sunt divisiones & differentiæ, l.3.t.29.§.1.n.1
Ecclesia Curata, quæ dicatur, ibid. n.2. quæ Parochialis, n.3. Vide *Parochiæ*.
Ecclesiæ res alienari prohibentur, l.3.t.3.§.1
Pœna alienantium, ibid.n.6
Certis tamen casibus permissa est alienatio, ibid.§.2.
Solemnitas requisita ad alienationem, ibid. §.3.
Ecclesia læsa enormiter, restitui potest, ibid. num.5.
Electio quid significet, l.1.t.6.§ 1
In quibus differat à Postulatione, ibid.n.5
Quando facienda electio, quo loco & per quos, ibid.§.2
Intra quod tempus fieri debet, ibid.§.3
Electio vel fit per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem divinam, ibid. §.4.
Eligendi ius quibus competat, ibid.§.5
Qui eligi non possint, ibid.n.3
Quales eligendi, ibid.§.6
Electi à quibus confirmandi, ibid.§ 7
Emptio venditio cur solo consensu contrahi dicatur, l.3.t.17.§.1.n.3
In quibus à permutatione differat, ibid.n.5
Quæ res vendi possint, ibid.§.2
Quæ non possint vendi, §.4
Venditor emptori tenetur de evictione, d. §.2.n.3.

Rescinditur emptio & venditio ob læsionem vltra dimidium iusti preti, ibid. §.3
Emphyteusis in quo distinguatur ab emptione, venditione, locatione, conductione, l.3.t.18. §.2.n.2
Emphyteuta amittit ius suum ob non solutum canonem, n.3
Item si vendat rem emphyteuticam non facta denuntiatione Domino, n.4
in Episcopum qui aut quales eligendi, l.1. t.6. §.6.
Episcopatus novi ex causa erigi possunt, l.3. t.48. §.1.n.9
Error personæ impedit & dirimit matrimonium, l.4.t.9.n.1
Similiter error servilis conditionis, n.2.
Error circa bona fortunæ nec impedit nec dirimit, ibid.n.7
Eucharistiæ Sacramentum describitur, materia illius est panis & vinum, l.3.t.41.§.1
Vinum aquæ permixtum esse oportet, ibid. num.6.
Forma & Minister huius Sacramenti, ibid. §.2.
Quilibet Christianus illud communicare debet, saltem semel in anno, §.3.n.1
Effectus Eucharistiæ, §.4
Eucharistia in Ecclesiis parochialibus adservanda, non in Capellis, l.3.t.44
Quo modo & quando deferenda ad ægros, n.4
Exactionibus sive tributis non gravandi ab Episc. subditi, l.3.t.39.§.2
Exigi tamen charitatiuum subsidium, n.2.
Examen ordinandorum omninò necessarium, l.5.t.30.n.3.
Exceptio quid & quotuplex, l.2.t.25.n.1.2.3
Exceptiones dilatoriæ quando proponendæ n.6. & seqq.
Exceptiones peremptoriæ quando proponendæ, ibid.n.12.& seq.
Exceptio eliditur replicatione,&c. n.14.
Excommunicatio vnde dicta, eiusque definitio, l.5.t.39.§.1.n.4.5
Alia est maior, alia minor, ibid.§.2.n.1
Item alia est à iure, alia ab homine. n.2
Item alia latæ sententiæ, alia ferendæ, n.4
Alia item iusta, alia iniusta. n.
Effectus maioris Excommunicationis, §.3
Effectus minoris excommunicationis, §.4
Qui excommunicare possint, §.5
Qui excommunicari, §.6
Quis absoluere possit ab excommunicatione, §.7
Executores vltimarum voluntatum alij legitimi, alij testamentarij, alij dativi, l.3.t.26.§.7. num.1.
Intra quod tempus executio fieri debeat, n.3
Episcopi omnium piarum fundationum sunt executores, n.4
Exponens infantem necare videtur, l.5. t.11. in princ.
Pœna exponentium infantes & languidos, num.1.
Exspectativæ ad beneficia sublatæ, etiam olim in Belgio, l.3.t.8.§.1.n.4.5

F

FEriarum nomine quid intelligatur, l.2.t.9 n.2. & 3
Aliæ sunt solemnes, aliæ repentinæ seu extraordinariæ, & differentiæ earum, n.4. & seqq.
Quænam tempore feriarum prohibeantur, ibid.n.9. & 10
Feudi definitio, l.3.t.20.§.1
Feudalem contractum esse nominatum, & in quo differat a permutatione, n.1.& 3.
Qui in feudum dare possit, ibid. §.2
Feudum sine consensu domini alienari non potest, ibid. n.4.
Fides quid sit, l.1.t.1.§.2.n.1
Quatenus de fide disputare liceat, ibid.n.3
Fideiussor, Constitutor, Mandator, & Expromissor in quo differant, l.3.t.22.§.1
Fideiussor quibus obligationibus adhibeatur, §.2.
Qui fideiubere possint, §.3
Effectus fideiussionis, §.4
Beneficium divisionis fideiussoribus competens, ibid.n.5
Item beneficium ordinis, n.6
Quibus modis extinguatur fideiussio, §.5
Falsi crimen quâ ratione punibile sit, l.5.t.20. §.1. n.2.
Falsum committitur dicto, facto, scripto, & aliis modis, n.3
Pœnæ falsi ex vtroque iure, §.2.
Filius patri in beneficio succedere nequit, l.1. t.17.n.6.
Forum competens quid sit, & quot modis quis forum sortiri dicatur, l.2.t.2.§.1.
Fructus beneficiorum alteri sub annua pensione cedi possunt, l.5.t.4.n.2.
Fructus beneficiorum à docentibus & discedentibus percipi in absentia possunt, l.5.t.5. num.5.

Furtum vnde dicatur, & quid furti nomine veniat, l.5.t.18.§.1.n.1
Furtum à rapina distingui, n.2
Furti definitio, n.3
Diuisio, §.3
Pœna furti ex vtroque iure, d.§.3.n.4

H

HÆreticus quis dicatur, l.5.t.7.§.1.n.1.2.3
Pœnæ hæreticorum, ibid.§.2
Remedia ad exterminandam hæresim, ibid. n.6.&7.
Quo modo procedendum sit in causa hæreseos, ibid.§.3
Hermaphroditus an contrahere matrimonium possit, l.4.t.1.§.10.n.4
Homicidium aliud voluntarium, aliud necessarium, aliud casuale, l.5.t.12.n.2. & seq.
Pœna homicidij voluntarij ex vtroque iure, ibid.§.9.
Homicidium quando impediat aut dirimat matrimonium, l.4.t.7.n.1
Hospitalium nomine quæ veniant, l.3.t.36.§.1. num.1.
Hospitalia omnia de iure subiecta Episcopo loci, ibid. n.3
Visitari debent ab Episcopo, etiam exempta, n.5
Nisi à laicis regi solita: & quatenus ea subiaceant visitationi Episcopi, ibid.§.2.n.1. & seqq.
Hypotheca & pignus in quo differant, l.3.t.21. §.1.n.2.3.
Hypothecaria actio quæ sit, in quo differat à pignoratitia, ibid.§.4.n.3.&4

I

IEiunij obseruatio in quibus consistat, l.3. t.46.n.1. & seq.
Qui ieiunare teneantur, ibid.n.1
Illegitimè nati arcentur ab ordinibus sacris, l.1.t.17.
Eius rei ratio, ibid.n.2. Item arcentur à Religionis ingressu, l.3.t.31.§.2.n.3
Immunitas alia est personarum, alia locorum, alia bonorum, l.3.t.49.n.1
Immunitas personalis ac localis in quibus consistat, n.2.&3
Impedimenta dirimentia matrimonium contractum & contracti impedientia, l.4.t.1. §.10.n.2.3.
Item in Append. ad t.16
Impotentia perpetua impedit matrimonium, l.4.t.15.n.2.
Nisi quis scienter cum impotente contrahat, num.3.
Dissolutio matrimonij ex causa impotentiæ iudicio Ecclesiæ facienda, n.5.6.7
Incestus quid sit, l.5.t.16.§.3.n.1
Pœnæ incestus ex vtroque iure, n.2.&3
Incestus impedit exactionem debiti & contrahi aliud matrimonium, lib.4.t.13.n.3. dummodò sit formalis & consummatus, ibid.n.6
Indulgentiæ nomine quid significetur, l.5.t.38. §.18.n.1.
In Ecclesia esse potestatem concedendi indulgentias, ibid.n.2
Thesaurus indulgentiarum vnde originem habeat, §.19
Indulgentias aliter viuis, aliter mortuis concedi, §.20
Penes quos sit potestas concedendi indulgentias, §.21
Effectus indulgentiarum, §.22
Causa, §.23
Requisita ex parte volentium promereri indulgentias, §.24
Indulgentiæ quamdiu durent, §.25
Infidelis conversus rectè contrahit cum fideli, l.3.t.33.n.2.
Iniuria generaliter & specialiter pro contumelia sumitur, l.5.t.36.§.1.n.1
Fit re & verbis, n.2
Pœna iniuriarum ex vtroque iure, n.3
Inquisitio quid sit, & quo modo instituenda, l.5.t.1.§.4.n.1.2.& seq.
Est, vel generalis vel specialis, ibid.n.6
A iudice competente fieri debet, n.11
Institutio Canonica quæ dicatur, l.3.t.7.§.1.n.2. & seq.
Institutio de iure ad Episcop. spectat, de consuetudine ad Archidiaconum, ibid.§.3. n.7.8.
Nemo instituendus, nisi examinatus, ibid. §.3.n.4.
Institutio quæ fit ad præsentationem patroni à quo fieri debeat, l.3.t.38.§.6
Institutio hæredis est caput testamenti, l.3.t.26. §.2.n.1.
Institui hæres codicillis directo nequit, n.2
Liberi in potestate constituti necessariò instituendi vel exhæredandi, etiam iure Canonico, n.3
Instrumentum aliud priuatum, aliud publicum, l.2.t.22.§.1.n.2.

Priuatum

Privatum quodnam dicatur, eiusque species, ibid. n. 5. 6.
Differentia inter publicum & privatum, ibid. §. 2.
Vt probent instrumenta edi sive produci in iudicio, ea oportet post litem contestatam, ibid. §. 3
Qualiter & cui edi debeant, ibid. §. 4
Reus actori an teneatur edere instrumenta, num. 4. 5.
Instrumentum quo modo probetur vel improbetur, ibid. §. 5
Interdictum Ecclesiæ quid sit, & quotuplex, l. 5. t. 39. §. 11. n. 1. 2.
Quis interdicere possit, ex qua causa quâ formâ, qui effectus interdicti, §. 12
Interdictum Ecclesiæ est impedimentum matrimonium contrahi impediens, lib. 4. tit. 16. num. 1.
Interdictum recuperandæ cui competat, l. 2. t. 13. §. 1. n. 2.
In quo differat ab interdicto retinendæ possessionis, n. 3
Irregularitas quid sit, & in quo distinguatur à Censuris Ecclesiasticis, lib. 5. t. 39. §. 13. num. 1. 2.
Iubilæum vnde dicatur, l. 5. t. 38. §. 26. n. 1
Quoto anno Iubilæum celebretur, n. 3
Effectus iubilæi, n. 4
Iudæi vestitu & habitatione à Christianis distincti esse debent, l. 5. t. 6. n. 3
Ab omnibus honoribus arcentur, n. 4
Quo pacto in eos inquirendum, n. 5
Non cogendi ad fidem, n. 6
Iudæorum conversorum privilegia, n. 8
Iudex quis & vnde dicatur, l. 1. t. 31. §. 1
Iudicem qualem esse oporteat, & qualiter iudicare, ibid. §. 2
Iudicis officium aliud nobile, aliud mercenarium, ibid. § 3.
Iudex Ecclesiasticus secundum Canones iudicare debet, lib. 5. t. 37. §. 1. n. 8. quatenus pœnam pecuniariam infligere possit, ibid. n. 11.
Iudex delegatus quis dicatur, l. 1. t. 29. §. 1. n. 1
Eius officium & potestas in quibus consistat, ibid. § 4.
Differentia inter delegatum ab Ordinario & Summo Pont. ibid. n. 8
Quibus modis finiatur Iudicis delegati iurisdictio, d. t. 29. §. 5. & seq.
Iudex ordinarius est, qui propriam iurisdictionem habet, l. 1. t. 31. §. 1. n. 1.
Iudices ordinarij qui sint, ibid. §. 2.
Quinam prohibeantur esse eiusmodi iudices, ibid. n. 10.
Iudicium quid & quotuplex. l. 2. t. 1
Iuramentum quid sit, l. 2. t. 24
Iurare per Deum vel creaturas, an licitum, ibid. §. 2
Requisita ad iuramenti validitatem, ibid. §. 3.
Iuramentum aliud est assertorium sive decisorium litis, aliud promissorium, aliud comminatorium, ibid. § 4
Assertorium aliud voluntarium, aliud iudiciale, aliud necessarium sive suppletivum probationis, ibid. §. 5
Iuramentum suppletorium in quibus causis locum habeat, ibid. § 6
Effectus iuramenti assertorij, ibid. §. 7
Vis & effectus iuramenti promissorij, ibid. §. 8.
Iuramentum quando confirmet contractum vel non. ibid. §. 9
Iuramentum calumniæ cur introductum, eiusque capita, l. 2. t. 7. §. 1
A quibus præstari debeat, ibid. §. 2.
In quibus causis, ibid. §. 3
In qua litis parte, n. 2
Pœna iuramentum hoc subterfugientis, ibid. §. 4.
Iuris acceptiones variæ, in Procem. §. 1. n. 2
Ius à iustitia dici; secundum Iurisc. n. 3.
Dividitur in ius ad rem & ius in re, §. 2.
Item in ius Naturale & Positiuum, &c. ibid. num 5.
Ius naturale explicatum, §. 3.
Item ius positiuum divinum & humanum, §. 4.
Ius gentium quid sit, & in quo à naturali distinguatur, §. 5.
Ius civile quid sit, §. 6
Ius Canonicum vnde dictum, eiusque origo & necessitas, §. 7
Divisio in ius scriptum & non scriptum, §. 8.
Librorum iuris Canonici series & dispositio, d. §. 8. n. 2. & seqq.
Ius Canonicum à iure civili declarationem accipit, & contra, §. 9. n. 4.
Iuspatronatus quod dicatur, & quibus modis acquiratur, l. 3. t. 38. §. 1
Aliud est Ecclesiasticum, aliud Laicum & cur laico competat, ibid. §. 2.
Differentia inter Ecclesiasticum & laicum §. 3.
Quo modo transferatur hoc ius in alium, §. 4.

Quo modo amittatur, §.7
Iustitia publicæ honestatis vnde oriatur, & quatenus impedimento sit matrimonio, l.4. t.14.§.4.
Iurisdictio ordinaria à quo detur, l.1.t.31.§.1. num.2.
Quibus detur & competat, ibid.§.2
Iurisdictio Episcopi quatenus se extendat, ibid. n.3.4.5.6.

L

LAicus quibus casibus subiiciatur iudici Ecclesiastico, l.2.t.2.§.1.n.12
Legati qui dicantur, l.1.t.30.§.1
Alij sunt legati à latere, alij missi, alij nati, ibid.n.2.3. & 4.
In quibus hi conveniant, ibid.§.2
In quibus differant, ibid.§.3
Quibus modis finiatur legati officium, ibid. §.4.
Legitimi filij sunt ex iustis nuptiis nati, l.4.t.17. num.1.
Item legitimati per subsequens matrimonium, ibid.n.3
Vel rescripto Principis aut Pontificis, n.4
Legitima portio, liberis debita, quanta sit, l.3.t.26.§.2.n.4.
Legitima & Trebellianica portio detrahi simul iure Canonico potest. §.3.n.1
Etiam iure civili, n.2.& 3
Lepra superveniens non dirimit matrimonium, l.4. t.8.
Libellus quid sit, l.2.t.3.n.1
Qualis esse debeat, n.3
Alius est Civilis seu Conventionalis, alius Criminalis, ibid.n.5
Libello quando non sit opus, ibid.n.9.& 10
Libellum quatenus mutare & emendare liceat, ibid.n.11. & 12.
Literæ dimissoriæ quæ dicantur, & à quo dentur, l.1.t.11.§.4
Litis contestatio quid sit, & quo pacto inducatur, l.2.t.5.§.1.n.5.6.7
A litis contestatione incipit iudicium propriè sumptum, ibid.n.3
Quomodo impediatur, ibid.8.9.10
Effectus litis contestationis, ibid.§.2
Ante litis contestationem testes regulariter recipi non debent, l.2.t.6
Exceptis certis casibus, ibid.3.4.5
Lite pendente nihil innovandum, l.2.t.16
Quando pendere lis dicatur, ibid.n.2
Locatio-conductio in quo distinguatur ab emptione-venditione, l.3.t.18.§.1.n.2
Ad quid teneatur locator & conductor, n.3.4.

M

MAioritas quid, & quibus modis quem alio maiorem esse contingat, l.1.t.33
Ex maioritate oritur obedientia, quam minor maiori debet. ibid.n.3
Maior & sanior pars quæ dicatur, l.3.tit.11. num.2.
Matrimonium aliter Coniugium dicitur, item Connubium & Nuptiæ, l.4.t.1.§.5
Matrimonij definitio enucleata, n.2
Matrimonium verum fuisse inter B. Iosephum & Virg. Deiparam, n.5
Matrimonio contineri individuam vitæ consuetudinem, n.6
Materia, forma & minister matrimonij, ibid. §.6.
Ætas requisita ad contrahendum matrimonium, §.7
Item consensus, cum ipsorum contrahentium. §.8
Tum etiam parentum, saltem de honestate, §.9
Qui contrahere matrimonium, possint, vel non possint, §.10
Matrimonium absque Parocho & testibus contractum est nullum, l.4.t.3.n.4
Matrimonium clandestinè contractum de novo contrahi potest, ibid.n.10
Vxor absente marito, cum alio matrimonium contrahens, eo reverso ad eundem redire cogitur, l.4.t.4
Matrimonium & purè & sub conditione, honesta tamen, contrahi potest, l.4.t.5
Matrimonium qui & quatenus accusare possint, l.4.t.18
Matrimonium quibus casibus dissolui possit, l.4.t.19. §.1. & 2.
Metus quid sit, l.1.t.40.n.4
Metu gesta ipso iure obligant, n.5
Exceptis certis casibus, ibid.n.6
Rectè petuntur rescindi per in integrum restitutionem, n.7
Dummodò fuerit metus cadens in constantem virum non etiam reverentialis, n.8.9
Si tamen iuramentum accesserit, illud servandum erit, ibid.n.13
Missio in bonorum possessionem ex primo & secundo decreto quo modo fiat, l.2.t.15. n.1. & seq.

Modi procedendi in criminalibus, per accusationem, l.5.t.1.§.1
Per inquisitionem, §.4
Per denuntiationem, §.5
Per exceptionem, per notorium, per implorationem officij iudicis, §.6
Monachi vnde dicantur, & quibus nomen illud conveniat, l.3.t.31.§.1.n.2
Monachi fiunt vel parentum oblatione vel professione, ibid.§.2
Monachi proprium habere aut possidere non possunt, d.l.3.t.35.n.3
Quatenus ad aliam Religionem transire liceat, n.5
Ad Ecclesias parochiales adsumi nequeunt, ibid. n.7.
Monitorium ad finem revelationis vsus, l.5.t.18.§.1.in fine, & t.39.§.2 n.6.
Mulierem purificari post partum, consilij est, non præcepti, l.3.t.47
Mutua petitio quid sit, l.2.t.4.n.2

N

Negligentia Prælati quæ sit, & quo pacto committatur ab Episcopo, l.1.t.10. n.3.& 4.
Pœna eius varia, n.2
Nuntiare nouum opus quid sit, l.5.t.32.n.1
Origo forma,& effectus novi operis nuntiationis, n.2.3.4
Nuptiæ secundæ quæ dicantur, l.4.t.21.n.1.& differentia inter primas ac secundas, n.3
Nubens secundò intra annum luctus non fit infamis iure Canonico, n.2

O

Oblatio specialiter quid sit,eiusque species, l.3.t.30.§.1.n.2.3.
Oblationes certis casibus sunt de necessitate, num.4.
Quibus cedant oblationes, ibid.6
Quatenus Episcopo debeantur, n.4
A quibus recipi, quive recipere non possint, §.3.
Ordo quid sit. Eius materia, forma & effectus, l.1.t.11.§.1.n.1.2.
Ordinum alij maiores, alij minos, ibid. §.2. num.2.
Ordines sunt septem, secundum Theologos; novem,secundum Canonistas, n.3.4
Conferuntur à proprio Episcopo, ib.§.3.n.1. 2.& seqq.
Item ab alieno cum licentia proprij, ibid.§.6
Item à Sum.Pont.vbique & cuilibet,d.§.3.n.5
Item minores ab Abbatibus sui monasterij Monachis, ibid.n.6
Quibus temporibus conferendi sint, ibid.§.5
Gradatim conferendi & per interstitia, ibid. num.6.
In præficiendis quis ordo requiratur, l.1. c.14.§.3.
Ordo quo modo annexus dicatur beneficio, ibid. n.5.
Ordinari prohibentur illegitimè nati, l.1.t.17
Servi, ibid.t.18. Obligati ad ratiocinia, t.19. ibid. Corpore vitiati, ibid. t.20. Bigami, ibid. t.21. Clerici peregrini, ibid.t.22
Item non baptizati, non confirmati, mulieres,illiterati,&c. ibid.§.2.n.7.8
Ordo cognitionum quis servandus, pluribus causis concurrentibus, l.2.t.10

P

Pactum à contractu & transactione in quo differat, l.1.t.35.§.1.n.1
In quo à pollicitatione, n.2
Pactorum divisio, & an ex pacto detur actio, §.2.
Paciscì qui, quibus & de quibus possint, ibid.§.3.
Pactum antichriseos in pignoribus improbatur iure Canonico, l.3.t.21.§.3.n.1.& 2
Pactum legis commissoriæ similiter improbatur, n.3
Pallium quid sit, & quid significet in Pont. Patriarchis,Archiepisc.&c. l.1.t.8
Parricidium qui committere dicantur, lib.5. tit.10.
Pœna parricidarum, n.2
Parochus & Parochia, item Parœcus & Parœcia vnde dicantur, l.3.t.29.§.1.n.4.& 5
Parochianus seu Parœcianus quis censeatur, ibid. n.12.
Parochiæ distinctæ esse debent, n.9
Parochiani in Ecclesia sua baptizandi, ibid. §.2. num.1.
Parochi circa ægrotos officium. n.4
Missa & divina in Ecclesia parochiali audienda: Item mortui sepeliendi, n.6.& 7
Parochus proprius quis dicatur, l.4.t.3.n.7
Partus sequitur ventrem, l.4.t.10.n.1
Peculium Clericorum ex quibus constet, l.3. t.25.n.2. & seq.
Peregrinatio ad S. Apostolicam quando effectum appellationis habeat, l.2.t.29

Permutatio quid sit, & quæ res permutari possint, l.3.t.19.n.1.& 2
Permutari beneficia cum beneficiis quo pacto possint, n.3.4
Pignus & Hypotheca in quo differant, l.3.t.21. §.1.n.2.3.
Pignus quo modo contrahatur, n.4.6
Aliud est pratorium, aliud iudiciale, n.5
Quæ res oppignorari possint, ibid.§.2
Quæ non possint, n.2.& seqq.
Quæ pacta pignori apponi solita sunt, ibid. §.3.
Pignoratitia actio vel directa vel contraria, ibid. §.4.
Pignus quibus modis dissoluatur, ibid.n.6
Plus petitur re, tempore, loco & causa, l.2. t.11.
Pœna plus petentium, n.2.& 4
Pœna à multa in quo distinguatur, l.5.t.37.§.1. num.1.
Pœna alia civilis, alia criminalis, & vtraque aliter distincta, n.2.& seq.
In pœnis infligendis quid attendere iudex debeat, n.9
Pœna invasionis beneficij vel officij quando infligenda, §.3.n.1.2
Pœna exilij quatenus imponenda, §.4
Pœnitentia nomen æquivocum, lib. 5. t.38. §.1.
Peculiariter sumitur pro Sacramento pœnitentiæ, ibid.n.3
Pœnitentia alia est privata, alia publica, n.4
Pœnitentiæ definitio, ibid.§.2
Polygamia à iure vetita, l.4.t.1.§.5.n.3
Possessio in iudiciis possessoriis quid significet, l.2.t.12.§.1.n.3. & quotuplex, ibid. n.4.5. & seqq.
Possessorium iudicium aliud est adipiscendæ possessionis, aliud retinendæ, aliud recuperandæ: & exempla cuiusque, ibid.n.11.& seq.
In causa possessionis quis sit competens iudex, ibid.§.3
Possessionis & proprietatis causa coram eodem iudice tractanda, ibid.n.5
An & quatenus vtraque cumulari possit, ibid.§.4.
De remediis aliquot recuperandæ possessionis, l.2.t.13.§.1.2.& 3
Postulatio prælati quid sit, l.1.t.5
Qui postulandi, ibid.n.3
Postulatio in quo differat ab electione, l.1.t.6. §.1.n.6.
Postulare in iudicio quid sit, l.1.t.37.n.2
Quinam postulare non possint, n.3.4.& 5
Præbenda quæ dicatur, l.3.t.5.§.1.n.1
Precarium in quo à commodato differat, l.3. t.14.n.6.
In quo à precaria, seu precariis, n.8
Prælatus quis dicatur, l.1.t.10.n.1
Prælatus excedere dicitur, subditos actionibus premendo, l.5.t.31.n.1
Item vniendo Ecclesias & iurisdictioni Episcopi se ingerendo, ibid.n.2.& 4
Præscriptio quid sit & in quo ab vsucapione differat, l.2.t.26.§.1
Reliqua vide in V. *Vsucapio.*
Præsentatio quid sit, & cui ius præsentandi competat, l.3.t.38.§.5
Patronus seipsum præsentare non potest, num.3.
Præsumptio quid sit, l.2.t.23.§.1.n.1
In quo à fictione differat, n.2
Alia est hominis, alia iuris, & hæc alia iuris tantùm, alia de iure, ibid. §.2
Ex quibus causis oriantur præsumptiones, ibid.§.3.
Effectus præsumptionum. ibid.§.4
Vis præsumptionum in concursu, ibid.§.5
Præsumptio an & quando allegari debeat, ibid.§.6.
Prævaricari quis dicatur, l.5.t.2.n.2
Primicerius quis, eiusque munus & officium, l.1.t.25.
Primitiæ in quo distinguantur ab oblationibus, l.3.t.30.§.11
Earum quantitas, n.3
Debentur proprio parocho, n.4
Privilegium quid sit, l.5.t.33.§.1.n.1
Privilegia non extendenda extra personas, locum aut rem, quibus concessa sunt, n.2.& 3.
Privilegia quibus modis amittantur, n.4
Privilegia pravâ interpretatione non extendenda, ibid.§.2
Privilegia Regularium quatenus limitata aut limitranda, n.2
Probatio quid sit, l.2.t.19.§.1
Quotuplex, §.2
Probandi onus cui incumbat, ibid.§.3
Quando & quo loco facienda probatio, ibid.§.4.
Qualitas & effectus probationis, ibid.5
Procuratoris nomen iure Canonico latiùs accipi, l.1.t.38.§.1.n.4
Definitio eiusdem, n.3
Procuratorum alij Iudiciales, alij Extraiudiciales,

... generales, alij speciales, &c. ibid.§.2.
... constituere Procuratorem ... possint, ibid.§.3.
Quis constituere Procuratorem non possit, §.4
... ibid.§.5
Procuratio generaliter non admittitur sine ... ibid.§.6
Procuratoris potestas quibus modis finiatur, ibid.§.
Exceptiones personæ procuratoris obiici solitæ, ibid.§.8
Procuratio sive necessariorum sumptuum exhibitio debita Episcopo ratione visitationis, l.3.t.39.§.3.
Ab ea nulla Ecclesia est libera, n.2
Professio monastica vel expressè fit, vel tacite, l.3.t.31.§.2.n.2.
Decretum Conc. Trid. de tempore professionis monasticæ, ibid.n.4
Requisita ad validitatem professionis, ibid. §.3.
Professo in vna Religione ad strictiorem transire licet, d.§ 3.n.12
Proprietas & Dominium in quo differant, l.2. t.12. §.2. n.1.
Proprietatis & possessionis differentiæ, numero 2.
Prorogatio in iudicem non suum quando & quo pacto fieri debeat, l.2.t.1.§.2
Puer doli capax, ob delictum puniendus est, l.5.t.23.§.1.
Nec ex delicto eius tenetur pater, n.2
Purgatio Canonica quæ dicatur, & quo modo fiat, l.5.t.34.n.1.2.3.4
Quando permitti debeat, n.6
Purgatio vulgaris quo pacto fieri solita, l.5. tit.35.
Ea prohibita, & causa prohibitionis, numero 2.

R

RApina quid sit, eiusque pœna de iure civili, l.5.t.17.§ 3.n.1.
Raptus in quo à stupro differat, l.5. t.17.§.1. num.1.
Raptor non potest dici sponsus rapiens sponsam volentem, n.2
Pœna raptus ex vtroque iure, ibid.§.2
Raptor raptam ducere vxorem iure civili prohibetur, non verò iure Canonico, ibid. n.2. & 3.
Reconventio quæ dicatur, l.2.t.4.n.2
Clericus coram iudice laico reconveniri potest, ibid.n.3.4.5
Coram quo iudice & in quibus causis reconventio locum habeat, ibid.§.2
Quando proponi debeat, ibid.§.3
Causa conventionis & reconventionis pari passu expedienda, ibid.n.3
Recusatio Iudicis qui & coram quo proponenda, l.2.t.25.n.8
Proponenda ante omnem actum iudicialem, l.2.t.28.§.18.
Et quidem libello ac scripto, n.3
Causa suspicionis an in libello exprimenda, n.4
Qui Iudex recusari possit, ibid.n.9
Causæ iustæ & effectus recusationis, ibid. §.19.
Regula vnde dicta, & quid regula iuris, l.5. t.41.n.1. & 2.
Regula de infirmis resignantibus, lib.1. tit.9. num.9.
Regulares vnde dicantur, lib. 3. tit.31. §.1. num.1.
Relationum affinitas cum appellationibus, l.2. t.28. §.20. n.1. & 2.
Relatio quid sit, ibid.n.3
Relationis & Consultationis differentia, numero 7.
Religionem profiteri nequit furiosus & illegitimus, l.3.t.31.§.3.n.3.& 4
Religionem vnam professo, ad aliam strictiorem transire licet, d. §.3. num.12. & l.5.t.9. num.4.
Quo casu alter coniugum altero vel invito vel consentiente Religionem ingredi possit, l.3.t.32
Religionem novam quis propriâ auctoritate constituere non potest, l.3.t.37.n.5
Reliquiæ Sanctorum vendi non possunt vel passim ostendi, l.3.t.45.n.2
Quando eas publicè venerari liceat, numero 3.
Renuntiatio quid sit & quotuplex, l.1. t.9. n.1 & 2.
Episcopatui ex quibus causis renuntiare liceat, ibid.n.5
Qui semel renuntiavit beneficio ad illud redire non possit, ibid.n.6
Rescriptum quid sit, l.1.t.3.§.1
Alia sunt Rescripta gratiæ, alia Iustitiæ, §.2. n.2.& 3.
In omni rescripto subintelligenda clausu[illegible]